R. P. ANTONIVS DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANVS,

Societatis IESV Theologus,

IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS:


P. ANTONIVS DE ESCOBAR ET MENDOZA SOC. IESV.
fere septuagenarius post quadraginta circa Volumina edita, alia
Vadrem digerit.

R. P. ANTONIVS DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANVS,

Societatis IESV Theologus,

IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS:

SIVE

DE MARIÆ DEIPARÆ ELOGIIS.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumpt. LAVR. ARNAVD, ET PETRI BORDE.

M. DC. LXIX.

CVM APPROBAT. ET PERMISSV.

NOBILISSIMO VIRO D. D.
IOSEPHO DE ESCOBAR,
VALLISOLETANÆ CATHEDRALIS
Ecclesiæ Decano, & Canonico meritissimo.

ANTONIVS DE ESCOBAR ET MENDOZA è Societate IESV, S. P. D.

QVIDAM Menandri Græci Poëtæ amicus varia carmina condiderat, queis in Volumen redactis, expetens id digno Mecœnati dicare, qui ei plausum, & tutamen addiceret, requisiuit ab illo, quemnam ad id munus eligeret: Cui Menander respondit: *Si plausum, & tutamen tuo libro cupis, adi virum sapientem, nobilem, & pium. Nec enim plausum poterit dare carminibus, nisi sapiens intelligat eorum acumen: nec tutamen eis præstare, nisi Nobilitatis authoritate fulgeat: nec erratis, si fortè adsint, ignoscere, nisi Pietate splendeat.* Iam ô Vir clarissime, feliciter optatum meo Patronum Volumini inueni.

Nam si Nobilitas ad tutamen requiritur, verè de te inclamare valeo, *ô Mecœnas, atauis edite Regibus!* Refer, quæso, ad memoriam quod de nobilissima Domo DE ESCOBAR Franciscus de Guzman *lib. de Gloria mundi*, & Volaterranus *lib. de Regibus Britanniæ*, scripsere. Ille affirmat nobilissimam Familiam DE ESCOBAR ortum à Regibus Britanniæ, & Vbaliæ habuisse. Hic verò asserit, ab Infanti D. Bermudo ex præclarissima fœmina Infantis de Valdexinate, traxisse originem. Ego quidem cum Volaterrano sentio, nec lubet ad Britanniam pergere, vt Regio sanguine Domum de Escobar rubricari ostendam, si idem in Regno Castellæ, cuius coronam Infans Bermudo cinxit, possum inuenire. Itaque Vir Nobilissimus FERDINANDVS DE ESCOBAR, nomine Villæ de Sahagun Ciuis, qui cùm Dux pro Rege Castellæ contra hostes dimicaret, & capto ab eis vexillo Regio nostros milites verti in fugam vidisset, appositis in lancea, quam manu tenebat tribus scoparum manipulis, illos ad certamen, & ad victoriam reuocauit; Domus de Escobar Caput exsurgit, & tres illos scoparum manipulos pro stemmate elegit. In hoc viro perillustri Ferdinando de Escobar, D. D. Ferdinandum de Escobar tuum Parentem recognosco, primi illius Ferdinandi secundum, cuius fortitudinem militarem expressit is, qui Præses eorum Militum, qui in Castellano Regno *Hombres de armas* vocitantur, laudabiliter admodum fuit, & post multa oblata Regibus Hispanis obsequia in bello Catalumniæ decertans diem suum feliciter obiit.

Duos fratres nactus est D. D. Ferdinandus, suæ militaris peritiæ, & prudentiæ in rebus politicis æmulatores. Vnus fuit D. D. Antonius de Escobar, qui fuit Dux fortissimus apud Galliam Cisalpinam, vulgari idiomate *Lombardia*: omnium quidem illius Regionis Ducum antiquissimus. Alter extitit D. D. Philippus de Escobar, Vallisoletanæ Ecclesiæ Decanus, Eminentissimi Cardinalis Trejo, dum Præsidis Summi Castellæ munus obiret, à secretis. Post nobilitatis suæ probationibus, vt vocant, factum periculum, S. Inquisitionis Consultorem gessit, & Matriti in Regia Curia à sex Illustrissimis Episcopis fuit electus, vt sua magna dexteritate illorum Vicarius occurrentia negotia gereret.

Iam verò D. D. Ferdinandus de Escobar vxorem duxit D. D. Maiorem de Aranda, è nobilissima Domo de Aranda, quæ plurimis viris bello, & litteris eximiis originem dedit, & Toga, & Militarium Ordinum cruce exornatis. Quindecim filij ex hoc coniugio fuerunt oborti, quinque Viri, Fœminæ decem. Ex viris duo Ordinem D. Augustini amplexi sunt, tres in sæculo floruere. Primus fuit D. D. Ildephonsus de Escobar, primigenij iuri adscriptus, Eques quidem amabilis, qui ob comitatem, prudentiam, & virtutis cultum, omnium ciuium ad se traxit affectus. *Magnus ille planè est* (inquit Herodotus) *cuius nulla in Vrbe querela, imò quem cuncti vna voce collaudant.* Sibi adiunxit vxorem nobilissimam D. D. Gabrielam de Lezana, præclari Equitis D. D. Gabrielis de Lezana filiam, quæ plures enixa est filios, & filias: hæ in Monasterio D. Dominici, (quod *Porta Cæli* vocatur) cælestem sequentes sponsum, magna Instituti obseruantia curant sibi cæli portam reserari. Tres viros dedit sæculo. D. D. Ferdinandum, Gabrielem, Iosephum, ex quibus Iuno, Mars, & Pallas in gubernatione, in bello, in litteris egregias expectant actiones.

Natu secundus fuit è D. D. Maiore matre tua D. D. Franciscus de Escobar, qui Martem sequutus, suam fortitudinē expressit in viginti bellicis expeditionibus, quas Hispani vocamus *Compañas viuas*, apud Galliam Cisalpinam, & Flandriam, vbi militum Ducatum gessit, & pugnans oculi vnius lumen amisit. In Gotolania Magistrum castrorum agens, brachio fuit dextero captus, inuidiæ quidem iaculo, vt tantæ forti-

tudinis profectibus, illius ablata dextera, metam addisceret. Tertium te, ô præclare Ioseph, D.D. Maior peperit inter maiores viros annumerandum.

Dixit Antonius Gentilis de Lesbia multas pariente filias, *Mater multarum filiarum, si filiæ probæ sint, planè laudabilis*. D.D. Maior mater tua decem filias luci edidit. Num laudabilis Maior ex tam fœcundo fœminarum partu? Id ex illarum probitate edisce. Omnes decem ad cælestem se sponsum Virgines recepere, *prudentes* cunctæ, *fatua* nulla. In Monasterio *Porta cæli* tres: in Seraphico *D. Elizabeth* conuentu tres: in *Recollectarum* D. Augustini Regulari Cœnobio duæ profitentur. Ex hoc conuentu Antonia Ignatia de San Ioseph, dum decem, & nouem annorum adhuc *Filia* erat, ad fundationem Monasterij, quod Excellentissimus Comes de *Monterrey*, Salmanticæ regia magnificentia Recollectarum D. Augustini extruxit, ex Vallisoletano eiusdem Ordinis Conuentu, *Mater* in adolescentia senior exsurgit.

Iam ex *Nobilitatis* testimonio constat, ô præclare Ioseph, quàm sis ad Voluminis mei protectionem agnatus, pergo ad *Sapientiam*. Hac te excelluisse non probo ex annis, quos in litteraria Palæstra adolescens laudabiliter decertasti, sed ex præstantiori alio argumento, quo Græcus Periander vtitur ad veram sapientiam viri demonstrandam. *Ille*, inquit, *verè sapiens est, cuius sententiæ in queiscumque negotiis Difficilibus aliorum opiniones adhærent*. An de te hæc sit exarata sententia, testetur Illustrissimum Vallisoletanæ Capitulum. Tuam prudentiam pleno ore inclamat, sententiæ tuæ in arduis queiscumque negotiis morem gerit; immò de tuæ prudentiæ laudibus nunquam tota hæc Ciuitas conticescit.

Demùm venio ad *Pietatem*, de qua longam possem tractationem protrahere. Tu D. D. Ildephonso fratre tuo, maturo saluti æternæ, vitæ temporali immaturo, obeunte, illius filiorum Pater existis. Tu D.D. Francisco, qui ex militia tam laudabili solùm adduxit præmij loco vno lumine, vno brachio priuari, adhuc superstiti viginti quatuor annis, de necessariis ad vitam largè prouides. Tu cunctis decem sororibus tuis de iis, quibus egent, prouides. Et quidem Moniales propter Conuentuum arctam substantiam multis assolent indigere. Profectò D. D. Maior mater tua, licèt in fœcunditate tam religiosæ prolis laudabilis extitit, *Maior fuit omni laude*, quòd in maiore ætate mundum despiciens, Recollectarum D. Augustini iniit Monasterium, vt quæ monitis filias ad Regulare Institutum adduxerat Magistra, ab eis discipula Regularis perfectionis dogmata edisceret. Tu Mulierem mirabilem hāc tot nominibus laudabilem per decem & octo annorum interstitium in Conuentu abundè aluisti, singulis hebdomadibus necessaria ad victum suppeditando, eamque semper ferè ægrotantem conueniendo, ne quidquam ægrotanti deficeret, quæ haud diues Communitas non poterat ministrare. Adeò plena meritis Maior obiit, vt sanctimoniales sociæ vna voce clamarent, dignam esse, vt Diuorum fastis adscriberetur.

Ad vberius hinc tuæ pietatis documentum ascendo. Impigro labore tuo mirabilis noui Templi fabrica hisce annis excreuit, vt quæ videbatur vel integro sæculo haud posse cælesti Conditori exiguum habitaculum exhibere, tam magnificum planè obtulit, vt qui prodigiosæ fabricæ archetypum non vidit, sibi persuadere valeat totum Templum esse perfectum. Diligentia tua non parua ciuium colliguntur subsidia: industria tua à Clarissima Regina Mariana Austriacha ex communi penu piorum valde ciuium per annos singulos ad fabricæ prosecutionem non parua vis pecuniæ assignatur. D. D. Iosephus diu viuat, & opus perficietur. Non memoro apparatum insignem processionis, Altarium, &c. quo sacerrima ad domicilium nouum inducta est Eucharistia: nec publicas sæculares solemnitates, quibus Vallisoletani Equites suum ad pietatem ostentarunt affectum, ad Vallisoletum quamplurimis ex Vrbibus, & Oppidis longè dissitis ciues attrahentes. Nemo enim non scit, cuncta hæc tuo labore, & industria fuisse apparata.

Quantum præmium existimas tantæ pietati tuæ circa Templi fabricam, & Altarium ornatum à diuina munificentia præparari? Iacob Patriarcha in Syriam pergens vnicum Deo lapidem obtulit, quem in altare erexit. *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum. Gen.* 28. Tanti Deus hoc exiguum specie fecit obsequium, vt redeunti dixerit, *Ego sum Dominus Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem*. Vndenam Deo tam grata vnius lapidis erectio, ob quam pauper Iacob, ditissimus redit ad patriam, & in ea vberiùs ditatur diuitiis corporeis, & vberrimè spiritualibus oppletur? Quid dixerit cum à somno euiligat, memorare: *Non est hîc aliud nisi Domus Dei*. Huic quidem extruendæ ille erectus lapis addicitur. Si vnus lapis aptatus Dei Domo tanto sit præmio obnoxius, quàm ingens Tibi ob tot tuis sumptibus, tua industria lapides sacerrimæ Dei Domui addictos, præmium est in superis præparatum? immò & in terra. Audi Iosephum, ô Ioseph, *lib.* 11. *de antiq cap.* 2. de duobus Samariæ Regibus sic loquentem. *Vsque in præsens tempus tam Adadus, quàm Azaël eius successor diuinis apud Syros coluntur honoribus, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnificè Templis extructis, Damascenorum Vrbem ornatiorem reddiderunt*. Sententia hæc tuæ pietati erga domesticos (vt dixi) & præcipuè circa sacram Templi fabricam agnata conspicitur. A cunctis honore magno afficeris, & vt spero, tua merita pendens, augustiori, afficieris. Clamores enim & Illustrissimi Capituli, & omnium ciuium, qui te dignissimum Pontificiis infulis proferunt, tua modestia silente, effectum quem expetimus, consequentur. Accipe interim, ô Vir egregie, hoc munusculum Propinqui tui, qui se felicem clamat, cùm ex tua Nobilitate, Sapientia, & Pietate in Te aptissimum ad hoc Volumen Mecœnatem inuenit.

Tuus ex sanguine, & affectu.

ANTONIVS DE ESCOBAR, ET MENDOZA.

LECTO

LECTORI MEO.

SVPPONO totum Canticum Canticorum Salomonis de triplici Dei sponsa à Patribus explicari, nempe de Ecclesia, de qualibet anima iusta, & de Beatissima Maria. Prima à Dionysio Carth. *Vniuersalis* sponsa vocatur, secunda *Particularis*, tertia verò *Singularis* dicitur. *Sponsa*(inquit ille) *singularis, & singulariter vnica, atque ineffabiliter praelecta sponsi caelestis, est virginea, purissima, ac sacratissima Mater ipsius, ab ipso sponso vnigenito Filio suo fide illuminatissima desponsata, spe certissima subarrata, charitate feruentissima amplexata, copiosissimè fœcundata per exuberantissima gratiarum charismata.* Breuiter ergo dicendum est, qualiter ei Canticum Canticorum conueniat.

Dicta ergo sunt hæc à Salomone primariò, & directè de Ecclesia, prout ex Iudæis, & Nationibus vna conflatur. Sic Theodoretus, tres Patres, Vigilius, Eutychius, Cassiodor. Iustus, Apponius, Alcuinus, Anselmus, Haymon, Orig. Nyssenus, Philo, Carpathius, Ambrosius, & alij. De cuiusque iusti anima particulari sponsa explicant Epithalamium hoc Origenes, Nyssenus, Theodoretus, Philo, ex Græcis: ex Latinis Ambrosius, Bernardus, Gualbertus, Thomas Cisterciens. Bern. Rab. noster Ludouic. à Pont. & alij. De B. Virgine Maria integro Commentario prosequuntur Guilhelmus Paruus, Honorius Augustodun. Rupertus, Alanus Insul. dictus suo tempore *Doctor vniuersalis*, Dionysius Carth. & eiusdem Ordinis quidam Picus, Michaël Ghislerius, Martinus Delrio, nostræ Societatis. Sed(vt verum fatear) nullus serie satis continua. Putat Delrio, *nullum id posse*: ego autem fauente Numine conabor cunctos Cantici versus ad specialia Deiparæ elogia accommodare Patrum ex penu.

Mei itaque instituti est ostendere, Deiparæ laudes esse vti singularis Dei sponsæ omnis Epithalamij scopum. D. Hieronymus Orat. de Assumpt. *In Canticis prænuntiata, & in ipsis ænigmatibus, & allegoriis præsignata, summa diuinorũ oraculorũ in Cantico Canticorũ Maria fuit.* Consonat Fulbertus Carnot. de Nat. Mar. *In qua panduntur vaticinia Salomonis in Cantico.* Et Germanus de Præs. *Propter Mariam hæc singularis Cantici Canticorum scriptura facta est.* Psellus apud Theodor. *ad illud Cant. 6. Vna est columba mea*, inquit: *Salomon ille prospiciens, & diuino afflatus Spiritu tanto antè cernens Verbi Sponsi purissimam Incarnationem, & eam, quæ ipsum sine semine genuit sanctissimam Dei Genitricem Mariam illam immaculatissimam, quam omnibus omnes omnium hominum generationes vocibus nunquam cessantibus beatissimam prædicant, quia totius mundi peperit Saluatorem; hoc in sponsi personam Canticum cecinit.* Denique Guilhelmus apud Delrio *præf. in Cant. Procul dubio*, ait, *Canticum Canticorum Maria sola cantare potest, quia sola cantat inter matres Canticum virginum, & inter virgines Canticum matrum.*

Enim verò non quomodocumque, & generatim Deiparæ elogia in cunctis Cantici huius clausulis recensentur, sed specialissimè eius Conceptionem immaculatam Salomon effert encomiis. Quia in hoc Cantico Spiritus sanctus depingere nititur sponsam perfectissimam, quacum augustissimè valeat spirituale inire connubium. Ergo exprimit coniugem perfectissimam absque vlla maculæ suspicione, tam in anima, quàm in corpore. Tota(inquit ipse) *pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4.* Imò ideò soli sponsæ singulari Mariæ potest integrum hoc Canticum conuenire, sola enim à primo conceptionis puncto cecinit alacriter; non enim vnquam habuit vnde væ commune proferre ex corde cogeretur. Rupertus ad hæc; *De istâ dumtaxat scriptura hoc dicimus, quod tota est cantabilis. Nam in cæteris scripturis multa sonant lamentabilia pœnitentis Ecclesiæ, pro quorum parte cum fructibus pœnitentiæ ipsa lamentatur, & gemit. Et hæc infra dignitatem sunt huius Beatæ Virginis, cuius vita integerrima non habuit cur gemeret, nisi vulnus charitatis.* Ergo si scriptura hæc tota est cantabilis, non potest integrè conuenire sponsæ *Vniuersali*, id est, Ecclesiæ, nec *Particulari*, seu cuilibet animæ iustæ, quia habuere, cur gemerent; sed soli Mariæ, quæ peccati gemitum nunquam efflauit. Fateor me nullum ex Auctoribus inuenisse, qui de immaculata Deiparæ Conceptione hoc integrè Canticum exposuerit, ast ego id exponendum circa hunc sensum assumo: & si non habeam, quem imitari valeam, curabo saltem, vt dehinc habeant alij sapientiores quem temperatiori calamo imitentur.

Hoc autem Opusculum duplici Volumine digero. In priori totum Canticum de variis Deiparentis elogiis explico. In posteriori totum idem Canticum de Virgine sine originali labe concepta expono. Non pugnaciter quidem affecto hanc veritatem confirmare, vt aliquando gessi *ad Euang. Sanct. volum.* 3. Nam post Bullam SS. P. Alexandri VII. pugna locum non habet: sed variis intendo priuilegium hoc panegyricis efferre. Profectò D. Augustinus *lib. de nat. & grat. cap.* 36. videtur pulchram illam sententiam post Alexandri Bullam nunc scripsisse. *Ex-*

ceptâ

cepta Virgine, de qua propter honorem Dei nullam(iam)*prorsus volo habere quæstionem.* Cuncti alij originale piaculum contraxere. *Vnde scimus, quod plus ei gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Ex omni parte*, inquit: ex parte actualis, & ex parte originalis. Accipe itaque nunc Volumen prius de variis Deiparæ Elogiis, & quam citò potuero, posterius de immaculata Conceptione Virginis ad te remittam.

Facultas R. P. Prouincialis Societ. IESV in Castellana Prouincia.

ANtonius Gonzales Prouincialis Societatis IESV in hac Castellana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Ioanne Paulo Oliua, Præposito Generali, facultatem facio, vt Tomus *in Canticum Canticorum Salomonis*, à R. Patre Antonio de Escobar, nostræ Societatis Theologo compositus, & eiusdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus in hoc nostro Compostellano Collegio, die sexta Nouembris, Anno 1668.

ANTONIVS GONZALEZ.

Locus † sigilli.

Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

IN Elogiis Mariæ Deiparæ, à R.P. Antonio de Escobar & Mendoza Societatis IESV elaboratis, nihil reperimus quod non sit Fidei consonum, bonisque congruum moribus: eaque ideò prælo digna iudicauimus, Nos infrà scripti Doctores Parisienses. Datum Lugduni die Iulij octaua supra vigesimam anni 1669.

Fr. PAVLVS LOMBARD, Prior Carmelit. Lugdun.

Fr. ELIAS VIAL, Carmelit.

Consensus Procuratoris Regij.

PRo Rege assentior, vt liber inscriptus, *R.P. Antonius de Escobar & Mendoza, Societ. IESV in Canticum Canticorum Salomonis, siue de Maria Deipara elogiis*, prælo mandetur à LAVRENTIO ARNAVD, ET PETRO BORDE, Sociis Bibliopolis Lugdunensibus, cum inhibitionibus consuetis. Datum Lugduni die 7. Augusti 1669.

GALLIAT.

PERMISSIO.

FIat iuxta Conclusiones Procuratoris Regij. Lugduni die septima Augusti anni millesimi sexcentesimi sexagesimi noni.

DVLIEV.

ANTONIVS DE ESCOBAR ET MENDOZA,

SOC. IESV THEOLOGVS,

In Canticum Canticorum Salomonis,

SIVE

DE MARIÆ DEIPARÆ ELOGIIS.

PRÆLVSIO.

Iampridem hoc de BEATISSIMÆ VIRGINIS ELOGIIS, déque eiusdem IMMACVLATA CONCEPTIONE vir Opus exaraueram: Sed cùm adoleſcens Dominæ meæ ætatis immaturæ flores obtulerim, ſcilicet libellum Hiſpano heroïco carmine ſcriptum hoc titulo, *Nueua Geruſalem Maria*: & cùm vir Tomum integrum (qui eſt in Euangelia Sanctorum tertius) ei ſacrârim: hoc Opuſculum à prælo ſubtraxi, vt eſſet filius ſenectutis meæ, eáque haberet, quod tantæ Dominæ meæ litaret. Munuſculum eſt exile, opus adhuc impolitum, fateor. *Sed malui* (cum Richardo à S. Laur. de laud. Virg. *Prol.* 1. loquor.) *cùm mihi deeſſent coccus, & hyacinthus, byſſus, & purpura; de pilis caprarum deuotus offerre; quàm in conſpectu Virginis vacuus* in ſenectâ *apparere.*

CAPVT PRIMVM.

Hoc canticum totum eſt myſticum, pleniſſimum incomprehenſibilis amoris Chriſti erga ſponſam ſuam, ac viciſſim ſponſæ erga Chriſtum ſponſum.

OSCVLETVR me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me: poſt te currémus in odorem vnguentorum tuo-

rum. Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus: tigna domorum noſtrarum cedrina: laquearia noſtra cypreſſina.

Verſ. I.

Oſculetur me oſculo oris ſui; quia meliora ſunt vbera tua vino.

1. *Os Mariæ Dei ori quodammodo æquatur, vnde quod ei libuerit loqui, & imperare poteſt.* Exod. 26.

OSCVLETVR *me oſculo oris ſui.*] Oſculum oris nihil aliud eſt, quàm quædam duorū orium coniunctio, ac velut adæquatio. Vnde in ſacra Scriptura idem eſt, duas res ſummè coniungi, ac ſe inuicem oſculari. Exod. 26. *Quinque cortinæ iungentur mutuò.* Ex Hebræo, *Oſculabuntur ad ſororem ſuam.* Cum ergo Maria profatur, *Oſculetur me oſculo oris ſui,* petit, vt ſuum os diuino ori quodammodò æquetur ob electionem ad Dei maternitatem. D. Damaſcen. orat. 1. de Deip. *Caro ipſius de carne tua, ſanguis eius ex ſanguine tuo.* Quid inde? *Labia Dei labiis tuis iuncta ſunt.* Os tuum Dei ori quodammodò æquatur? Loquere, quod volueris: quod libuerit, impera: omnipotens os tuum quodammodo ac diuinum obiicitur. (Damaſc.)

2. *Quem pater genuit ex æternitate, Maria conceptum profert in tempore.* Eccli. 24.

An non Incarnationis myſterium perfectum fuit, cùm ex ore Mariæ illa inſonuêre verba. *Fiat mihi?* Luc. 1. Tum quidem Spiritus ſancti cooperatione pro filio nacta eſt eundem Filium, qui per æternam generationem Altiſſimi prodiit ex ore? *Ego ex ore Altiſſimi prodiui.* Eccli. 24. Vnde ex ore diuino Patris, & humano Mariæ perſona Verbi quodammodo procedere videtur: Et qui dicit, Ego ex ore Patris ab æterno prodeo, poteſt adiicere, & ex ore Matris in tempore prodiui poſt illius verbi, *Fiat mihi*, prolationem. D. Fulgentius de fide, cap. 2. *Quem Pater genuit ex æternitate, Virgo conceptum profert ex tempore; & ipſum habet ventris* (ſeu oris) *ſui fructum, quem ex initio habuit æternitas Dominum.* (Fulgent.)

3. *Chriſtus ſe quaſi debitorem exequendi quidquid Maria petierit profitetur.*

Ex hoc myſtico oſculo in Virgine vis velut imperatiua arguitur: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ſeu *Fiat mihi.* An æque efficaciter imperat os Mariæ ac os diuinum? Certè adeò efficax eſt Mariæ precatio, vt velut imperatiua dici valeat. D. Gregor. Nicomed. orat. de Præſ. Virg. *Quæcumque fuerit multitudo eorum, quæ ignorant peccatores, ea facilem accipit ſolutionem, ſi tu, ô Virgo, volueris. Filius delectatur tuâ petitione, non reſiſtit, quominùs impleatur; tuam gloriam exiſtimat propriam; & tanquam Filius exoluens debitum, implet tuam petitionem.* O quàm imperatiua eſt petitio Deiparæ, ſi Chriſtus Deus & homo quaſi debitorem eam exequendi ſe profitetur! (Thaumat.)

Precaturæ pro Adonia Bethſabeæ filius eius 4.
Salomon dixit: Poſtula mater, *neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* 3. Reg. 2. Ad quæ D. Antonin. p. 4. tract. 15. c. 2. *Maria petit, & impetrat, non obſecratione, ſed inſinuatione. Et ſic oratio Mariæ erat nobiliſſimus modus orandi; tum quia habebat modum iuſſionis, & imperij; tum quia impoſſibile erat, eam non exaudiri. Sic Salomon. Ecce mater mea, neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* Quaſi nefas Chriſtus melior Salomon quodammodò reputaret, Matris precibus, vti præceptis non obedire. An Maria omnipotens?

Mariæ preces apud Deum vim habere præcepti videntur. 3. Reg. 2. Antonin.

Deus quodcumque vult, agit in cœlo, & in 5.
terra, nec eſt, qui illius voluntati valeat obſiſtere. Chriſto Domino lepro ſus ille ait Luc. 5. *Si vis, potes me mundare.* Poſſumúſne Mariæ idem profari verbum. *Si vis, potes?* Reſpondet D. Ildephonſus lib. de Virg. Mar. *Rogo te ô Domina, vt iubeas me mundari ab iniquitate operis mei.* Non dixit, Rogo vt ores, vt petas: ſed vt iubeas. Quaſi dicat cum Chriſto auctoritatiuè Maria cuilibet peccatori: *Volo, mundare.* En quàm coniunctum Mariæ os ori Diuino adhæreat.

Quæcunque vult Maria agit in cœlo, & in terra. Luc. 5. Ildephonſ.

Rupertus verba hæc, *Oſculetur me oſculo* 6.
oris ſui, refert ad conſenſum Virginis in Incarnationis myſterio. Neque enim Verbum voluit Incarnari in Maria, niſi ipſa exhibente. *Incarnandus*, ait, *Dei Filius ex Virgine, præmiſit ad eam vnum ex ſuis familiaribus, vt conſenſum & cooperationem eius flagitaret. Quippe nolebat Omnipotens ſuæ Incarnationis miraculum operari in ipſa, non conſentiente ipſa; nec carnem volebat ſumere ex ipſa, non dante ipſa.* Vt Mariæ conſentienti & danti deberemus Deum in ipſa incarnari, omnipotenti ſeſe illius circa hoc voluntati accommodante, licèt id ſine ea gerere poſſet.

Mariæ conſentienti, & danti debemus, Deum in ipſa incarnari. Rupert.

Hanc ſic cum Adamo ad Euæ formationem: 7.
immiſit enim Deus in eo ſoporem, vt ædificaret eius coſtam in mulierem. Gen. 3. Vbi Rupertus. *Non ſic olim non ſic, quando miſit ſoporem in Adam, vt de corpore neſcientis tolleret vnde illi mulierem formaret.* Porrò Deus parùm iudicauit ad futuræ Matris ſuæ gloriam, ſi arcani huius

Mariæ Incarnationis Dominicæ cooperatrix. Gen. 3. Rupert.

ius tantùm eam *vigilem* conſciam redderet, niſi etiam cooperatricem, & miniſtram.

Maria Mater & Virgo Eccleſiæ typum agit: vnde ei conueniunt, quæ de Eccleſia dicuntur in Cantico. Honor.

8 Honorius autem *in Sigil.* ſic ſcribit, *Glorioſa Virgo Maria typum Eccleſiæ gerit, quæ Mater & Virgo extitit. Eccleſia Mater prædicatur, quia Spiritu ſancto fœcundante, per illam quotidiè filij Deo in Baptiſmate generantur. Virgo autem dicitur, quia integritatem fidei ſeruans inuiolabilem, ab hæretica prauitate non corrumpitur. Ita Maria Mater fuit, Chriſtum gignendo, Virgo poſt partum clauſa permanendo. Ideò cuncta, quæ de Eccleſia dicuntur, de ipſa ſatis congruè leguntur.* Quorſum hæc? Addit ad intentum. *Dicit ergò: Oſculetur me oſculo oris ſui. Quem Reges, & Prophetæ non meruerunt videre, vel audire, hunc Virgo non ſolùm meruit videre, ſed etiam in vtero portare, & iam nato crebra oſcula dare, plurimaque à ſacro eius ore percipere.*

Dum Maria Deo Filio crebra oſcula dabat, ab illo plurima gratiæ dona accipiebat.

Plurima quidem non ſolùm oſcula Virgo à Filio accipiebat, dum illi oſcula dabat, ſed & plurimis gratiæ donis ſimul donabatur. Dat itaque, & accipit: Nam cùm Deo Filio crebra oſcula dabat, plurima gratiæ dona ab illo accipiebat.

Dum Maria in Dei Matrem eligitur, mox petit, vt peccatores à Deo venia donentur, iuſtitia & pace ſe in eius vtero inuicem oſculando. Pſalm. 84. Rupert.

9 Tanta profectò eſt Mariæ pietas ergà peccatores, vt cùm clamat. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, petit vt iuſtitia & pax ſe inuicem oſculentur, & peccatores veniam aſſequantur. Igitur *iuſtitia & pax oſculatæ ſunt* ad Virginis preces. Pſalm. 84. Audi Rupertum, *Deus* (ait Gabriel) *pro te, ô Virgo, & pro omnibus ſumpturus eſt planè de te, per quod ipſe mundum reconciliet ſibi; vt in tuo vtero iuxta vaticinium patris ſui David iuſtitia & pax ſe oſculentur, id eſt, æterna Diuinitas, & reconciliatrix Humanitas, in vnam Verbi perſonam ineffabiliter copulentur. Et ait Maria, Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Prædicis ô Angele, in meo vtero celebrandum illud ineffabile oſculum iuſtitiæ & pacis: quod vt fiat, polliceris, quòd Vnigenitus Dei Filius dignabitur me oſculo oris ſui: Ecce ancilla Domini. Ecce ad ſuſcipiendum hoc ſuauiſſimum oſculum parata ſum: Oſculetur me oſculo oris ſui ſecundum verbum tuum.*

Docet Maria flagrans deſiderium optimam eſſe ad recipiendam Euchariſtiam diſpoſitionem. Delrius.

10. Vide Mariæ fidem, quâ iuxta Angeli verbum, ſe Chriſtum parituram credidit. *Vide* (addit Delrius) *deſiderium, quo promiſſum partum mente flagrantiſſima exoptabat. Oſculetur me oſculo oris ſui.* Nos edocens flagrans deſiderium accipiendi Chriſtum, optimam eſſe diſpoſitionem, ad eum effectum feliciter recipiendum. Quod recepturi ſacram Euchariſtiam præmittant, oportet.

Quidquid mirabile de Maria prædicetur credibile fit nimis ei, qui eam Dei eſſe Matrem contemplatur. Bernard.

11. *Quia meliora ſunt vbera tua vino.*] In ſententia Procopij totum verſiculum ſponſo loquenti cum Maria tribuentis, annoto ſubitam ſtyli mutationem. Priùs enim quàm ad oſculi dignitatem Maria fuiſſet euecta, Deus ad illam tanquam non coniunctam ſeu proximam ſermonem dirigit: poſt oſculum autem, ſeu poſt Verbi diuini Incarnationem, quaſi cum perſona propinqua, & ſtrictiſſimo ſibi nodo adſtricta loquitur: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Bernard. ſerm. 6. in Cant. *Tanta nempè efficaciæ oſculum ſanctum eſt, vt ex ipſo mox cum acceperit illud ſponſa concipiat, tumeſcentibus vberibus.* Poſt oſculum Mariæ vbera debent conſiderari vt vbera Matris Dei, & per conſequens Deum ipſum in admirationem rapientia. Certè cùm ſponſus in veſtibulo Cantici vbera, ſeu maternitatem Mariæ commendat, quaſi prima præiacit fundamenta ad tot excellentias & elogia, quæ ſparſim per cuncta Cantici carmina de Maria eſt modulaturus. Ac ſi diceret: Ne miremini quod de Maria tot panegyrici proferantur: attendite ad vbera, quibus Deum Filium lactauit. Dionyſius Carthuſ. Carthuſ. Sic Mariæ vbera commendat hîc c. 1. *Nonne ſunt ſuauiſſima vbera illa ad contemplandum, quæ Regem gloriæ nutrière. Quæ vniuerſæ fœcunditatis fonti alimentum influxère. Quæ prouiſori cœli & terræ ſuſtentaculum præbuère? & corpus illud diuiniſſimum, quo fuimus redempti, ſic alere, & ad incrementum adducere, ſunt electa: O vbera fœcundiſſima laudibus!* Quia ſcilicet quæcumque illuſtriſſima de Maria encomia prædicanda ſunt. *Credibilia facta ſunt nimis* ei, qui eam Dei Matrem eſſe conſpexerit.

Vinum ſuperant Mariæ vbera, quia virginea ſicut vterus.

12. *Meliora ſunt vbera tua vino.*] Quia vt vinum ex botris exprimatur, neceſſum eſt, vt granorum pelliculæ diſrumpantur: at vt Mariæ vbera infanti Ieſu lac inſtillarent, opus non fuit, vt aperirentur: quinimo ad maiorem Matris gloriam tam Virginea illius extitêre vbera in lactando, quàm Virgineus vterus in pariendo. Id auſus fuerim aſſerere nitens Patrum auctoritate, qui id videntur aſſeruiſſe. Iſichius Ieroſol. *Per id* (ait orat. 2. de Deip.) *vterum non aperuit: concepit, & vuluam non corrupit: eduxit Infantem, & vterum ſignatum reliquit: lac ſuppeditauit, vbera tamen intacta ſeruauit.* Iſich. Et Cant. 4. profatur ſponſus: *Quam pulchra ſunt mammæ tuæ!* Vbi Guillelm. Abbas. *Non ſimpliciter dixit: Pulchra ſunt mammæ; ſed quaſi cum admiratione. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ!* Cant. 4. Guillelm. Quod ſi admiratio de rerum nouarum oritur aſpectu: ortam hîc fuiſſe contemplor, quod Mariæ vbera fuerint in præbendo Ieſu lacte virginea. Adiicit Abbas: *Vbera non ſolùm virginea, ſed etiam lacte virgineo tumida extiterunt.*

Mariæ vberum inexhauſta pietatis abundantia. Bernard.

13. Aliter ex D. Bernardo Deiparæ vbera vino præſtantiora commendo. Ille ſerm. 9. in Cant. ait: *Vua ſemel expreſſa non habet iam quod denuò fundat, ſed perpetuâ ariditate damnatur. Verùm vbera non ſic. Hæc enim, cùm exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris ſumunt quod propinent ſugentibus. Meritò proinde meliora vino aſſeruntur vbera ſponſæ, quæ nullo vnquam lactentium numero areſcunt, ſed ſemper abundant de viſceribus charitatis, vt iterum fluant.* Magnæ Matris Mariæ vbera non ſolùm non exhauriuntur innumeris adoptiuis filiis ſugentibus: ſed quò plus ſugunt, vberiori ſemper pietatis lacte exundant.

Maior eſt Mariæ humilitas, quàm ſuprema hominum ſuperbia. Abac. 2. Iſaiæ. 10.

14. *Meliora ſunt vbera tua vino.* Mira hîc Mariæ humilitas commendatur. Curans Abacuc c. 2. luciferinam Nabuchodonoſoris, qui Templum ſuccendit, Pontifices, & Sacerdotes captiuitati addixit, ſacros theſauros diripuit, & diuinos honores affectauit, ſuperbiam exprimere, eam vino comparauit. *Sicut vinum decipit potantem, ſic erit vir ſuperbus, & non gloriabitur.* Et Iſaïas c. 10. Ieroboami, qui Regnum affectans è decem Tribubus à Roboamo deficientibus idolorum falſam innexit adorationem, ſuperbiam exprimens, inclamat. *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim*, è qua tribu Ieroboamus erat, cuius ſuperbiam ſupremam ſuperbiæ coronam appellat. Mariæ ergo vbera ſeu maternitas in Deipara, quæ eam ob humilitatis affectum ad ancillatus profundum

adduxit: vino ſunt meliora, id eſt, maior fuit Virginis humilitas, quàm ſuperborum admodum hominum ſuprema vanitas. Honorius ad illa verba: *Memores vberum tuorum ſuper vinum:* id eſt, ait: *ſuper humanam gloriam.*

Honor.

15. Hailgrinus verò illa verba: *Meliora ſunt vbera tua vino*, ad miram virgineæ interceſſionis apud Deum efficaciam transfert. *Meliora*, inquit, *potentioris* ſcilicet efficaciæ ſunt vbera Mariæ, quàm vinum. *Nam vinum inebriare non poteſt hominem, vt præteritarum immemor ſit iniuriarum: & ſit facilis ad condonandum, & largus ad donandum. Vbera verò Virginis Deum quaſi inebriare potuerunt. Nam poſtquam de Matris vberibus lac ſuxit, ac ſi lactis dulcedinem bibiſſet miſericordiæ: proiecit ab oculis ſuis peccata noſtra poſt tergum: & factus eſt largus ad dandam gratiam, & operum iuſtitiam.*

Maria vbera quaſi inebriāt Deum, vt peccatis hominū parcat.
Hailgrin.

16. E cruce pendens ſiti premitur, non tamen acetum voluit oblatum epotare, haud ineptum aliàs ſitis refrigerium. Seruabatur Chriſti ſitis, vt propinantium Matris viſcerum lacte fortiori vino expleretur, dum ipſa Filium inebriauit quodammodo, vt Latroni paulò ante iactanti blaſphemias ignoſceret. Audi D. Brigittam lib. 6. reuel. cap. 24. *Maria loquebatur: Benedictus ſis tu Fili mi, Rex gloriæ, & Angelorum: rogo te iterùm pro Latrone. Reſpondit Filius: Benedicta ſis tu chariſſima Mater. Sicut lac tuum in corpus humanitatis meæ intrauit, & omnia membra mea confortauit: Sic verba tua intrant, & delectant cor meum, quia omnis petitio tua cum diſcretione eſt, & omnis voluntas ad miſericordiam. Ideò faciam propter charitatem tuam, miſericordiam cum Latrone.*

Maria lac inebriauit Chriſtum, vt latroni veniā exhiberet.
Brigit.

17. Dum igitur Mariæ vbera contemplor, inibi efficaciam Chriſti ſanguinis ad diluenda crimina, & reſerandas cœlorum portas recognoſco. Plinius *lib. 9. cap. 35.* commendans margaritam, quæ alias æſtimatione ſuperat, ſcribit, *Singularis gratia eſt, margaritam lactea luce illuſtratam rubeſcere, ac veluti animam habere ſanguineam.* En Mariana vbera, quorum lac Dominici ſanguinis efficacia intingitur, vt cunctis ad cœlum pateſcat ingreſſus. Ioannes vidit cœleſtis Ieroſolymæ portas: & *porta*, ait, *erant ex ſingulis margaritis.* Apocal. 21. An non Maria *Porta cœli* ab Eccleſia appellatur? Ergò ſi lactea margarita hæc porta eſt cœleſtis, & lac Mariæ Chriſti ſanguine rubricatur, cuius efficaciam Mater impetrat peccatori, quomodo ei non patebit ingreſſus?

In cœlorum veſtibulo Maria lac quaſi Chriſti ſanguine tinctum oſtenditur, cūctis parans ingreſſum.
Plin.
Apoc. 21.

18. Profectò Mariæ lac, quod Deum quaſi inebriauit, vt peccatoribus parceret, ſimul diabolum inebriauit, vt omninò corrueret. En fortiſſimam Iahel, quæ *benedicta inter mulieres* vocatur, quia Saræ lac propinauit, quo inebriatus deperiit. *Iudic. 5.* Benedicta illuſtriùs inter mulieres Maria, quæ offerens IESV ſuauiſſimum lac, ſimul diabolum ad mortem inebriauit.

Maria Iahel fuit diabolum inebrians lacte ad exitium.
Iudic. 5.

Verſ. II.

Fragrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te.

19. FRagrantia vnguentis optimis.] Sacræ Scripturæ familiare eſt, per vnguenta aromatica munera ad diuinam gratiam pertinentia ſignificari. Eò quòd Maria vbera habeat ad Chriſtum lactandum, ſeu quòd Dei Mater ſit, omnium gratiarum fuit epilogus. Haud determinat ſponſus qualitatem, aut numerum vnguentorum, queis miro artificio Mariæ hæc maternitas ſtipatur: ſed indeterminatè loquitur: vt propoſitio indeterminata vniuerſali æquiualeret. Origen. hæc applicat ſponſo. Qui non vno, ſed omnibus vnguentis venit vnctus. Tu ſponſæ transfer, cuius vbera, ſeu maternitas cunctis gratiarum aromatibus, quæ ſigillatim per omnes Angelorum, & hominum gradus fuerant diſperſæ, diuinitùs condiuntur. Dionyſius Carthuſ. *Maria beatiſſima vbera Deificata ſunt ex contactu aſſiduo, ac ſuctione oris incarnati ſponſi.*

Maria maternitas omnium gratiarum vnguentis conditur.
Deificata Mariæ vbera ex aſſiduo contactu labiorum Ieſu.
Origen.
Carthuſ.

20. Admoue obſecro pium mentis olfactum ad vbera Mariæ, (ſeu ad eius Filij Dei maternitatem,) & illicò ipſius Filij fragrantiam in illis præſenties. Hailgrinus Cardin. *In vberibus*, ait, *Mariæ flagrat odor ſugentis vbera*, odor certè diuinitatis.

Vbera Mariæ ſugentis Dei ea fragrantiam ſpirant.
Hailgr.

21. Hunc planè Deitatis odorem omnium virtutum, gratiarum, chariſmatum thymiamata comitantur. Oportuit quidem eſſe plenus ager, *cui benedixit Dominus*, omnium florum genere abundans, vt in eo Agnus cœleſtis paſceretur. Audi Plinium lib. 17. cap. 5. *Admonendi ſumus, qualis ſit terra odor ille, qui contigit etiam ſæpè quieſcenti in ea ſub occaſum ſolis, in quo loco arcus cœleſtis deiicit capita ſua, & cum à ſiccitate continua immaduit imbre; tunc emittit halitum ſuum diuinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit.* Si talis odor terræ imprimitur ex iride ſoſpite: quæ fragrantia afflabitur Mariæ vberibus, ſeu eius maternitati ex aſſidua Infantis Dei commoratione, arcu quidem cœleſti meliore illucens hominibus in diuturnioris pacis documentum?

Mariana terra odoramentis plena ex Chriſti arcus cœleſtis aſſidua ad vbera cōmoratione.
Plin.

22. Ad hæc vbera meliora vino, qui luxuriam accendit, Maria ſuos admittit alumnos, vt lacte virgineo eos virgines efficiat. Lac enim Deiparæ vinum eſt ſimul virgines germinans. Audi Guillelmum: *Hoc vino virgines germinante vbera Mariæ plena erant, & non tantùm plena vino, ſed etiam pulchriora vino, quia non ſolùm virginea, ſed etiam lacte virgineo tumida extiterunt.* Vt ſcilicet Deiparæ alumni eius deuotionis lacte potati, ſimul vino germinante virgines reficerentur.

Mariæ alumni ex eius vberibus hauriunt virginitatem.
Guillelm.

23. Pergit Doctor vnguenta optima vberum Virginis commendare. *Vnguenta, quibus fragrabant vbera eius, vt vbera, ſic vnguenta hæc duo erant. Vnum vnguentum diuinæ dignationis, quo Filius Dei vbera Matris vngebat: alterum verò maternæ deuotionis, quo pia Mater vbera ſua liniebat. His vnguentis quid ſanctius? quid fragrantius? Nôrunt ea optima eſſe, qui experti,* quàm

Vnguenta vberum Mariæ ab omnibus commendantur.

quàm suauia sunt, Filio dicunt: Beata vbera, quæ suxisti.

24. *Omnis Ecclesia collaudat optima Mariæ viscerum aromata in nos effusa, nullus obmurmurat.* Guillelm.

Hæc optima vnguenta ex Mariæ vberibus per totam Ecclesiam diffunduntur, vt cuncti fideles inungantur communi quidem commendatione. Alia Maria vt Domini pedes inungeret, diffudit vnguentum; opus autem licet pietate exundans, ansam murmurationę exhibuit. At tam prodiga melioris vnguenti vberum Mariæ effusio ab omni Ecclesia panegyricis effertur. Guillelmus ad hæc: *Quotquot in Ecclesia sunt, eam applaudunt effusionem. Quia tota Ecclesia domus impleta est odore vnguentorum pietatis Mariæ. De quorum effusione nemo murmurat, vt de effusione nardi in caput, & pedes Saluatoris. Vt quid, dices, perditio hæc? Potiùs omnes Catholici eo nomine gloriantur, & piè matri gratulantur.* Certè quia totum hoc vnguentum in pauperis humani generis leuamen insumitur.

25. *Vnguenta vberum Mariæ superant omnia, quæ Deus in cunctos homines dispersit.* Philip.

Tam abundantia sunt charismatum aromatibus Mariæ vbera, seu maternitas, vt omnia, quæ hucvsque effusa sunt à Deo in creaturas longo internallo superarint. Ait Philipus Abbas. *Ex vberibus, quibus Virgo partu mirabili insignitur, non lac fœmineum, sed vnguentorum copia reperitur manare. Super quo, si pigmentariorum vniuersa retrò series conuenitur, omnis illorum confectio non tempore, sed odore praenitur admirabili. Quidquid enim à principio antiquorum subtilitas protulit aromatum virtutum, & priuilegiorum: Quidquid Patriarchæ, & Prophetæ freti dono intelligentiæ prauidentis verborum obscuritatibus texuerunt, siue mysterialibus Sacramentis, Virgo Pugina Virginum supergressa est profectu speciali, quæ Hominem hominum salutem vtero virginali peperit.*

26. *Deus huiusmodi vbera suo Filio lactando prouidè quæsiuit.* Alan.

Vnde non potuit Deus in cunctis humani generis fœminis delectabiliora suo Filio vbera eligere, si iuxta Periandrum: *Prouidi Principis est, lactandis filiis optimi lactis vbera quærere.* Aptè Alanus de Insulis, *Quæ delectabiliora, quæ meliora, quàm illa vbera, quæ propinauerunt lac Christo. Talia optabat Deus vbera, à tali vbere prouidebat Filium suum lac sugere, quod non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antidotum: vbera fragrantia vnguentis optimis.*

27. *Mariæ semper conferuntur perfectissima Spiritus sancti dona.* Honor.

Hæc quidem vnguenta sunt optima, seu perfectissima dona Spiritus sancti. Honorius: *Qui pascit Angelos in sinu Patris, hic suxit vbera Virginis Matris. Fragrantia vbera vnguentis optimis*, id est, repleta sunt potioribus Spiritus sancti donis. Aliis iustis iuxta sanctitatis perfectionem Spiritus sancti dona bona, aut meliora: Mariæ autem semper optima, seu perfectissima conferuntur.

28. *Odoramenta vberum Virginis Ecclesiam militantem, ac triumphantē delectant.* Carthus.

Dionysius Carthus. eleganter describit vnguētorum vberum Mariæ suauitatem. *Corporea*, ait, *spiritualissimè Virginis vbera, quæ Regem gloriæ lactauerunt, Deo vero alimoniam præbuerunt, fonti totius boni lac purissimum influxerunt, speciosissima, suauissima, honorabilissima, amabilissima facta sunt, & miro modo Deificata, ipsisque Angelicis mentibus honoranda. Tanta est suauitas charismatum, meritorum, & vnctionum serenissimæ Matris Dei; quòd cuncta mundi spiritualia odoramenta transcendit: imò & totam perfundit, & delectat triumphantem Ecclesiam. Insuper vniuersa Ecclesia militans in fœtoribus huius exilij degens, odore, suauitate, adspersione, consolatione huius Deiferæ Virginis aduocatæ, & Dominæ suæ non mediocriter recreatur, fouetur, iuuatur, ac exhilaratur.*

29. *Qui sugit Mariæ vbera, seu eius fit alumnus signum præfert prædestinationis.* Carthus.

Idem Dionysius asserit, hæc suauissima vberum Mariæ vnguenta esse Christi sanguinem, cuius redemptionem efficaciter epotat, qui vberibus Mariæ seu eius deuotione lactatur. *Tam fortiter ergo* (ait ille) *preme hæc vbera Mariæ, vt elicias suauissimum ipsius lac; fortiùs adhuc preme, vt exprimas butyrum deuotionis, emunge vehementer, vt elicias sanguinem.* Elicies enim in lacte Mariæ Christi sanguinem, seu redemptionis efficaciam. 2. *Reg.* 23. Dauid in aqua illa cisternæ Bethleëmiticæ, quam fortissimi viri illi in tanto vitæ discrimine ei hauriendam attulêre, non aquam meram, sed *Christi sanguinem*, Auctore D. Ambros. Rex recognouit, quia in Bethlehem erat Dominus nasciturus: potiori iure in lacte Mariæ Christi sanguinem recognosco, firma vtique spe asserens, cùm qui piæ deuotionis Mariæ lacte sugendo assuescit, felicem cum eo redemptionis effectum epotare.

30. *Non sunt inuenta vnguenta similia vnguentis vberum Deiparæ.* Carthus.

Adhuc Carthusianus vngentorum vberum Mariæ præstantiam commendat. *Si sacer textus fatetur, non esse visa aromata talia, qualia Salomoni obtulit Regina Saba: dicamus similiter, aromata, & vnguēta charismatum talium nunquam fuisse visa in Angelis, & hominibus, qualibus perfusa fuerunt vbera Mariæ* (seu eius maternitas) *vt hominem Deum lactaret. Hoc est vinum illud mysticum, quod effusum in os Christi, dedit odorem excelso Principi*, id est Patri cœlesti.

31. *Vnguenta, seu gratia Mariæ omnem superans aliorum fragrantiam.* Cantac.

Denique Imperator Cantacuzenus, sic de vberum Mariæ vnguentis scribit. *Virginis mammæ ipsum nutrientes mundi nutrimentum, & quas Antiquus dierum in tenera suxit ætate, plenæ sunt vnguentis optimis. Vnde ô Domina, odor, id est, gratia sanctissimi Spiritus, quæ habitat in te, omnem exuperat spirantem gratiam, & fragrantiam. Non enim sic in ipsa plenitudo diuinitatis habitare voluit, quemadmodum in cæteris aliis; sed super omnem sensum in vnam constitutus personam genita ex ea assumpta carne Virginis Deique Filius.*

32. *Quidquid de Iesu nomine prædicatur, piè potest de Mariæ nomine excogitari.*

Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te.] Etiam in his verbis ambiguitatem recognosco, an ab sponso Iesu de Mariæ nomine, an à Maria de Iesu nomine prædicentur? At tantam Doctores in vtroque nomine similitudinem aspiciunt, vt asserant Mariæ nomini conuenire, quidquid de Iesu nomine excogitatur. Vt autem de Deiparæ nomine Patrum nonnulla elogia congeram, præmitto beatissimam Virginem duplici nomine gaudere, duplici titulo gloriari: *Maria*, & *Mater Iesu*. Ioan. 2. *Maria Mater Iesu.* Lucas Act. 1. *Maria Mater Iesu.* De vno, & altero nomine aptè dixeris. *Oleum effusum nomen tuum.* Ioan. 2.

33. *Mariæ nomen mare, imo maria est.* Epiphan. Bonauent.

Maria igitur mare, imò maria olei est effusi; ad ipsam enim omnia gratiarum flumina, & fontes fuêre deriuati, vt non vnicum mare, sed maria olei Mariæ nomen prædicari debeat. Epiphanius orat. de Deip. *Gratia Virginis est immensa; est enim Maria mare spirituale habens gemmam cœlestem Christum.* Bonauentura exclamat in depr. Mariæ: *ô Maria mare magnum & spatiosum manibus. Maria mare magnas habens manus ad largiendum. Omnia flumina intrant in mare. Quomodo non mare magnum Maria, si vt inquit Hieronymus, cæteris gratia post*

partes præſtatur: at in Mariam tota ſe infudit plenitudo gratiæ.

34. *Mare olei imò maria Mariæ nomen.* Andr. Cret.

At non mare, aut maria vtcumque, ſed olei maria. Andreas cret. *Mariæ* nomen *eſt noua theca vnguenti*, ſeu olei, *Quod minimè exinanitur.* Nam ſi maria eſt, quomodo exinaniri poteſt? Addit, *ſanctificatum eſt vniuerſum vnguento tui odoris, impletum eſt* nominis Mariæ oleo *quidquid eſt creatum.* Ergo *maria* Mariæ nomen eſt, non ſolummodo *mare*, quia mare non explet quidquid creatum eſt, vti nomen Mariæ; ſed certis limitibus coarctatur.

35. *Huius olei nominis Mariæ immenſitas.* Idiota.

Porrò huius olei immenſitatem ſpecialiter deſcribit ſapientiſſimus Idiota. *Dedit tibi Maria tota Trinitas nomen, quod eſt* (ſicut nomen Ieſu) *ſuper omne nomen: vt nomine tuo audito, omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Hoc nomen Mariæ ſuper omnia nomina Sanctorum, en *marium* immenſitatem. Audi iam immenſam olei copiam. *Nomen Mariæ reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, vngit agoniſtas, iugum diaboli excludit.*

36. *Velocius, ſeu citius quam nomen Ieſu Mariæ nomē, Ieſu priuilegio, facit iugum noſtrum cōputreſcere.* Iſai. 10. Guillelm.

De Ieſu nominis oleo præcinit Iſaias c. 10. *Computreſcit iugum à facie olei.* Guillelm. *Graue iugum ſuper filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vſque ad diem ſepulturæ in terra matre omnium. Hoc iugum non ſtatim aufertur, ſed leuius fertur, & computreſcit, hoc eſt, paulatim langueſcit, atque decreſcit, donec ſuo tempore penitus auferatur, & plenitudo libertatis filiis vnctionis*, ſeu nominis Ieſu, quod eſt oleum effuſum, aſſeclis *tribuatur.* Hoc itaque iugum, quod à facie olei nominis IESV paulatim langueſcit, ac decreſcit, à facie olei nominis Mariæ illicò aufertur. Vndè aiebat D. Anſelm.

Anſelm.

Velocior eſt aliquandò ſalus, inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Ieſu. Quia hoc priuilegio placuit Ieſu ſponſo ſponſæ dilectiſſimæ nomen honorare.

37. *Mariani nominis oleum infunditur in vaſa hominū vacua quidē ſine Mariæ ope.* 4. Reg. 4. Bonauent.

Memor mulieris illius, cui Eliſæus iuſſit *vaſa non pauca* congerere, vt mirabiliter oleo implerentur, vti ſuis creditoribus ſatisfaceret. 4. *Reg.* 4. contemplare nominis Mariæ oleum planè immenſum, omnes id proferentes replens: & ſi ſtat oleum, non quidem ſtat, quia exhauritur, ſed quia non adiiciuntur vacua vaſa explenda. Aiebat D. Bonauent. *Diuina manus dat per manum Mariæ*, oleum pietatis, *in figura mulieris Eliſæi. Vaſa non pauca filij dabant, & illa oleo implebat. Quaſi filij nos, qui manibus Mariæ offerimus vaſa implenda oleo miſericordiæ. Nullum vas oleo plenum niſi per Mariam.* Quia *Mariæ nomen* & gratia, *eſt oleum effuſum.*

38. *Beneficiis nominis Mariæ plenus eſt mundus.* Bonauent.

Nominis Ieſu oleum omnium rationalium creaturarum vacuitatem impleuit. Vnde audito nomine Ieſu omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Videtur Dominus eandem virtutem Mariæ nomini indidiſſe. Idem Bonauentura citans Anſelmum. *Tibi*, ait, *ſolùm loquor Domina, beneficiis nominis tui plenus eſt mundus. Oleum nominis tui*, inſtar olei nominis Ieſu, *inferna penetrauit, cœlos ſuperauit. Per plenitudinem ergò olei, ſeu gratiæ tuæ, quæ in inferno*, ſeu limbo, *erant animæ, lætantur ſe liberatæ; quæ in cœlis ſunt, ſe gaudent reſtitutæ.* Vnde quæ in mundo, ſeu terra ſunt rationales creaturæ, in cœlo, & ex inferno erutæ, audito nomine Mariæ, gratitudinis ergo, genuflectunt.

39. *Vas olei in nomine Mariæ nunquam poteſt euacuari licet omnibus fluat vberrim.* Mat. 25. Bernard.

An fatuas virginum Virgo annumeranda eſt inter virgines, cui poſt tantam olei inſumptionem in vaſe oleum poſſit deficere? abſit. D. Bernardus apud Bonauent. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & pretium illud beatiſſimum tantâ tibi copiâ, tantâque plenitudine influet, vt copioſiſſimè effluat circumquaque oleum effuſum nominis tui. Vnde ad nominis tui pronuntiationem effunditur illicò oleum miſericordiæ diuinæ. Nec enim eſt hæc Virgo virginum fatua virgo, cui non modò oleum eſt, ſed olei plenitudo in vaſe recondita*: vt prudentes virgines excedat pietate. Illæ enim petentibus noluerunt olei particulam impertire, fantes: *Ne non ſufficiat nobis, & vobis.* Matth. 25. Maria autem & ſibi & cunctis efflagitantibus pietatis oleo abundat, nec petentibus reſpondebit: *Ne non ſufficiat nobis, & vobis.* Conſonat. D. Bernard. apud Bonauent. in Spec. *Nec mirum Domina, ſi tam copioſo oleo miſericordiæ cordis tui perfuſum eſt ſanctuarium, cùm illud miſericordiæ oleum primum ſit in te ab artifice mundi fabricatum. Dicamus ergo Mariæ: Date nobis de oleo veſtro.* Idem, *Mariæ nomen omnibus olei vas plenum reſeruauit, vt de plenitudine illius diffuſa accipiant vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam.* Quàm immenſa maria olei nominis Mariæ, quæ non ſolùm repleuerunt terricolas, & cælicolas, ſed & beatiſſimæ Trinitatis immenſitati vndam gloriæ quodammodò addidêre!

Bernard.

40. *Precibus mouendum Mariæ nomen, vt oleum efflu at.* Bernard Abbas.

Si vacuum te hoc puriſſimo nominis Mariæ oleo experiris, ſignum exhibes, te minimè *Mariam* pio affectu nominaſſe. Dic, *Maria*, & miſericordiæ in te huius nominis oleum profundetur. Bellè D. Bernard. ibid. *Vas liquore plenum, ſi moueatur, de facili ſubuertitur, & effundit liquorem: Sic Maria ſi moueatur precibus, olei liquorem effundit in nobis.* O Maria, *tu ne nominari potes, quin accendas: tu nunquam ſine dulcedine diuinitùs tibi inſitâ memoria portas ingrederis.*

41. *Ineffabilis lætitiæ oleo perfunditur, qui* Mariam *nominat.* Franco.

Effuſum oleum profuſæ animi lætitiæ eſt ſymbolum. Vnde Dauid Pſalm. 44. *Propereà vnxit te Deus oleo lætitiæ.* Quis *Mariam* nominat, qui cœleſtis lætitiæ oleo non inungatur? Abbas Franco *de grat. Dei tom.* 12. *Bibl. PP.* hoc eleganter argumentum inſequitur. *Quotidianâ Mariæ memoriâ, ac frequenti iteratione dulciſſimi nominis ipſius quaſi diuino quodam rore deſiderij æſtus refrigeratur. Neque enim poſt illud ſingulare dilecti Filij ſui nomen, quod eſt ſuper omne nomen, aliud nomen cœlum, aut terra nominat, vndè tantum gratiæ, tantum ſpei, tantum ſuauitatis, tantum conſolationis piæ mentes concipiant. Quotieſcunque enim dulciſſimum nomen illud* Maria, *amatores illius audiunt, toties ex pio auditu, & ſuauitate auditi nominis neſcio quid inenarrabilis iucunditatis intus trahunt. Nomen namque* Maria *mirum quid ſuaue, ac diuinum in ſe continet, vt cum ſonuerit amicis cordibus, amicæ ſuauitatis odorem ſpiret. Et mirum illud de nomine* Mariæ: *& valde mirum, vt millies auditum, ſemper audiatur quaſi nouum.*

42. *Oleum hoc nominis Mariæ lætitia*

Certè hoc ineffabile lætitiæ oleum nominis Mariæ non ſolùm terricolas lætificat, cùm auditur, ſed & cœlicolas mirabili afficit voluptate. Audi D. Brigit. *lib.* 1. *reuel. cap.* 9. ex ore Dei

non solùm terricolas, sed & cœlicolas perfundit. Brigit.

Deiparæ prosantem: *Filius meus quantum etiam honorauit nomen meum, audi. Nomen meum est* Maria; *sicut legitur in Euangelio. Hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudent, & regratiantur Deo. Angeli boni, audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam.*

43.
Dũ boni Angeli lætantur Mariæ nomine audito, dæmones mœrẽt, & fugam arripiunt. Brigit.

Dum verò Angeli lætantur boni, nequam Angeli mœrore conficiuntur: & dum illi magis ad animam instam accedunt, hi ab ea fugantur. *Hoc nomen* (adhuc Deiparens Brigitæ) *etiam omnes dæmones verentur, & timent. Qui audientes* Maria, *statim relinquunt animam de vnguibus, sicut aues habentes prædam, si audierint sonitum, relinquunt eam. Nullus etiam tam frigidus (nisi sit damnatus,) ab amore Dei est, si innocauerit hoc nomen hâc intentione, vt nunquam reuerti velit ad opus solitum, quod non discedat ab eo statim diabolus.*

44.
Aliud nomen Mariæ est Mater Dei. Andr. Cret. Amed.

Oleum effusum nomen aliud Mariæ, id est Mater Iesu, seu Dei. Andreas Cret. orat. 2. de dormit. Deip. *O Maria, quæ habes non comparabilem cum aliis appellationem.* Nempe Matris Dei. Vberiùs, & clariùs Amedæus Epist. Lausan. *O Maria, quæ gloriosum præ aliis nomen hæreditabis. Nam cum alius dicatur Angelus Dei, alius Propheta, alius Præco, & quisque suo recenseatur nomine: pro ordinatione, & dignitate singulari, & speciali lumine, tu appellaberis, Mater Dei.*

45.
Mare nominis Matris Dei tranari non potest, nisi oleo, seu misericordia ipsius suffulti.

Mare profundum seu *maria* tranauimus, cum Mariæ nomen commendare voluimus: certè nomen *Matris Dei*, maria nobis obiicit profundiora: vnde impossibile videtur eorum profunda penetrare, nisi nomen ipsum nobis conferat opem. Vrinatorum industriam imitabor; qui quidem cum in abyssum maris se volunt immittere, vt ex illius imo aurum, vel quidvis pretiosum possint eruere: oleum ex ore effundunt, quo liquorem perfundant claritate. D. Ambros. lib. 1. exam. c. 9. *Quid miramur, si Deus locutus est lucem, & caliganti mundo lumen emicuit, quando si quis inter aquas mersus, oleum ore emiserit, clariora faciat ea, quæ profundi tegebantur occultis.* Sit mihi, vt nominis *Matris Dei*, profunda mysteria valeam extrahere, ipsum nomen *oleum effusum.*

Ambros.

46.
Ex hoc nomine Mater Dei colligitur Deiparæ gratiam & dona esse sine mensura.

Oleum ergò gratiæ & donorum cœlestium datur nomini huic *Matris Dei*, non ad mensuram, sed velut *effusum*; nam qui oleum effundit, id minimè taxat. Sicut ergo dignitas *Maternitatis Dei*, ad quam eleuata est Maria fuit immensa, illimitata & incomprehensibilis: ita & gratia, quâ disposita ac præuenta fuit genus quoddam illimitationis, & immensitatis debuit obtinere. Vnde Angelus, qui salutationis suæ initio eam vocauerat *gratiâ plenam*, nè aliquis hinc ansam arriperet existimandi, hanc gratiam fuisse diuinitùs infusam Dei parenti futuræ ad mensuram certam, & limitatam: protinùs addidit: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Luc. 1. Superueniet inquam, quasi modo quodam illimitato, superexcedens omnem modum, & mensuram gratiam largiendi. Addo, ea verba, *Aue gratia plena*, consideranti vas immensum ex dignitate Maternitatis Dei gratiæ obiici immensitatem. Vnde D. Bonauentura ait: *Qui dicit in Maria gratiæ plenitudinem, omne possibile manifestat.*

Luc. 1.

47.
Quidquid gloriosum de

Mariæ itaque *Matris Dei*, dona fuêre immensurabilia, extra communem regulam, normam, & modum. D. Epiphanius *serm. de laud. Virg.* exclamat: *O ter sacrosancta Virgo, de qua qui omnia gloriosa, & illustria dixerit, nunquam is quidem ab scopo aberrabit.* Ab scopo aberrare non vis? omnia igitur quantumcunque gloriosa, quæ iuxta rationis præscripta poteris, & volueris de Maria excogitare, in Matris Dei nomine vberrimè continentur.

Mariæ dixeris in nomine Matris Dei continetur. Epiphan.

48.
In nomine Matris Dei omnes diuinitatis thesauri continentur. Bernard. Damian.

Suppone, humanam excogitationem posse complecti omnes cœlestes thesauros, quod est planè impossibile. An aberrabit à nominis *Matris Dei* scopo? Minimè, omnes enim hi thesauri in titulo *Matris Dei* contineri est certissimum. Audi D. Bernardum serm. de annunt. *Hæc est vnica illa Mater Saluatoris, fœmina, in qua omnes thesauros suos absque mensura ille transfudit.* Petrus Damian. de laud. Mariæ. *De thesauro diuinitatis Maria* Matris Dei *nomen euoluitur.*

49.
Vnguentum nominis Matris Dei in hominum vtilitatem effluit. Ambros.

Profectò vnguentum hoc nominis *Matris Dei* in homines vbertim deriuatur. Ambrosius lib. de virg. Mar. *Descendat vnguentum istud in animæ præcordia, viscerumque secreta, quo non deliciarum odore, sed diuinæ gratiæ spirametis redolebat* Dei Mater *Maria. Hæc pluuia Euæ restinxit appetentiam: hoc vnguentum fœtorem hæreditarij erroris abstersit, seu in nobis correxit probra, quæ ex Euæ appetentia profluxêre. Hoc vnguento vncta est Maria, quia & Virgo concepit, & Virgo peperit bonum odorem Filium.* Nobis exundat vnguentum: Nam *hoc vnguento* (adiicit Doctor) *vncti sunt tres pueri, & humorem ijs flamma rorauit.* Quanta efficacia nominis Matris Dei vnguentum, si antequam in tempore conficeretur, iam salutarem emittebat odorem? Collige hinc Deiparentis innocationem efficax esse medicamen ad flammarum concupiscentiæ restinctionem. Concludit Ambrosius. *Excipite itaque ex hac Moabitide olla gratia cœlestis vnguentum, nec vereamini, ne deficiat, quod exinanitum est, & plus redundat.*

50.
Ioannis Baptistæ virginitas & Euangelistæ sapientia ex oleo nominis Matris Dei ortum habuere. Ambros.

Quid si Ioannis vtriusque & sanctitas, & sapientia huic *Matris Dei* nomini debeatur? De sanctitate Ioannis Baptistæ sic Ambrosius citatus: *Nec immeritò Ioannes mansit integer corpore* seu Virgo, *quem in tribus mensibus oleo suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Dei Mater exercuit.* Sapientia verò Ioannis Euangelistæ vndenam, nisi ex Mariæ *Dei Matris* abysso? Idem Doctor, *Ioannem Euangelistam non miror præ cæteris locutum diuina mysteria, cui præsto erat aula cœlestium Sacramentorum.* En virginitas Baptistæ, & sapientia Euangelistæ Ioannis ex olei huius nominis *Matris Dei* redundantia ortum habuêre.

51.
Maris celebrata subsidia in nomine Mariæ Matris Dei sine tempestatis periculo inuenimus. Ambros.

Equidem pelago huius cœlestis olei nominis Matris Dei accommodarim, quod de mari scripsit Ambrosius. Nominis Mariæ, & Matris Dei mare, est *subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum; terram, homines peccatores velut pacificis ambit, & salutat amplexibus.* Quæ quidem verius de nomine *Matris Dei* dixeris, quàm de pelago. Maris enim subsidia hæc cum tempestatum periculo accipimus. Maris verò Mariæ Matris Dei omnes vndæ sunt oleum nunquam non inungens, & sanans. Innoca

Matrem

Matrem Dei, & cuncta illa subsidia pacificè experiens.

52. Nominis itaque *Mariæ*, & *Matris Dei*, in nos vberrimè effusum est oleum, quod vnâ voce Patres ad hæc verba: *Oleum effusum nomen tuum* concelebrant. Alanus de Insulis, *Cuius nomen præconizatur mundo, nisi Mariæ? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, nisi nominis Matris Dei? Cuius humilitas nobis proponitur in exemplum, nisi Mariæ? cuius virginitas nobis datur in speculum, nisi Matris Dei? Et eleganter fama & gloria horum nominum oleo effuso comparatur. Oleum esurientem reficit, ægrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit. Sic nominis Mariæ, & Matris Dei oleo laudis reficimur, ad virtutum medicamina inuitamur: aduersitatibus fessi, recreamur. Nominum horum fama diffunditur, & non solum oleo, sed oleo effuso nomina comparantur. Quia sicut oleum effusum magis redolet, sic quantò magis nomen* Mariæ, & Matris Dei *dilatatur, tantò magis gloria* eius, & nostra vtilitas *augetur.* Dionysius Carthusian. *Oleum effusum nomen tuum, ô Mater charissima, visceribus internæ suauitatis totum redundans, omni misericordiâ affluens, portas piæ memoriæ absque insita dulcedinis aspersione nunquam ingrediens.* Mariæ *enim &* Matris Dei *nominis recordatio reficit mentem.* D. Bonauent. *O celeberrima nomina* Maria, & Mater Dei! *Quomodo posset vtrumque nomen non esse celebre, quod decenter nominari non potest sine nominantis vtilitate.* Honor. *Oleum*, ait, *aliis liquoribus infusum supernatat, & etiam infirmos sanat. Nomen autem Virginis est* Maria, & Mater Dei. *Qui in tribulatione eius auxilium inuocat, omnia aduersa vt oleum, per eam supernatant.* Denique Hailgrinus Cardin. *Oleum effusum Deiparæ nomen. Nam sicut oleum omnem liquorem supernatat, sic nomen Mariæ*, & Matris Dei *inuocatio, omnium sanctorum nomina, & inuocationes nominum superexcellit, & superat in efficacia subuentionis, & obtentu diuinæ gratiæ, & dæmonum fuga.*

Nominis Mariæ, & Matris Dei oleum exundat in homines. Alan. Carthus. Hailgr.

53. Quod si lubeat hæc verba: *Oleum effusum nomen tuum*, de Iesu nomine exponere, (de quo Patres communiter,) hinc Deiparæ elogia præclarissima colliges ex eorum mente. Rupertus enim hîc eius humilitatem laudat. *Diabolus*, inquit, *in cœlo ô Virgo, per vitium superbus fuit: tu per virtutem humilis in terra apparuisti. Pro qualitatibus tam diuersis tamque contrariis vnum idemque Verbum illi vt fulmen, tibique vt oleum sese exhibuit.* Philippus Abbas Mariæ erga homines charitatem commendat, quæ oleum nominis Iesu sinu excepit, & ad generis nostri vitam profudit. *Nomen sponsi est Iesus oleum effusum. Et quis hoc nomen intellexit verius, vel amauit sincerius, vel conuenientius prædicauit, quam ipsa Virgo Mater, cui primo Angelus nunciauit? In vase voluit oleum contineri, cùm occulto iudicio Angelis superbientibus noluit misereri. Illis autem, qui steterunt, dedit oleum hoc sentire, quos nè simul caderent, dignatus est misericorditer custodire. Qui stantibus Angelis plenum misericordiæ vas propinauit, ad medendum in terra ægrotis hominibus, vas*, id est, Mariam hoc plenam Iesu nominis oleo *inclinat. Ante partum Virginis suum inter paucos voluit nomen fundi; post partum verò ampliori impetu omnibus passim iam effundit. Quem enim absconditum nationes Gentium nesciebant, pauci verò Iudæorum docti spiritu vtcumque sentiebant: postquàm in fine temporum vtero Virginis est infusum oleum* nominis Iesu, *per vicos & plateas in aquæ similitudinem est effusum. In cœlis itaque oleum hoc clausum erat in vasculo, vel conclaui; in Maria verò est oleum non clausum, sed effusum, & dispersos hominum manipulos coaceruat. Et misericordia, quæ intra cœli sanctuarium se abscondebat, inclinato vase, seu Maria, in qua oleum infunditur, ad sanandos homines ægrotos se effundit.*

Mariæ humilitas, & pietas prædicatur. Rupert. Philip. Abbas.

54. *Ideò adolescentulæ dilexerunt te.* Adolescentularum vocabulo hîc tam Angeli, quàm homines designantur, vtra enim natura Reginæ Mariæ deseruit, quemadmodum virgunculæ nobiles assolent terrenæ Reginæ famulari. De quo Dauid Psal. 44. *Adducentur Regi virgines post eam.* En tibi Reginam Esther, vna & altera famula incedentem comitatam. D. Bonauentura in Spec. lect. 3. *Maria signata est in Esther Regina, de qua legitur, quòd super vnam famulam suam deliciosè innitebatur: altera autem famularum sequebatur dominam defluentia in humum vestimenta sustentans. Per Esther Reginam intellige Reginam Mariam. Duæ famulæ, quarum est Domina, sunt Angelica, & humana natura. Anima humana est famula, quæ Dominam Mariam sequitur in mundo. Sequitur certè colligens vestimenta, scilicet virtutes & exempla Mariæ. Angelica natura est famula, super quam Domina Maria in cœlo innititur: innititur tanquam plenissima, secum suâ plenitudine Angelis communicando: innititur tanquam potentissima Angelis imperando. Omnibus enim Angelis Maria innititur suo imperio.* Vnde Augustin. ait: *Michaël Dux & Princeps militiæ cœlestis cum omnibus spiritibus tuis Virgo paret præceptis in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi Domina die ac nocte se commendantium.* En vtraque intellectualis creatura Reginæ Mariæ famulatur: vnde vtrique appositè hîc adolescentularum nomen impono. Quia igitur oleo gratiæ, omnimodáque puritate exundas ô Virgo: *Adolescentulæ*, id est, Angeli *dilexerunt te.* Nihil enim ita amorem conciliat ac natalitij puritas, morum similitudo; *adolescentulæ*, id est, homines te diligunt, quasi secundam nostri generis redemptricem.

Angeli, & homines sunt adolescentulæ diligentes Mariam: & quare. Psal. 44. Bonauent.

55. Porrò Origenes *hom.* 1. de duab. explicat hæc verba: *Adolescentulæ*, ideò *dilexerunt te*, miro quodam modo, qui in singularem Deiparæ gloriam cedit. *Adolescentulæ quidem, propterea dilexerunt te, quia factum est vnguentum exinanitum nomen tuum. Ego autem non pro vnguento exinanito, sed pro ipsa vnguentorum plenitudine dilexi te.* Maria enim adeò amabilis est ob suam exuberantem perfectionem, vt abstrahendo mentem ab illius in nos pietate, quâ oleum impertit beneficiorum vberrimè, ingenti digna sit dilectione.

Digna est Maria dilectione maxima ob eius miram perfectionem abstrahendo à beneficiis nobis collatis. Origen.

56. Ait Theodoretus in præsenti. *Ex iis, quæ dicta sunt, declaratur eos, qui euaserunt in virum perfectum ad mensuram ætatis, vt ait Apostolus, quique virtutis perfectionem consequuti sunt, sponsam appellari. Qui verò nondum perfectionem sunt consequuti, atque illis sunt inferiores, eos tanquam adolescentulas quasdam sponsam comitari.* Non minus distat inter Mariam

Omnes homines & Angeli sunt velut imperfectæ adolescentulæ respectu Reginæ Mariæ. Theodor.

riam, & omnes creaturas Angelicas, & humanas quam inter Reginam & famulas. Omnes namque Angeli etiam Cherubini, Seraphini, Throni, &c. respectu Deiparæ sunt Adolescentulæ: Hispanè dixerim, *Como Meninas de la Reyna.* Adiicit Pater: *Respectu Virginis Matris Mariæ, alij vel homines, vel Angeli adolescentulæ dicuntur; quia hæc Mater, hæ filiæ: hæc Regina, hæ famulæ: hæc patrona, hæ adolescentulæ: hæc Magistra, hæ discipulæ.*

57. *Videre Mariam ineffabili gratia plenam est in Angelis, & hominibus amoris erga Deum excitamentum.* Bernard.

Diuus Bernardus hæc verba, *Ideo adolescentulæ dilexerunt te*, ad Deum refert. *Propter nomen Iesu* (ait Maria) *ô Domine, vt oleum in me effusum, & propter vbera mea ex eo perfusa, te diligunt homines & Angeli:* quasi Christus Filius, & Maria Mater sint duo motiua singularissima dilectionis eorum erga Deum. Inde quippè excitati sunt in Dei amorem, sponsâ Matre infusum munus excipiente. Quasi aspicere Mariam tot donorum oleo plenam, sit in Angelis & hominibus amoris erga Deum largitorem excitamentum.

Amantem valde nos Mariam valde diligamus. Philip.

Si autem amor amore rependitur apud gratos: colligere licet, quàm affectuosâ dilectione Virginem animæ sanctissimæ prosequantur. Hoc argumentum Philippus Abbas *cap.* 12. eleganter confirmat: *Me repletâ, Maria ait ad eas, quæ iuxta sunt: oleum hoc refusum, & vt capi valeat adolescentulis est effusum.* Quænam hæ proximiores Virgini adolescentulæ? Nulli Virginem familiarius sunt secuti, quàm Apostoli, qui ante & post Christi passionem cum ea diutiùs conuersati ab ipsa frequentius audierunt Verbi Incarnati mysterium. Hos Deipara non solùm cœlestium donorum oleo impleuit, sed & affectuosè dilexit. *Quis* (adiicit ille) *penset, quo affectu eosdem fuerit* Deipara *amplexata.* Igitur illi tot obærati beneficiis, ô Virgo te mirificè dilexerunt. Cur existimas, Apostolos hic adolescentularum nomine denotari? An quia respectu Reginæ Mariæ suprema omnium sanctitas seruilis apparet? Certè quia ardenter dilectionem Deiparæ rependere conantur. Bellè concludit Abbas, *Apostoli adolescentularum nominè intelliguntur, non ob dierum paucitatem, & ætatis; sed ob ferventiorem fidem, & amorem impatientem,* quo scilicet Mariæ amorem rependere satagunt.

58. *Amor hominum in Mariam vnde proueniat.* Carthus.

Dionysius Carthusianus expressiùs edocet, vndenam iustis hominibus hic in Deiparam profluat affectus. *Animæ*, ait, *innocentes, ac simplices dilexerunt te*, ô Virgo. *Te enim præ omni pura creatura amant vniuersæ fidelium animæ, seu cuncti fideles tanquam summam, & optimam Dominam, Sanctam Sanctarum, aduocatam, & Matrem, præcipuumque refugium, & cooperatricem reparationis humanæ, cui Regnum misericordiæ est commissum.*

59. *Mariæ amor in Deum est ineffabilis, & quasi de Diuinitatis genere.* Incert. Auctor.

Incertus Auctor in Biblioth. Colon. hæc verba, *Oleum effusum*, &c. asserit à Virgine esse prolata, exprimens amorem, quo erga Deum sponsum ipsa succendatur. *Si adolescentulæ*, ait ille Mariæ ex persona) *ob oleum effusum te diligunt: quantò magis ego, quæ tantam accepi huius olei redundantiam?* Non exprimit Maria huius dilectionis gradum, quia præ magnitudine inexplicabilis quidem est,

sed solummodò dixit, quod aliæ rationales creaturæ eum diligebant, ob munera accepta: vt ex illarum amore ex gratitudinis affectu colligeretur Virginis ineffabilis dilectio ob ineffabilia munera, quæ acceperat. Certè Mariæ amorem de Diuinitatis genere vocitarim, quæ per se ipsam hîc non est cognoscibilis, sed eam per creaturas tanquam per signa, ac vestigia sectamur.

Origenes verò hæc verba etiam tribuens Deiparæ, officium mediatricis hominum apud Deum sic commendat: *Dicens sponsa Maria, vnguentum effusum nomen tuum, adolescentulas conspicit, addens, ideò adolescentulæ hæ dilexerunt te. Quando illam Pater sponsi rogabat, & ad ipsum sponsum cominus loquebatur, nec dum adolescentulæ aderant; in mediis verò precibus ingreditur iuuencularum chorus.* Ac si nullus hominum audeat coram Deo apparere nisi Virginis præsentis patrocinio. Virgo nos Numini reddit acceptos, & nostra diuino in conspectu merita offert: *Adolescentulæ dilexerunt te.* 60. *Sine Mariæ intercessione non audeamus ad Deū precibus accedere.* Origen.

Denique Andreas Cretens. hasce adolescentulas esse contemplatus animas separatas, & spiritus cœlestes, qui Virginem, dum ad superos assumitur gratulantur. Ac si huiusmodi de Virginis gloria gratulatio esset dilectionis eorum erga ipsam documentum. Verè enim amantis est de meritis, & de gloria amati gaudere: *Ideò adolescentulæ dilexerunt te.* 61. *Signū amoris erga Mariam est, de eius meritis, & gloria lætari.* Andr. Cret.

Vers. III.

Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.

TRahe me.] Verba sunt Verbi diuini quasi profantis: in reliquis Adæ filiis tam in lege naturæ; quàm scriptæ, Patriarchis, Prophetis, Iudicibus, Regibus, Sacerdotibus, Abel, Seth, Henoch, Enos, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid non inueni tantam meritorum vim, vt me de cœlo ad terram traherent. Morum illi probitate & precum frequentia alliciebant quidem, & inuitabant, vt homo fierem, sed minimè trahebant. At tu sola ô Virgo dilectissima ad tuum purissimum vterum me è Patris sinu trahis, vt Filius hominis efficiar, vtpotè meritis potentissima. Simon Metaph. de dormit. Deip. hom. 3. *O beatam illam carnem, quæ propter insignem puritatem animæ Bonum* (id est, Christum bonum omne) *ad se traxit.* Amedæus, *Impatiens moræ Deus, ad te venire festinat*, quasi tractus. Audi Dei Filium ad Matrem loquentem, audiente B. Brigita lib. 5. reuel. cap. 4. *Verè Mater charissima verbum oris tui traxit quodammodo Deitatem meam in te: & feruor diuinæ dulcedinis tuæ nunquam separabat me à te.* Alibi vberiùs: *Tu me traxisti serenitate tuâ ad te solem verum, id est, Deitatem meam in tantùm, quòd sol Deitatis meæ veniēs ad te finxit se in te, ex cuius calore calefacta es super omnes charitate meâ. In veritate mea dico, quod puritas tua, quæ mihi super omnes Angelos placuit, traxit Deitatē.* 62. *Maria ineffabilium meritorum vi Deū ad humanitatem sumendam traxit, quem vix cuncti Diui alij inclinare ad id potuere.* Metaph. Amedæ. Brigit.

Omnes itaque Diui olim ſuis meritis, ac precibus vix potuerunt Deum velut leuiter inclinare iuxta illud Dauidicum: *Inclina cælos tuos, & deſcende.* At Maria immenſo virtutum, ac meritorum pondere Deum ad humanitatem aſſumendam potuit trahere.

63. *Gigantea Mariæ merita ſola ſurrexit ad cælum, & Deum traxit.* Iſai. 64.

Iſaias gerens totius humani generis perſonam expetentis Verbi Incarnationem, inclamabat: *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes!* Mox verò conſideratione voluens, nullum eſſe terricolam, qui Deum ad nos poſſet attrahere, fatur: *Non eſt, qui conſurgat, & teneat*, ſeu trahat te. Quia nondum aderat Maria, cuius gigantea merita ad cœlos conſcenderent, & Deum tenerent, apprehenderent, & attraherent.

64. *Per ſcalam cæleſtem non Angeli, non homines fecerunt Deum ad nos deſcendere, ſed ſolius Mariæ attractio.* Gen. 28. Rupert.

Iacob vidit Deum *innixum* ſcalæ illi; *& Angelos aſcendentes, & deſcendentes.* Gen. 28. Deus enim cupiebat ad terras deſcendere, vt homo fieret. Angelica hominum merita, & affectuoſæ preces aſcendebant, vt eum ad deſcenſum allicerent: ſpiritus Angelici deſcendebant à Deo immiſſi, vt hominum fidem ſpe roborarent. Quid plura? Rupertus contemplatur in huiuſcè ſcalæ gradibus Chriſti & Mariæ ſignari parentes: vnde Maria gradus vltimi ſignatur in ſymbolo. Iam Deus à Maria attractus huic vltimo gradui hæreſcit humanitatem aſſumens ex Virgine. Ideò meus Doctiſſimus Magiſter Ludouicus Alcazar. *ad cap.* 1. *Apocal.* aſſerit Deum hic non in vertice ſcalæ ſedere; ſed in eius fine terræ hærente (cuius vltimus gradus Mater Maria) factum hominem oſtentari. (Alcaz.)

65. *Verbum ad Incarnationē non bos ſacrificiorum, non leo obſeruantiæ legis, non aquila precum, nō miſeria hominis traxit: ſed ſolus Mariæ currus ad terrā inuexit.* Ezech. 1.

Myſtico curru Ezechielis Deus homo futurus vectabatur. Quatuor quadriformia antecedebant animalia *homo, leo, bos, & aquila*. cap. 1. quibus iuxta grauium Doctorum interpretationem ſignantur quatuor diſpoſitionis modi, quibus humanum genus curabat Verbi Incarnationem exequi: ſacrificiis figuratis in *boue* aut vitulo; præceptorum Dei perfecta obſeruatione adumbrata in *leone* animalium feruentiſſimo; continuis precibus ſanctorum, ad cælum auolantibus ſignificatis in *aquila*; & ipſius humani generis miſeria, quæ ad miſerationem prouocabat, quam figurabat *homo* omnium miſeriarum, dolorum, laborum colligatio. An animantia hæc ſeu ſacrificia antiqua, legis obſeruatio, preces, & hominum miſeria Deum ad humanitatem attraxêre? minimè. Quia currus ille à præfatis animalibus non trahebatur, ſed eum ſolnti antecedebant. Funes enim, queis quadriga raptetur, minimè recognoſco. Sola Maria in ipſo ſignata curru ex multorum ſententia, Deum traxit ad humanitatem, ipſo clamante, *Trahe me.*

66. *Maria quaſi catena aurea Verbū traxit ad homines.* 2. Paral. 3. Eupol.

Salomon miro artificio cœleſti ſpiritu afflatus fecit quaſi catenulas in oraculo, quas per totum Templum eduxit, & trunco ac ramis palmarum intertexit. *Sculpſit in ea palmas, & quaſi catenulas ſe inuicem complectentes.* 2. Paral. 3. Porrò claui, quibus Salomon affixit aureas laminas parietibus Templi, Eupolemo auctore erant *in ſpeciem muliebrium papillarum*, vt magnam Matrem Mariam adumbrarent. Imo palmæ illæ typus Virginis erant, cuius *ſtatura*, ſponſo aſſerente, *aſſimilata eſt palmæ.* Cùm igitur per omnes Templi parietes viderentur ſculpti leones, boues, aquilæ & homines, ſcilicet quadrimormia animalia currus Ezechielis, catenulæ illæ aureæ, quæ ab oraculo procedebant ad omnem Templi ambitum, nullatenùs erant leonibus, aquilis, vitulis, aut hominibus intertextæ, ſed ſolummodò palmis, Virginem adumbrantibus. Vt innueretur, eam ſolam eſſe, quæ catenulas aureas meritorum habebat; quibus poſſet Deum ex ſecreto cœleſti oraculo ad terras attrahere.

67. *Maria à Deo catenulas accepit, queis ad nos Verbum traheret.* Philo. Pſal. 44.

Has catenulas Deus Mariæ promittit, queis poſſet Deum trahere. *Murenulas aureas faciemus tibi.* Cantic. 1. Philo Carpat. & alij, *Catenulas aureas.* De his Dauid Pſalm. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Alij legunt, *Omnis gloria filiæ Regis ab interiori tabernaculo, ſeu oraculo in catenis aureis.* Hoc fuit ſpecialiſſimum priuilegium Mariæ conceſſum; vt precibus ac meritis ſuis poſſet Verbum ex cœleſti oraculo, ſeu è Patris ſinu, quaſi queiſdam aureis catenis ad noſtram trahere humanitatem.

68. *Poſt Verbum Pater, & Spiritus ſanctus ſpecialiſſimè ad Mariam velociſſimum curſum egere.*

Poſt te curremus.] In primis verbis locutum fuit diuinum Verbum, *Trahe me.* Mox Pater, & Spiritus ſanctus fuere locuti, *Poſt te curremus*, comites diuini Verbi facti. Vnde Virgo ſpeciali titulo à Patribus *domus, aula*, & nobile *triclinium* beatiſſimæ Trinitatis appellatur, non ob generalem rationem, qua Deus aſſiſtere dicitur in creaturis per præſentiam, eſſentiam, & potentiam: ſed ob ſingulariſſimum modum ratione Verbi in eius vtero hypoſtaticè humanitati colligato, quod duæ aliæ Perſonæ per concomitantiam inſequuntur. Vnde Epiphanius ſerm. de laud. Virg. *O candelabrum*, ait, *virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem vnum, inextinguibilem, conſubſtantialem.* Bernardus: *Quòd autem in beata Virgine ſancta Trinitas fuerit, dico per præſentiam maieſtatis.* Iſichius Ieroſolym. Mariam appellat *Arcam Noë arcâ latiorem: illa enim duas, aut tres contignationes habebat, & manſiones; hæc autem vniuerſum Trinitatis complementum. Quandoquidem & Spiritus ſanctus adueniebat, atque hoſpitabatur: & Pater obumbrabat: & Filius vtero geſtatus inhabitabat.* Quàm latior, quàm illuſtrior hæc arca illâ Noëmiticâ! *Illa erat animalium arca: hæc autem arca vitæ; illa corruptibilium animalium: iſta verò vitæ incorruptibilis; illa ipſum Noë, hæc vero ipſius Noë factorem portauit.* (Epiphan.)

69. *Maria primo mobili comparatur tres diuinas Perſonas rapienti per verba illa:* Ecce ancilla Domini. Bernard.

Hinc aſſeruerim, Virginem aptè primo Mobili comparari tres diuinas Perſonas rapienti per verba illa: *Ecce ancilla Domini.* Maria à Patribus paſſim *cælum* appellatur. Bernardus ſerm. 3. in Salue. *Cælum & firmamentum eſt, Virgo omnibus firmamentis firmior.* Epiphanius: *Cælum ſplendidum habens ſolem Chriſtum.* Athanaſius: *Cælum non coinquinatum.* Auguſtinus, *Cælum altiſſimum.* Andreas Cret. *Cælum ſolis.* Damaſc. *Cælum hoc diuinius.* De ventre autem virgineo, ſic D. Iacobus in Liturg. *Deus noſter tuum ventrem latiorem, ac ampliorem cælis ipſis reddidit.* D. Bernardinus tom. 3. ſerm. 3. *Venter cælis*

capacior

Epiphan.

capacior. Sed præ omnibus audiendus D. Epiphanius exclamans: *O vterum impollutum habentem circulum cælorum! O vterum, qui cœlum es septem circulis constans! O vterum cœlum septem cœlis sublimius! O vterum, qui es octauum cœlum septem firmamentis latius. Cœlum* itaque *cœli Domino.* Psalm. 115. Deipara, non solùm quia ob puritatem compacta est ex empyrei cœli materia; sed quia cœlum cùm sit aliud cœlum vtero continens; ac simul Patrem, & Spiritum sanctum quasi per concomitantiam, instans primi Mobilis, tres beatissimæ Trinitatis cœlos illo verbo *Fiat mihi* raptat, & trahit, profitentibus ipsis. Verbum clamat, *Trahe me*, Pater, & Spiritus sanctus, *Post te curremus.*

Beatissima Trinitas quasi currit post Mariam ex affectu humilitatis fugientem Matris Dei dignitatem.

Luc. 1.

70. Tunc aliquis post alium currere dicitur, cum hic arripit fugam. Quandonam Virgo fugit; vt post illam velut ad consequendam fuerit velocissimus diuinarum Personarum cursus? *Post te curremus.* Certè cùm Gabrieli ei offerenti Maternitatis Dei dignitatem respondit: *Quomodò fiet istud?* & dum Dei Mater, & Angelorum, hominumque Regina efficitur, se cognouit, & vocauit ancillam, *Ecce ancilla Domini.* Penè immensam, & infinitam dixerim humilitatem Virginis, fugientis Matris Dei, ac Reginæ omnium titulum, si ad eam assequendam necessarius quodammodò fuerit infinitus beatissimæ Trinitatis cursus.

Nulla creatura audet Mariæ spirituali cursum æquare: Deus solus illum insequitur.

71. Ita feliciter Maria per meritorum, ac virtutum currebat stadium, vt quasi Deum ipsum ad currendum prouocaret: vnde Deus velut admittens respondit: *Post te curremus.* Certissimum est, virtutum cursu Virginem Deo minimè coæquandam: sed veritati consonum, ita omnes creaturas meritis superasse, vt nullus audeat eius insequi cursum, nisi Deus. Quemadmodum in stadio nemo audet currere post illum, cui in cursu ab omnibus fuit quasi vnico acclamatum. Prouerb. 3. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: at tu supergressa es vniuersas.* Angelica & humana creatura (cum nostro Salazar loquor) suorum meritorum vim omnem collegerunt, vt post te, seu tecum ô Deiparens currerent; sed tu velocissimo cursu eas es supergressa: solus Deus tuum cursum consequitur.

Prouerb 3.

Salaz.

Beatissima Trinitas ad Virginem venit, illius virtutum odore attracta.

Antonin.

72. *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Aromata virtutum Mariæ tam suaueolentia sunt, vt Verbo diuino in purissimo eius vtero homine facto, Pater, & Spiritus sanctus cursu velocissimo illa fragrantia attracti ad Virginem venerint, inibi habitaturi, quorum assistentia ipsæ virtutes caperent incrementum. D. Antonin. 4. *part. sum. tract.* 15. *cap.* 29. §. 2. & Beatissimæ Trinitatis in Maria, & virtutum illius augmentum contemplatur. *In corde Mariæ se Pater locauit, vbi est fons vitalis sanguinis: & in cerebro animæ refulget Filius, vbi est radius luminis: in epate, qui cogit amare (vt dicit Guillelmus) requieuit Spiritus sanctus auctor sancti amoris.* Itaque cœlestis Mariæ vita Patrem attraxit, lumen gratiarum eius Filium, amor & charitas Spiritum sanctum. At velocissimo ad eam cursu progredientes tres diuinæ Personæ, haud otiosè tam dulci fruuntur hospitio. *Per primam* enim Personam (adiicit Antoninus) *crescit vita gloriosa*, seu vitæ sanctissimæ illius adhuc perfectio crescit. *Per secundam ducitur* magis *luminosa lux* virtutum. *Per tertiam crescit virtuosa* Mariæ *charitas.*

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic.

Tanta Mariæ charitas, vt nolit sola ad Deum currere, sed gestiat secum adducere comites.

73. Iam verò cum communior sit Doctorum mens, hæc verba, *Trahe me*, dic à Deipara ad sponsum, & Filium Iesum esse prolata; diuersimodè ab illis exponuntur. Prius dicit Maria, *Trahe me*, illicò in plurali adiicit: *Post te curremus.* Tanta enim in nos Deiparæ charitas, vt ad Christum sola pergere nolit, sed ad cursum eiúsque fructum gestiat comites excitare. Pulchrè Abbas Philipp. *Itaque me primam, me præcipuam dona osculo, trahe vinculo charitatis: da scire, da sentire mihi ampliorem tuæ gratiam bonitatis. At hoc non mihi tantùm proderit, nec inueniar sola currere, sed curremus: omnésque diligentes, etsi non cursu pari, ad te pariter veniemus.* Idem Doctor: *Sic verò tracta Virgo iam currit, iam proficit, ideò se trahi singulariter postulat: cursuram verò non solam, sed vnà cum cæteris affirmauit. Quia ipsam specialiter eligendo in Matrem Dei Filius ad se traxit: sed ipsa sibi sola fructum huius operis non contraxit.* Quia dum Dei Mater efficitur, scit non solùm sibi, sed omnibus esse eum paritura.

Philip. Abbas.

De Mariæ visitatione ad Elisabetham hæc verba explicantur Trahe me, &c.

Rupert.

74. Porrò Rupertus verba hæc de Deiparæ visitatione ad Elisabetham exposuit. *Pretiosum,* inquit, *erat vnguentum, magnum erat beneficium, quod dederat Dominus sterili, conceptum scilicet tanti viri, quo non surrexit maior inter natos mulierum. Tanti, ac talis vnguenti odorem perceperat, tanti ac talis beneficij famam, siue nuncium ab ipso Angelo acceperat. Trahebatur ergo post Deum fœmina desideriorum; trahebatur, & currebat in odorem vnguentorum talium; & ipsum currere, id est, in montana cum festinatione abire, erat dicere: Trahe me post te. Nam qui veraciter diligit, & trahitur, & trahi cupit.*

Ad Mariæ assumptionem accommodantur. Vbi Virginis erga nos charitas eluscescit volentis ascendere post Iesum, non cum ipso.

Guillelm.

75. Abbas autem Guillelmus Deiparæ Assumptioni sic locum accommodat: *Trahe me,* inquit Maria, *post te ô mi Iesu, ô gloria tuæ Matris: redis nunc ad Patrem, trahe me post te Matrem, vt videat pia Mater charitatem, quam habes ex Patre: vt mutuam vicem reddas Matri, quæ pro tempore meis vberibus paui te; nunc deliciis Diuinitatis tuæ à te pascatur.* Preme illud: *Trahe me post te.* Nec enim postulat piissima Virgo, *Trahe me tecum*, sed *post te*, vt ascendente Domino, posset ipsa esse Mater Ecclesiæ. Ita Doctor: *Non petit cum Filio cœlum ascendere, dicens: Trahe me tecum, sed post te: quo charitatem suam ergà genus humanum manifestat. Licet enim multo tædio in terris afficiendam se sciret absente Filio, sua tamen commoda Ecclesiæ commodis postponebat: & nolebat adhuc rudi deesse sermonibus suis de mysterio Incarnationis vberiùs informandæ, & exemplis ad spiritualem excitandæ profectum.*

Intendebat Maria adhuc in via virtuti insudare, fidelésque ad suum exemplum allicere, priusquam ascenderet ad brauium.

76. Vt scilicet innumeris fidelibus comitata ad Filium auolaret post ditos exanthlatos labores, post vberiores in sanctitate profectus. Audi Alanum de Insul. *Sicut gloriosa Virgo desiderauit Christi aduentum in carnem: ita* omnibus votis optauit venire ad ipsum post Ascensionem: vt sicut cum Filio fuerat peregrina in terris, ita cum eodem regnaret *in cœlis.*

Alan. At *curremus*, inquit, *non ſtabimus delectatione in via mundi; curremus ben-operando, curremus per ſtadium, vt perueniamus ad brauium tracta, id eſt, imbuta fragrantia ſpiritualium donorum, quibus nos, ô Fili, ſpiritualiter vngis, quæ dicuntur tua, quia à te ſpecialiter data.*

77. *Mariæ ſtudiũ perfectionis hic eluceſcit.* Carthuſ.

Profectò Dionyſius Carthuſian. ad perfectionis ſtudium cui viatrix Deiparens ſtudebat, hæc verba aſſerit pertinere. *Quamvis*, inquit ille, *excellentiſſima Virgo fuerit ſublimiter confirmata in gratia, nihilominus fuit viatrix, & inceſſanter proficere poterat, ac profecit in omni virtute; & quò humilior erat, eò præcordialius omne bonum, omnem gratiam, ac profectum ſuum Deo adſcripſit, cuius pietati, ac gratia totaliter fuit innitens, orationibuſque inſiſtens. Ideò orans dixit: Trahe me poſt te, id eſt, tu Deus, Filius, & ſponſus meus præcordia animæ meæ indeſinenter allice, & applica tibi cum maiori perfectione, cum calidiori affectu, cum contemplatione ſublimiori. Præterea ſi B. Paulus, multique alij Sancti in hac vita deſiderauerunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto: quantò magis benedictiſſima, & ardentiſſima Virgo, præſertim poſt Filij ſui Aſcenſionem? ex tunc ergo locuta eſt: Trahe me poſt te, id eſt, ad Regnum gloriæ tuæ me transfer.* Adiicit, *Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Conſtat beatiſſimam hanc præ vniuerſis curſu profeciſſe celerrimo, & ſpiritualium odore chariſmatum indefeſſè ad totius fontem bonitatis adſpiraſſe, ac feſtinaſſe: atque ad imitandum eius veſtigia, ſuis orationibus, & exemplis innumerabiles exaltauit vtriuſque ſexus perſonas*, quas ſecum ad ſuperos eleuaret.

78. *Maria ingreditur & graditur cũ ſponſo Deo, Angeli, & homines poſt illã, & poſt illam.* Origen. Pſal. 44.

Origenes *hom.* 1. affirmat verba illa, *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus* ab Eccleſia, ſeu ab imitatoribus Deiparæ eſſe prolata, imò ab Angelica & humana natura. Vtraque enim eſt famula ac pediſequa Mariæ ſponſæ & Dominæ: *Adducentur Regi virgines*, ſeu Angelica & humana puritas *poſt eam.* Ipſa verò non poſt Chriſtum Regem, ſed cum illo graditur. *Poſt te*, inquiunt, *curremus. Quam pulchrè ſponſi pediſequa! nec dum fiduciam habent ſponſa. Sponſa* enim Maria *non poſt tergum ſequitur, ſed ingreditur iuncta lateri. Apprehendit dexteram ſponſi, & manus eius ſponſi dextera continentur. Famula ingrediuntur poſt eum*, & *poſt eam; vna enim*, ait ille, eſt *columba mea.* Quid pulchrius?

79. *Maria continet in ſe naturæ Angelicæ, & humanæ perfectiones, non quaſi vna, ſed quaſi plures perſona ſit.* Ambroſ.

Denique D. Ambroſius verba illa: *Trahe me*, ex plurium verſione ſic legit: *Trahe nos.* Si Virgini verba hæc tribuantur, mirum eſt, quòd perſona ſingularis, & indiuidua, ita maieſtatiuè de plurali loquatur, *Trahe nos.* Sed non miremur. Maria enim perſona eſt fœcundiſſima, in ſe continens eminenter omnes excellentiæ gradus naturæ humanæ & Angelicæ. Loquitur ergò vt multiplex virtualiter, & eminenter perſona, veluti omnium perfectiſſimarum creaturarum cœtus.

Verſ. IV.

Introduxit me Rex in cellaria ſua. Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum. Recti diligunt te.

80. *Suarum virtutũ fragrantiam Maria Deo largitorĩ grata tribuit.*

INtroduxit me Rex in cellaria ſua.*] Patriarcha Abraham quocumque loco à Deo beneficium accepit, illicò erigebat altare. Haud aliter Virgo non minus grata, quàm humilis, vt audiuit ſe à ſponſo laudari ex aromatum, ac vnguentorum fragrantia: nè quis putaret, hæc gratiarum odoramenta propria ſibi eſſe, & non ex cœleſti munificentia deriuata, vocem extollit, dictitans: *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, ſeu in intimos ſuæ munificentiæ theſauros. Vndè ſi aromatibus fragro, ſi in meorum vnguentorum odorem Deus currit: meo gratias ſponſo refero, qui me in ſua cellaria introductam redolentibus ſuorum aromatum deliciis oppleuit.

81. *Sola Maria ad intimum beneficiorum Dei penetrale eſt ingreſſa.*

Introduxit me. Vox eſt emphatica, cuiuſdam excellentiæ ſignificatiua; id eſt, *me ſolam*, *me* vnicè dilectam, *me* antè & ſuper omnes creaturas electam, *me* ad excellentiſſimum gradum exaltatam. *Me* ſolam introduxit ad priuilegiorum penetrale, ad quod nulla creatura ingrediendi habuit facultatem.

82. *A Rege infinitæ liberalitatis introducta Maria in cellaria ineffabilibus donis cumulata fuit.* Pſal. 44. Chryſoſt.

Introduxit me Rex, ſeu Deus. Pſalm. 44. *Dico opera mea Regi.* Siue Deo. Chryſoſtom. *Non dixit, cuinam Regi, ſignificans, ſe Deo dicere Regi vniuerſorum. Non dixit, Baſilei, ſed τῷ Baſilei.* Ideò Virgo ſub nomine Regis Deum inducit ſe ad intima gratiæ, & gloriæ penetralia introducentem. Quia Regis nomen præfefert liberalitatem, ita vt in ſacris *Rex* idem ſit ac *munificus.* Iſaias cap. 3. *Princeps digna Principe cogitabit.* Ex Hebræo alij, *Munificus digna munifico cogitabit.* Pſalm. 50. *Spiritu principali confirma me.* Hebr. *Spiritu liberali.* 3. Reg. 12. de Roboamo dicitur, *Areſacta*, ſeu contracta *eſt manus eius.* Poſtquam verò Prophetæ precibus extenſa eſt, & ſanitate donata, textus ait, *Reuerſa eſt manus Regis ad eum.* Quomodo manus Regis? An non quando Roboami manus areſacta erat, & contracta, Regis erat manus? cur ergo dicitur manus Regis, cum extenditur? Quia manus contracta, ſeu illiberalis haud propriè Regis manus dicitur. De Arauna Iebuſæo ditiſſimo agricola, inquit ſacer textus 2. Reg. *Dedit Arauna*, ſiue Orna *Rex Regi* Dauid quæcumque neceſſaria fuerunt ad ſacrificium offerendum in monte Moria pro peſte placanda. Porrò Arauna, ſeu Orna agricola erat, non Rex: quare Rex vocitatur? Certè quia erga Dauidem regiâ vſus fuerat munificentiâ. Sanctus Hildebertus Epiſcopus ad Regem liberalem, ait, *manum Regis melius donatiuo ſplendere, quàm ſceptro.* Dicit ergo Maria: *Introduxit me Rex in cellaria ſua*, & iuxta agnatam regiæ manui ineffabilem liberalitatem, me ineffabilibus muneribus cumulauit.

3 Reg. 3.

2. Reg. 5.

In

83. *Maria introducitur in cubiculum non vulgare, sed regium, vt ostendatur, prædiuitē extitisse.* Origen.

In cellaria sua, id est, in cellaria regia, se ait introductam, vt ostendat diuitiarum vim, quâ cubiculum opplebatur, quarum Maria futura erat particeps. Origines hom. 2. *Non nihil autem vacuum videtur, quod cùm potuisset dicere: Introduxit me sponsus meus, aut fraternus meus, nunc quia cubiculum dictura erat, Regis dixerit cubiculum, & non aliud nomen posuerit, in quo posset fortasse aliquis mediocris intelligi. Sed propterea arbitror, in his Regem nominasse, vt ostenderetur per hoc nomen prædiues cubiculum, vtpote regium multis, atque immensis opibus repletum.* Introducta ergò Maria in hoc regium cubiculum prædiues exiit.

84. *Dicitur Maria introducta non in cellarium, sed in cellaria, vt innuatur immensitas gratiæ, quam accepit.* Philip.

In cellaria sua. Non dixit in cellam, sed in cellaria, vt innuatur immensarum Regis diuitiarum abundantia, quibus à sponso Rege sæculorum fuit sponsa Deiparens donata. *Quem sponsa Maria* (ait Abbas Philippus) *non sponsum, non dilectum, sed Regem voluit nominare, volens, vt arbitror, potestatem sponsi regiam designare, opes, diuitias, omnem rerum plenitudinem commendare, quæ Regum præ cæteris inueniuntur cellaria redundare. Sponsus ergo Virginis non incongruè Rex vocatur, qui non cellarium, sed habere cellaria memoratur, & eius longè maior esse copia docetur. Quia enim in cellariis, quàm in cellario plura certum est contineri, in multa potiùs, quàm in vnum Virgo se perhibet introductam, inuenisséque, & absconditos gratiæ, sapientiæ, & scientiæ thesauros assecutam.*

85. *Maria non calice potatur, vti Angeli, & alij homines sancti, sed totius vinariæ cellæ abundantia fruitur.* Philip.

In hunc sensum expono illud Cant. 4. *Introduxit me in cellam vinariam.* In cellam, inquit, vbi vini omnis gratiæ omnium deliciarum cœlestum abundantia. Non in cratere, aut calice Mariæ vinum hoc propinatur vti Angelis, vti aliis perfectis hominibus, sed omnis vinariæ cellæ potitur abundantia & satietate. Ad hæc idem Philippus: *Nunc in cellam vinariam Virgo se perhibet introduci, vbi dono gratiæ incomparabili, tanquam vini abundantiâ inebriatur; si enim iustos quoslibet quàm præclarus ille calix inebriat, cuius meriti Virginem æstimamus, in cuius vtero Deus se abscondit, cui gratius introductæ tota cella vinaria se effundit. Cui non calix angustior, non sapientia vinum miscuit in cratere, sed cella redundans, domus vinaria diffusam protulit vbertatem. Ad ipsam* Rex munificentissimus *munuscula non manu auara produxit, sed illam intra sui arcana sanctuarij gratius introduxit.*

86. *Omnes Diui foris potantur gratiæ mero, Maria in cellam gratiæ admittitur.* Guillelm.

Introduxit me. Cuncti alij Diui foris existunt potandi hoc cœlesti cœlestium donorum mero: sola Maria ad cellam sine mensura haustura vinum introducitur. Guillelm. Paruus. *Non propinauit illi sponsus vinum de cella tantum vt cæteris, quibus foris propinatur de plenitudine; sed specialiter admisit ad ipsam plenitudinem, vt abundantiùs repleretur.*

87. *Omnes Diui accipiunt de Christi plenitudine. Maria ipsam plenitudinem accipit.* Guillelm.

Ioannes c. 1. inquit, *De plenitudine eius omnes accepimus.* Non plenitudinem, sed de plenitudine. At Maria accipiens sinu ipsam plenitudinem, id est Dei Filium, totâ plenitudine fuit potata. Reliqui Diui de plenitudine craterem plenum hausêre, Maria Christum plenitudinis vas ipsum epotauit. Bellè Guillelm. *Non habuit Maria plenitudinem propriam, sed de plenitudine sponsi pleniùs, quàm cæteri accepit, eo ipso quòd genuit eum, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Vas plenitudinis est solus Filius, de cuius plenitudine nos omnes accepimus; sed præ participibus suis pia Mater concipiendo, & pariendo vas plenitudinis, in ipsam cellam introducta fuit.*

Ex cellariis hisce, seu ex gratiæ officina accepit Maria gratiam, quâ *plena* esset, & quæ in nos omnes redundaret. *Factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ, & erat Mater Iesu ibi.* Ioan. 2. Deficiente autem vino, Maria ait: *Vinum non habent*: Cui Dominus. *Quid mihi & tibi est mulier: nondum venit hora mea.* Ad quæ Rupert. *Ventum est ad nuptias, vbi aquam in vinum conuertit. Dixit mihi. Quid mihi & tibi est mulier? Dixeram enim ego illi: Vinum non habent. Et quidem verum erat, quia vinum non habebant, non solum sicut litera sonat, defecisse vinum; sed quia defecerat in omnibus nuptiis huius sæculi per peccatum primi hominis vinum gratiæ. De huiusmodi vino maior illi*, id est, Mariæ *cura erat: sed nondum venit* ait Iesus, *hora mea*, horâ propinandi hoc vinum, *seu redimendi* homines. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Opus Dei tuis affectibus præponendum est. Ergo Mariæ affectus erat, vt mundus redimeretur illicò. At Christus eam in cœlestis meri cellam tunc introduxit, vt sibi, & nobis omnibus vinum redemptionis hauriret. Vnde concludit Doctor. *His verbis: Nondum venit hora mea, introduxit me in cellam vinariam.* Quàm debitores sumus Mariæ, cuius affectus erat, vt redemptionis beneficium non differretur. 88. *Maria introducitur in cellam vinariam, vt redemptionis, seu sanguinis Iesu merum sibi, & cunctis nobis hauriret.* Ioan. 2. Rupert.

In cellaria sua. Quid si per hanc in Regis cellaria introductioné innuatur, Deiparam adhuc superstitem diuinæ essentiæ visione fuisse potitam? Origines hom. 1. ex 4. innuit D. Paulum hoc fuisse donatum priuilegio. *Prope hoc*, inquit, *cubiculum, seu cellaria omninò mihi vis detur fuisse & illum, qui dixit, se raptum esse vsque ad tertium cœlum, & inde in paradisum.* Contestatur Ambrosius, & alij idem priuilegium Moysi adscribentes. Hinc arguit Dionysius Carthus. *Ex scripturis sacris elicitur, quòd Paulus, & Moyses Deum in hac vita per speciem clarè & immediatè viderunt. At piè censetur, quod sancta Virgo fuit præ cæteris priuilegiata, ita quòd Rex, ac Filius eius diuitias gloriæ suæ, ac gloriam diuitiarum suarum clariùs, iucundiùs, ac eminentiùs demonstrauerit suæ fœlicissimæ, ac præclarissimæ Genitrici, quàm alicui cæterorum, sicque per contemplationem introduxerit eam in cellaria sua, in secreta, & abdita sapientiæ suæ, in mansiones cœlestes.* 89. *Adhuc viuens Maria diuinæ essentiæ visione potita fuit.* Origen. Ambros. Carthus.

Porrò Alanus contemplatur ipsam Virginem esse cellarium thesaurorum Dei. *Per cellaria*, inquit, *intelligitur repositio thesaurorum sapientiæ, & scientiæ Dei. Sicut enim in cellario reponuntur seruanda: sic apud gloriosam Virginem tanquam spirituale cellarium sunt secreta sapientiæ, & scientiæ Dei.* Quæsierim igitur, in quæ cellaria se Deipara asserit introductam, si ipsa cellarium est? Certè in se ipsam. Nam in se ipsa inueniet sanctorum, & thesaurorum Dei repositorium. Quod quidem humilitatis affectu Deipara ignorabat. Dum itaque dicit, se introductam in Dei cellaria, asserit, à sponso dignouisse, se verum thesaurorum Dei esse cellarium. 90. *Maria est cellarium ipsum thesaurorum Dei, in quod se asserit introductam.* Alan.

At Guillelmus Abbas de gloria, qua Deipara donatur in superis, locum exposuit. *Rex mihi gratiam pro gratia reddidit. Ego promptâ fide, hilarique desiderio eum olim introduxi in cubiculum mei vteri: eúmque iam incarnatum, &* 91. *Immensa Mariæ gloria cœlestis.* Guillelm.

natum piis brachiis ſæpè ſuſpendi ad vbera mea. Porrò ipſe reuerſus in Regnum non fuit meorum immemor officiorum, ſed aſſumptam de terris, introducit me in cœleſtia cellaria ſua inebriandam vino iucunditatis ſuæ: officioſiſſimam olim nutricem carnis ſuæ, fœlici nunc viciſſitudine remunerat in deliciis diuinitatis ſuæ.

92. *Cõtemplationis exercitiũ, cui Maria vacabat.* Alan.

Alanus denique ad contemplationis exercitium, cui frequenter Maria vacabat, locum accommodat. *Per cellaria intelligitur mentis exceſſus, quo Virgo ad cœleſtium contemplationem rapiebatur, ab amore terrenorum ſuſpenſa. Ex hac, & in hac ei ſpiritualia vina, id eſt, arcana cœleſtia propinabantur, quæ animam ebriam faciunt.*

93. *Mariæ exultatio, & lætitia beatiſſimæ Trinitatis.* Luc. 2.

Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum ſuper vinum. Introductio Mariæ in cellaria diuina, & eius electio, vt Mater Dei fieret, fuit ineffabile beneficium, quo accepto deberet Virgo exultare, & lætari in Deo largitore, vt aliquando cecinit, *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Luc. 2. At quid ſibi vult, quod beatiſſima Trinitas hîc proclamet, *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum*, quaſi eſſe Mariam Dei Matrem fuerit quodammodo beneficium eius in Deum collatum? Certè hinc colligere licet, ad quantam excellentiam Virgo fuerit eleuata, vt Deus de eius priuilegiis lætetur, ac ſi ad illum pertineat magis Mariæ honor, quàm ad ipſam tot beneficiis oneratam; & vt quodammodo obiectum beatitudinis, & fruitionis beatiſſimæ Trinitatis. Quid mirum, quod Mariam ſæpè Angelorum gaudium, totiuſque Empyrei cœli lætitiam vocitemus, ſi illam ipſa Trinitas ſuam exultationem ac iubilum appellat?

96. *Tot quodammodò dat motiua lætitiæ Maria Deo, quot Chriſtus.*

Mat. 3.
Matth. 12.

Hæc iteratio verborum *Exultabimus, & lætabimur in te*, mirabilem continet proportionem, cùm alia ferè ſimili replicatione verborum, quibus æternus Pater ſibi de Chriſto Domino complacere oſtendit. In Iordane inclamat. *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* In Thabor autem. *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Matth. cap. 3. & cap. 12. Hic autem Deus ſibi complacens in Maria, bis profatur, *Exultabimus, & lætabimur in te.* O Mariæ ineffabilis excellentia! quæ Deo quodammodo tot dat motiua lætitiæ, quot Chriſtus verus dilectiſſimúſque Dei Filius. Hâc exaggeratione Mariæ puritas mira oſtentatur.

97. *Lætamur in Maria vberibus, ob immenſam pietatem ex his in nos profluẽtem.* Richard.

Memores vberum tuorum ſuper vinum.] Exultamus etiam homines, exultamúſque in Maria, eorum vberum, queis lactatus eſt Dominus memores, & eius pietatis vberum experites. Ait Richardus de Sancto Laurentio lib. 11. de laud. Virg. *Ideo ô Virgo, homines te diligunt*, & in te lætantur, *quia in memoria ſua fixum gerunt, quod meliora ſunt vbera tua ſuper vinum. Nam te mediante forma diuina ſpontè venit ad hominem deformatum, gratia gratis ad gratiæ ingratum, medicina non rogata vltrò venit ad ægrotum, virtus ad infirmum, ſapientia ad fatuum, ſanctificatio ad immundum, veritas ad mendacem, pietas ad immiſericordem, pax ad rebellem, miſericordia ad impium, iuſtitia ad iniuſtum; non vt eum ſecundum ſuam iuſtitiam iudicaret, & damnaret, ſed vt eum à ſua iniuſtitia iuſtificaret.* A Mariæ vberibus omnia hæc profluxêre bona; quid mirum, ſi vberum memores lætemur, & exultemus?

98. *Beatiſſimã Trinitas de Mariæ elogiis commentaria ſe edituram affirmat.*

Loco horum verborum, *Memores vberum tuorum*, alij apud Legionenſem legunt, *Commentabimur vbera tua.* Cùm autem ex ſuperioribus conſtat, hæc verba beatiſſimæ Trinitati adſcribenda eſſe, conſtat, quantam excellentiam Mariæ vbera contineant, ſi ipſa Trinitas ſe editura commentaria & tractatus de eius elogiis polliceatur. Et quidem Maria à Deo ſolùm poteſt dignè laudari. Hinc de laudibus Virginis ſcriptores gaudio geſtiant, quod datum eſt ex hoc eis beatiſſimæ Trinitatis eſſe imitatores.

Scriptores de laudibus Mariæ beatiſſimã Trinitatem imitantur.

99. *Eliſabeth & Ioannes exultant in conſpectu Mariæ vt Dei Matre.* Rupert. Luc. 1.

Rupertus contemplatur hæc verba, *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum*, ſeu videntes te eſſe Dei Matrem, quaſi dictã ab Eliſabetha excipiente Mariam Euæ matris hominum correctionem. *Ecce facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gaudio in vtero meo. Nonne hoc erat dicere, Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum? Iam enim incipimus ego, & infans in vtero meo exultare. Ex hoc & nos, & qui venturi ſunt poſt nos, exultabimus, & lætabimur in te, & cantabimus, dicentes; Eua nos fecit plorare, Maria nos fecit exultare.*

100. *Maria totam huius lætitiæ cauſam ſoli Deo tribuit, humili affectu.* Guillelm.

Guillelmus autem adoleſcentulis accommodat verba hæc, ſimul & Virgini. *Nonne* (ait Maria) *meritò ego, & quotquot mecum introducuntur exultabimus & lætabimur in te*, ô Fili, *propter te, & per te introducti & compotes facti deſiderij noſtri.* Tanta Mariæ humilitas, vt cupiat mundi exultationem ex Verbi Incarnatione omnino tribui ipſi Filio, quaſi in ea nihil adſit, è quo noſtra effluat exultatio. Conſonat Dionyſius Carthuſ. *Hoc Virgo glorificanda in perſona ſua, & ſpiritualium filiarum ſuarum perfectarum locuta eſt, quæ in ſponſo gloriatæ ſunt vehementer, & ipſa potiſſimè, quæ tam pacificè, tam familiariter cum ipſo conuerſata eſt in terris.*

Carthuſ.

101. *Virginis amatores debent ſpeciali iure de eius meritis, & dotibus exultare.* Carthuſ.

Ego autem crediderim, ſententiam hanc his eſſe tribuendam, qui ſpeciali in Deiparam feruntur affectu. Hi enim peculiari iure debent de illius dotibus, priuilegiis ac gloria exultare. Appoſitè Dionyſius. *Iſtud quoque in perſona proficientium* in amore Deiparæ *animarum ſacratiſſimam Virginem alloquentium poteſt exponi. Quæ valdè exultant, & gloriantur in ea tanquam in pulcherrima, præſtantiſſima, piiſſima, & optima Domina.* Id eſt, qui in Mariæ deuotione, & obſequio proficiunt, exultant, quòd ipſa ſit pulcherrima, præſtantiſſima, piiſſima, & optima omnium creaturarum.

102. *Lactaſſe Mariã Dei Filiũ materiam dat illuſtrimo encomio: quid cum peperiſſe?* Rupert.

Equidem ſolùm Dei Filium lactaſſe Mariam, materia eſt præſtantiſſimi elogij, cuius memoria eius deuoti gaudent: Rupertus. *Hæc eſt*, ait, *& erit materia, vel cauſa exultationis, & lætitia noſtra in te, memoria vberum tuorum, quia virgineis vberibus lactaſſe prædicaberis eum, qui creauit te. Et ſi aliud quid myſticum per vbera rectè poteſt intelligi. Attamen cauſa iſta cunctis erit amabilis, quia is, qui Angelos ſua dulcedine viſionis paſcit, tua ô felix Virgo, vbera ſuxit. Huius rei memores ſuper vinum, id eſt, ſuper omne, quod in hoc ſæculo dulce videtur, aut iucundum, diligunt te.* Si quia lactauit Dei Filium, tanta memoria, tam illuſtri elogio, tanto amore

amore digna est Maria, quid quia nobis peperit saluatorem?

103. *Vinum tribulationũ mixtũ lacte Mariæ dulcescit, & hauriri potest.* Psalm 59. Guillem.

Memores vberum tuorum super vinum. Dixit Dauid. *Potasti nos vino compunctionis.* Psal. 59. id est in lacrymarum valle hac multis nos tribulationibus ô Domine agitasti. Certè vinum hoc minime à nobis epotari posset nisi *super* id vberum Mariæ lac effunderetur. Bellè Abbas Guillelmus. *Vbera Virginis sunt effusa super vinum afflictionum vitæ huius, de quo vino scriptum est: Potasti nos vino compunctionis. De hoc vino myrrhato, & quasi cum feble mixto Deus suos ad tempus potari dispensatoriè permittit. Quod vtique nisi cum lacte vberum Virginis misceretur, præ sua amaritudine vel non nisi cum magna difficultate gustaretur.*

104. *Castitas & humilitas duo sunt Mariæ vbera à nobis sugenda.* Honor.

Honorius Augustod. *Vbera,* inquit, *Mariæ fuerunt castitas & humilitas. In his delectatur iustorum societas super vinum, hoc est, super humanam gloriam.* Spirituales ergo Mariæ filij, qui eius pascuntur vberibus castitate, & humilitate specialissimè nitent. Vti enim cecinit Periander. *In sugentis moribus lactis puritas elucescit.*

105. *Spiritualia, & corporalia Mariæ vbera commendantur.* Carthus.

Dionysius demum spiritualia, & corporalia Virginis vbera sic commendat: *Iugiter reminisci debent animæ nostræ spiritualium vberum Virginis benedictæ, id est, totius charitatis, & misericordiæ eius erga nos, quibus animas nostras tanquam benignissima Mater dulciter fouet. Sed & corporalium vberum eius, debemus purè, frequenter, ac delectabiliter memorari. Nonne enim suauissima sunt vbera illius ad contemplationem, quæ Regem gloriæ nutrierunt, quæ vniuersæ fœcunditatis fonti alimoniam influxerunt, & corpus illud dignissimum, quo sumus redempti, sic alere, & ad incrementum perducere sunt electa? O vbera fœcundissima! O pulcherrimi fontes, ex quibus lactei riui in os, ac corpusculum adorandi Infantuli profluxerunt?*

166. *Qui recti sunt soli verè Mariam diligunt: & soli qui illam diligunt, sunt recti.* Guillelm. Honor. Rupert.

Recti diligunt te.] Nyssenus, Theodoretus, Guillelmus, Honorius, Rupertus, Hailgrinus volunt, hæc ab adolescentulis in laudem Virginis decantari, hanc quidem veritatem proferentibus. *Soli illi, qui recti sunt Mariam diligunt: & soli, qui illam diligunt, sunt recti.* Vnde signum perspicuum est, aliquem esse rectum, seu in gratia existere, si pio affectu in Deiparam feratur: & è contrario arguitur probabiliter eum non esse rectum, qui à Virginis dilectione obliuiosus omninò recedit.

107. *Diligenda est Maria propter ipsã non ob commoda nostra.* Guillelm.

Diligenda autem Maria est propter se ipsam, non ob commoda ab huiusmodi dilectione profluentia. Hæc enim amoris in Virginem rectitudo. Guillelmus. *Recti soli veniunt ad te. Porrò eos, qui diligunt lac tuum, & non te* (hoc est, amant te propter se, & commoda sua: non propter te, & honorem tuum) *repelles ab vberibus consolationis tuæ. Recti soli,* ait, *id est, illi soli recti,* seu via recta *veniunt ad te,* qui te propter te diligunt, non propter commoda à te recipienda.

108. *Qui Mariam non diligit, seipsum minimè amat.* Guillelm.

Qui *recti* non sunt, ita à rationis recta via recedunt, vt se ipsos non diligant, & ideò tuæ ô Virgo, dilectioni studium non impendunt. Noster Martinus Delrio in hunc sensum ex Guillelmo profatur. *Non omnes diligunt te, quia nec omnes se diligunt. Nam si diligerent te, diligerent vtique se ipsos, & accurrerent ad vbera tua. Qui sibi nequam, cui bonus? Nunc autem diligendo iniquitatem, oderunt animas suas. Itaque rectè soli, & se prius per odium iniquitatis diligentes, diligunt te.* Vnde colliges, eos, qui peccato inficiuntur se minimè diligere, mentirique dicentes, se Mariam diligere.

109. *Solus Deus, qui est ipsa rectitudo, & agnoscit Mariam etiam rectitudinem esse eam dignè diligit.* Deut. 32. Rupert.

Rupertus verò loco particulari, *Recti diligunt te,* legit, *Rectitudo ipsa te diligit.* An non Deus est per anthonomasiam ipsa rectitudo? Deut. 32. *Rectus Dominus Deus noster.* Fatur itaque Abbas. *Quia iuxta Prophetam rectus Dominus Deus noster, & in eo iniquitas non habetur grato vultu æquitatem Virginis intuetur is, cuius æquitati conuenit rectitudo. Et ipsa etiam Virgo in scripturis ob hoc virga rectitudinis appellatur.* Solus itaque Deus qui rectitudo ipsa est, & agnoscit verè Virginis rectitudinem, dignè Mariam diligit.

110. *Vera dilectionis in Virginem rectus Ioannes documentum dedit vitia fugiens, virtutem sectando.* Rupert.

Dei equidem imitator fuit Ioannes Baptista rectitudine florens, qui quidem veræ dilectionis erga Virginem exhibuit exemplum. Idem Rupertus. *Recti diligunt te. Rectorum illorum primus est, & erit Infans iste* (ait Elisabeth,) *qui à voce salutationis tuæ, quá salutasti me, iam exultauit gaudio in vtero meo. Iam cœpit exultare, & lætari in te: & exultare non desinet memor vberum tuorum super vinum. Id est, omne sæculum respuens, & carnalis voluptatis commercium, virum se dedicans virgineum Deo propter vberum tuorum lac dulcissimum.* En verè dilectionis in Virginem documentum à vitiis fugere, virtutem sectari.

111. *Fructus vber dilectionis in Mariam est, obiectum dignissimum amore dilexisse.* Carthus.

Tam puræ tam rectæ dilectionis in Mariam quæso fructus recenseas. Recensebo. Primus est, quia rectis est Deipara tam dulcis, tam pia, vt solùm eam amare, vber sit fructus dilectionis. Dionysius Carthus. *Recti diligunt te ô amabilissima sponsa, celeberrima Virgo, Deificatissima Mater. Quia tota equidem bona, pia, dulcis, speciosa, amabilis, nec quidquam seueritatis inuenitur in te.* Præmium planè dilectionis veræ est, obiectum apprimè amabile dilexisse.

112. *Diligẽdo Mariam, possumus Dei Matres effici.* Matth. 12. Rupert.

Secundus fructus est, quia diligendo Mariam Dei Matrem, nos possumus & Dei Matres exurgere. Dominus ait. Quicumque Patris mei gesserit voluntatem, *ipse meus frater, & Mater est.* Matth. 12. Rupert. ad hæc. *Diligendo ergo in te, quòd Mater sis Dei fidelis anima, & ipsa Mater fit. Ipse enim inquit: Meus frater, & Mater est, quicumque fecerit voluntatem Patris mei.* An non Patris æterni affectuosa est voluntas, vt Filiam suam. Verbi Matrem, Spiritus sancti sponsam piè admodum diligamus?

113. *Abundantia virtutum fructus est Virginem diligendi.* Psal. 121. Rupert.

Tertius fructus est virtutum abundantia ex ipsa in Virginem dilectione profluente. *Rogate* (cecinit Dauid) *quæ ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te.* Psalm. 121. Rupertus asserit Mariam Ierosolymam esse, quam qui dilexerint, abundantiâ cœlestium bonorum opplebuntur. *Quis,* inquit, *fructus dilectionis huius? quæ merces? aut quod præmium? Equidem abundantia.* Dicit enim Spiritus sanctus in Psalmo. *Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem, & abundantia diligentibus te.* Cuius rei abundantia ô sancta Ierusalem *Maria,* nisi quod diligitur in te, nempe virtutum exercitamentum. *Tale est bonum tuum, bonum videlicet à Deo datum, vt quisque diligendo te possit, & faciat esse suum.* Ex ipso autem amore (ex gr.) fidei, spei, & charitatis virtutes exercemus. *Non ergò paruú*

præ

pro premio habendo fidem, recti sumus; habendo spem memores sumus; habendo charitatem, te diligimus.

Vers. V.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem: sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

114. *Maria nigra apparebat ex tumente vtero; sed vere formosa erat ex virginitatis integritate.* Rupert.

Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem.] Rupertus hæc verba exponit de turbatione D. Iosephi, cum tumere Virginis vterum aspectauit. *Ioseph vir eius, cui desponsata erat, quoniam inuenit eam in vtero habentem, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, volebat occultè dimittere eam. Ergò in oculis erat nigra. At illa dicere poterat, & veraciter dicit: Nigra sum, sed formosa: nec in specie, in qua videbar pregnans, inuenta sum; sed formosa, id est saluâ virginitate de Spiritu sancto impregnata.* O quoties mens ex oculorum aspectu seducitur!

115. *Maria inter tribulationum fœditatè admodum pulchra.* Philip.

Philippus Abbas de laboribus & tribulationibus, queis Maria hic fuit agitata, hanc sententiam exposuit. *Nigredo*, ait, *quæ Virginis decorem turpat, vita est præsentis aduersitas. Nigra est igitur Virgo, cùm sentit se molestiis temporalibus affligi: cùm eum, quem diligit, videt ab irrisoribus crucifigi. Nigra est Mater, cùm suam carnem, quam non vitio diligit, sed natura, in Filio dura morte premi conspicit immatura.*

116. *Sufferendo patienter labores Maria pulcherrimo Dei Filio assimilatur.* Cant 5. Philip.

Formosam autem simul se esse proclamat, quia sufferendo labores pulcherrimo Filio assimilatur. *Coma eius* (fatur sponsa) *sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* Cant. 5. Cur nigredinis fœditatem cum aureo palmarum colore coninnxit? Certè quia Christus ex laboribus, quibus afflictabatur niger apparebat, cùm vera esset pulchritudo. Abbas Philippus. *In molestiis temporalibus sufferendis liberum se esse Christus noluit, sed sicut cæteris, sic sponsæ Matri exemplum se præbuit. Infra* enim *in hoc Epithalamio de ipso sponso sponsa dicit: Coma eius nigra quasi coruus. Quia ergo ille vt coruus fuscatur, & nigrescit: nigram se quoque fateri Virgo non erubescit.*

117. *Luna Maria cum Sol Christus fit niger, sanguine atro tingitur.* Apoc 6. Guillelm.

Apoc. 6. Ioannes fatur, *Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis.* Cum Luna Maria videt, solem suum nigro sacco operiri, perfectissima eius æmulatrix atro sanguine intingitur. Gislerius ad hæc: *Nigra sum nunc, quia oportet me cum Filio despecto despici, & cum reputato leproso leprosa reputari. Ille iuxta Prophetam Sol meus nunc factus niger quasi saccus cilicinus in oculis vestris, & cui non est species, & decor: me Lunæ quoque decet illi conformari, & pullo atroque reorum habitu assimilari.*

118. *Maria paupertate, & despectu Maternitatis Dei thesaurum operiebat.* Hailgr.

Alij referunt hanc sententiam, *Nigra sum, sed formosa* ad externam Deiparæ paupertatem, & despectum, quo maternitatis Dei thesaurum operiebat. Hailgrinus Card. *Nigra sum in apparentia, & despecta*, vt inopia laborans: *Sed formosa in veritatis existentia tanquam Dei genitrix gloriosa.* Honorius. *Nigra quidem sum, nata de pauperibus; sed formosa*, enitens Principem cœlestium diuitiarum.

119. *Maria ob vteri tumorem D. Iosepho eiicienda apparet: tum esset omni puritate, ac virtute ornata.* Richard.

Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.] Cedar filius fuit Ismaëlis Abrahæ filij ex ancilla Agar originem ducens. Vndè *Cedaristæ* fuere populi quidam gentiles ex Ismaële, seu Cedar progeniti, in morem fratris semper in agris habitantes, velut exules, in tabernaculis ex pecudum pellibus confectis. *Pelles* verò *Salomonis* dicuntur pretiosæ animalium pelles, quibus pro cultu regio exornabatur, suauissimisque erant conditæ aromatibus. Richardus de S. Laurent. *lib.* 5. locum de D. Iosephi sponsæ Deiparæ suspicione interpretatur. Ac si Maria inclamitet: *O filiæ Ierusalem, seu quæ ad pacem Ierusalem cœlestis suspiratis: nigra sum, id est notata quodammodo ob vteri tumorem crimine adulterij mihi falsò obiecti: & ita sum sicut tabernacula Cedar, id est eiicienda à viro meo Ioseph de domo sua, sicut Ismaël pater Cedar cum matre Agar eiectus est de domo Abrahæ, Gen. 21. Sed licet nigra videar exterius, tamen formosa sum interius, quia carens omni macula, & omni virtute adornata, sicut pelles Salomonis Hyacintinæ, & rubricatæ.*

120. *Externa Mariæ abiectio, interius omni perfectione exundantis.* Richard.

Idem Pater de externa abiectione Mariæ interius omni perfectione exundante locum ait esse intelligendum. *Cedar* (ait inibi) *interpretatur nigredo, quia in tabernaculis habitabat eiectus ab omnibus. Sic Maria abiecta ab hæreticis reputatur. Sed licet nigra videatur exterius, tamen formosa est interius, quia carens omni maculâ sicut pelles Salomonis, quæ molles sunt, fortes, excarnatæ, & extenuatæ. Et talis erat Maria fortis patientiâ, mollis obedientia, ab omni carnis voluptate separata per virginitatem, & per paupertatem, & humilitatem extenuata.*

121. *Maria in molestiarum huius vitæ nigredine ad Dei placitum viuebat spiritu.* Philip.

Virginem in molestiarum vitæ huius nigredine, eam omninò quasi carne exutam, & viuentem Spiritu ad Dei placitum contemplari voluerim, Philippum Abbatem patronum habens, qui scripsit. *Tabernacula non domus stabiles, sed casæ mobiles appellantur. Virgo sicut tabernacula Cedar nigram non incongruè se fatetur; quia vitæ huius conditio, cuius adhuc vinculis detinebatur, multum quidem molesta fumo, vel nubilo tenebrescit: cuius tamen tenebricosa amaritudo statu mansorio non fundatur. At formosa dicitur sicut pelles Salomonis. Nam ab iis, quæ sunt carnis forti rasorio separatur. Dum eam summus ille Opifex ab affectu detractam corporeo, spirituali suo beneplacito sic aptauit, sic perunctam oleo gratiæ ad omnia, quæ digna fuerunt, informauit, vt nulla rebellio haberetur in ea, sed instar pellis, ad obediendum habilis per omnia redderetur.*

122. *Maria cœlum sicut pellis facilis ad obedientiam exponitur.* Psal. 103. Philip.

Formosa *sicut pelles Salomonis.* Hinc perfectissima Deiparentis obedientia prædicatur. Canebat Dauid, *Extendit cœlum sicut pellem.* Psal. 103. Quomodo cœlum è solidissima materia efformatum potest sicut pellis suauissima extendi? Certè Maria cœlum est, ex virtutibus solidissimum; quod tamen ad diuinæ voluntatis executionem tanquam gracilis pellis ostenratur. Philippus idem sic: *Quis dignius, quis conuenientius potest cœlum appellari, quàm Virgo, quæ meruit tot virtutum soliditate, tot syderibus adornari? Quod cœlum sicut pellem legitur extendisse, in quo agilem illius obedientiam videtur commendasse. Quia Virgo, quæ cœlo comparabilis, imò supra cœlum commendabilis existimatur, in nullo vel ad modicum imperantis*

rantis beneplacito reluctatur. *Virginem sicut pellem ad omne suum libitum informauit.*

123. *Nigra apparet Maria suspicanti sponso, sed simul pulcherrima sicut pellis Salomonis, non sicut ipse Salomon.* Rupert. Rupertus autem suspicionis D. Iosephi memor circa Mariæ ingrauidationem, ex ore Virginis profatur: *Ego nigra eram sicut tabernacula Cedar. Sicut enim Ismaël, ad quem pertinet Cedar, fuit eiectus cum matre sua: ita & ego videbar eiicienda, ita vt vir meus nollet me traducere, sed vellet occultè dimittere. At formosa sum sicut pellis Salomonis.* Cur verò non dixit, sicut Salomon, qui pulcher valde fuit? Respondet Abbas: *Non dixit sicut Salomon, sed sicut pellis Salomonis, quia semper formosa pellis Salomonis, seu omnis exterior cultus, in quo omnes Reges superauit: sed non ipse Salomon formosus intus in animo semper fuit. Intus enim deformitates habuit.* Maria autem comparanda est rebus, quæ certissimè, ac semper bonæ ac pulchræ sunt, non eis, in quibus mali suspicio inesse possit.

124. *Mariæ matris communis reputata Maternitas Dei Salomonis pellibus operitur.* Hailgr. Eleganter Hailgrinus reputans Salomonis pelles esse hîc, quæ Tabernaculum tegebant, locum in elogia Virginis interpretatur. *Non reputor* (ait Maria) *Tabernaculum Regis iustitiæ, sed sicut cæteræ matres, quarum ventres tabernacula sunt filiorum mœroris & tenebrarum: reputata sum sicut tabernacula Cedar, quod interpretatur tenebræ vel mœror. Verumtamen ego formosa sum sicut pelles Salomonis: sicut pelles dedicatæ vero Salomoni Christo. Nam sicut illæ pelles arcam typicam continuerunt; sic ego intra viscera mea arcam veram continui Christum, cuius caro significatur per arcam, cuius anima designatur per vrnam auream, quæ erat in arca, & Deitas designatur in manna.*

125. *Protectio Mariæ erga Ecclesiam.* Halgrin. Signatur etiam hîc, ex mente Cardinalis, erga Ecclesiam Deiparæ protectio. *Sicut pelles* (adiicit ille) *protegebant totum Tabernaculum, sic sub vmbra meæ protectionis defendo totam Ecclesiam.*

126. *Cõpassio Mariæ in Filij passione, & contemplatio.* Hailgr. Adhuc idem Hailgrinus asserit in his pellibus Mariæ compassionem in Filij passione, & eiusdem contemplationem denotari. Ego quidem similis sum pelli rubricatæ, quia per compassionem doloris tincta sum in passione Filij; similis quoque pelli hyacinthinæ contemplatione, & amore cœlestium.

127. *Maria ab iniquis fœda reputatur, cum ipsius Filij Dei referat pulchritudinem.* Carthus. Demùm Carthusianus, sic locum expendit: *A persecutoribus, & crucifixoribus tui Filij pretiosissimi reputabaris vilis, deformis, sicut tabernacula Cedar, videlicet, vt seductoris Mater infœlix: cùm esses pulchra in anima, instar pellium Salomonis, & cœliformi pulchritudine perornata, assimilata decori veri pacifici, qui extendit cœlum sicut pellem.*

* *
*

Vers. VI.

Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me; posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodiui.

Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me sol,] per illam sponsi mei Iosephi suspicionem candidum puritatis colorem in atrum externè conuertens, ad maiorem meæ puritatis commendationem. Richard. Laurent. lib. 5. de laud. Mar. *Nolite me considerare, quod fusca verè sim ideò, quòd sol iustitiæ me decolorauit*, seu agnato candore priuârit externè. Quasi dicat, non habeatis ad talem Iosephi suspicionem respectum, quia sol iustitiæ sic me exteriùs per talem suspicionem decolorauit, quando ipsum concepi: sed intùs plurimum colorauit, sicut sol materialis quosdam fructus decolorat pallore, quosdam rubidine venustat. Imò & exterius postmodùm per admonitionem Angeli colorauit. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Luc.2. 128. *Ob Iosephi suspicionem Maria exterius decolorata est, sed interius colorata.* Richard.

Hoc argumentum Rupertus eleganter insequitur. *Nolite filiæ Ierusalem, considerare me, quòd fusca sim, id est, corrupta; quia quòd tumentem vterum habeo, quod inuenta sum in vtero habens, non fecit vir, quia virum non cognosco: sed ita decolorauit me sol. Verus sol, & Deus sole longè pulchrior semetipso me impleuit, de semetipso vterum meum tumentem reddidit. Hoccine est decolorari? Non apud vos filiæ Ierusalem, quæ habetis oculum simplicem: sed apud superborum cogitationes, quorum nequam est oculus. Non erat nequam oculus Ioseph, sed quandam excusabilem ignorantiæ nebulam habens, citò purgatus est, dicente sibi Angelo Domini, quod sanâ cute decolorata essem, quam non flamma ignis deorsùm, sed desuper sol decolorauit; quòd saluâ virginitate grauida essem: quam non vir terrenus, sed Pater cœlestis de Spiritu sancto grauidam fecit.* 129. *Nequam oculus est qui iudicat, in Maria aliquid verè esse decolorum.* Rupert. *Oculus simplex nil potest non pulchrum de Maria cogitare.*

Philippus Abbas hanc solis decolorationem affirmat esse labores, queis in præsenti Virgo affligebatur nostræ mortalitati communes: vnde vna è nobis apparebat, obuelata Matris Dei pulchritudine. *Quòd nigra sum, quòd mœsta sum, quòd me circumuolat nebula momentaneæ læsionis, quod ad animam vsque intrant aquæ, & pertransit gladius passionis* humanæ: *ille fecit verus sol, ille faciei meæ huiusmodi fucum, vel nigredinē superduxit.* An ideò eidem vero soli iustitiæ fœda intùs apparuit? Absit: *Sicut enim virgo prudenter auida speciei augendæ, nonnunquam superponit vitam, aut velum faciei, vt sub velamine pulchritudo proficiat concupita: & amator illius non contemnit virginem, eò quòd facies eius sit cooperta, sciens, quod velamen illud est ad horam: & eo sublato postmodùm complacitiùs elucescit: sic & ego nigra sum, cuiusdam velaminis fuco obuoluta, & dum carne viuo, nondum à molestiis penitùs absoluta: quia meus ille sol*, magis sic illi pulchram, *in huius adhuc noctis gurgustio vult me esse.* 130. *Voluit Deus Mariam decolorari laboribus.* *Maria laboribus quasi decolorata Deo sponso pulchrior apparet.*

Guillelmus autem hæc refert ad affectum doloris 131.

Sole iustitiæ eclypsim patiente, eclypsim Luna Maria patitur.

doloris, quo Maria in morte Iesu afficiebatur. Dum enim Sol eclypsim patitur obscuratus, Luna sanguine tingitur. *Fusca* (ait) *fuit Maria, dum morienti Filio adstitit dolorosa; & obnubilato sole, obnubilatus fuit splendor, & decor, quem hæc Mulier Lunâ pulchrior de sole suo hauriebat. Nolite ergò* (inquit illa) *me considerare, quod fusca sim propter contumelias & irrisiones*, quibus Filius vulneratur. *Nulla enim mea, vel filij mei id culpa accidit; sed quia decolorauit me Sol, dum mœrori, passioni, & abiectioni suæ similem me esse voluit.* Consonat Richardus Laurent. lib. 5. de laud. Virg. *Decolorauit eam Sol in passione quadam doloris nigredine, cum eius animam doloris gladius pertransiuit. Vnde dicit: Fusca sum, quia decolorauit me Sol, id est, Filius meus eclypsim patiens. & occasum: Decolorauit me Sol moriens, discolorem me fecit Sol obscuratus, cui in passione non fuit species, neque decor. Isai. 53.*

132. *Maria Christum patientem æmulatur.*

Dionysius Carthusianus asserit, Mariam esse decoloratam ob imitationem solis sui decolorati in passione. *Decolorauit me Sol, id est, amore Filij mei, qui est Sol iustitiæ, omnia illa toleraui. Cuius & vos debetis vestigia sequi, ac libenter eius intuitu, & amore aliquid sustinere, eique intimè condolere, qui dignatus est tot, ac tanta pro vestra salute pati.*

133. *Pugnas hæreticorum aduersus se Maria viriliter superauit.*

Filij matris meæ pugnauerunt contra me.] Varias pugnas aduersus Deiparam excitatas inuenio. Prima est hæreticorum, qui aliquando per Baptismi gratiam Ecclesiæ filij fuere. Hi quidem totis viribus conati sunt gloriam Virginis obscurare, nec potuerunt. Cherinthus asseruit, impossibile fuisse vt Christus ex Virgine nasceretur. Carpocrates affirmauit, Christum ex Iosepho & Maria prodiisse. Marcion dixit, Christum de Maria veram non sumpsisse humanitatem. Iulianus apostata perpetuam Mariæ virginitatem abnegauit. Heluidiani & Antimarianitæ defenderunt, Mariam post ortum Christum alios ex Iosepho filios suscepisse. Iouinianus defendit, Mariæ in partu virginitatem deperiisse. Constantinus Proconimus prohibuit, ne quis suffragium imploraret, illud inane reputans. Cathari Virginis intercessionem efficacem esse negarunt. Mesaliani nullo eam dignam honore censuerunt. Nestorius abstulit à Maria Dei Genitricis excellentiam. Leo Isauricus Mariæ imagines deleuit. Alij neoterici contra Virginem linguis, & stylis ferreis non destitêre repugnare. Consule Coccium *in Thesaur. tom. 1.* & Canisium meum *lib. de Virg.* sed tu ô vera Sunamitis, quam sacrorum militum tot chori comitantur, cunctas hæreses in vniuerso orbe interemisti. *Cocci. Canis. Caut. 7.*

134. *Contra Mariam militant, qui eam falsis laudibus efferre conantur.*

Mittens autem hos, qui iam non sunt matris Ecclesiæ, cuius Maria se filiam profitetur; filij nonnulli Catholici aduersus eam arma sumunt falsæ prætextu pietatis, dum ei falsas laudes attribuunt. Beatissima Virgo prodigium planè humilitatis fallacibus elogiis minimè extollitur. Aiebat August. *lib. 14. contra Faust. cap. 11.* qui falsas Soli, ac Lunæ adaptabat: *David Solem, & Lunam verâ laude laudauit, cùm eos factos à Deo, & cœlesti ordine ad peragenda sua opera collocatos, sicuti est, ita enarrauit: Solem, in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis.* Falsis vestris laudationibus Sol, & Luna non gaudent ô Manichæi. Similiter eis, qui de Christo, aut de Maria pio prætextu conficta præconia euulgant, dixerim: Falsis vestris laudationibus Sol iustitiæ Iesus, & Luna Maria, nec efferuntur, nec gaudent. Bellè ad hoc argumentum Bernardus epist. 174. Virgo regia falso non eget honore veris cumulata honorum titulis, & infulis dignitatum: Libenter gloriosa hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur sanctitas. Et Albertus Magnus *prol. ad tom. super Missus est. Non intendimus*, inquit, *gloriosam Virginem nostris mendatiis adornare.* Id enim planè esset ei bellum inferre. Mitto hæresim illorum, qui Mariam vti Deum adorabant, de quibus Epiphanius *tom. 2. hær. 79.* memor aliorum, qui de Virgine blasphemè loquebantur, inquit: *Æquale est in vtrisque detrimentum sectis, cum illi quidem vilipendant Virginem: hi verò rursus vltra decorum honorificent.* Existimo igitur bellum Beatissimæ Virgini inferri ab iis, qui in honorem ipsius ficta Patrum verba citant, aut transuertunt, aut proprio ex marte, quasi ab illis dicta, affingunt.

Rupertus verò affirmat, Virginem conqueri de Iudæis contra sanctitatem eius blasphemias iactantibus. *Filij*, ait, *matris meæ. Iudæi sunt filij synagogæ, imò qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt: sed sunt synagoga satanæ. Isti pugnauerunt, id est, pugnabant contra me, considerantes, quod fusca sim. Hinc ab illis passa sum, & patiar pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemantium.* 135. *Pugnant contra Mariam Iudæi, iactantes in eam blasphemias.* Rupert.

Quænam sint hæ blasphemiæ Philippus Abbas expressit. *Filij matris tam carne quàm moribus sunt Iudæi. Hi Matrem Christi de Ioseph asserunt concepisse: & nec Virginem in partu, nec post partum Virginem mansisse. Et quidquid vel de illius integritate, vel de Filij maiestate venerabiliter prædicatur, tanquam fictum, & friuolum eorum testimoniis abdicatur.* 136. *Quænam sint hæ Iudæorum in Mariam blasphemiæ.* Philip.

Cur autem Deipara solùm de Iudæis conqueritur, & non simul de Gentilibus, qui etiam aduersus eam dimicarunt? Crediderim, quia plus sauciat vulnus ab iis inflictum, qui inter proprios annumerantur. Ita Philipp. *Attendendum, quod cùm aduersus Virginem tam Gentiles sæuiant, quàm Iudæi, hîc tamen de suis Virgo conqueritur, & exteriorum mentio non habetur. Filij, ait, matris meæ. Vt quid hæc? nisi quia ex nostris iudicium non rectum plus molestat, qui cum deferre debuerunt, dehonestant.* Vt ediscant veri Ecclesiæ filij, nihil de Virgine dicere, aut scribere, vndè eius gloriæ vel minima vmbraculi suspitio apponatur. 137. *Plus sauciant Mariam iniuriæ ex propriis, quàm ex alienis.* Philip.

Honorij verò piæ cogitationi licuit, verba illa: *Pugnauerunt contra me*, sic immutare: *Pugnauerunt pro me. Filij*, ait, *Synagogæ Prophetæ prædicarunt de me. Apostoli filij gratiæ matris pugnauerunt contra me, id est, pro me contra oppugnatores hæreticos prædicando, qui hæretici dixerunt, non Christum, sed phantasma, vel de homine me peperisse.* Quid si pugnare pro Virgine, idem sit ei, ac contra ipsam repugnare. Ac si humillimæ Mariæ quasi impugnatio sit laudum præconium? 138. *Pro Maria pugnant Prophetæ, Apostoli, & qui in eius laudem dicunt, aut scribunt.* Honor.

Demùm contra Virginem dimicarunt, quicumque ausi fuerunt in Christum Filium 139.

iactare

iactare conuitia, aut vulnera infligere. Plus enim in Filio iniuriis acto Maria sauciatur, quàm si aduersus eam verè gladios stringeretur. Audi Dionysium Carthusian. *Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi filij Synagogæ matris meæ me acriter persecuti sunt: siquidem quidquid iniuriæ, detractionis, conuitij, atque tormenti meo Filio intulerunt, intulerunt & mihi, quæ vnicus spiritus eram cum vnico meo, cumque plus quàm me ipsam dilexi, & magis de eius, quàm de meis afflictionibus afficiebar.*

Contra Mariam pugnat, qui iniuriam Christo Domino infert. Carthus.

139\. *Posuerunt me custodem in vineis.*] Ecclesiam in vineis hic designari communis est Patrum sententia. Vineæ Dominus Deus est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Tres ergo (ait Maria) diuinæ Personæ me assignarunt in Ecclesiæ custodem. Richardus Laurent. lib. 5. de laud. Virg. *Me posuerunt custodem in Ecclesiis Gentilium fidelium, & Iudæorum conuersorum ad fidem.*

Maria vinearum Ecclesiæ custos. Richard.

140\. Angeli sunt vitium singularum huius vineæ singulares custodes: Maria verò vineæ vniuersæ omnium Angelorum officio præponitur. D. Antoninus part. 4. tract. 15. cap. 44. *Princeps custodiæ Angelicæ Maria est excellens admodum. Nam vbi Angeli custodiunt singuli singulos homines, ipsa custodit vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos.*

Angeli singuli singulas vineas, seu vites: Maria omnes & singulas custodit.

141\. Celeberrima fuit Luc. 13. Parabola illa de arbore fici, quam habebat quis plantatam in vinea sua, quam quidem ficulneam succidendam Dominus imperauit, at cultoris precibus ad correctionem expectatur. Quinam quæso cultor hic vel custos vineæ, qui pro arbore hospite vineæ Dominum exorauit? D. August. tract. 5. de Temp. Barb. cap. 2. *Intercessor pro ficulnea B. Apostolus Paulus, qui ait: Flecto genua mea.* D. Ambros. B. Petrum asseruit vineæ esse custodem lib. 7. in Luc. cap. 13. Crediderim hîc Mariæ custodiam celebrari, quæ non solùm pro vinea Deum exorat; sed pro ficulnea vineæ vicinio feliciter hærente. Richardus Laurent. lib. 5. de Mar. Laud. *Me (ait illa) posuerunt custodem in vineis fidelium, pro quibus oro Filium meum*, & pro vicinis arboribus, id est, *pro his qui mihi dicunt, Ora pro populo, interueni pro Clero, &c.* Si pro arbore proxima vineæ Maria custos orat, quanto affectu pro vinea sibi commissa specialiter, exorabit? Vt agnoscant, qui sodalitiis Virginis nomen dedêre, specialissima eius foueri protectione.

Intercedit Maria, ne pereat, qui sub eius custodia viuit. August. Ambros. Richard. *Specialissimè protegit Maria sodalitij sui alumnos.*

142\. O quàm sumus Deiparæ ex custodia debitores! D. Hieronymus ad illud capitis tertij Abacuc, *Ficus non florebit, & non erit germen in vineis*, ait: *Custos vineæ huius est vel Gabriel, vel Michaël, cui commissus est populus Iudæorum. Vide ergò quantas gratias Michaëli Archangelo habere debeamus, à quo Angelos accipimus nobis ministros ad custodiam datos.* Quantæ itaque gratiæ Mariæ custodi Ecclesiæ Christianorum debemus, qui à Regina Angelorum, & Angelos accipimus in periculis protectores, & ipsam vigilantissimam custodem quotidie experimur?

Sumus admodum debitores Mariæ ex hac vinearum custodia.

143\. *Vineam meam non custodiui.*] An hinc Mariæ desidia adscribenda circa vineæ animæ suæ custodiam? Absit. Ideò enim speciali iure generalis vinearum custos facta est Maria, quia necessarium ei non fuit suam custodire. An indigeat custodiâ, quod periculo minimè subiacet? Vinea animæ Virginibus talibus fuit diuinæ gratiæ præuenientis præsidiis à primo Conceptionis instanti suffulta, vt superfluum esse videretur, illam humano præsidio custodire. Excogitauit id Honor. *Vineam meam non custodiui, sed Spiritus sanctus.* Honor.

Non indiguit Maria custodia, quia nulli periculo subfuit ab Spiritu sancto suffulta.

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic.

144\. Contestatur Isichius Ierosolymit. *orat. 2. de Mariæ laud.* dum eam vocat. *Nauem mercibus refertam, nullo egentem gubernatore.* Nullo gubernatore humanæ curæ indigebat Virgo, quia nullum ei imminebat periculum, & quia diuinæ prouidentiæ perennis assistentia eius custodiæ inuigilabat.

Maria nauis gubernatore creato non indigens. Isich.

145\. Vel vineam suam Virgo non custodiuit, quia dilectissimæ suæ vineæ Deus custodiendæ innumeros Angelos deputauit. Isai. 5. *Vinea facta fuit dilecto meo in cornu filij olei, & maceria circumdedit.* Ambros. *Maceria, id est, Angelorum custodia.* Ex Doctorum sententia liquet, Virgini à primo Conceptionis puncto assignatum fuisse Archangelum Gabriëlem custodem. Lege Spinellum nostrum *de Maria excel. cap. 26.* Castr. *Hist. Deip. 2.* Canisium, & alios. Audi D. Hieronym. *tom. 4. epist. 10.* *Quod si quæritur post Ascensionem Domini, quid egerit Maria, vnum pro certo est, quia Virgo sancta mente, & corpore permansit, quam sanè Gabriel Archangelus, quasi cœlestis paranymphus intactam custodiuit.* Multos alios Cœlicolas eidem muneri esse à vineæ Marianæ Domino assignatos Damascen. *orat. 1. de Mariæ natiu.* asseruit: *O Sanctissima Filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris!* Fulbertus Carnot. *Serm. vlt. de natiuit. Mar. Quanta putamus prouisio fuit Angelorum circa tàm Deo gratissimos parentes, ab initio suæ procreationis: & excubatio super tam ingenuam sobolem? Nulli enim fidelium dubium est, quod circa Mariam omnis frequentia cœlestium Agminum inuigilabat.*

Vinea Mariæ vineæ custodiæ Deus innumeros Angelos deputauit. Isai. 5. Ambros. Spinel. Castr. Hieron. Damasc. Fulbert.

146\. Num tot cœlestes spiritus Deiparæ assignantur custodiæ, eò quòd ad corporis & animæ vitanda, seu auertenda pericula vinea Domini Sabbaoth indigeret? Respondeo ex Cant. 3. verbis: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt, &c.* Lectulus cœlestis Salomonis Maria est, fortes hi Angelicum satellitium non ad vitanda pericula, sed ad maiestatis obsequium. Bellè Dionysius Carthus. *Mariam veri Salomonis lectulum frequenter vallauit, & honorauit multitudo cœlestis militiæ, non ob indigentiam eius, sed ob reuerentiam.* Et Ambros. *lib. de Virg. cap. 2. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo tamen meliore sui custode quàm se ipsa,* si scilicet opus esset custodiri vineam, quam ipse Deus custodiendam suscepit.

Tot Angeli Mariæ vineæ assignantur, non tam in custodiam, quàm in honorem comitatum. Cant. 3. Carthus. Ambros.

147\. De Christo Domino cecinit Dauid Psal. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis:* Quænam hæc erga Christum Angelorum custodia? Respondet D. August. *Custodiam Angelorum intelligere debemus non ad infirmitatem Domini pertinere, sed ad illius honorificentiam, ad illorum seruitutem.* Et ad illud, Psal. 56. *Misit de cælo,* ait: *Ad obsequium mitti potuerunt Angeli, non ad adiutorium, sicut scriptura ait: Quod Angeli ministrabant ei. Matth. 4. non tanquam misericordes indigenti, sed tanquam subiecti omnipotenti.* Porrò quod

Sicut ad Christi obsequium Angeli mittuntur, sic ad Mariam. Psalm 90. August. Psal. 56. August. Matth. 4.

de Christo per naturam asserere cogimur, de Maria ei admodum simili, per gratiæ priuilegium affirmare allicimur.

148. Per Testamenti Arcam Maria figurabatur, vt latè probat Richardus Laur. lib. 10. de laud. Virg. *Maria designata per Arcam, quam fecit Beseleël.* Exod. 37. Huic quidem hærebant duo Cherubini tanquam custodes. Attamen non ad custodiam, sed ad ornatum Arcæ adstare quis dubitet? Deus enim in Mariæ Arca residens, illius planè agebat custodem. Petrus Damian. *orat. de S. Ioan.* agens de custodia, quam ergà Virginem Gabriël & Ioannes exhibebant, ait: *Adstabant illi, tanquam duo leones Throno Salomonis.* Ac si diceret: Sicut duo leones illi ex auro efformati Salomonis throno adstabant pro ornamento potiùs quàm pro vera fragilitatis protectione: sic custodia Angelica Mariam Dei Arcam, & Thronum ornabat quidem, non protegebat.

Maria Dei Arca Angeli ad ornatum, non ad custodiam apponuntur: sicuti leones Salomonis Throno. Richard Damian.

149. Hinc D. mei Iosephi Deiparæ sponsi gloriam rimari licet: nam cum Archangelus, & Angeli innumerabiles dati fuerint Mariæ non tam vt custodes, quàm vt exornans satellitium: D. Iosephus verè illius custos à Deo assignatur. Gregor. Thaum. orat. 2. de Annunc. *Custos ipsius erat sponsus* Damasc. orat. de dormit. Deip. *Sponso virginitatis custodi Iosepho à Sacerdotum choro traditur.* Ibid. *Tradita est Maria Iosepho, vt liber custodiendus.* Andreas Cæsar. de Angelica salut. tom. 6. part. 2. Bibl. Colon. *Iosephus autem custos virginitatis meæ fuit*, Maria inquit. Brigitta lib. 5. *Quia verò* (ait Dominus) *Mater mea verè ante partum, & post erat Virgo, sufficiebat testimonium Ioseph, qui custos, & testis virginitatis eius extitit.* En Iosephus ab ipsa Virgine, imò ab ipso Domino custos Marianæ vineæ pleno ore vocatur, cùm viderimus Cœlicolas non tam ad custodiam eius, quàm ad satellitij ornatum pertinere. An ex hoc capite Iosephus præstantior Angelis ostentatur?

D. Ioseph verè fuit vineæ Marianæ custos, ex quo præstantior Angelis videtur ostentari. Thaumat. Damasc. Andr. Cæs. Brigit.

150. Equidem abnegare non possum, Archangelum Gabriëlem assignatum à Deo fuisse Deiparæ custodem. Audi D. Antoninum part. 4. tract. 15. cap. 29. §. 2. *Spiritum supremum in ordine Angelorum Virgo gloriosa custodem habuit, qui fortasse nec antea, nec posteà datus est alicui ad custodiam, sed soli Virgini ab initio fuit reseruatus: sicut enim sola fuit Mater vnigeniti, & in gratiis vniuersis mirabiliter singularis: sic etiam sanè dici potest, custodiam sibi singularem datam fuisse.* Hinc D. Iosephi singulare præconium euulgabo. Nam cum Virgo ei fuit nupta, Archangelus Gabriël quasi vineæ virginalis custodiam suspendit, hócque munus D. Iosepho tradidit. Antoninus citatus cap. 35. §. 4. *Maria cibata, vestita, custodita, directa, ab Archangelo sancto, qui de ea curam habebat specialem; loco cuius Ioseph successit, & posteà Filius eius.* Tantus erat D. Ioseph, vt Archangelus videretur indicare, suam custodiam superfluere, dum sponsus Ioseph Deiparæ aderat. Preme particulam, *Et posteà Filius eius.* Cur post Iosephi obitum rursus Angelo custodia vineæ non traditur? An quia Ioseph ex Virginis consortio tam egregius in sanctitate euaserat, vt solus Dei Filius, posset eius custodiendi Mariam munus supplere?

Archangelus Gabriël D. Iosepho custodiendi Mariam munus cessit. Antonin.

Tantus erat Ioseph, vt Archangelus adiudicaret, suam superfluere custodiam, desponsata cum ei fuit Virgo. Antonin.

151. Probo autem Archangelum Gabriëlem D. Iosepho custodiæ Virginis officium cessisse: Ait Lucas, *Missus est Angelus Gabriël à Deo in ciuitatem Galilææ ad Virginem.* cap. 1. Mitti, nil aliud est, quàm iussu alicuius aliquem de vno in alium locum ire: de loco scilicet, in quo adest, qui mittitur, ad locum, vbi non adest: si ergo Gabriël immissus fuit à Deo ad Virginem, ergo non erat cum Virgine in ciuitate Nazareth. Quomodo igitur custodis munus agebat, si absens à custodienda vinea ostendebatur? Addit Euangelista. *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Vbi Ioseph aderat custos, iam Archangelus ei officio non præerat. Perfecto autem munere legationis. *Discessit Angelus ab ea.* Siste Gabriël, quò pergis? quò recedis? An non es Deiparentis custos? Officium Angeli custodis est custodiendæ personæ localiter assistere. Quare ergò vineam Domini Sabbaoth relinquis? Certè priusquàm Virgo Iosepho nuberet, Archangelus eius custos aderat: post nuptias verò ab huius muneris functione quasi destitit, Iosepho loco Archangeli custodis succedente.

Gabriel discessit à Maria, quia Iosephus aderat custos. Luc. 1.

152. Excellentia patris omnium Adami à Doctoribus ex eo celebratur, quòd post peccatum qui anteà præpositus fuerat paradiso, vt *custodiret illum.* Gen. 4. amittente eo ius, & munus custodis, eius loco addictus fuerit Cherubinus, qui igneâ romphæâ paradisi custos adesset. Qualis excellentia D. Iosephi paradisi melioris custodis, si ad eius è viuis sublati munus supplendum, necessum fuit, vt Deus homo successor existeret? *Loco cuius* (id est Archangeli) *Ioseph successit, & posteà Filius eius,* seu Mariæ, vt ait Antoninus.

Ipse Christus obeunte Iosepho, munus custodiæ Mariæ suscepit. Gen. 4. Antonin.

153. Post obitum verò Domini, cuinam munus Deiparæ custodiendæ fuit deputatum? Certè Christus è cruce Mariæ profatur, *Ecce filius tuus*, Ioannem ei custodẽ constituens. Ioan. 19. Audi D. Antonin. vbi suprà. *Christus recessurus de mundo per passionem loco sui reliquit Ioannem, qui curam haberet tantæ puritatis, & Matris tam perfectæ.* Vt autem Ioannes dignius custodis Virginis munus impleret, eum Christus, auctore D. Petro Damiani, quodammodo in Mariæ filium, & alterum Christum velut consecrauit, dum dixit: *Ecce filius tuus.* Quemadmodum (cum eodem Doctore loquor) panem consecrauit cum dixit: *Hoc est corpus meum.* Exaggeratio quidem hæc ostendit Mariani paradisi dignitatem, & D. Iosephi merita, qui loco Archangeli sufficitur in Mariæ custodem: & cuius loco successit Christus verus Deus & homo, aut Ioannes homo purus quodammodo in Christum translatus.

Post Christi obitum Ioannes in custodem Mariæ sufficitur quodammodo alter Christus effectus in Maria & Iosephi præconium. Ioan 19. Antonin.

154. Iam verò do Ruperti horum verborum expositionem. *Ipsi Iudæi* (ait Maria) *repellentes me, posuerunt me custodem in vineis, id est, in Gentibus, quæ non quidem erant, sed ex mea custodia factæ sunt vineæ Domini. Posuerunt me, inquam, id est, vt ego ponerer, effecerunt per incredulitatem suã. Igitur iusto iudicio tales filios Matris meæ reliqui, & vineam meam non custodiui, gentem meam incredulam non adiuui, non defendi, quin venirent, locumque, & gentem non auferrent Romani. Pro vna vinea, quæ debuit esse mea, vtpote gens mea, sanguis meus, & caro mea, multas vineas acquisiui, multas Ecclesias*

Maria non custodit vineam infidelem Iudæorũ, custos vinearum è Gentibus facta. Rupert.

ſias in gemibus adaptati, quæ omnes cuſtodiam meam habent, de meis meritis præſumentes. Pulchrè planè.

155. *Prædiuiti virginitatis Mariæ theſauro Spiritus ſanctus ipſe cuſtos bareſcit.* Honor.

Honorius inquit. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, id eſt Prophetæ, & Apoſtoli poſuerunt me exemplum caſtitatis in omnibus Eccleſiis. Vineam meam, ſeu virginitatem meam non cuſtodiui, ſed Spiritus ſanctus.* Tam prædiniti enim Virginitatis Mariæ theſauro quiſnam cuſtos dignus præficeretur, niſi qui Deus eſſet?

156. *Maximus, & ſpecialiſſimus Mariæ ex virginitate ſplendor* Ghiſlerius.

Annoto cum Ghiſlerio hinc, Mariam illibatam virginitatem Spiritus ſancti ad cuſtodiam pertinentem, vineam ſuam vocitaſſe: *Vineam meam non cuſtodiui.* Quia eam vti peculiariſſimum donum à Deo accepit: vnde appellatur ab Eccleſia, *Virgo virginum* & non *Mater matrum*: nam ex ſe virginitas admodum eſt æſtimabilis, maternitas verò non, niſi addatur, *Dei.* Vnde Maria *Virgo* cum maxima ipſius gloria vocitatur: non autem *Mater* niſi *Chriſti*, aut *Dei* adiiciamus. Sic in Hebræo legitur. *Vineam meam quæ mihi, non cuſtodiui.* Quæ mihi, id eſt, ſpecialiſſimo Dei munere fuit tradita.

157. *Maria facta cuſtos vinearum, vitam ſuam non cuſtodiuit, ſed pro ſalute proximorum affectu tradidit*

Guillelmus Abbas aſſerit, Deum Mariam in vineis Eccleſiæ poſuiſſe cuſtodem, quarum cuſtodiæ, tam addicta fuit, vt propriam vineam non cuſtodierit, id eſt vitam tueri non curauit. *Animam ſuam poſuit Maria in redemptionem pro multis, & vt multas vineas cuſtodiret. Vndè vineam ſuam non cuſtodiuit, hoc eſt, vt multas animas ſaluas faceret, animam ſuam morti expoſuit vel affectu, vel offerendo Filium, quem ſicut ſuam animam diligebat.*

Verſ. VI.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie? Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

158. *Mirabilis amor Mariæ erga Filium ſuum.* Richard.

INdica mihi, quem diligit anima mea.] Richardus Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Quem diligit anima, id eſt, intima voluntas, & affectio mea.* Ineffabilis quidem amor, quo Maria in Filium afficiebatur. *Dilexit enim eum* (inquit ille) *naturaliter plus quàm alia mater poſſet diligere natum ſuum. Quia totam carnis ſuæ materiam à carne materna Chriſtus traxit. Vnde Mariæ dictum eſt. Ecce concipies in vtero.* Luc. 1. *Id eſt, ex cauſa intrinſeca, non ſicut aliæ mulieres, quæ ab extrinſeco excipiunt vnde concipiant.* Vnde *comparari poteſt philomenæ, quæ dicitur à philos, quod eſt amor, & menè, quod eſt defectus. Quaſi deficiens præ amore. Ideo Maria poteſt dicere Patri: Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Pſalm. 118. ſeu defecit anima mea ex amore, quo in filium, quem ad ſalutem hominum immiſiſti, afficior.

Luc. 1.

159. *Maria vera humilitas commendatur.* Hailgrin.

Cæterùm *quia Virgo beatiſſima cuſtodem ſe dixerat* (cum Hailgrino loquor) *vinearum multarum, vt ſciat, quis palmes ſit in vite, & quis extra vitem, indicari ſibi petit à Filio de ouibus, quæ ſit in grege Domini, & quæ ſit extra gregem, nè tanquam incerta vagetur, & dubia, quibus ſuas impendas operas.* Porrò extra vitem, extra gregem ſunt hæretici. Cenſet itaque Cardinalis, virginem à Filio efflagitare diſcretionis ſpiritum, quo falſos ſodales iſtos à veris paſtoribus diſcernere queat, ne in illis operam, & oleum perdat. An Mariæ humilitatem talis petitio dedecet? minimè quidem. Dubium enim mihi non eſt, etiam quæ poſſidebat chariſmata humiliter à Deo ſolitam poſtulare. Nam alioquin quid noui peteret, quæ ſe gratiâ plenam ſciebat? Augmentum dices: fateor. Sed & humilitatis veræ eſt, metuere, ne quod ſemel poſſederis, aliquo occulto leui piaculo amiſeris. Dicit ergo: *Indica mihi* quæſo ô Fili locum *vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* quò paſtoris officio fungens, tu cum gregibus tuis, ad æſtiuos calores vitandos meridiani ſolis, reſidere conſueueris. Tecum enim ſunt veræ oues tuæ, non autem alienæ. Cùm tuas nouero, alienas nouero notâ tuæ charitatis non inuſtas, & ex illis pſeudopaſtores quoque cognoſcam. *Indica hoc mihi, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum:* vt certa fiam, quibus ſollicitudinem maternæ cuſtodiæ me velis impendere, ne defatiger vagando, & ſectando errantium gregum veſtigia, quos falſi ſodales, cæci cæcorum duces per errorum deuia deducunt. Ex Hailgrini mente hanc indico genuinam eſſe interpretationem. Aliorum tamen ſententias recenſebo.

Hæretici extra vitem, & gregem exiſtentes odio habet Maria. Hailgr.

160. *Maria eſt meridies, in quâ Chriſtus declinauit libidinoſorum æſtum.* Honor.

Honorius inquit: *Maria anima Chriſtum dilexit, vnde omnia ſecreta Patris ei innotuêre. Caſtiſſima Virgo fuit meridies, de Spiritu ſancto ſplendens, & feruens, in quam Chriſtus declinauit æſtum libidinoſorum, & cubauit in eius humilitate, paſtus eſt in eius caſtitate.* Ediſce, quàm admirabilis eſt Virginis puritas, ad quam Chriſtus quaſi actus moleſtiâ ob libidinoſorum fœtorem ſe recipit oblectandus.

161. *Maria petit ad cœlum aſſumi nō Maternitatis titulo, ſed virtutis* Rupert.

Rupertus hunc verſiculum triduo illi, quo Deipara Filium in Templo remanentem quæſiuit, & inuento tandem dixit: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* fuſius accommodat. Si ad meridiem gloriæ cœleſtis aſcendiſti, ô Fili, vt aſpiceres tuas oues fideles, quæ è valle lacrymarum aſcenderunt, indica Matri, vt ad te ſaltem pergam toto cordis affectu, & nè fruſtra te requirens in terra diuagare cogar.

Guillelmus autem aliam init viam, & aſcendit cogitatione in cœlum, vbi ad Patris dexteram poſt reſurrectionis, & aſcenſionis gloriam ſedet: & cenſet, hanc eſſe vocem piæ Matris cupientis diſſolui, & eſſe cum Filio. Primò ait ille, *flagrantiſſimus Mariæ amor indicatur, quia non dicit, Fili, ſed quem diligit anima mea. Vt his verbis exprimatur amor ineffabilis matris ad Filium, quæ illum in paſſionis articulo non reliquit, cum in Apoſtolis ardor charitatis defecerit. Ipſa Chriſtum toto corde dilexit, quæ carnem Chriſti ſic nutriuit, & fouit, vt ob amorem carnis eius ab amore carnis ſuæ ſuſpenſa, neceſſitatibus naſcentis, lactentis, vagientis, creſcentis, omnes cordis affectiones effunderet. Tota etiam anima Chriſtum dilexit, quia tantus vigor Spiritus ſancti eam adiuuit, vt ad qualibet ſalubria, & ſanctiſſima eam confortando in amorem Chriſti accenderet.* Iam verò, addit Abbas, *petit ſibi indicari, non quomodocumque locum, ſed præſentialiter ſic loquitur, quaſi dicat. Aſſume me, quò aſſumptus es, vt tecum paſcar, tecum cubem, quæ te olim tam*

deuotè paui, & toties cubitum collocaui. Non postulat Maria titulo Matris Christi gloriâ donari, sed opera virtutis exponit tanto muneri agnata. Ait Dominus in iudicio. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Matth. 25. Quemadmodum Apostolis, Prophetis, ac cunctis beatis Regnum datur, non quia Apostolico aut Prophetico titulo decorati fuerint, sed quia egregia opera exposuēte: sic Mariæ cœleste Regnum impertiit Deus non præcisè quia Mater, sed quia esurienti, & sitienti cibum, ac potum impendit, id est, quia opera egregia in eius obsequium excitauit.

Maria cælum ascendit, quia Iesum pauperem cibo, ac potu refecit. Matth. 25.

161. Vna se offert difficultas. Quo pacto ignara Deipara loci, vbi pascat, vbi cubet sponsus ostentator, cùm id ignorare non valeat? Ex Ruperto respondeo. Illam, quæ plena gratiâ erat non ignorasse locum, sed ita se gerere, quasi ignoraret, vt adolescentulæ comites, animæ, seu Ecclesiæ commissæ ipsius curæ, sponso respondente, discerent, quod ignorabant. *Indicari petit sibi, quod norat, vt quæ non norant, per ipsam docerentur.* Deinde amantium hic affectus est, sæpiùs interrogare, quæ sæpiùs iam audierint.

Maria Ecclesiæ Magistra interrogat quod scit, vt nos quæ ignoramus edoceamur. Rupert.

162. Colligit Origenes *hom. 9. in Luc.* ex hac interrogatione Spiritus sancti consuetudinem diligenter indicandi nobis, quàm auidè Maria Filij verba auscultarit, & quàm diligenter supra omnes mortales doctrinam filij maiore quàm cæteri fide, & cogitatione obseruarit. Vt colligitur ex Euangelio Luc. cap. 2. v. 19. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Et v. 51. *Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.*

Origen. Luc. 2.

163. Hæc itaque verba, *Indica mihi, &c.* prolata à Virgine fuere, non quasi aliquid ignoraret, omnium sapientissima; sed pro humilitate, quâ suam singularem sapientiam operire studebat. Vis Mariæ sapientiam ineffabilem agnoscere? Ipsa fons fuit, è quo omnis sapientia Ecclesiæ Magistris emanauit. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Cant. 4. Ad quæ Rupertus. *Magistram te esse oportebat, ô beata Maria, & Magistram Magistrorum, id est, Apostolorum iuxta illud: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. An quia illos docuit Spiritus sanctus, idcircò tua vocis magisterio illis opus fuit? Imò vox tua vox illis fuit Spiritus sancti. Quidquid supplementi opus erat eisdem, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus quos acceperant ab eodem Spiritu diuidente singulis prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt instructo ad loquendum, bene composito ad tacendum, prout tempus erat opportunum.* Obiicis, excitatam fuisse circa Ecclesiæ cunabula seditionem propter cæremonias Iudaicas retinendas, aut ablegandas: ad cuius repressionem, & resolutionem quæstionis congregatis Apostolis, nulla de Deipara mentio peragitur. *Act.* 15. Ergo Virgo Magistra Apostolorum minimè est appellanda. Bellè Rupertus. *An quia in actibus Apostolorum, vbi facta seditione propter cæremonias Iudaicas conuenerunt Apostoli, & seniores, videre de hoc verbo, nullam tui ô Virgo scriptura mentionem fecit, idcircò putandum est, quod comentus ille te omiserit, & sanctum de tuo pectore, & de tuo ore Spiritum non consuluerit? Imò & illis & in cæteris agendis tu Princeps omnem soluisti quæstionem.* Cur verò id Lucas, quæ à Virgine tot mysteria specialia didicit, silentio inuoluit? Profectò Euangelista nouerat in Virgine mirum ergà humilitatem affectum, ideóque ei voluit hîc morem gerens, id præterire. Vnde Abbas adiicit *Os Mariæ instructum esse ad tacendum ex humilitate.* Quare Lucas vidit, se grauem illi fore, si illam Magisterij eius gloriam non memoraret.

Maria Apostolorum Magistra ignorare se simulat ex humilitate prorsus ineffabili. Cant. 4.

Maria lingua est Spiritus sancti, qua docuit Apostolos.

In seditione circa cæremonias Iudaicas Maria fuit Apostolorum Magistra. Act. 15.

Rupert.

Quem diligit anima mea, non quem solum me diligere ore iactito. Philippus Abbas. *Quem diligo non verbo, non solo strepitu labiorum, sed corde, & animo, & totis viribus internorum.* Quàm perfectè Maria illi præcepto satisfecit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, &c.* 164.

Maria Deum non verbo, sed ex corde dilexit. Philip.

Vbi pascas, vbi cubes. Non dicit, Indica, quo cibo pasceris? quænam sit tua requies; sed *vbi* pascis, *vbi* requiescis. Locum indica, quem agnoscere cupio: De cibo autem, vel requie iam mihi constat esse animarum sanctitatem. Adiicit Philippus. *Pulchrè non de cibo, sed de loco sollicitè percunctatur; certum habens illius cibum esse munditiam, iustitiam, veritatem. Verum vbi hoc veraciter, ac firmiter habeatur quis nouit, nisi qui ab ipso Deo edoceatur?* Abbatis venia & id cognoscit, quicumque audierit *lilium* Mariam appellari. Pastor enim cœlestis virtutum Mariæ *pascitur inter lilia*: in ea *munditiès*, in ea *iustitia*, in ea *veritas.* Locus itaque Maria est, vbi pascit, seu pascitur sponsus. Honorius. *Maria locus est, in qua Christus requieuit. Cubauit in eius humilitate, pastus est in eius castitate.* 165.

Christus in Maria pascitur munditie, iustitia, & veritate. Philip.

Ne vagari incipiam. Ne quasi à te vaga seu aliena à pseudopastoribus reputer: & ideò me pluribus lacessant iniuriis. Quis enim audebit quidquam haud dignum de Maria suspicari, sciens Christum Deum & hominem in eius *tabernaculo requieuisse*? Honorius. *Ne vagari incipiam. Notifica omnibus, quod in me requieueris, ne hæretici dilacerent me dicentes: si virgo peperit, phantasma fuit, &c.* 166.

Nil mali suspicari poterit de Maria, qui scit, Christum in ea requieuisse. Honor.

Vers. VIII.

Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum: egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.

SI *ignoras te.*] Maria dixerat. *Indica mihi, vbi pascas.* Quasi sponsum Dominum ignoraret: sponsus dicit, *Si ignoras te*, cum deberet respondere, *si me ignoras.* Cur igitur *si ignoras te* respondit? Certè quia dum indicat se Christum ignorare, se ipsam ignorare videtur; Christus enim & Maria vnicam quodammodo essentiam constituunt. Vnde Augustinus. *Vna est Christi, & Mariæ caro, vnus Spiritus.* Si me itaque ô Mater ignoras, te ipsam ignorare videris. 166.

Maria si Christū ignoraret, se ipsam ignorare necessariò esset. August.

Si ignoras te. Nullam in Deipara ignorantiam sui admitti vel posse, vel debere Rupertus vidit, & asseruit. *Perseueranter, ait, dicimus, & irrefragabiliter, Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti, & benedicimus,* 167.

Nulla in Maria sui ignorantia. Rupert.

mus, scientes, quia hospitium ventris sui, quod creatori prabuit, & alimoniam lactis sui, quod ori eius ministrauit, fide pretiosa, & humilitate gratiosa communiuit, atque perornauit, compleuit, & custodiuit, nullam habens vnquam ignorantiam.

168. *Maria non ignorat, se esse inter Deũ, & hominem mediatricem, & ad veniam eis impetrandam, potentissimam.* Hailgr.

Cur ergo dicit Matri Christus, *si ignoras te?* Non affirmat, ignorare se, sed probè se nouisse. Hailgrinus. *Dicit, si ignoras te, hoc est, an ignoras te? Et debet pronuntiari* Te *cum pondere; ac si dicat: An ignoras te, quod sis stella maris, qua non solùm bene merentes dirigis, sed & iam errantes, & deuios reducis salutis ad portum? An ignoras te, quod sis Mediatrix Dei, & hominum, vt peccatores discordantes à Filio tuo reducas ad concordiam? An ignoras, quòd sis pulcherrima mulierum, & ideò in intercedendo pro peccatoribus potentissima?* Si hoc Maria ignorare non potest, oportet vt peccatores huius officij ad reconciliandum eos Deo, & potentissimam vim ad veniam eis impetrandam non obliuioni tradant.

169. *Maria omnium pulcherrima & corpore, & Spiritu.* Philip.

Pulcherrima inter mulieres.] Maria pulcherrima planè fuit & corpore, & spiritu. Philippus Abbas sic. *Quod Virgo, quam sibi ab aeterno in Matrem Dei Filius praelegit, fuerit pra ceteris mulieribus speciosa, existimo dignum credi. Neque enim est credibile, quod Deus Dei Filius matrem elegerit fuscam, & non magis vultu niueo, colore roseo, gratis oculis, pleno corpore speciosam: vt qua ad officium dignius pra ceteris mulieribus est electa. Quamuis quod pulchra inter mulieres dicitur, non tam congruat gratia vultus, quàm admirandae illius sanctitati. Inter mulieres enim est benedicta, qua maledictum vetus, & legem hareditariam est transgressa.*

170. *Mulier nulla potest dici Pulcherrima nisi Maria.* Alan. Honor.

Alanus ad hæc. *Qua pulcherrima inter mulieres nisi Virgo Mater, qua pra ceteris priuilegiata est donis spiritualibus: Mater est Dei, sacrarium Spiritus sancti, sigillum virginitatis, speculum humilitatis?* Honorius. *Verè pulchra, & benedicta inter mulieres omnes, qua sola expers macula, peccati, seu sordis; sed & pulchritudinem de benedictione accepit.* Rupertus. *O benedicta inter mulieres, qua cuius pulchritudo benedictio est.* Vis agnoscere Marianæ pulchritudinis præstantiam? Mariæ pulchritudo quasi Deifica, quia ipse eius Filius, Deus eius fuit pulchritudo. Pulchrè adiicit Abbas. *Maria pulchritudo ipse benedictus fructus ventris eius est.*

Ipse Deus est Maria pulchritudo. Rupert.

171. *Hanc pulchritudinem Maria assecuta est fide, & humilitate.* Rupert. Luc. 1.

Hanc pulchritudinem Deipara præcipuè ex fide, & humilitate fuit assecuta. Addit Rupertus. *Hac ipsa tam excellens pulchritudo Virgini ex fide, & humilitate obtigit.* Dicit ei Elisabeth Spiritu sancto plena, *Beata, qua credisti*, Luc. 1. *Ecce fidem.* Et ipsamet Maria cecinit. *Quia respexit humilitatem ancilla sua, Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* Ibid. *En humilitatem. Fides ergo & humilitas pulchritudinis Maria causa. Et eadem locus, vbi Iesus pascendo, & cubando deliciatur in meridie, hoc est, tempore plena gratia, quando figura iam praterita, res illuxit, vmbra depulsa, Sol veritatis ascendit.* Mariæ itaque pulchritudo ex fide & humilitate dignum Christo obtulit habitaculum. Quod tam pulchrum tam angustum in cunctis aliis fœminis non inuenerat.

172. *Egredere, & abi.*] Huic tam pulchræ, tam gnaræ sui merito dicit sponsus (loquor cum Honorio) *Egredere de muliebri leuitate, hoc est, vt mulierem fortem decet, oblita naturalis sexus imbecillitatis, animum virilem retine, & pro grege communi nullum laborem recusa, & abi de virtute in virtutem.* Laborans enim Virgo pro hominum salute de virtute in virtutem abibat. Vnde quantus erat virtutum Mariæ profectus, tanta erat eius pietas, & labor ad hominum salutem procurandam. Ineffabilis Mariæ virtus? Ineffabilis erga nos eius misericordia. *Abi*, inquit.

Quanta Maria virtus, tanta eius erga homines misericordia. Honor.

173. *Maria Filij in morem erroneas oues in humeris apportat.* Delr o.

Post vestigia gregum.] Delrio noster, *Abi, & quare oues palabundas, congrega eas in ouile meum. Egredere de claustris seueritatis in latitudinem misericordia, ô Mater miserationis: & vt me facere vidisti, oues fugitiuas, & erroneas humeris in caulas reporta.* O quanta Christi ac Mariæ vnitas, si officium Pastoris tam agnatum Iesu, vult ipse & Mariæ esse commune? Erroneæ ouiculæ, si ob multitudinem criminum adire Iesu humeros non audetis, pastorale etiam munus Maria exercet, ad eius accurrite humeros ad caulas deportandæ.

174. *Maria affectuosa desideria ad superos anhelandi.* Guilielm.

Et pasce hædos tuos.] Guillelmus per hœdos igneâ naturâ præditos affectuosa Mariæ desideria cœlesti fœlicitate potiendi contemplatur. Nam qui dixerat, præcedentem interrogationem *Vbi pascas*, esse desiderium Virginis cupientis mori, & esse cum Christo: nunc asserit, à Filio beatissimam illam animam in cœlum assumenti responderi. *Egredere è vita terrestri, ô pia Mater: ecce vbi pasco, vbi cubo, pasce desideria tua, pascere à me, & pascere mecum, & cuba mecum in hac meridie, in hoc feruore diuina claritatis mea: vt & ad te clametur ab inferioribus membris meis, in terra peregrinantibus.*

175. *Anima afflicta à Deipara in cœlis commorante opẽ efflagitant.* Guilelm.

Adiicit Abbas, hanc etiam esse vocem animarum afflictarum Deiparæ iam in cœlis constitutæ auxilium implorantium: & quia illud non semper statim impetrant, tenerè (vti pueri assolent) matrem quasi obiecta sui ignoratione, vel obliuione lacessentium. *Cum eos, inquit, in feruore tentationis positos, aliquâ latente rei causâ, citò non exaudit, & protegit, suos pia Mater filios ad tempus quodammodò non agnoscit;* quare quodammodo etiam ignorat se esse, quod verè est, Matrem miserorum. Ad maternum igitur à laborantibus filiis quodammodo affectum excitatur, cum dicitur: *Si ignoras te esse Matrem, & nos filios tuos, egredere, & vide, quia tu Mater es misericordia, at nos hædi miseri sumus. Ingressa es in gaudium Domini tui, in cellaria sponsi tui, in Regnum Filij tui, vbi aeternis deliciis affluis, vbi pra omnibus gloriâ, & honore coronaris. Inde egredere ad filios laborantes. Egredere, non per separationem, sed per miserationem de sanctuario Filij tui, non inde recedendo, sed miseris hædis piè subueniendo.*

176. *Maria nõ solum de pradestinatorũ salute agit, sed & damnandos reducere intendit.* Guillelm. Luc. 12. Mat. 5. 7. Mat. 20.

Abi post vestigia gregum. Annotat Guillelmus, multos quidem esse greges, *sed vnus, ait, est pracipuus, cui ab vno & bono Pastore dicitur, Noli timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Luc. 12. *Pusillus, quia ex pusillis, de quibus dicitur, Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est Regnum cœlorum.* Matth. 5. *Vel quia ex electis est, qui pauci sunt respectu reproborum. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. Si

vnus

vnus præcipuus est grex electorum, cur Deipara ad cunctos greges curandos allicitur? *Abi post vestigia gregum.* Certè quia tam ardens est Mariæ charitas, vt non solum iustos custodire ac pascere satagat, sed & de ipsorum damnandorum salute procuranda agere intendat, saltem vt minori peccatorum sarcina, non tam horribilis sit damnatio.

177. *Angeli, & homines sancti corã Maria non Angeli, non sancti, sed vestigia Angelorum, & sanctorum quodammodo esse videntur.*

Abi post vestigia gregum. Non dixit, *Abi post greges*, sed *Abi post vestigia gregum.* Dissentiens quidem à modo loquendi ipsius Mariæ, quæ se dixit vagaturam non *post vestigia gregum.* Sed *post greges sodalium.* Ex mente nonnullorum Interpretum per greges sodalium sponsi tam Angeli, quam homines sancti intelliguntur. Cum autem Maria post illos incedit greges pastorale gerens officium, non post greges, sed post gregum vestigia videtur abire. Ac si sponsus diceret: Cùm te ô pulcherrima inter mulieres post Angelorum, ac hominum sanctorum greges mitto, non eos *greges*, sed vestigia gregum appello. Non sunt illi tuo in conspectu Angeli, homines Diui non apparent: sed quasi Angelorum, & Sanctorum vestigia.

178. *Gabriel Archangelus in Maria conspectu nomẽ Archangeli amittit.* Albert.

Missus est (inquit Lucas cap. 1.) *Angelus Gabriel à Deo: ad Virginem.* An non Gabriel Archangelus erat? Planè. Cur ergò Angelus tota in lectione Euangelica vocitatur, id annotante Alberto Magno in mariali cap. 17. *Ipsum, qui re vera Archangelus erat, totum Euangelium non Archangelum, sed Angelum nominauit.* Crediderim, quia coram Maria Archangelus, qui potentiæ est plenitudo, quasi disparuit. Omnis enim excellentia sublimium sydetum in solis Mariæ conspectu obnubilatur.

179. *Coram Maria Gabriel nomen Gabrielis seu viri Dei amittit* Albert.

Audi eundem Doctorem ibid. cap. 56. *Nota tamen, quod Gabriel Archangelus, quando mittitur ad Virginem, dicitur Gabriel, & suo nomine proprio ipsius denotante excellentiam nominatur. At cum accedit ad Virginem, & cum ea loquitur, nomen perdit, & non Gabriel, sed Angelus nominatur vsque ad illud. Discessit Angelus ab ea. Gabriel perdidit nomen proprium, quia propius accessit ad Virginem.* Quid significat Gabriel? *Vir Dei*, aut *Vir Deus.* Vt tantæ maiestatis appellatione excellentia huius Archangeli exprimeretur. At perdidit proprium hoc augustissimum nomen, quia propius accessit ad Virginem. Vnde *Angelus*, seu *Nuncius* vocatur.

180. *Maria Sol omnium syderum, seu Angelorum, & hominum quasi hebetat claritatem.* Damian.

Vocitatur Deipara Cant. 6. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Cur inter omnia micantia sydera vt Sol à Deo sponso eligitur? Respondet eleganter Petrus Damian. serm. de Assumpt. *Beata Maria pulchra vt Luna, electa vt Sol dicitur. Hanc attende similitudinem, quâ nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus sanctus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet: multo enim altius aliquid habet claritas solis, quàm Luna: quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat. Sol verò lucidius incandescens ita sibi syderum & Lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint. Similiter Virgo in illa inaccessabili luce perlucens sic vtrorumque Spirituum* Angelorum & hominum, *hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Itaque Angeli, & animæ diuæ sunt *quasi non sint* coram Maria, id est, sunt quasi Angelorum & hominum sanctorum vestigia; non Angeli, non sancti homines.

Et pasce hædos tuos.] Tritum est in scriptura, hœdorum nomine peccatores designari, ouium verò, aut agnorum appellatione iustos intelligi. Petro à Domino oues & agni pascendi traduntur, Mariæ hœdi commendantur. Cur non & hœdos Petrus suscipit, sicut agnos & oues, dicente Domino, *Pasce agnos meos, Pasce oues meas?* Ioan. 21. Crediderim quia Mariæ intercessione hœdi priùs in oues mutantur, & tunc Petro pascendæ traduntur. An existimas vllum peccatorem ad Deum conuerti, qui hoc beneficium Deiparæ intercessione non accipiat? Guillelmus sic. 181. *Mariæ intercessione hœdi in oues mutantur, & tunc Petro pascenda traduntur.* Ioan. 21. Guillelm.

Hœdos tuos. An omnes peccatores sunt hœdi Mariæ? Minimè, (ait Guillelmus) sunt Mariæ hœdi peccatores illi, qui circa Matrem pietatis indeuoti, & inofficiosi existunt, opemque eius vel non, vel tepidè requirunt. Nec illi, qui Matrem pietatis studiosè quidem venerari, opemque eius summa instantia implorare videntur; sed à suis sceleribus non conuertuntur. *Hos non agnoscit illa, quia sic volunt esse eam Matrem pietatis, vt non sit Mater iustitiæ, & veritatis, tam iniuriosi in vno, quàm officiosi in altero.* 182. *Non omnes peccatores sũt Mariæ hœdi.* Guillelm.

Quinam igitur peccatores sunt Mariæ hœdi eius pietate in agnos seu oues conuertendi? Respondet Guillelmus, soli illi sunt hœdi Mariæ, qui vt illam dignè venerentur, opemque eius assequi mereantur, peccata sua perfectè deserunt, moresque suos ad bonum seria mutatione componunt. *Hi adhuc hœdi sunt, quia de recentium criminum vulnere adhuc sauciam habent conscientiam; sed tamen hœdi sunt Mariæ & Iesu, ab eis confouendi, sanandi, & paulatim in oues mutandi, & de sinistra in dexteram transferendi.* 183. *Quinam peccatores hœdi Mariæ sunt.* Guillelm.

Addit Abbas, rectè hos vocari, licet peccatores sint, *hœdos Mariæ.* Quia Zacharias c. 9. dixit: *In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Vinctos eius vocat, non quos ipse vinxerat, sed quos soluere venerat. An non Medicus vocat ægrum suum non quem ipse fecit ægrotum, sed quem curandum suscepit? Haud aliter *pia Matris hœdos vocitamus, non quos ipsa fecit, vel vult esse hœdos, qui ad sinistram statuantur: sed quos magis magisque conuertit in oues ad dexteram collocandos.* 184. *Ideò vocantur Mariæ hœdi huiusmodi peccatores.* Guillelm.

Iuxta tabernacula pastorum.] Hœdos hosce pascit Maria iuxta pastorum tabernacula, quando illis à summo Pastore Filio suo gratiam impetrat, vitam & studia spiritualium Patrum æmulandi. *Sic Doctor gentium iuxta suum tabernaculum tales Mariæ hœdos pasci voluit, cum diceret: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Philip. 3. 185. *Quomodo eos iuxta tabernacula pastorum Deipara pascat.*

Vers. IX.

Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.

Equitatui meo.] L X X. *Equa mea.* Marinus *equo meo in curribus*, Delrius. *Contra currus*, vel *inter currus.* Vatablus & alij asserunt, 186. *Variæ lectiones.*

equum

Septuag. Marin. Der. Vatab.

equum & equam hic esse subiugales ad currum trahendum. Iuxta hasce lectiones, & sensus de Deiparæ laudibus differam.

187. *Maria Dei equitatus Pharaonem tartareū superans.* Exod. 14. Nyssen.

Cum Dominus dicitur super castra Ægyptiorum respexisse ad transitum filiorum Israël per mare Rubrum, fuisse crediderim per demonstrationem in aërea regione alicuius æquitatus Angelici pro Israëlitico populo decertantis. Nyssenus. *Erat quædam virtus non cadens sub aspectum, quæ per miracula, quæ fiebant in mari Ægyptiis afferebat exitium, quam scriptura nominabat equitatum: Angelicum autem exercitum eum esse existimamus.* Sicut ergo dimicaturus (ait sponsus) cum Pharaonis curribus, vsus fui Angelico ministerio vti potentissimo equitatu: sic ad euertendum diaboli principatum, peccatique tyrannidem tuam virgineam operam, excellentissimaque merita adhibui. Annon innumerabiles Angelici equitatus milites extitêre, Maria autem vna? Quomodo igitur ei similitudo hæc congruit? Porrò quia Maria cunctis Angelorum cœtibus æquiualet, imò eos longissimo interuallo superat. Bellè Dionysius Carthus. in præsenti. *Hoc præclarissimè competit Virgini gloriosissimæ, quæ vniuersis Angelicis spiritibus facta est dignior, meritis maior, mercede felicior, quæ omnem aëream militiam,* atque malitiam *potestatum in se ipsa & in alijs multis auxilio suo deuicit.*

188. *Maria virga Mosis fuit cunctas hæreses interimens, diaboli superbiam obruens.* Exod. 14. Rupert.

Alij existimant, Dei equitatum fuisse Moysi virgam, quæ siccauit æquora, ad Hebræorum transitum, & rêduxit vndas ad Pharaonis, eiusque exercitus exitium. Exod. 14. Audi Rupertum. *Magnum, & mirum spectaculum respicitur. Inde currus Pharaonis, hinc equitatus meus. Currus Pharaonis valde multi: equitatus autem meus virga vna Mosis. Virga illa contra sublimes currus Pharaonis equitauit: sic tu, ô pulcherrima mulierum, cunctam hæreticam prauitatem interemisti, superbiam diaboli deiecisti conceptu florida, partu fructifera, virgo in conceptu, incorrupta in partu, &c.*

189. *Maria Christo assimilatur in puritate, & in Martyrio.* Apoc. 6. Zach. 1. Ambros.

Equitatui meo assimilaui te. LXX. *Equo meo.* Cuinam precor equo Domini Maria assimilatur? *Apoc. 6.* Dominus sese Ioanni aspiciendum ostendit sub figura sedentis *super equum album.* Et priùs *Zach. 1.* apparuerat sedens *super equum rufum.* D. Ambros. tract. in symb. Apost. *Quòd equus iste rufus, id est, Christus ob corpus suum passione purpuratum, albus denuò à Ioanne describitur, incorruptio eius denotatur.* Maria igitur equo huic, seu Christi humanitati assimilatur ob virginitatis albedinem, & Martyrij in Filij passione purpureum colorem.

190. *Voluit Deus per etiam Mariæ virginitatē Martyrij laureola munerare.*

Voluit enim Deus perpetuam Deiparæ virginitatem Martyrij laureolâ munerare. Annotat Viegas noster sponsi ventrem eburneum dici, quia ebur album cùm sit, antiquitate rubescit. *Rubicundiores ebore antiquo.* Plin. lib. 5. de hist. anim. c. 19. *Et ipsa nix vetustate rubescit.* Quomodò ergo Virginis niuea puritas ante partum, in partu, & post partum tot annis emicans non denique Martyrij purpurâ fulguraret.

191. *Maria protectio hominum vitia superat, sed ipsorum hominū cooperatione.*

Hailgrinus sic explicat locum; *Ego ô Virgo* Mater, *in curribus Paraonis conterendis assimilaui te equitatui meo. Currus Pharaonis malitia sunt satanæ, qui contra fideles animas velut in quatuor rotis militat in quatuor vitiis quatuor virtutibus Cardinalibus oppositis.* Quomodo autem hæc vitia superanda? Certè Mariæ patrocinio, Dei scilicet equitatu. Num Maria sola est aduersus vitia hæc pugnatura? absit, hominum enim etiam opera requiritur. Audi Guillelm. *Sciendum námque, in exercitu Domini esse non solùm equitum, sed & peditum copias. Pedites in exercitu Domini accincti in diuina militia homines sunt: equites verò sancti Angeli propter maiorem vtique agilitatem.* Igitur protectio Mariæ Angelicæ protectioni similis prædicatur, quæ quidem non sola Pharaonem, seu vitia nostra vincit, sed peditum siue hominum cooperatione. Repugnet contra peccata homo, vt ea Angelicâ Mariæ protectione vincat.

Pugnat Maria? Homo etiam decertet.

Obiiciet aliquis, quo hæc pacto conueniunt, per equitatum intelligi Angelos cum Nysseno: & virgam Mosis cum Honorio? Haud obscura concordiæ se ratio offert historiam à Mose scriptam consideranti. Victoria illa duplici Ægyptiorum plagâ stetit: vna occisione & nece per fulgura & imbres, quæ Angelorum fuit ministerio peracta: altera verò reliquorum fugientium subuersione: quæ virgæ Mosaicæ apertè tribuuntur. Exod. 14. Vtraque laus Deiparæ conuenit. Nam & illa terribilis, vt Angelicus exercitus: & prætereà signorum operatione virga Mosis admirabilior. *Illa currus peccati* (cum Delrio loquor) *subuertit: illa hæreses omnes fugitiuorum ab Ecclesia reliquias obruit, & demergit obliuionis profundo.* Vbi nunc Simoniani, Menandriani, Gnostici, & similes? eodem compellet Lutheranos, Caluinianos, & Anabaptistas. 192.

Maria Angelicus exercitus, & Mosis virga peccati currus subuerti, & hæreses fugitiuorum obruit. Delr.

Aliò locum refert Alanus. *Quis est,* ait, *equitatus Dei, nisi Ecclesia, quæ frænum disciplinæ eius accipit, & iugum portat suauitatis eius: & quæ Spiritu Dei agnoscitur & in hoc est ei salus. Vnde legitur,* Abac. 3. *Equitatus tuus salus. Igitur amica mea, id est, Virgo Maria, sponsa mea singularis & vnica, assimilaui te, id est, similem feci equitatui meo, id est, Ecclesia mea.* Tanta enim Mariæ sanctitas, vt totius militantis Ecclesiæ exæquet gratiam, & triumphantis gloriam: imò longo interuallo superet. Porrò *Virgo* (ille adiicit) *similis est Ecclesiæ Dei in pluribus: sicut enim Ecclesia Dei mater est Christi in membris per gratiam; sic Virgo Mater est Christi capitis per naturam. Et sicut Ecclesia est sine macula & ruga; ita & Virgo gloriosa. Et sicut Ecclesia in diuersis personis habet vniuersitatem donorum; sic Maria habet in se charismatum vniuersitatem.*

Hactenus ille.

193. *Maria similis est Ecclesiæ Dei militanti & triumphanti quia omnes diuos gratia æquat, & gloria.* Alan.

Aliæ huius similitudinis rationes. Alan.

* *
*

Vers. X.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: & collum tuum sicut monilia.

193. *Variæ huius vers. lectiones.* DIuersas huius versiculi versiones dixerim præmittendas. Nam vbi Vulgatus noster legit. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*, legunt alij. *Pulchræ sunt genæ tuæ inter murenulas.* Alij. *Inter monilia.* Alij. *In torquibus.* Alij. *In ordinationibus*, seu *ordinibus.* Alij. *In temporibus.* Alij. *In filis*, seu *connexionibus margaritarum.* Alij. *In confessione.* Alij. *In redimiculis boum.* Alij. *In frontali paris boum.* Alij. *In saluo conductu*, aut *priuilegio.* Alij. *In bullis*, seu *amuleto.* Paraphrastes Caldæus, *sicut iugum meum super ceruices bouis, qui arat in aratro.* Verbum Hebræum, vnde hæc vox *Turtur* suam trahit originem, hæc omnia simul significat, quæ miram habent inter se connexionem, vt videre est apud Pagninum *in Thesaur.* Marinum, & alios. Ego autem lectiones, quæ ad immaculatam Deiparæ Conceptionem laudandam conferunt in volumen secundum remittens, reliquas hîc in illius virtutum commendationem enodabo.

194. *Maria turtur ob castitatem, & solitudinis amorem.* Rupert. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.*] Mariæ hîc castitas, & solitudinis amor celebratur. Audi Rupertum. Pulchritudo ô Maria pudicitia est, quæ multum apparet, & spectabiliter lucet in genis tuis; quia non foris vagabaris oculis, sed sicut solivaga & castissima turtur, solitudine delectabaris: & te solitariam Angelus inuenit, ac salutauit.

195. *Castitati, modestiæ, ac viduitati Mariæ apprimè quadrant turturis proprietates.* Philip. Vberiùs celebrat Mariæ castitatem, modestiam, & viduitatem fidelissimam Philippus Abbas, è cuius sententia piaculum duxi vel particulam resecare. *Nec putandum*, inquit, *quod aliquam Mariæ pulchritudini inferat læsionem, quod in eius laudibus faciat turturis mentionem. Quia turtur pudicitiæ typum, & modestiæ formam præbet. Vnum siquidem sortita comparem, alterum vltrà nescit: illi soli seruans fidem, nosse alterum erubescit. Illo fortè perdito, nec sic alterum vult habere: dolet tanquam viduus, nec in ligno viridi vult sedere. Cui turturi quæ melius, quæ dignius poterit comparari, quam illa Virgo virginum, in qua Deus voluit incarnari, cum ad eum diligendum toto iam desiderio raperetur, vt abhorrens omnem virum, ad ingressum etiam Angeli turbaretur. Sponso quidem firma fide diligit adhærere, eique vni viro virginem castam se exhibere* Christo. *Illo autem velut perdito, cum scilicet mortuus esset, & resurgens. Consortium humanum fastidiret: & eo vnde venerat, hoc est, ad Patris dexteram redeunte, Maria abhorrens publicum, corde casto, facie verecunda, vidua perseuerat instar turturis, gemebunda. Et quia sponsum, cuius delectabilis fuit præsentia, non habebat, absenti fidem seruans, in ligno non nisi arido sedebat, id est, in memoria crucis.*

196. *Maria castitatis Magistra Christo similis.* Annotat Ghislerius, Mariam ab sponso comparari *turturi* in singulari, id est, Christo. Quia cum Virgo turtur sit ob insignem puritatem, cuinam aptius comparari posset, quam alteri singulari turturi, qui est primum & præcipuum virginalis pudicitiæ exemplar? Porrò Christum esse per antonomasiam turturem asserit Augustinus homil. 33. ex 50. Saluator noster turtur *dictus est ex Psalm.* 83. *Et turtur sibi nidum altaris inuenit, quia docuit castitatem.* Maria igitur similis est turturi Christo, à quo castitatis didicit magisterium. En par turturum, quem Deus sibi iubebat offerri Christum & Mariam, vt ex *altaris nido* docerent castitatem eos, qui ad Eucharistiæ mysterium volent accedere. *Docet Maria turtur ex altaris nido castitatem eos, qui Eucharistiam sint accepturi.*

Collum tuum sicut monilia.] Deiparæ perfectissima obedientia commendatur. Alanus. 197. *Maria facta est obediens, seu in obedientiam conuersa, sicut Christus est obediens factus.* Per collum quod inclinare solemus in obedientiæ signum, significatur obedientia, & subiectio. Ornamentum ergo ceruicis, quæ est obedientia, Christus est, ipse enim prior factus *est obediens vsque ad mortem:* factus inquam obediens, sicuti factus est homo, quodammodo: ita vt Christus sit obedientia & obedientia Christus. *Exornatio ergo, & monilia ceruicis Mariæ, id est, eius obedientia similis facta est obedientiæ Christi, quæ est Christi monile.* Itaque Christum obedientem factum Maria facta obediens imitatur. Adiicit Doctor. *Magna ergo in hoc laus est Mariæ, magna gloria, quod obedientia Mariæ* quodammodo *exæquetur obedientiæ Christi, quam illa imitatur.* *Magna laus obedientia Mariæ obedientia Christi quodammodo exæquari.*

Humilitatem hîc Virginis commendari Abbas Guillelmus asserit. *Per collum humilitatem vult sponsus indicari. Quasi diceret: Non riget collum tuum per superbiam, sicut collum eius, de quo scriptum est, cucurrit aduersus Deum erecto collo. Sed est pia humilitate flexibile. Propterea nec eget aliis monilibus, sed sat est in se ipso pulchrum non minus quàm ipsa monilia. Superbia eget, & quærit monilia: humilitas nec ea quærit, nec opus habet. Sed tamen sponsus vltrò tribuit, quia nouit hanc non iis magis ornari, quàm ornare sua ornamenta.* Humilitas enim aliarum virtutum regium est ornamentum. 198. *Mariæ humilitas sibi est ornamentum. Adeò pulchra obiicitur.* Guillelm.

Non dixit. *Collum tuum sicut monile*, sed *sicut monilia*, cunctas Virginis virtutes commendare intendens, mansuetudinem scilicet, humilitatem, obedientiam, efficacem intercessionem, sapientiam, &c. Bellè Philippus Abbas. *Rectè collum Virginis sponsus comparatione* non monilis, sed *monilium insigniuit. Quia mansuetudo humilis, quæ Virgo ferret iugum eo dulcius, quo diutius obediuit. Sed prærogatiua meriti, qua vicinior est capiti, reliqua corporis mystici membra antecessit, quæ ad sponsum pro filiis mediatrix efficax intercessit. Auro sapientiæ rutilat, lapidibus pretiosis operum solidatur, digna virtutum connexione per manus Artificis adornatur.* 199. *Mariæ mansuetudo, humilitas, obedientia, sapientia, reliquaque virtutes.* Philip.

Dixerat vers. superiori sponsus. *Equitatui meo assimilaui te.* Alij. *Equæ meæ.* Quid cum Dei equa Mariæ? Respondet Cantacuzenus Imperator. *Equus (seu equa) qui ex ferocia exultabundus hinnit, protendit collum; remissus vero, & humilis circa pectus ipsum inflectit instar monilis illud ferens, decoremque ostentans. Cum igitur Mariam equo, vel equæ assimilauit, ostendit eam minime fuisse mente elatam: sed eius repetit humilitatem, & mansuetudinem.* 200. *Maria nunquam mente elata, sed humilis & mansueta.* Cantacuz.

Sicut monile, seu munimentum pectoris Mariæ; monilia enim à muniendo collo dicuntur. Vnde Virginis silentium cõmendatur 201. *Mariæ silentium secretum, & verborum modestia.*

secre

Rupert. ſecretorum cœleſtium cuſtodia fidelis extollitur, & verborum modeſtia laudibus effertur. Audi Rupert. *Collum Mariæ eſt vt monilia: ſi enim monilia muniunt matronarum pectora, vnde & dicuntur monilia, eo quod pectus muniunt, ne quis extraneus, id eſt, impudicus manum ſuam iniiciat: Ne quid otioſum, ô Virgo, aut noxium, ſiue inordinatum per vocem erumpat, & ſimul in ipſum bonum tuum, ſecretum tuum diuinum Myſterium tibi creditum, leuiter viam, vel vocem inueniat.*

202. *Quidquid fuit in Maria, valide fuit ordinatum, omnium virtutum margaritis ornata.*

Iam memoro illam lectionum varietatem. *Pulchræ ſunt genæ tuæ in ordinibus, ſeu ordinationibus.* Quidquid fuit in Maria, rectè fuit ordinatum, agnatum ſcilicet ſupremæ Matris Dei dignitati. Vnde illa lectio: *In ordinibus, ſeu filis margaritarum.* Quia eo ipſo, quòd futura eſſet Dei Mater, operæpretium fuit, vt ipſâ colligarentur per ordinem cunctarum virtutum margaritæ.

203. *Maria fuit eminentialiter ſacerdotali ornata dignitate.*

Pulchræ ſunt genæ tuæ, & collum in tintinnabulis aureis, vel argenteis. In veteri Teſtamento duplex fuit monile aureum Sacerdotalis dignitatis inſigne, tintinnabulum ſcilicet, & malum punicum ex Pontificiæ tunicæ ora dependens. Hæ autem duo inſignia, ſic monilia in collo Mariæ apponit ſponſus: tintinnabulum aureum iuxta lectionem hanc Rabbini innominati: & malum punicum ex ipſius ſponſi aſſertione Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Vt innuatur, Mariam licet non formaliter, quia mulier, eminentialiter tamen excellentiam Sacerdotij non Aaronici, ſed Euangelici habuiſſe. Sacerdotali enim more quodammodo inſtrumentaliter concurrit ſuorum verborum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. 1. ad Chriſti Domini ſuo in vtero productionem.

204. *Confeſſio Mariæ fuit Dei laudati, non peccati expoſitio. Incapax enim Sacramentalis confeſſionis fuit.*

Pulchra ſunt genæ tuæ in confeſſione. Confeſſio Mariæ fuit pulcherrima quædam, & ingis Dei magnalium panegyris. Nunquam fuit pudibunda peccatorum confeſſio; puriſſima enim fuit pulchra tota, nullius næuo obnoxia peccati, aut minimæ imperfectionis. Vnde omnino ob defectum materiæ incapax ſacramentalis Confeſſionis fuit. Ex hoc Chriſto Domino ſimilis, qui dicebat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Attamen par turturum Chriſtus, & Maria Dei magnalia confitentur. Chriſtus, *Confiteor tibi Pater*, Maria, *Magnificat anima mea Dominum.* Dauid cecinit Pſal. 73. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.* Ex Hebræo alij, *Animas turturum tuarum*, ſeu Chriſtum, & Mariam Dei magnalia dulciſſimè confitentes. *Pſal. 73.*

Verſ. XI.

Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

205. *Quodnam ſit ornamentum, ſeu monile murenula*

QVodnam ornamenti, ſeu monilis genus ſit murenula, quod ab ſponſo Mariæ promittitur? Alij dicunt eſſe aureum comæ frontiſque *ſtrictorium.* Alij *auricularia* ornamenta. Alij dextrariola, ſeu *armillas.* Alij pectoris *Zonam.* Crediderim cum melioris notæ Doctoribus eſſe catenam, ſeu torquem è collo ad pectus vſque pendentem è puriſſi-

Ant. de Eſcob. & Mendoz. in Cantic.

mo auro elaboratum. Sic Philo Carpat. legit, *Catenas auri faciemus tibi.* Vt autem hæream vulgatæ proprietati lectionis, dixerim ornamentum hoc eſſe auream catenam in modum murenarum compactam, quæ per internalla ſit punctata argenteis monilibus in vermium formam aptatis. Guilbertus Tornacenſis c. 10. de pace tom. 5. Bibliot. Colonienſ. *Murenulæ ſunt, ait, ornamenta colli virginalis, catenulæ ſcilicet contextæ, & interdum additis argenti virgulis. Et ſumit ſponſus hoc nomen à murena piſce ſimili anguillæ habenti in ſingulis lateribus ſingulos ordines oculorum, & in gyrum ſe vertit quaſi formata in circulum.* Verborum verò illorum *vermiculatas argento*, multæ ſunt verſiones. Nempe *Punctatas argento, Cum punctis argenti, cum ſtigmatibus argenti, cum varietatibus, cum diſtinctionibus, cum libris, cum clauis argenti, cum turturibus argenteis.*

206. *Obedientia, ſapientia, & charitas Mariæ in formam aureæ catenæ fulgurant.* *Hailgr.*

Itaque Hailgrinus inquit virtutum catenulam Virgini ab ſponſo promitti. Auro vult deſignari *obedientiam*, quia præ cæteris metallis aurum ductilius, & flexibilius eſt; eodem ſignari *ſapientiam* aſſerit, quæ cunctis opibus eſt pretioſior; ignito etiam auri colore exprimi adiicit ipſam *charitatem. Et Pater quidem contulit Virgini obedientiam, Filius ſapientiæ ſplēdorem, Spiritus ſanctus feruorem dilectionis. Hæc tria veluti virgulæ* in formam murenæ rotam efformantis, cauda ad os complicata in catena decenti artificio connectuntur. *Charitas, quæ feruet, iungitur obedientiæ, ne ſit hæc pigra. Obedientia, quæ humilis eſt, iungitur ſcientiæ, ne ſit inflata. Scientia, quæ rectè dirigit, iungitur dilectioni, ne ſit erronea Zelatio, ſeu zelus non ſecundum ſcientiam. Porrò murenulæ iſtæ aureæ ſic connexæ punctis argenteis ſeu puriſſimo caſtitatis nitore diſtinguuntur, quam deſignat argentum; ſine qua in oculis ſponſi catera illa nec venuſta, nec decora queant videri.*

207. *Catena laudum Mariæ ex Prophetiis.* *Alan.*

Alanus verò in hac murenularum catenula aurea intelligit ſententias diuinas, quibus ſancti Prophetæ ſacram Scripturam Mariæ laudibus variegarunt. *Has*, ait, *murenulas, ſeu diuinas ſententias ediderunt ſancti Patres in laudem Virginis, & honorem.* Iſa. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Ierem. 31. *Nouum faciet Dominus ſuper terram, mulier circumdabit virum.* Et Dauid Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Et in Daniele c. 2. legitur, quod lapis exciſus de monte* fuerit ſine *manibus.*

208. *Deus Mariæ promittit, ſe ei facturum laborum ſuſtinentiam inconcuſſo pectore exantlandorum.* *Philip.*

Faciemus, ait, *tibi murenulas aureas.* Non *dabimus*, ſed *faciemus.* Sponſus enim fecit Mariam laborum grauiſſimorum tempeſtate agitari, ad altiora merita comparanda, ſed inſtar murenæ ſeſe Virgo ſuperiorē oſtendit, nec potuit vinci. Audi Abbatem Philippum. *Murenula piſcis eſt, qui nutritus in aquis, tempeſtate concuſſus, abſorberi non timet; ſed caudam ponens in ore ſeſe complicat in rotundum; captus verò arte piſcatoria, epulantium menſis datur. Huiuſmodi piſcem ſponſus Virgini promittit. Non autem ait, dabimus tibi, quod intelligi poterat, ad edendum; ſed faciemus tibi, quod intelligitur, ad habendum. Piſcator murenulas dat, ſed non facit. Sponſus hæc munera Mariæ non dat, ſed facit.* Quænam munera hæc ſint à Deo Virgini tanto ſtudio facta? *In huius vitæ ſtatu* (adiicit Abbas) *non ſtabili, ſed vndoſo multis B. Virgo ſe ſenſit moleſtiis, & tribulationibus pulſari, ſed vſque ad defectū non grauari; ſpōſus enim in ea, quandam veluti piſcium fortitudinē*

Pretiosi labores, quos Deus Matri suæ muneris loco promittit.

operatus est. *Inquieta enim vndarum profunditas obstupescit, attendens tanta, Virginis grauitatem. Manens enim in carne, erat spiritu non carnalis, sed aurea: non molle quid, non fluidum retinens, sed solida, & lucida.* O quanti pretij labores sunt, quos Matri suæ non tam dat, quam mira arte facit sponsus!

Maria mors sine corruptione, lumbriculus aureus, vermis argenteus.

209. Sunt qui existiment murenulam pisciculum esse in lumbriculæ similitudinem. Promittit sponsus Mariæ, se ei facturum lumbriculam vermiculatam. Lumbricula & vermis quid nisi mortem humanæ naturæ miserabilem exactionem significat? An speciale donum à Deo Mariæ collatum, morti fuisse affectam? Profectò mors Mariæ non fuit corruptioni communi obnoxia, sed aurea, sed argentea mortis lumbricula est aurum, argentū est vermis. Ideò sponsus ipse promittit se Virgini huiusmodi mortem esse facturum. *Faciemus tibi.* Perbellè Philipp. *Huiusmodi piscem, seu mortem sponsus promittens Virgini non videretur, si non in promittendo manifestè monstraretur, cum eundem piscem aureum, & argenteum esse diceret.* Si enim Deus mortis Mariæ specialem Artificem esse aperiens, debebat opus Deo dignum Matri sponsæ præparare, nempe obitum aureum & argenteum, mortem haud corruptioni obnoxiam. — Philip.

Plurimæ sunt virtutes à primo vitæ Mariæ instanti vsque ad vltimum hic expressæ. Philip.

210. Non verò ait, *Murenulam auream* in singulari *faciemus tibi*, sed *murenulas aureas*, vt Mariæ cunctæ virtutes signentur, quas à primo Conceptionis puncto vsque ad vitæ terminum exposuit. Philippus hoc elogium Virginis eleganter celebrauit. *Quod autem se facturum sponsus non murenulam, sed murenulas affirmauit, non vnam virtutem, sed plurimas designauit, quas potentia sua, docta manu bonus Artifex fabricauit. Porrò murenula caudam ad os referens ex se ipsa circulum, aut annulum annorum tunc videtur, cum virtutum bono coacta initium vitæ ad finem retorquetur.*

Mariæ obedientia & humilitas, & omnis virtus aurea omninò nullo imperfectionis puluisculo admixta.

211. Huic virtutem catenæ Abbas vnam & alteram addit murenulam, nempe obedientiam, & humilitatem. *Altera*, inquit, *murenula est obedientia, altera humilitas. Ex huiusmodi murenulis velut quibusdam maculis catena contexitur, auro quidem solidior, & à sorde pulueris aliena.* Aliorum enim iustorum virtutes nonnunquam imperfectionum puluere miscentur. At Deiparæ virtus omnis aurea est, imò auro *solidior*, vt nullam pulueris contrahat infirmitatem.

Maria omnium virtutum accipit ornamentum, quia assidue Filij passionem meditabatur. Philip.

212. Pergit Philippus Mariæ compassionem, seu perpetuam passionis Christi memoriam celebrare ex particula illa: *Vermiculatas argento. Vermilio, ait, qui rubeus color est, seu vermiculus, qui vermilioni concolor est, Christi significat passionem, cuius in cunctis, quæ agimus, necesse est fieri mentionem, qui dicit in Propheta: Ego vermis sum, & non homo. Psal. 21. Huius vermis diligentius debet reminisci, qui promissas Virgini murenulas optat perfectius adipisci. Dignè igitur murenularum speciali donatur ornamento Maria, quæ vermiculata passionis Filij sui memoriam manibus, & sermonibus delectatur.* Murenularum catenula omnes virtutes diximus adnumbrari. Deiparæ Deus dat Mariæ omnium virtutum ornamentum, quia assidua fuit Filij passionis contemplatrix.

De nouo Deus præparat specialem gloriam specialissimis Mariæ meritis, ac si gloria iam facta quodammodo nō sufficeret. Philip.

213. Non autem sponsus ait: *Murenulas aureas facimus tibi*, sed *faciemus*. Significat tantam futuram Mariæ futuram gloriam, vt quodammodò necesse sit nouum æternæ felicitatis thronum fabricari, vt gloriæ Mariæ meritis respondeat specialissimis. Non sit molestum tibi, adhuc Philippi Abbatis vocem audire. *Hunc ornatum sponsus non se fecisse Mariæ sponsæ asserit; sed facturum. Vt cauda murenula capiti cohæreat,* gloria meritis *conformetur.* Quasi tot tantisque Mariæ meritis non posset repentè præmium apparari, sed necessaria esset longi temporis opera tam specialis gloria perfici, tam specialibus meritis aptanda. *Præmium ergo, dum Virgo hîc vixit, non obtinuit, sed expectauit*, donec à Deo perficeretur Artifice. *Ideo Dominus non fecisse, sed facturum se promittit.*

Omnia vasa aurea, & argentea Tabernaculi, & Templi Mariæ puritatem halabant. Cantacuz.

Legit Imperator Cantacuzen. *Similitudines auri faciemus tibi cum punctis argenti.* Et adiicit: *Vrnam scilicet, & aureum thuribulum, & omnia aurea, argenteáque vasa comparata tam in Tabernaculo testimonij, quàm in Dei Templo ab ipso ædificato. Ea enim omnia similitudines & figuræ veræ Dei arcæ Mariæ extitere. Veritate verò accedente, non erat amplius opus figuris. Dixit enim: Donec Rex fuerit in accubitu suo, id est, donec terminus ipse meæ prophetiæ perficiatur, & omnium Rex Christus Saluator in ipso Virginis vtero requiescat.* Mariæ igitur puritatem cuncta aurea, & argentea vasa Tabernaculi, & Templi Domini Deiparæ futuræ puritatem hallabant. 214.

Ornamentum Mariæ, eam fuisse electam vermis Christi in Matrē.

Vermiculatas argento. Legunt alij, *cum clauis argenti.* Quasi innuant, hoc gratiæ monile, è collo Mariæ ad pectus appensum vermem fuisse clauis argenteis confixum. Ornamentum enim speciale decusque Virginis fuit eam esse electam in Matrem illius, qui humilitatis affectu de se dixit. *Vermis sum* cruci clauis amoris potiùs, quàm ferri suffixus: & per consequens clauis aureis, & argenteis. 215.

Mariæ cum virginitate maternitas.

Vel gestat pro insigni vermem, vt ostendat, se Christi vermis diuini Matrem extitisse seruato virginitatis decore. Nam sicut vermis à terra absque semine, & industria humana ex sola cœlorum influentia: ita Christus ex Maria ex sola aduenantis Spiritus sancti operatione. 216.

Maria liber est omnium librorum, seu Diuinū sanctitatis summam continens. Dan. 7. Damian.

Alij Hebræi idiomatis peritissimi *cum libris argenti.* Aptè quidem. Aliquando enim libelli aurei, vel argentei pro monili assolent è torquibus pendere. In Scriptura sacra *libri* appellantur Sancti omnes Angeli & homines. Daniel. 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Petrus Damian. *Hi nimirum libri ipsi intelligendi sunt sancti.* Cùm igitur Deus Mariam voluit in Christi Matrem eligere, hosce sibi libros proposuit, vt omnium illorum perfectionis summam ad Mariam transferret. Lege precor Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum libros, & nullam in eis sanctitatis lineam inuenies, quæ in Mariano libro expressa non appareat. Est enim totius sanctitatis epilogus, omnium perfectionum colligatio, vt multi Doctores scripsêre. Quàm diuinus liber, si solum *nomen* (cum Bernardo loquor) *de thesauro diuinitatis euoluitur!* 217. — Bernard.

Pendent præterea è Mariæ collo libri aurei & argentei, seu totius sacræ Scripturæ volumina. Quia ea omnis Mariam hallat, ad Mariam tēdit, sine Maria intellecta quasi cadit, & friget,

ac

ac veteris nouique Testamenti libri sunt sine Deiparæ condimento velut insipidi. Profectò liber ipse vitæ è Maria pendet, quia dependenter à suis precibus & Christi meritis omnes sanctos scriptos esse *in libro vitæ Agni* (Apocal. 13.) quis dubitet?

218\. *Magna Mariæ gloria fuit, se Dei ancillam agnoscere, cũ Domina ab Angelo vocaretur.*

Alij legunt, *cum puncturis, stigmatibus, adustionibus, caracteribusque argenti.* Refero hæc ad notas, stigmata, adustiones, & caracteres mancipiorum. Gloria singularissima Mariæ fuit, cum à Deo in Verbi diuini Matrem, Reginamque Angelorum, & hominum eligeretur, sese ancillam stigmaticam nominare. Ancilla Dei Maria fuit sed argenti stigmatibus, argentea quidem captiuitate, à conditore notata, ne ab eius gratia vnquam aufugeret.

219\. *Maria stella est perpetua apparentia, nunquam à nostris obtutibus abscondita.* Plin.

Plinius lib. 9. cap. 5. scribit, in murenis Galliæ potissimùm septentrionalis in dextera maxilla *septenas maculas, seu clauos, puncta aut notas ad formam stellarum septemtrionis aureo colore fulgere.* Nec nouum tibi sit, septem hasce murenæ notas septem fixis Trionis stellis respondentes *clauos* vocitari. Quia stellæ fixæ in firmamento ab Astrologis *Claui* dicuntur in Chrystallina cœli tabula affixi. Quis autem ignoret, septem stellas illas *perpetuæ apparentiæ* in nostro hemisphærio vocitari? quia nunquam à nostris obtutibus absconduntur. Eligit itaque sponsus inter omnes pisces murenam, vt aureum Mariæ monile conficiat, illudque septem stellis septemtionem repræsentantibus ornatum. Vt innuat Mariam stellam esse, quæ nunquam absconditur, semper ad fauendum hominibus apparatur. Annon *Maria* idem est ac *stella Maris*, quæ nunquam absconditur? Audi Fulbertum Carnot. de Nat. Mart. tom. 11. Bibiot. Colon. *Hæc itaque electa, insignisque inter filias non fortuito quidem, aut solo placito parentum, vt plerique: sed diuina dispensatione nomen accepit, vt in ipsa vocabuli sui figura magnum quiddam innueret. Maria enim interpretatur stella maris. Nautis mare transeuntibus notare opus est stellam hanc manentem à summo cœli cardine coruscantem. Simili modo fratres oportet vniuersos Christicolas inter fluctus huius sæculi remigantes attendere maris stellam hanc* nunquam à nostro hemisphærio fugientem, *id est, Mariam, quæ supremo rerum cardine Deo proxima est, & respectu exempli illius cursum dirigere.*

Fulbert.

220\. *Virginis merita haud possunt verè exponi vt sunt, solum per similitudines exponuntur.* Nyssen.

Septuaginta Interpretum celebris est versio illa, quam Patres speciatim Græci sequuntur. *Similitudines auri faciemus tibi cum punctis argenti.* Nonnulli hæc verba accipiunt quasi dicta ab sponsæ sodalibus, non ab ipso sponso. D. Gregorius Nyssenus huic hærens versioni, maximum mihi offert fundamentum ad singulare admodum Deiparæ elogium. *Par est,* ait, *hoc non prætermittere inconsideratum, cur non ipsum aurum assumitur ad ornatum, sed auri similitudines, & non ipsum argentum, sed quod hac materia impressa, sint notæ auri, aut argenti similitudines? Quod ergo de his nobis venit in mentem, est huiusmodi. Vniuersa doctrina de ineffabili natura etsi maximè Deo conuenientem, & excelsam videatur ostendere sententiam, Dei sunt similitudines, non autem ipsum aurum. Omnis autem oratio, quæ significat huiusmodi mentis conceptionem, habet vim cuiusmodi puncti indiuidui, non valens explicare quod vult mentis cogitatio. Omnis autem interpretans oratio videtur esse breuè punctum respectu Dei.* Haud aliter de Virgine sodales profantur: O Regina inter mulieres pulcherrima *similitudines auri cum punctis faciemus tibi.* Quantumvis enim mentes eleuemus, linguam acuamus; adhuc explicare non possumus auri veri præstantiam, sed similitudines solùm vmbrasque gloriæ tuæ, immensæque dignitatis attingimus.

In hoc aureo monili ad pectus Virginis appenso tria animalium genera conspiciuntur iuxta originalis Hebraici proprietatem, *turturem* auem è sublimi aëris regione, *murenam* piscem ex aquatico elemento, *vermiculum* sphæræ terrenæ, ac inferioris. Quasi sponsus innuat omnem creaturam à Deipara dependere.

Addiderim, *Maria* nomen nomini *Iesu* assimilari, sponsum asseruisse. *In nomine Iesu omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Haud aliter nominè Mariæ audito cœlestis natura per auem, terrena per vermem, inferna per piscem signata, genu humiliter flectunt. Amedæus hom. de laud. Mar. *Nomini Iesu genu infernorum flectitur per terrorem, genu cælestium per beatificationem, genu terrestrium per acquisitionem. Dæmones subiicit gladio suo, homines redimit sangine suo, Angelos satiat vultu suo. Ipse est Filius tuus ô Maria, ipse amor tuus. Attulit tibi cœli principatum per gloriam, Regnum mundi per misericordiam, inferni subiugationem per potentiam. Tantæ igitur, tamque ineffabili gloriæ tuæ diuersis affectibus cuncta respondent, Angeli in honore, homines in amore, dæmones in tremore. Cœlo namque es venerabilis, mundo amabilis, orco terribilis.* Albertus Magnus de salut. Angel. cap. 203. *Habuit Maria benedictionem Adæ, & Euæ, quæ continet terræ subiectionem, & animalium dominationem. Maria enim dominatur per potentiam piscibus maris, id est, dæmonibus in amaritudine inferni constitutis. Dominatur volatilibus cœli, id est, eleuatis Angelis, & hominibus in cœlum volantibus, & ad altitudinem contemplationis Dei. Dominatur etiam per misericordiam vniuersis, quæ mouentur super terram, id est, hominibus in mobili vita constitutis.* 221. *Maria nomen Iesu nomini assimilatur.* Amedæ.

Pontificius ornatus erat veluti Mappa mundi. Sapi. 18. *In veste poderis erat totus orbis terrarum.* Similem excellentiam hoc aureum monile Virgini promissum videtur redolere in aui turture, vermiculo terrestri, & murena pisce, stellato (vt vidimus) qui cœlum etiam repræsentat. Addo; In Pontificis fronte affixa erat aurea lamina in qua nomen *Ieoua* erat scriptum. Simile & in hoc est Mariæ monile. *Similitudines auri faciemus tibi.* Alij legunt, *laminam auream faciemus tibi.* Laminam scilicet, in qua Mariæ nomen inscribatur. Vt innuatur duplex Marianæ gloriæ mysterium. Vnum, eius Maternitatem eminenter sacerdotali æquipollere dignitati. Alterum vt sicut ineffabile Dei nomen debet ab vniuersa creatura adorari, sic & gloriosissimum Dei genitricis nomen. 222. *Maternitas Mariæ sacerdotali dignitati æquiparatur. Eius nomini vniuersa flectit creatura.*

Virgo beatissima in domo probaticæ Piscinæ exoritur. Damascenus orat. 1. de Nat. Mar. *Maria nata est in domo probatica. Gratia tibi, ô probatica, in qua nata est B. Virgo Maria.* At iuxta Auctorum bonæ notæ sententiam, virtus 223. *Idem honor datus à Deo probaticæ piscinæ, & Mariæ.*

nomen, qui nomini Ieſu fuit collatum. Damaſc. illa ſanitatis è Maria eius aquis tunc diluta ortum habuit. Hinc elicio eundem honorem probaticæ piſcinæ datum eſſe à Deo ob Mariam quodammodo, qui Ieſu nomini fuit collatum. Iuſſit Pilatus in crucis titulo Ieſu Nazareni nomen inſcribi tribus linguis, ac caracteribus, Latinis, Græcis, Hebraicis. Ioannes autem eiſdem tribus linguis probaticam piſcinam inſigniuit. *Probatica piſcina, quæ Hebraicè dicitur Bethſaida.* cap. 5. (Ioan. 5.) *Probatica* nomen eſt Græcum. *Piſcina* eſt Latinum. *Bethſaida* Hebræum. Vt innueret ſponſus Virginis nomen, quod ei impoſitum fuit die natalitio, ſimilem futurum Ieſu nomini, è quo cunctæ Nationes contrahunt ſanitatem.

Verſ. XII.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

224. *Maria humilitas quandã infinitatẽ oſtentat.* Honor.

EFfectum humilitatis Mariæ fuiſſe Verbi diuini Incarnationem hæc verba proclamant. Honorius in Sigil. *Cum eſſet Rex in accubitu ſuo, id eſt Verbum in ſinu Patris; nardus mea dedit odorem ſuum. Id eſt, per humilitatem ingreſſus eſt in vterum Virginis. Nardus enim humilitatem, odor autem ſignificat Incarnationem.* Effectus, ſeu fructus humilitatis Mariæ fuit Verbi Incarnatio? Quoddam ergò quaſi infinitatis genus Mariæ humilitas videtur continere: quia infinitus ille effectus quomodo poterat niſi à cauſa infinita quodammodo oriri?

225. *Maria ineffabilis virtus ante incarnationem erat occulta: per Maternitatẽ eſt omnibus nota.* Philip.

Ante Incarnationem Mariæ virtus erat occulta, Dei autem Mater effecta neceſſariò omnes concipimus, eſſe ineffabilem, Philippus Abbas, *Nardus herba eſt humilis, calida natura, ſucci pinguis, denſa foliis, odore ingens, conficiendis aromatibus congrua.* Tot, tantaſque virtutes nardus humilitatis velo operit: *Nardus herba humilis. Per hanc* (addit Abbas) *non incongruè virtus Mariæ Virginis figuratur, quæ ante aduentum ſponſi parua, & ſoli Deo cognita videbatur, eo autem præſente* (per Incarnationem) *longè latéque dedit ſuauitatem odoris, effundens ad exteros notitia beneficium.* Quis enim agnoſcat Mariam eſſe Dei Matrem, qui ſimul non videat, eius virtutem, eius merita ineffabilia prorſus exiſtere?

226. *Dum Maria humilitatis affectu Incarnationis myſterium occultat, ſponſo, vberius ei, & aliis reuelatur.* Philip.

Fatur ſub alio ſenſu idem Philippus. *Accumbente ſponſo in vtero Virginis, iuſtus Sol Ioſeph ignotum myſterium, reuelante Angelo, & Sacramenti magnificentiam admiratur: intelligens Virginem non corruptam, nec de viro altero concepiſſe; ſed conceptum mirabilem dono ſancti Spiritus accepiſſe.* Verè fuit Maria humilitatis nardus, quæ nec coniugi ſuo voluit myſterium Incarnationis aperire. At ex vi ipſius humilitatis, cui agnatum eſt exaltari, illicò id Ioſephus agnoſcit, & admiratur. Prius autem Eliſabeth & Ioannes nardi fragrantiam percepere.

227. *Maria accubitus, vt beatiſſima Trinitas cœnat, ac plenè reficitur.*

Hunc verò Dei accubitum ſic Alanus concelebrat: *Poſtquam glorioſa Virgo non ſolum mente, ſed etiam ventre concepit, facta eſt in ea ſpiritualis Chriſti accubitus. Vbi enim ſpecialiter cœnauit cum Patre, & Spiritu ſancto? Vbi ſpecialem fecit manſionem? Vbi plenè recubuit niſi in ventre Virginis? O fœlix mens, in qua cœleſtes conuiua tres Perſonæ ſpecialiter, & ſpiritualiter reficiuntur:* (Alan.) In ventre Mariæ Verbum factus homo cœnauit: in mente autem Pater & Spiritus ſanctus. Quænam fercula tantis conuiuis niſi Mariæ virtutes; quæ quidem ſolæ potuerunt beatiſſimæ Trinitati plenam præbere refectionem?

Aliter ipſe Doctor locum interpretatur. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, id eſt, Dominus Ieſus aſſumptus in requiem,* iam immortalis: *Nardus mea dedit odorem ſuum, id eſt, fama mea quæ prius erat humilis, & deiecta, per totum orbem eſt diffuſa.* O feliciſſimam Hiſpaniam! ô ter quaterque beatum Aragoniæ Regnum, quod poſt Chriſti Domini Aſcenſionem non ſolùm famæ Mariæ percepit odorem: ſed ipſam mundi Reginam adhuc ſuperſtitem aſpexit; quando beatiſſimum Iacobum Apoſtolum in Cæſaraugustanæ Vrbis columna dignata eſt inuiſere. 228. *Poſt Chriſti aſcenſionem Mariæ fama per orbẽ diffuſa.* Alan. *Hiſpania primum hac gloria donatur.*

Rupertus aliò tendens, ſcripſit. *Cum eſſet Rex in ſinu, vel in corde Patris, de illis altiſſimis ſuis reſpexit humilitatem meam. Hoc eſt, quod dico: Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Quid etenim eſt, vel erat accubitus Regis, niſi vel cor, vel ſinus Patris? Olim in Eua malo ſuperbiæ fœtore offenſus, & ob hoc ab humano genere auerſus fuerat. Nunc autem delectatus mea fragrantia, ad genus humanum conuerſus eſt.* 229. *Deus, qui per ſuperbiã Euæ fœtorem à mundo fuit auerſus, delectatus humilitatis Mariæ fragrantia ad nos conuertitur.* Rupert.

Placet verò mihi præ aliis Guillelmi Parui interpretatio. *Toto tempore* (ait Maria) *quo Rex erat in accubitu meo,* ſeu in virgineo vtero, *in magnis agebam deliciis deuotionis meæ.* Nonnulli aſſerunt, has delicias ex clara de viſione profluxiſſe. Ego crediderim, ipſam Virginis deuotionem adeo eſſe cœleſtem, vt dum eam ageret ex cordis affectu, quodammodò beatifica viſione frueretur. 230. *Mariæ deuotio quaſi gloria cœleſtis.*

Delrius aunotat, vterum Virginis *accubitum ſuum*, id eſt, ſingulariter Chriſto proprium ab ipſa appellari ob corporis incorruptam puritatem. Nemo enim ante illum, & nemo poſt illum in ſacerrimo vteri thalamo virginalis accubuit. Ait etiam *odorem ſuum* ſingularem; nunquam enim alia fœmina mater, virginitatis fragrantiam ſimul efflauit. 231. *Maria virginitas cũ maternitate.*

Idem Auctor eleganter hoc teſtimonio *dum eſſet Rex, &c.* Viſitationis feſtum celebrat in Florida Mariana profatus: Quare potius nardus, quam roſa, quam lilium, quam cupreſſus, quam aliud arborum, florumve genus, quorum tanta copia eſt in deliciarum paradiſo? Oſtendam, cur feſtiuitati hodiernæ Viſitationis Mariæ hæc Cantici Canticorum verba accommodem, curque Mariæ nardus in Cariatharbe dedit odorem ſuum. Doctores tradunt, per nardum humilitatem ſignificari. Cariatharbe *accubitum*, vel *quatuor* ſignificat. Nonne in Cariatharbe Rex quando Chriſtus in accubitu ſuo? Nonne Chriſtus in accubitu ſuo, quando Maria in Cariatharbe dedit odorem ſuum? Nonne Cariatharbe ciuitas quatuor incomparabilium, cum in ea ſimul Elizabeth, & Ioannes, & Maria, & Ieſus? Nonne hic Cariatharbe nardum ſpirat quatuor? Spirat humilitatem Eliſabeth, ſpirat humilitatem Ioannis, ſpirat Maria, 232. *Mariæ nardus ſuum humilitatis odorẽ dedit in Cariatharbe, die Viſitationis.*

Maria, spirat Iesus. Quocumque me verto, spirat nardus; sed efficacius Mariæ nardus spirat, quia per Mariæ nardum nardus spirat *Iesu*. Hactenus ille.

233. *Odor virtutum Mariæ, quasi par æternitati ad Deum æternum ascendit: & inter suaueolentiã diuinorum aromatum potuit distinctè percipi.*

Alij verba hæc à Spiritu sancto pronuntiata esse contemplantur: ita vt Mariam appellet *Nardus mea* hic, sicuti alibi *Columba mea, immaculata mea, soror mea, sponsa mea*, eam assolet vocitare. *Dum* igitur (ait ille) *esset Rex* sæculorum immortalis *in accubitu suo*, in requie scilicet fœlicitatis æternæ, *nardus mea*, seu Maria humilis & excelsa *dedit odorem suum*, gratiarum scilicet & virtutum, quæ humilitatis ex radice procedunt. Tantæ efficaciæ Mariæ odor virtutum extitit, vt cum ab æternatitatis requie vsque ad Mariæ aduentum tam immensum intercesserit sæculorum spatium, ad diuinum tamen par æternitati peruenerit. O quasi infinitè fragrans Mariana nardus, quæ inter suaueolentiam diuinorum aromatum Trinitatis beatissimæ, distingui, seu discerni potuerit!

234. *Maria Angelorum, qui in mõte aromatum designantur, fragrantiam lõgo interuallo superat.*

Item *dum esset* Verbum *Rex in accubitu suo*, id est, inter Angelos. Sancti enim Angeli vtpote gratissimi Deo Spiritus requiei eius sunt accubitus. *Qui sedes super Cherubim: Nardus mea*, id est, Maria; *mea* quidem, quia semper meum per gratiam futura nunquam aliena: *dedit odorem suum*, seu perennis gratiæ fragrantiam, qualem decebat eam, quæ fuerat in Dei genitricem electa. Tanta odoris virtutum Mariæ vehementia, vt cum Deus semper inter lilia, rosas, violas, aromataque cuncta Angelicorum spirituum qui in *monte aromatum* cap. 8. (vti videbimus) designantur, diuersetur: adhuc Mariæ fragrantia Angelicum superet odorem: & ad præsentiam illius quodammodo euanuerit. Vndè Rabbi innominatus apud Genebrardum ait: *Vsque adeò vehemens fuit odor nardi mei, vt peruenerit ad Regem, qui sedet in suo accubitu vnà cum suis Angelis socijs*, in eorum virtutum *aromatum monte* fragrantia fruens. (Rabbi innominat.)

235. *Maria incensum est sacrũ, semper rectã ascendens, dæmones abigens.*

Quidam Hebræus Magister in allegorica exposit. Genebrardi citatus, sic locum vertit: *Dum esset Rex in accubitu suo, tunc suum nardus mea spirauit odorem, nempe fumum incensi.* Sacrum incensum, ac thymiama duo habebat singularia concessa diuinitatis priuilegia, quibus Mariæ symbolum egit. Vnum quod occulta Dei prouidentia semper rectum ascendebat fortissimæ columnæ instar, licet vehemens ventus perflaret. Alterum, quod illius fumo dæmones à Templo abigerentur. Meritò ergo Mariæ nardus hunc fumum spirat. Siquidem virtutum eius fumans virgula nullo potuit contradictionum flatu deflecti. (Magister Hebræus.)

Vers. XIII.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.

236. *Variæ versiones.*

Dupliciter potest hic accipi myrrha, vel pro arbusculo, seu plantula ipsa, vel pro succo odorifero, qui ex ea ad solis radios spontaneus exudat, vel violentia exprimitur, vel ex gumma hauritur incisa. Succus hic induratus temporis spatio thuris ad instar, *Gutta* dicitur. Vulgatus noster *Myrrham* sumpsit pro plantula, quatenus ex ipsius ramusculis fasciculus colligatur naribus applicandus, qui Hispanico idiomate dicitur *Ramillete*. Septuaginta verò *Myrrham* pro aromatico succo seu gutta desumunt: leguntque, *Alligamentum guttæ*, seu *sacculus guttæ*, seu *olfaciolum guttæ*. Alij legunt, *Fragmentum myrrhæ*, quasi ramusculum è stipite myrrhæ defectum. Aben-Esra ait, ab aliis legi, *Alligamentum musci*, Hispanè *Almizcle*, Italicè, *Musco*. Delrius annotat, mulieres Hebræas è collo ad pectus quædam vascula gestare solitas, Hebraicè dicta *Pectoris domus*, vel *olfaciola* ob massam odoriferam inibi commorantem: & asserit, de huiusmodi vasculis gutta plenis locum hunc intelligi posse iuxta Hebrææ dictionis vim. Nam vbi dicit translatio nostra, *Fasciculus myrrhæ*, in Hebræo habetur *Globus musci*, aut *vesicula musci*. Pagninus in Thesau. legit. *Alligamentum theriacæ*. (Septuag. — Pagnin.)

237. *Dũ Christus aderat in Maria vtero quasi contractũ, eius virtus refluebat in Matrem.* Origen.

Fatur Origenes *hom. 2. ex 4*. Mariæ ex ore: *Alligamentum guttæ dilectus meus mihi, seu fraternus meus. Fraternus meus mihi guttam redolet*, & hanc non diffusam, sed *colligatam, & constrictam*, quo scilicet odor eius reddatur *densior, ac vehementior*. Potiò Christus Dominus in Virginis vtero cum intra naturalis exiguitatis angustias aderat, verè erat *gutta colligata* habens quasi repressam diuinæ munificentiæ immensitatem. At quidquid virtus illa infinita tunc in aliis non operabatur, refluebat in Matrem; ob id enim Origenes inquit. *Odor eius vehementior, ac densior reddebatur.*

238. *Maria omniũ gratiarum cœlestium fasciculum accepit.*

Fasciculus myrrhæ. Dei gratia respectu Angelorum & hominum diuorum fuit quasi quidam flos, aut ramusculus singularis: at respectu Mariæ quasi fasciculus *colligatus* extitit. Singuli cœlicolæ, singuli diui possunt pro stemmate suo speciales gratiæ ramos ostentare: at Virgo integros fasces omnium cœlestium donorum epilogum obiicit. Nec mirum, in ipsa omnium gratiarum germina contineri, si Deitatis arbor, ex quo omnia pullulant, fuit in eius vtero plantata.

239. *Per Mariam diffusa est in homines Verbi Incarnati fragrantia.* Origen.

Idem Origenes legit, *Alligamentum guttæ fraternus meus mihi*, & addit: *Corporeæ natiuitatis Christi indicat Sacramentum. Videtur enim quodammodo alligamentum esse, & vinculum quoddam animæ corpus. Quod alligamentum guttæ in Christo diuinæ virtutis ac suauitatis distringitur.* Ac si Maria diceret, *Dilectus meus* post Incarnationem est gutta suauissima vinculo corporeo colligata per hypostaticam vnionem. Antequam Deus homo fieret, erat gutta incorporea, aroma liberum, cuius fragrantiam homines non plenè percipiebant. Postquam verò dignatus fuit carni ex Virgine assumptæ alligari, descendens *sicut pluuia in vellus*: iam suauissima eius fragrantia ad omnes diffunditur, dum Mariæ vellus guttam quam plenè ebibit, *sicut stillicidia* in terram emittit.

240. *Maria diuinitatis mare infinitum ad guttulam quasi reduxit facilè à nobis excipiendum.* Origen.

Fatur idem Origenes hom. 2. ex duabus, *Fasciculus seu alligamentum guttæ, & stillæ. Si ergo videris Saluatorem meum ad terrena, & humilia descendentem, videbis, quomodo virtute magna, & maiestate diuina ad nos modica quadam stilla defluxit.* Diuinitas ante Incarnationem mare quoddam immensum, pelagus

infini

infinitum hominibus erat, in cuius cognitione mens naufraga mergebatur. At Maria mare hoc suo in vtero ad guttam facile à corde humano excipiendam coarctauit.

241. *Maria diuinitatis montem nobis in lapillum exiguum coarctatum dedit facilè corde excipiendum.* Dan. 2.

Daniel cap. 2. vidit lapillum *sine manibus* præcisum in Dominicæ Incarnationis symbolum. *Lapis* (inquit Origen. citat.) *erat pretiosus è monte præcisus sine manibus, nostri in carne Saluatoris aduentus.* Quis dubitet Mariam esse montem, è quo Christus descendit ad nostræ vallem infirmitatis? Nec dubitare possumus, diuinitatem montis typo signari. Descendit ergo totus diuinitatis mons ad Virginis montem, & ipsa totam montis diuini magnitudinem infinitam quasi ad modicum lapillum reduxit facilè ab hominibus excipiendam. *Nec enim poterat* (adiicit ille) *humana fragilitas totius montis magnitudinem ferre.*

242. *Diuini pelagi immensitatem Maria in stillam quasi mutatum nobis hauriendum propinauit.* Origen.

Adhuc Origenes. *Oportebat quippè, vt quia omnes gentes in styllam situlæ reputatæ sunt, is, qui pro salute omnium factus est omnia, etiam stylla, & gutta fieret ad omnes saluandos. Quid enim pro salute omnium factus non est? Nos inanes, & ipse pro nobis exinanitus est. Quia igitur vniuersæ gentes vt stylla situlæ reputatæ sunt, idcircò factus est stilla.* Annon in Mariæ vtero hanc pelagi in stillam, & guttam facta est computatio? *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut styllicidia stillantia super terram.* Psalm. 71. Tota deitas instar immensæ pluuiæ in virgineum vellus in Mariæ vterum effluxit: ipsa autem eam nobis sicut *stillicidia*, id est, sicut in stillas seu stellam mutatam capiendam faciliùs obtulit.

Psal. 71.

243. *Suadet Mariæ quod eiamnunc Matrem Dei esse, vt cognoscamus eam cunctis gratiis ornari.* Psellus.

Psellus ex Nysseno apud Theodoretum hîc. *Fasciculus myrrhæ, seu alligamentum guttæ. Mulieres quædam, ad amorem excitandum, aliæ gestant vnguenta in vestimentis; Ego autem euiusmodi fragrantissimi odoris loco pulcherrimum sponsum vt suauissimum vnguentorum fasciculum collo suspendentem retinebo.* Ac si Mater sponsa Maria diceret: (ei Ecclesiæ verba hæc accommodo.) Alij dini pro stemmate distinctiuo ea priuilegia ostentant, queis diuinitùs exornantur: Alij prophetiam, alij apostolatum, alij martyrium, alij virginitatem. Ego autem nè per singula quæque dona percurram, quod difficile esset, & interminabile iter, Filium meum Deum & hominem simul sponsum è collo gestabo: vt qui me aspexerit tanti Filij parentem, me habere cuncta gratiarum aromata non dubitet.

244. *Mariam suo Filio ornari idem est, ac omnibus cœlestibus exūdare diuitiis.*

En Mariam Christi Domini sponsam *è cœlo descendentem ornatam Viro suo.* Apoc. 21. Vt appareat, Mariam totius sanctitatis Ecclesiæ epilogum existere, sufficit suo Filio sponso exornari, seu Christi Dei & hominis esse Matrem. De Philonis disertissimi Iudæi vxore fertur, quod cùm ad eam inuisendam multæ nobiles matronæ confluerent pretiosissimis ornatæ monilibus, admiratæ, illam prædiuitem admodum, simplici vti vestimento: illis id obiicientibus illa respondit: *Mihi meus Philo pro omnibus margaritis atque monilibus vberrimè sufficit.* Haud aliter Virgo iure meliori potest affirmare, sibi suum Iesum sufficere, vt ornatam illo solummodò, omnibus innotescat, se cunctis gratiarum monilibus simul ornari.

245. *Maria se synagogæ &*

Porrò Ambrosius ad Psalm. 118. sic vertit: *Colligatio guttæ sobrinus meus.* Vndenam sobrinum suum Maria nominat eum, qui verè eius est Filius? Crediderim; hinc Virginis ineffabilem erga homines exprimi charitatem. Quinam sunt *sobrini*? Porrò filius sororis sobrinus vocitatur. Maria ergò sobrinum suum Filium appellat, humanæ naturæ tribuens Dei maternitatem. Vt Christus, illam velut matrem ardentiùs diligere alliciatur. Annota huiusce filiationis effectum. *Corpus* (adiicit Ambrosius) suscipiens Dominus *Iesus charitatis se vinculis*, seu synagogæ, seu Ecclesiæ, quarum se Maria sororem efficit, *colligauit*, vt matri. *Vt non solùm se membris nostris, & passionibus naturalibus, sed etiam Cruci deuinciret.*

Ecclesiæ ex Gentibus sororem efficit, vt Christus vni & alteri sese vti matri plus misericordem exhibeat. Vnde Virginis charitas innotescit. Ambros.

Rupertus verò hic dolorem Virginis in Filij passione dignoscit. *Prophetissa* (inquit ex Mariæ ore) *eram, & ex quo Mater facta sum, sciui ista passurum. Vberibus lactabam, & prophetica mente prauidebam qualem, quantam, quam prolixam materni doloris me perlaturam passionem. Hoc est, quod dico: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. O commoratio dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus. Ad vbera deforis cingebatur, & iisdem lactabatur vberibus: at simul inter vbera intus in corde præscio futurorū semper apparebat, quali esset morte moriturus.* Christus ergo myrrha fuit, passionisque instrumentum in Virgine. Vnde sicut alij Martyres varia tormentorum suorum ostentant insignia, Stephanus lapides, Laurentius craticulam, Sebastianus sagittas, Catherina nouacularum machinam: sic Maria Filium ostentat myrrhæ fasciculum pectori hærentem suæ diræ passionis instrumentum. 246.

Christus fuit vt instrumentum Martyrij Deiparæ. Rupert.

Aliò Philippus Abbas tendit. *Et si alij*, inquit, *fascem durum videntur in meo dilecto Filio sustinere, qui non meruerunt concordiam carnis & Spiritus habere: mihi tamen dilectus meus fasciculum se voluit exhibere: qua sopitâ carnis luctâ, concessa sum continuis eius amplexibus cohærere.* Hoc itaque priuilegium fuit Virgini concessum leuem fasciculum genus omne virtutum reputare. Quia nullam vnquam renitentiam sensit in carne, prorsus extincto concupiscentiæ fomite. 247.

Legis pondus Virgini fuit quasi leuis fasciculus. Philip.

Fatur Alanus. *Quia pro nostra redemptione passus est, inter vbera mea commorabitur: id est, in intimo cordis mei amore detinebitur.* Et addit. *Duo vbera Virginis, duo sunt brachia charitatis: vnum, quo dilexit Christum tanquam Deum; aliud, quo dilexit Deum tanquam Filium, & his duobus brachiis charitatis amplexatur illum. Vel ideò Christus dicitur fasciculus myrrhæ Matri suæ, quia venturus in carne exclusit à Matre* futura *omnem concupiscentiæ fomitem, atque putredinem; sicut myrrha præseruat carnem à putredine immunem.* 248.

Duo Mariæ vbera duo amores, queis amabat Christum vt Filium & vt Deum. Alan.

Christus myrrha fuit liberans Mariam à concupiscentiæ putredine. Alan.

Denique Dionysius Carthusianus vberiùs verba hæc ad Virginis ex passione Christi præuisa dolorem accommodat. *Sicut Dominus Iesus*, inquit, *dignissimæ Matri materia copiosa lætitiæ fuit: ita & tristitiæ. Et quidquid pro humani generis redemptione Filius eius sustinuit, ipsa per modum fasciculi recollegit, colligauit, & cordi suo firmissimè ad recolendum impressit.* Vnde cor Virginis simul vno vulnere patitur omnia tormenta, quæ Christus diuersis temporibus sustinuit. *Et sicut quibusdam sanctis creditur reuelatum, amabilissima Virgo à Filij sui* 249.

Maria cor vno vulnere simul patitur, quæ Filius diuersis temporibus sustinuit. Carthus.

Virgo per momenta singula

patiebatur, & moriebatur, præuidens Filij passionem.

sui infantia grauissimos semper tolerauit dolores, inspiciendo amantissimum Filium, & manus, pedésque eius tractando, seu intuendo. Quia certissimè nouerat, & frequentissimè considerabat, qualiter Filius suus esset ab impiissimis crudeliter occidendus, perforandus, ac crucifigendus. Ex qua consideratione tantam compassionem, & afflictionem incurrit, quod venit quasi ad extasim: & tunc verè dicere potuit: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Semel Christus passus, ac mortuus est: sæpè Maria quotidie & compatitur, & commoritur. Vndè aptiùs quam Paulus poterat inclamare: *Quotidie morior.* Parùm dixi: *Quotidie per momenta singula patior & morior.* Ergo vnica Christi mors mortes plures in Deipara connotauit.

Vers. XIV.

Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.

250. *In resurrectione Christi præcipuū Mariæ gaudium fuit, illum resurrexisse, vt peccatores mortui ad gratiam resurgerent.* Rupert.

NVllum est in sacra Pagina testimonium, in quo tanta sit versionum varietas: eis vtar solummodò, è quibus aliquod Deiparæ præconium colligere valeam. Rupertus legit. *Dilectus meus botrus Cypriæ Insulæ in fonte hœdi*: Sicque locum Mariæ accommodat: *Dilectus meus Filius fasciculus myrrhæ mihi fuit, quia moriturus: & botrus Cypri, quia resurrecturus, & vltrà non moriturus. Botrus inquam, Cypriæ Insulæ botros prædulces, vinumque optimum adferentis. Quia non qualecumque, sed optimum vinum est resurrectionis. Et hoc in vineis Engaddi, seu fonte hœdi. Cur ergo ita dixerim? Idcirco quia meus iste dilectus non iustos, sed peccatores vocare venit in resurrectione prima: quia fuerant in peccato mortui, & in fonte hœdi in fonte Baptismatis, in lauacro regenerationis, quo regenerati, fiunt oues, qui fuerant hœdi: fiunt sancti, qui fuerant peccatores.* Itaque Christi resurrectio fuit lætitiæ merum Deiparæ in fonte hœdi, seu Baptismatis. Quia tanta eius charitas erga peccatores, vt in Filij resurrectione præcipuum gaudij excitamentum sit, resurrexisse Christum, vt peccatores mortui ad gratiam resurgerent.

251. *Ineffabile gaudiū Mariæ in Filij resurrectione, mœreri ineffabili in eiusdem passione respondent.* Philip.

Porrò Philippus Abbas eidem Insulæ Cypriæ sensui hærescens, vberiùs Virginis gaudium in Christi resurrectione expressit. *Botrus fructus est, qui processu temporis maturitate adepta, congruus est ad edendum. Postmodum pressus prælo, liquorem vini ad bibendum eliquat, cuius suauitatem plenius cunctis Virgo beatissima prægustauit. Quæ enim illo mortuo myrrhæ amaritudinem prægustauit; eodem resurgente, velut pota vino, suauius exultauit. Botrus hic non incongruè à loco Cypri commendatur, Cyprus enim insula est vini optimi præfœcunda. Rectè ergo botrum Cypri suum dilectum Filium voluit appellare, qui sibi diligenti tantum gaudium dignatus est propinare: vt mœrore terso, quem intulerat passio morientis, velut ebria redderetur gustu suauissimo resurgentis.* Si Virginis mœrori in passione Filij percepto, gaudium ex ipso resurgente respondit, mœror, qui illam plusquam Martyrem effecit, gaudium ineffabile connotat.

252. Petrus Galatinus *lib. 6. c. 3.* hoc tanquam insigne testimonium pro Christo Domino affert, sic legens: *Botrus Cypri, &c.* Hebraïca originalia sic: *Vir, vel omnia parcens, vel omnia satisfaciens dilectus meus mihi in fonte, vel oculis hœdi.* Addit verò. *Et quid est. Vir omnia? Vir quo omnia sunt; & quid est parans, vel satisfaciens, nisi qui parcit, & satisfacit pro peccatis? Sequitur in vineis Engaddi, idest, fontis, vel oculis hœdi. Hi sunt Patres sæculi, qui post te trahebantur velut hœdi, vt acciperent benedictionem, quæ est fons, & oculus hœdi, & oculus sæculi, & fons æternus.* Igitur Maria ait: Dilectus meus est mihi *vir* vel *omnia*, quia specialissimo modo mihi omnia fuit, id est, mihi omnia gratiarum genera impertiens. *Et omnia satisfaciens*, quia in omnibus Matris honori satisfecit. Vnde nisi Christus omnem honorem, cuncta priuilegia suæ Genitrici non præstitisset, iuri debito Matri satisfecisse minimè videretur.

Christus Mariæ omnia cōtulit priuilegio obligationē Filij erga Matrem satisfaciens. Galatin.

253. *Christus natus ex Virgine omne bonum, peperit in Matre omnia, quæ ei congruebant priuilegia.* Delr.

Martinus autem Delrius in Mariana florida aliter legit illud Hebraicum *Iscol Haccopher: Vir omnia pariens dilectus meus mihi.* Quemadmodum Maria suo in virgineo partu vnicum pariens Christum fuit *omnipariens*, sine *omnia pariens*, quia enixa est Deum, qui est omne bonum: haud aliter Christus Matri retulit vices, ex omnipotentiæ vtero pariens in ea *omnia* priuilegia, quæ tantæ Reginæ conueniunt. Volumine secundo locum hunc vberiùs versabor de immaculata Virginis conceptione.

254. *Tanta est Mariæ in homines charitas, vt omnia beneficia quæ Christus eis contulit sibi ipsi collata esse clamet.*

Recolo plures huius loci versiones ex vi Hebræi vocabuli. *Botrus Cypri*: nempè *Botrus Balsami, Vini, Camphoræ, Ligustri, Capparis, Dactyli, Nucis, Cyparissi.* Annon Christus Dominus botrus vineæ est in cruce expressus? Botrus Camphoræ candidus, nos candidos efficiens? Botrus Ligustri, seu flos per mortem mundo vitalem excidens (*Alba Ligustra cadunt*) Botrus Cyparissi in cruce? Certè si cupressi glandem diuidas, & intima viscera attentè perspicias, ea quasi quisdam affixa crucibus inuenies. Annon Botrum dactyli dulcissimum se Dominus in Eucharistia præbet? Num non instar capparis cibi spiritualis appetitum excitat? Certè si capparis Pineda *c. 12. Eccles.* Auctore, in terris aridis nascitur, Christus è Maria *terra sitiente* virginea exoritur. Camphoræ arborem albuginis oculorum morbis mederi Arabes affirmant. Christi autem sanguis in cruce homines à mentis cæcitate sanauit: imò à corporea, si (vt Barradius, & Salmeron nostri ex quorundam Patrum auctoritate testantur) Longinus ille cæcus ad lanceæ puncturam dominico è vulnerato latere sanguine visum recepit. Hæc Christus operatur in hominum salutem. At cur Maria asserit cuncta hæc sibi esse, seu in eius vtilitatem esse excitata. *Botrus Cypri, Vineæ, Camphoræ, Ligustri, Cyparissi, Dactyli, Capparis dilectus meus mihi.* Certè quia tanta est erga homines Mariæ charitas, vt quæ in eorum salutem Dominus est operatus, in sui ipsius commodum esse effecta profiteatur.

255. *Christus botrus vini fecit Mariam erga fidem sui incalescere: & eam se ipso tanquam vino refecit.* Alan.

Legit præterea Alanus. *Botrus vini, seu vuarū racemus expressus dilectus meus mihi.* Quare precor? Addit Doctor. *Christus gloriosæ Virgini fuit vini Botrus, quia in primò Virginē ante ipsius Christi aduentum odore suæ famæ respersit: quando per legem, & Prophetas ei innotuit: & eam incalescere erga fidem sui, & charitatem fecit; &* in

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic.

in carne veniens eam ſe tanquam ſpirituali vino refecit.

256\. *Mariæ fortitudo ad tribulationũ ſuſtinentiam.* Alan.

Legit etiam Alanus. *Botrus mœroris, & triſtitiæ dilectus meus mihi. Attamen illo charitatis mero confortata, ad omnem tribulationem, & mœrorem, & tentationem ſuſtinendam parata fuit. Et ideò eleganter ſequitur, Cypri. Cyprus enim mœror, & triſtitia interpretatur. Virgo autem in ipſis tribulationibus, & tentationibus de ſe ipſa dicere potuit illud Iobi 7.* (iuxta L X X. interpretationem) *In his omnibus non peccaui labiis meis coram Deo. Et intellexit, quomodo quis à Deo eripitur tentatione: & quomodo vita hominis ſuper terram eſt tentatio.* Ideò *competenter adiungitur. In vineis Engaddi. Engaddi interpretatur oculus tentationis.* Quia oculos tentationes ipſæ habent, *quibus illuminati fideles intelligunt, ſe à tentatione Dei miſericordia liberari.*

257\. *Quam ineffabilis Mariæ erga Deũ dilectio, quæ eã in Verbi Matrem euexit!* Richard.

Richardus verò de S. Laurent. *lib. 4. de laud. Mar.* ad feruentem in Filium Mariæ amorem locum allicit. *Feruens & calida Virginis dilectio. Feruenter enim diligit* (ait Bernardus) *quia ita inebriatur amore, quod non cogitet maieſtatem: Sic diligebat Maria, cum dicebat, oſculetur me oſculo oris ſui. Cant. 1. Et in hoc verbo benè apparet, quod erat inebriata. Si quæratur, quo vino? Ipſa reſpondet. Botrus Cypri dilectus meus mihi. Grandis botrus, & forte vinum: & ex multo potu fortis vini ſequitur ebrietas. Ideo dicit* D. Bernardus, *Maria quia plus omnibus dilexit, ſingulare miraculum Deus Pater in ea perpetrauit.* O quàm ineffabilis Mariæ in Deum dilectio, quæ illam in Verbi Matrem euexit!

258\. *An Mariæ charitati mundi redẽptio debeatur?* Richard

Idem Richardus lib. 12. fatur. *Chriſtus botro comparatur, ſicut de ipſo dicit ſponſa. Botrus cypri dilectus meus mihi. Beata autem Virgo, quæ dicit. Ego ſicut vitis fructificaui, tulit hunc botrum, qui preſſus in torculari paſſionis eliquauit vinum noſtræ redemptionis.* Mihi à Deo Patre datus eſt botrus hic ſuauiſſimus, ego autem eum tuli, & in hominum redemptionem crucis obtuli torculari. An Mariæ charitati mundi redemptionem deberi, aſſerere audebimus?

Verſ. XV.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: Oculi tui columbarum.

259\. *Tanta Mariæ pulchritudo, vt non potuerit vna dictione, Pulchra es declarari.* Phiip.

DIgnum pondere reputarim, quòd Deipara in Canticis non ſemel *pulchra* dicitur, ſed bis, aut ter: *Ecce tu pulchra es amica mea, Ecce tu pulchra es.* Et Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* Et Cant. 6. *Pulchra es, & decora.* Philippus Abbas. *Quid ſibi vult pulchra, & pulchra? An fortè ad hoc repetiuit, nè quis de prædicta pulchritudine dubitaret, ſed præmiſſum teſtimonium ſequens aſſertio confirmaret. Quia in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum?* Profectò ideò crediderim geminatum fuiſſe id verbum, quia tanta eſt Mariæ pulchritudo, vt non potuerit vnica dictione *Pulchra es,* declarari.

260\. *Ad ſpiritualem Mariæ pulchritudinem dignoſcendam nos attentos eſſe clamat ſponſus.* Carthuſ.

Scio, nonnullos putaſſe ſponſum hoc loquendi more vſum, vt Mariam à duplici pulchritudine commendaret, corporea ſcilicet, & ſpirituali. Sed tamen exiſtimo ſponſum in Maria non intendiſſe corpoream licet admirabilem laudare, corporea enim *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Mulier timens Deum ipſa laudabitur.* Prou. vlt. Ad aliam ſuperiorem pulchritudinem efferendam nos attentos intendit ſponſus. Dionyſius Carthuſ. *Repetitio iſta affirmationis, affectionis, ſeueritatis, & mouendæ attentionis eſt ſignum,* ad internam ſcilicet Deiparæ pulchritudinem perpendendam.

An itaque bis pulchra dicitur Maria ob virginitatem & fœcunditatem? Rupertus reſpondet? *Pulchra eſt Maria decore virgineo, & pulchra vnigenito Filio.* Carthuſianus. *Pulchra, quia ſplendore mundiſſimæ virginitatis incomparabiliter radians fuit, & pulchra, quia ſupernaturali fœcunditate præfulgens* oſtenditur. Philippus Abbas. *Pulchra virgo concipiens, pulchra virgo pariens.* Honorius. *Pulchra virginitate, pulchra fœcunditate.* 261. *Bis pulchra dicitur Maria ob virginitatem & fœcunditatẽ.* Rupert. Philip. Honor.

An pulchra bis dicitur, quia eius animi ſpecies tanta eſt, vt neceſſarium ſit Angelorum & hominum choros colligari ad tantæ pulchritudinis dignam commendationem? Honorius approbat hanc mentem, dum ait: *Pulchra eſt Maria in laude hominum, & pulchra rurſum eſt in laude Angelorum.* Homines concinunt *Ecce tu pulchra es.* Num præconium hoc ſufficit ad Deiparæ decorem explicandum? Minime quidem, ſed neceſſarium eſt, vt Angelorum chorus præcelſiori voce laudes Mariæ moduletur: *Ecce tu pulchra eſt.* 262. *Tanta eſt Mariæ pulchritudo, vt ad eam exprimendam neceſſum fuerit hominum & Angelorũ choros aſſociari.* Honor.

Alio ex capite bis pulchram Deiparam dixerim. *Rara auis in terris,* hominem ad honoris verticem eleuatum, animo non extolli: (vt cum D. Bernardo ſerm. 4. in Cant. loquar:) Maria ad Dei maternitatem euecta, virginitatis integritate ſeruata, non modò non extollitur, ſed vſque ad ancillæ affectum infimum humiliatur. Hæc Deiparentis omnium Reginæ demiſſio tam noua, tam admirabilis eſt, vt debeat bis, imò ter quaterque celebrari. At Philippus Abbas. *Dignè pulchra, quam factam Dei Matrem nulla integritatis læſio deturpauit. Et iterum pulchra, quam incomparabilis humilitas honeſtauit: Flore claram virgineo, & ſpiritu humilitatis pulchriorem. Spiritu humilitatis* inquit, non humilitatis voce: vt vera humilitas eſſe probet. Facile enim eſt, quem ſe humilem verbis exprimere: difficile autem in dignitatum vertice ſpiritu humilitatis præfulgere. 263. *Mariæ Dei Matris celſitudo cum humilitatis demiſſione à ſponſo celebratur.* Bernard. Philip.

Quid ſi ſponſus hac repetitione *Ecce tu pulchra es, ecce tu pulchra es.* Intendat omnibus exprimere affectum ineffabilem dilectionis, quo erga Virginem tenetur? Audi precor Abbatem Philippum hæc adiicientem. *Ego exiſtimo ſponſum repetendo pulchra es, pulchra es, quiddam amantis proprium inſinuaſſe. Habet quippe hoc ſibi familiare, & proprium vis amoris, vt laudantem excitet, vt de eo, quod diligit vbertim loquatur. Monet dilectio diligentem loqui libentius, & vt affectum exprimat, repetere verba frequentius. Vnde Dauid cum dilectionem, quam erga Filium habuerat, ſignanter vellet exprimere, lugens eundem ſermonem repetebat: Abſalon fili mi, Fili mi Abſalon. Eapropter ſponſus aggrediens blandis ſermonibus Virginem compellare eam, vt audiſtis, ſecundò pulchram voluit appellare: non tam eius, quæ multa eſt, pulchri-* 264. *Oſtendit Deus quam ineffabili amoris affectu feratur in Mariam.* Philip.

pulchritudinem nisus est commendare, quam affectum, quo erga eam tenetur, audientibus intimare.

265. *Virginis charitas, & humilitas.* Hailgr.

Hailgrinus Cardinalis in hac repetitione sponsi, *Tu pulchra es, Tu pulchra es,* Virginis charitatem, & humilitatem recognoscit. *Quia nardus Matris Filium suum odore compleuerat, & nardus herba est humilis, & calida: ideo Christus ab vtroque debet Matris encomium nunc texere. Pulchra es propter humilitatem, & iterum pulchra es propter calorem dilectionis.*

266. *Tanta est Mariæ spiritualis pulchritudo, vt nequeat satis vno verbo.* Pulchra es *explicari.* Cantacuz.

Ingeniosè verò Cantacuzenus Imperatoris filius meditatur, hanc repetitionem *Pulchra, Pulchra* innuere, tantam esse Mariæ spiritualem pulchritudinem, vt nequeat vno vel summæ veritatis testimonio dignè commendari. Vnde bis *Pulchra* dicitur, id est, pulcherrima omnium prædicatur. *Ad magnum*, ait, *illud Dei humanam sumentis naturam intendens mysterium tanquam exultabundus, Mariam Virginem humanæ dispensationis officinam beatam prædicans, eam pulchram esse pluribus verbis repetiuit, quia habitaret in ea pulchritudinis Auctor.* Maria Dei est Mater? O pulchra, ô pulchra, ô non solum mulierum, virorum, imò Angelorum cunctorum pulcherrima!

267. *Mariæ virginitas & fœcunditas.* Guillem.

Præ omnibus verò præfatis Doctoribus mihi placet Guillelmus Abbas, qui hærens Ruperto, & aliis asserentibus hîc Mariæ virginitatem, & fœcunditatem commendari, hæc scripsit. *Habet Virgo pulchritudinem virginitatis, habet pulchritudinem fœcunditatis. Sola pulchra est flore simul & fructu: sola virginitatem habet inter matres: sola fructum fœcunditatis inter virgines. Deflorantur aliæ, vt fœcundentur, & in eis flos virginitatis necessariò præmoritur ad fructum fœcunditatis: in sola verò Maria flos propter fructum non est præmortuus.*

268. *Maria facta est particeps septem donorum Christi, seu omnium donorum & gratiarum.* Rupert.

Oculi tui columbarum.] Ingeniosè Rupertus in Virginis oculis contemplatur septem Spiritus sancti dona, quibus ornata Filium suum perfectè æmulatur. *Oculos dici columbarum est, habere* MARIAM *dona septem gratiarum, seu spirituum super sponso* IESV *requiescentium.* Isai. 11. *Quia septem oculi, qui iuxta Zachariam* (cap. 3,) *in vno lapide sunt, septem sunt spiritus Dei, qui iuxta Isaiam super florem Christum requiescunt. Istos oculos Filij oculos esse Matris, oculos columbarum, oculos omnium gratiarum, quia omnium particeps facta est sponsa* MARIA *ex quo sponsum castis visceribus suscepit, super quem requiescit, & in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Quàm plena gratiis, quàm donis exundans Maria, si omnium spirituum ac donorum Christi particeps facta esse prædicatur?

269. *Rectissima Mariæ intentio. Mariæ exempla nos dirigunt, ne aberremus.* Honor.

Honorius autem iudicat hîc Deiparæ operum intentionem, & exempla virtutum hominibus præstita commendari. *Oculi, siue intentiones operum tuorum sunt columbarum, id est sinceræ, & simplices. Vel oculi tui, id est exempla, quæ alios vt oculi ducunt, donis Spiritus sancti pleni sunt.* Qui Mariam sequitur haud cadet in foueam, quia oculus est cæcis, vt à cæcitate valeant liberari.

270. *Mariæ intellectus circa scripturæ intelligentiam sine errore.*

Cardinalis Hailgrinus in Mariæ oculis eius intellectum, & affectum laudari contendit. *Oculi Virginis sunt intellectus, & affectus. Isti oculi sunt innocentes, & simplices, cum intellectus est sine errore, & in veritate scripturæ nihil intelligit nisi veritatem: cum affectus in Deum est absque mundana concupiscentia, & in opere Dei nihil concupiscit mundanum, nil quærit nisi Deum.* Quomodo Deiparæ intellectus poterat errare circa fidei mysteria, & scripturæ intelligentiam deuiare, si cunctas hæreses in mundo erat interemptura? Quomodo quid humanum concupisceret, quæ sic affectu erat Deo vnita, vt Damascenus Deam quodammodo non dubitet appellare?

Maria in Deū solummodo affectus. Hailgr.

271. *Excellentissimum in Maria est, in tanta Matris Dei excellentia, tanta humilitate nitescere.* Guillelm.

Guillelmus autem sic Deiparæ oculos commendat. *Ecce Virgo, ecce Mater, ecce bis pulchra & amica. Cuius oculi sunt columbarum. Quantò enim magna, tantò se humiliauit in omnibus. Oculi eius simplices, quia non alta sapiebat, sed quod in tanta excellentia excellentissimum, humilibus consentiebat. Non habuit oculos sublimes in se, toruos ad alios; neque se magnificabat, neque alios aspernabatur.* Excellentissimum planè in Virgine est, in tanta Matris Dei excellentia tanta humilitate nitescere.

272. *Mariæ humilitas est humilitatum omnium sanctorum aggregatio.* Guillelm.

Cur autem non dixit sponsus *oculi tui columbæ*, sed *columbarum?* Crediderim, vt exageraret humilitatis Mariæ magnitudinem. Quasi omnium humilium hominum virtus in vna illius demissione colligaretur. Idem Guillelmus acutè excogitauit. *Notandum, quod non ait columbæ, sed columbarum. Multam scilicet simplicitatem, humilitatemque eius significans: vt in ea multorum virtus quasi aggregata videatur.* Est igitur Mariæ humilitas quasi humilitatis seu humilitatum omnium sanctorum aggregatio.

273. *Septem columbæ proprietates totidem Mariæ pietatis operibus aptantur.* Rupert.

Collegi ex Doctoribus, septem columbæ proprietates. 1. Est sine felle. 2. Nihil viuum comedit. 3. Pullos alienos nutrit. 4. Candidiora grana legit. 5. In petris nidificat. 6. Gemitum pro cantu habet. 7. Libenter supra fluenta residet, vt venientem accipitrem ex vmbra præcognitum perniciter effugiat. Hasce columbæ proprietates septem Rupertus Virgini eleganter accommodat. 1. *B. Virgo*, inquit, *nil vnquam habuit inuidiæ, nihil odij.* 2. *Longè semper ab iis abfuit, de quibus dictum, quòd deuorant plebem, sicut escam panis.* 3. *Nos, qui secundum carnem alieni eramus à sanguine Israël meritis eius viuimus.* 4. *Illa creditum sibi secretum Dei, & testimonia scripturarum conferens in corde suo, conseruauit.* 5. *Illa in soliditate fidei permanens, serpentis antiqui venena euasit.* 6. *Præ cunctis mortalibus amore Dei vulnerata gemere non cessauit.* 7. *Illius pectori omne fluentum scripturarum planè contiguum fuit, nec vnquam aduentus spiritualis accipitris eam occupauit, aut ei potuit appropinquare.* Sic Abbas.

274. *Maria respiciens miseretur, quia pupillæ illius oculorū sunt Spiritus sancti.* Alan.

Alanus denique scribit: *Oculi Mariæ comparantur oculis columbarum, quia scripturas diuinas iam non secundum litteram, sed secundum spiritum intelligit, & aspicit in eis spiritualia mysteria. Columba enim est indicium Spiritus sancti. Spirituali ergò sensu intelligere legem, & Prophetas, hoc est oculos columbæ habere.* Duplex ex hisce verbis Mariæ elogium elicio. Primum, in eius oculis Spiritus sancti residere columbam. Vnde nos Virgo aspiciens, non potest non pietatem exercere. Ideò clamat Ecclesia: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Misericordes quidem, quia columbæ cœlestis pietatis fontis sunt

Mariam Magiſtrorum magiſtram adis, qui vis ſcripturam ſacrã interpretari.

domicilium, imò oculorum Mariæ pupillæ ſit Spiritus ſanctus. Alterum cunctos Eccleſiæ Doctores, debere ſcripturos Mariam adire Magiſtrorum Magiſtram, vt ab ea ediſcant verum ſacræ Paginæ intellectionem.

275\. *Mariæ intellectus ab errore alienus.* Alan.

Addit Alanus. *Poteſt adhuc id profundiore fortaſſe ſacramento intelligi. Duo etenim oculi columbarum intelliguntur duo intellectus Virginis, quorum altero intellexit Chriſtum manens in via: altero nunc intuetur permanens in patria. Vterque autem columbinus, id eſt, ſimplex, quia ab errore alienus.* Itaque intellectus Deiparæ circa Chriſti myſteriorum cognitionem non ſolùm in patria nunc, ſed & tunc in via fuit expers erroris.

276\. *Immenſus Dei amor in Mariam ob immenſam eius ſanctitatem.* Guillelm.

Amica mea.] Hanc particulam bis etiam eſſe intelligendam ſicut illa. *Pulchra* bis pronuntiatur, certum omninò. Ex Guillelmo. *Ecce bis pulchra & bis amica.* Cur bis *amica* vocitatur? Certè quia ſicut bis appellatur *pulchra*, vt eius ſanctitatis immenſitas prædicetur: ita bis Dei *amica* dicitur, vt immenſus Dei amor in Virginem tantæ ſanctitati reſpondens exprimatur. Hailgrinus Cardin. *Bis amica es propter mentis ſingularem pulchritudinem & innocentiam.*

277\. *Mariæ velut magnæ amicæ Deus magna ſecreta reuelat.*

Aliter Honorius, *Maria vocatur amica, quia portat Patris ſecreta.* Guillelmus conteſtatur, *Amica* bis vocatur propter amoris prærogatiuam, & conſcientiam ſecretorum. Amico enim amicus cordis arcana reuelare non metuit. Magna ergo Dei ſecreta Virgini reuelata arguunt planè Dei erga eam amoris magnitudinem, ſeu amoris prærogatiuam.

278\. *Maria eſt ſingulariter Dei amica, ac ſi alij Dei amici non exiſterent.* Hailgrin.

Particulam demum *mea.* Singulariter ad Dei erga Virginem dilectionem pertinere Hailgrinus annotat. *Propter ſimplicitatem, & innocentiam ſingulariter es mea amica.* Quaſi inter omnes Dei amicos Angelos & homines Maria digna ſit, vt ſingulariter & per antonomaſiam Dei amica vocetur, ac ſi alij Dei amici non exiſterent.

Verſ. XVI.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus.

279\. *Maria tribuit Christo bis pulchro, quod ipſa bis pulchra ſit.* Rupert.

AVdiens Maria, ita ſe à Chriſto exactè laudari de pulchritudine bis repetita, ne quis ſuſpicaretur, ſe velle eam ſibi velut propriam arrogare, aut eam non fuiſſe à Deo velut totius pulchritudinis fonte profluentem; illico in hanc vocem erumpit: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Ac ſi diceret: Ideò ego bis pulchra ſum, quia tu bis etiam es pulcher, & gemino decore niteſcis. Rupertus. *Quod ego* (bis) *pulchra ſum, totum tibi* (bis pulchro) *tribuendum. Neque enim virga floris, ſed flos virgæ pulchritudo eſt.*

280\. *Ipſe Chriſtus pulchritudo eſt Mariæ.* Rupert.

Chriſtus itaque eſt virga, è qua floris Mariæ pulchritudo profluit. Apertius id Rupertus aſſeruit. *Tu ô Fili, pulchritudo mea es.* Quanta erit pulchritudo Mariæ, ſi Chriſtus ſpecioſus forma præ filiis hominum, imò præ Angelorum choris, quia Deus, eius eſt pulchritudo!

281\. *Prius Christus Mariæ dat locum: quaſi glorietur talem ſe habere Matrem.* Rupert.

Notatu dignum, quod non prius laudari Chriſti Domini pulchritudinem, quàm Mariæ: ſed geminum huius decorem prius quàm illius geminam pulchritudinem commendari. Quod quidem in Deiparæ præcelſam laudem exundare non dubito. Audi elegans planè Ruperti teſtimonium. *Conſiderate diligenter qualis ſit iſta ordinatio huius ſcripturæ, & ſcripturæ cantabilis, in qua ſecretum dilecti, & dilectæ contemplari deſideratis. Ferè in omnibus dilectam honore præuenit. Nonne cùm Deus homo ſit, debuerat ab homine modis omnibus, honore præueniri?* Cur ita? Maria reſpondet. *Ille ſicut in cæteris, ita in conſideratione mea ſemetipſum humiliauit: quodammodo non conſiderans, quod ipſe ſit Deus; ſed conſiderans, quod ego eſſem Mater, & ipſe Filius, ſuperiorem me ipſi arbitrabatur, quemadmodum Euangeliſta vult intelligi cum dicit: Et erat ſubditus illis. Scitote ergo amici quod iſta verba non à labris veniunt, ſed veritatis, & rationis iſta ſunt verba. Ille namque in me veneratur, quod ſum ſua Mater.* Priorem Chriſtus dat Mariæ locum? Profectò gloriatur, ſe talem habere Genitricem.

282\. *Ex Mariæ animi puritate ineffabili Chriſtus animi ſui ſanctitatem quodammodo ex conſequentia vi probat.* Philip.

Annon ex verſu præcedenti, & ex hoc, quem exponimus, quoddam enthymema, ad probandam Chriſti Domini immenſitatis pulchritudinem efformatur? Certè Mariæ puritas pro antecedenti ponitur, puritas autem Chriſti pro conſequenti: Maria pulchra bis, ſeu pulcherrima eſt: Ergo Chriſtus bis pulcher, ſeu pulcherrimus eſt aſſerendus. Nec nouus eſt ordo; communiter enim ad probandam nobilitatem ſanguinis filij ad parentes recurrimus. Quemadmodum igitur Dominus ſicut naturam humanam accepit ex Virgine per filiationem temporalem, ita quodammodo quaſi iure hæreditario ſuæ puritatis, & omnimodæ ſanctitatis perfectionem voluit ex eiuſdem puritate colligere quaſi ex vi conſequentiæ. Abbas Philippus. *Decet enim, vt ſpecioſus formâ præ filiis hominum habeat ſibi talem Matrem, quæ ſingulari gratiâ pulchritudinem præſeferat ſpecialem, cuius faciem turpitudo indigna, & degenera non obſcuret.* Quanta igitur Mariæ animi nobilitas, ex qua Chriſtus probat ſuam ſanctitatis nobilitatem?

283\. *Ex Maria quaſi pulchrior exoritur, qui infinitè erat pulcher.* Rupert.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Ad quæ Rupertus. *Ex quo ego pulchra per te facta ſum, ex eo tu, etſi ſemper pulcher fuiſti, pulchrior tamen factus es: Nam verè in eo tuam pulchritudinem adauxiſti, quod cum Deus eſſes, homo dignatus es fieri.* O quàm exuberanti Maria à Domino donata eſt animi pulchritudine, ex qua quodammodò pulchrior exoritur, qui infinitè erat pulcher!

284\. *Tam præcelſa eſt Mariæ virginitas, vt quodammodo explicari non valeat eius gloria, niſi Deitati comparetur.* Guillelm.

Acutè Guillelmus. *Tu pulcher es ſecundum diuinitatem, decorus ſecundum humanitatem. Nam tu non tantum homo, ſed etiam Deus: & idcircò ego non tantùm Mater ſed & Virgo. Quia ſicut æternæ diuinitati tuæ temporaliter acceſſit humanitas: ita & meæ virginitati non ſucceſſit, ſed acceſſit fœcunditas; ſicut enim purus homo virginem matrem habere non poteſt, ita Deus homo Matrem niſi Virginem non poteſt habere.* Illam preme particulam: *Tu non tantùm homo, ſed Deus: & idcircò ego non tantùm Mater, ſed & Virgo.* Quodammodo hic Humanitati & Diuinitati Chriſti Domini Maternitas & Virginitas Mariæ æquiparatur: ita vt Maternitas Humanitati, & Virginitas Diuinitati reſpondeat. Tam præcelſa eſt Deiparæ Virginitas, vt quodammodo eius gloria explicari

plicari non valeat, nisi Deitati comparetur.

285. *Lectulus noster floridus.*] Id est communis Christi ac Mariæ lectulus. Quinam lectulus Christi? Alanus respondet, lectulus Christi dicitur caro, quam ex Virgine assumpsit propter duos lecti vsus. In lecto laborat homo in infirmitate, in sanitate quiescit. Similiter Christus in carne humana laborauit in infirmitatibus humanis ante passionem, quieuit in eadem carne post *resurrectionem.* Quia verò caro Christi ex Virgine fuit assumpta, etiam Virginis caro lectulus fuit, in quo ipsa ante passionem, & in passione Christi laborauit, & resurgens post Filium requieuit. Ait ergo Maria *lectulus noster*, (seu tua ô Fili, ac mea caro) *floridus.* Addit Doctor. *Eleganter hoc Maria dixit. Quia caro Christi & Mariæ, quæ priùs in vita floruit, per mortem effloruit, & per resurrectionem refloruit. Vnde in Psalm. 27. & refloruit caro mea.*

Maria caro, sicut caro Christi floruit in vita, effloruit in morte, in resurrectione refloruit. Alan.

286. Cardinalis Hailgrinus excogitauit lectulum Christi & Mariæ esse cor hominis, seu animam deuotam. *Manet*, ait, *Christus in eo, qui diligit eum; & qui diligit Filium, diligit Matrem; & ita vterque manet in eo, qui diligit alterum; sed tamen aliter, & aliter: nam in corde* (seu in lectulo) *diligentis se manet Filius per inhabitantem gratiam, Mater verò per deuotionem ipsius, & inseparabile consortium Matris & Filij in pietatis affectu.* Fœlix ille, cuius cor per deuotionem lectulus est Mariæ, quæ cum non possit à Christo separari, efficiet, vt Christus in eodem cordis lectulo habitet. Videte, quo pacto cor nostrum fiat Iesu ac Mariæ thalamus: si autem lectulus est cor eorum, continuo efflorescit. Nam canit Maria: *Lectulus noster floridus. Ac si diceret* (cum Martino Delrio loquor.) *In cuiuscumque conscientia quietis locum inuenero* Dei Mater, *faxo mox efflorescat decore pariter & odore; nempe vt sit decora per ornamenta virtutum: & vt sit odorifera exemplis bonorum operum.* O quàm bene custoditus erit iste lectulus Christo, & Maria in eo habitantibus! *Lectuli Salomonis* custodiam *fortium* prorsus infirmam inuenies, si eam audeas cum huiusce lectuli custodia comparare.

Cor hominis est Mariæ ac consequenter Christi lectulus. Hailgr.

287. *Quàm floridus virtutibus fit cor, in quo Maria inhabitat.* Delrio.

288. Guillelmus verò ait, lectulo Christi & Mariæ sepulchrum intelligi, planè floridum, à corruptione alienum. *Erit lectulus tuus* (Maria inquit) *floridus, lectulus scilicet ille, in quo caro tua per triduum requiescet in spe, lectulus ille tuus nonne & meus? Nempè per maternum ero tibi commortua, & consepulta affectum. Ergo lectulus noster floridus, id est, reflorescente carne tuâ vernabit floribus nouæ resurrectionis.* Vnde resurgente Christo, Maria simul resurrexit, vernauitque eius *caro* eisdem nouæ resurrectionis floribus.

Sepulchrum Christi sepulchrum Mariæ cum Filio commortuæ & consepultæ, floribus vernans. Guillelm.

289. Philippus Abbas sic locum eleganter planè interpretatur. *Lectulus Virginis est secretum cordis eius, quod excolit, & emundat* (seu mundum conseruari nititur) *manu diligenti, nè quid inhonestum, & indecens sponso appareat venienti. Flores autem sunt castitas, & opinio castitatis. In lectulo Mariæ nihil corporeum, nihil peccato obnoxium intelligitur: sed totum penitùs spirituale.*

In corde Mariæ nihil carnem redolet, totum fuit spirituale. Philip.

290. Cor autem Virgo cor suum non lectum, sed *lectulum* vocitat? Certè vt ostendat, haud esse elatum, sed omninò submissum. Abbas sic: *Non tamen lectum, sed lectulum Maria cor suum nominauit, quæ tam verbo, quàm opere humilia tenere consueuit.* Mira planè Mariæ humilitas, quæ cor ita capax, vt pene immensam excipiat gratiæ & donorum plenitudinem, lectulum esse incapax sibi videatur.

Mira Mariæ humilitas. Philip.

Cur verò dixit *lectulus noster*, & non *lectulus meus?* Respondet Philippus. *Lectulum nostrum communiter, & non meum appellauit. Quia quod laudatione* (ait Maria) *dignum est, dico, mihi præsumptuosè non addico. Non ergo meus rectè, sed noster lectulus debet appellari, quem tu manu gratiæ, ego laboris & industriæ: tu beneficio, ego exercitio: tu virtutum, ego morum floribus adornaui.* Nihil à se Deipara habere fatetur, sed omnia dona cœlesti tribuit largitori. Illa expende: *Quem* lectulum, nempe cor, tu manu gratiæ, ego manu laboris, & industriæ adornaui. Nec enim *gratia* in Mariæ corde *vacua fuit*; laborauit enim impigrè, vt talenta à Domino accepta ei incrementis pluribus redderentur. Vt appareat Virginem æternæ fœlicitatis lecto quieuisse, non præcisè quia Dei Mater, sed quia egregia virtutis opera expressit. 291.

Nihil boni Maria sibi attribuit: sed à Deo accepisse profitetur. Philip.

Maria in cœlesti lecto requiescit, non præcisè quia Dei Mater, sed quia egregia virtutis opera expressit.

Rupertus quidem de virgineo Mariæ vtero sententiam exposuit. *Lectulus est vterus Mariæ in quo Christus quieuit nouem mensibus, saluo virginitatis sigillo*: & ideò floridus. Vberius Dionysius Carthus. *Lectulus noster, seu cellula vteri mei, in qua per Incarnationis mysterium quiescere elegisti, omni flore virginitatis, & fœcunditatis decoratur. Spiritualisque lectus noster, videlicet pax interna, conscientia pura, contemplatio sancta, gremium charitatis, floridissimus fuit, & iugiter inuiolabilis.* 292.

Vterus Mariæ vernans virginitatis & fœcunditatis floribus. Rupert.

Spiritualis lectulus Mariæ virtutum exercitatio. Carthus.

Idem Carthusianus de materiali etiam lectulo Mariæ versiculum intelligit. *In eodem quoque materiali lectulo purissima Virgo cum dilectissimo suo sponso Infantulo Iesu creditur frequenter quieuisse cum interna iucunditate. Et certè floridissimus extitit lectulus ille, in quo vernantissimi duo illi, suauissimi, & incomparabiles flores Virgo mater, & Deus Filius conquieuerunt.* 293.

Floribus vernabat lectulus in quo Maria & Iesus infans iacebant. Carthus.

Fatur Honorius Augustodon. *Lectulus Christi Maria fuit, in qua vt in lecto requieuit.* Nam qui in reliquis hominibus locum non habuit, vbi caput reclinaret, in Maria inuenit lectum floridum virtutibus, vbi non solum caput, sed & totum corpus, totúmque animum reclinans, dulcissimè requiesceret. Verba hæc Honorius à Christo prolata excogitauit. *Cur ergo Christus*, ait, *lectulus noster*, & non *lectulus meus*, si Christus Mariæ Filius fuit vnigenitus? Respondet. *Noster dicit, quia Pater, & Spiritus sanctus semper cum Christo in illa fuerunt: Quia floridus semper lectulus hic virtutibus fuit.* 294.

Maria lectulus, in quo solà Christus dulciter requieuit.

Tota Trinitas requieuit in Virgine.

* *
*

Verf. XVII.

Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

295. *Quid tigna, & laquearia domus?* Inte:l. Ambrof.

TIgna, seu trabes, principalia è ligno fulchra, queis domorum tecta sustinentur, potissima pars sunt ad ædium contignationem, vti Glossa Interl. aduertit, & experimento patet. Solita autem tigna hæc fieri è lignis cedri, docet Ambrof. lib. 3. exam. c. 13. *Cedrus suspendendis tectorum culminibus apta, quia procera est spatiis, nec onerosa parietibus.* Et præterea incorruptibilis, & vermium expers, *& odore suo*, vt Interlinealis adnotat, *dæmones quasi serpentes fugat.* Philippus Abbas, & Honorius. Odore serpentes, & muscas fugat. Athanaf. *Cedrus baccarum suarum odore vermes interficit.* Laquearia autem sunt partes tecti, ad ornatum potiùs, quàm ad fortitudinem domus pertinentes. Sunt etenim sectæ quædam particulæ ex alia differenti materia ad pulchritudinem contignationis opere tessellato contextæ: quæ quia in modum laqueorum sese inuicem complectentium sunt elaboratæ, *laquearia* vocitantur. Aptam verò eis materiam cupressus suppeditare assolet. Nyssenus *cupressum* dicit esse *è qua sunt in tecto laquearia, seu apta quadam ac concinna & cælata asserum compactio, tecti varians pulchritudinem.* Vulgare demùm est, domorum nomine in mystico sensu humani corporis & animæ structuram intelligi. Gen. 2. *Ædificauit Dominus Deus costam Adami in mulierem.*

Philip. Nyffen. Gen. 2.

296. *Maria corpus in morte non fuit communi obnoxiū corruptioni.* Guillelm.

Tigna domorum nostrarum cedrina.] Asserit Virgo corpus suum in morte haud fuisse communi obnoxium corruptioni, vt Christi corpori assimilaretur. Ideò dixit. *Domorum nostrarum*, non *domus mea.* Appositè Guillelm. requirit. *Cur dixit domorum nostrarum?* & respondet. *Quia non tantùm domus corporis scilicet Iesu, sed & domus seu corporis Mariæ, hoc priuilegium incorruptionis fuit commune: eo quòd Iesus os de ossibus, & caro de carne Mariæ fuit. Ideò enim corpus Matris propter corpus Filij cum corpore Filij à generalis lege corruptionis exceptum, perpetua incorruptibilitatis gratia fuit consecratum. Non consumptum fuit à tinea corruptionis, quia habebat tigna cedrina, & laquearia cypressina.* Queis arboribus incorruptibilibus incorruptionis priuilegium adumbratur.

297. *Maria resurgens volauit ad superos.* Alan. August.

Alanus verò addit corpus Mariæ incorruptum, post breue interstitium exurgens è tumulo fuisse assumptum ad superos; & citat D. August. verba serm. de Virg. assumpt. *Non solùm carnem, quam Christus assumpsit; sed etiam carnem, de qua eam assumpsit, credimus esse in cælum assumptam.* Vt Maria non solùm Christo in corporis incorruptione, sed & in ipsius ad cælos translatione assimilaretur.

298. *Mariæ anima spiritus sancti domus.* Carthuf.

Dionyf. Carthuf. loquutus etiam de corporis Mariæ incorruptibilitate, ad animam eiusdem Spiritus sancti domum pius ascendit. *Potest*, ait, *hic locus spiritualiter explicari, intelligendo per domos has animam Christi, in qua plenitudo diuinitatis gratiosissimè, gloriosissimè per vnionem hypostaticam habitauit: in qua thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt collecti. Et simul anima Virginis peramanda, quæ anima cum ineffabili excellentia fuit Templum Spiritus sancti, sedes sapientiæ, domus supernorum charismatum, cella cælicorum aromatum.*

299. *Mariæ in tribulationibus mira patientia.* Alan.

Tigna cedrina, laquearia cypressina.] Alanus in laquearijs cypressinis patientiam Virginis in tribulationibus contemplatur, vt & ex hac Filio tribulationibus acto patientissimè assimilaretur. *Laquearia*, inquit, *quæ adhærent tignis, significant corporis infirmitates* (seu labores) *quæ corporibus Christi, & Virginis adhæserunt. Quæ eleganter cypressina dicuntur, quia cypressus solet adhiberi corporibus, quæ comburuntur, & mira ab eis fragrantia redditur: sic infirmitates, quæ ad mortem pertinent, & in Christo & in Virgine per patientiam, quam in doloribus habuerunt, mirabilius redolent.*

300. *Mariæ domus ventis, ac imbribus agitata haud vel leuiter potuit commoueri.* Carthuf.

Dionyf. Carthuf. Hanc Virginis patientiam, ac fortitudinem in laboribus sustinendis ponderās, ait, tigna, & laquearia esse virtutis actus, quos in sustinentia laborum expressit. Tigna Marianæ *domus fuerunt virtutes perfectæ existentes in ea, earumque diuinissimi actus laquearia nuncupantur.* Neque enim domus hæc tot agitata ventis, & imbribus tribulationum potuit vel leuiter commoueri.

301. *Fomitis in Maria extinctio.* Richard.

Richardus Laurent. *lib. 10. de laud. Mar.* ad fomitis extinctionem in Maria particulam hanc *Tigna cedrina* accommodat. *Maria fuit imputribilis per extinctionem fomitis, quam nunquam infestarunt primi motus à fomite procedentes. Quilibet enim alius ab ea dicere potest illud Iobi 7. Induta est caro mea putredine. Ipsa verò de se, & de sponso Iesu dicit Cant. 1. Tigna domorum nostrarum cedrina.*

302. *Domus Mariæ fortitudo, & decor.* Richard.

Idem Richardus sic de tignis & laquearijs domus Mariæ loquitur lib. 10. *Hæc tigna membra sunt corporalia Virginis, ex quibus connexa est domus sapientiæ, quæ velut cedrus fuerunt peccatis incombustibilia. Laquearia sunt thalami ornamenta, & designant interiora bona spiritualia, quæ ad modum cypressi, nulla vetustate peccati comam virtutum deposuerunt. Tigna enim sunt ad fortitudinem domus, laquearia ad decorem. Tigna ergò domus B. Virginis cedrina, quia corporis eius membra non vermiscebant vel aliquo peccato, vel aliquo motu prauo. Laquearia cypressina, quia etsi dilatabatur inferiùs ad exemplum aliorum, tendebat tamen in acutum, vt cypressus, ad illud vnum, quod est necessarium.* Luc. 10. Luc. 10.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

EGo flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem, per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei; ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea: speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere: similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bether.

Vers. I.

Ego flos campi, & lilium conuallium.

1. *Christus se esse florem campi virginei protestatur, vt Mariæ virginitatem & fœcunditatem commendet.* Bernard.

EGo flos campi, &c.] Magnam video inter Doctores controuersiam circa personam, cui hæc sententia sit accommodanda, an sponso Christo? an sponsæ Mariæ? vtraque pars suos habet patronos. Ego autem iam vnam, iam alteram versabor in Deiparæ elogia. Verba sint primùm sponsi. *Campi* florem se Christus appellat, vt Matris virginitatem simul & fœcunditatem laudet. Audi D. Bernard. serm. 47. in Cant. *Differunt inter se campus, & hortus. Hortus enim vt floreat, hominum arte, & manu colitur. Campus verò ex semetipso naturaliter producit flores, & absque humanæ indigentiæ adiutorio. Putásne iam tibi videris aduertere, quisnam sit ille campus, nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu hominis seminatus: venustatus tamen illo flore, super quem constat requieuisse spiritum Domini. Ecce odor Filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Nec se debuit proindè florem thalami protestari, qui flos est perpetuò virens; sed neque item horti, ne videatur humano opere generatus. Pulchrè autem, & conuenientissimè ait: Flos campi sum, qui est absque humana industria productus: & semel producto, nulla est deinceps dominata corruptio.* Maria igitur campus est, è quo Christus flos *perpetuò virens* virginitate exoritur, quasi argumentum sit, quo Christus suam virentem admodum virginitatem probet è virgineo Mariæ campo prodiisse. *Nec enim se debuit florem thalami, aut horti protestari, sed campi* virginei, qui est *perpetuò virens.*

Christus ex Mariæ virginitate suam quodammodo probat.

2. *Maria mons cum esset, se conuallem humillimum esse cognouit.* Rupert.

Rupert. *Ego flos campi, & lilium conuallium, id est, decus humani generis, & honor parentum humilium, patrum spiritu pauperum, scilicet Abrahæ, Isaaci, & Iacobi, Dauidis quoque, & cæterorum, qui etsi maritis montes, mente conualles fuerunt.* Potiori iure Christus Matris honor appellabitur, quæ præcelsus mons cùm esset, è quo sine manibus lapis ille cœlestis erat processurus nostræ miseriæ ad vallem, se adeò demisit, vt se *ancillam* agnosceret. Annon conuallis hæc patrum illorum conuallium humilium demissionem superauit?

3. *Christus puer flos mundissimus, è Maria campo mundissimo exortus.* Rupert.

Adiicit Abbas, *Lilium lactei coloris est herba. Ita flos campi sum, lacteus flos, id est, puer mundissimus.* Dum Christus se *puerum* nominat, videtur velle se, vt nos eum recens natum è campo virgineo contemplemur: & videntes mundissimum exoriri florem, inde Matris munditiem animi colligamus.

4. *Vt Christus facilis esset inuentu omnibus, in Maria residet.* Philip.

Philippus Abbas, *Flos campi* (Christus ait) *sum, habens pulchritudinem indefessam. Nec latere sub modio, in conclaui voluit, sed flos campi factus est, vt cunctis planiùs innotescat; nec sit dignus excusari, quisquis tàm conspicuum non agnoscat. Qui enim ab æterno Deus eram absconditus, nè viderer: de hoc mundo descendentem campus, seu Maria excepit, vt tenerer. Nec intraui portas, aut muros Vrbium, montemque altum non ascendi, ne vel nesciri possem, vel à scienti non faciliùs apprehendi. Ad montem quippe ascendente valido, excusatus debilis remaneret; in ciuitate verò ciuis aduenam prohiberet.* Igitur vt flos Iesus facilis esset inuentu, in campo residet Mariano. Deipara enim florem Iesum non sibi absconditum auara retinet, sed

ſed omnibus legendum piè prodiga manifeſtat.

5. *Mariæ virginitas fœcundiſſima.* Philip.

Redeo cum eodem Philippo ad fœcundam Mariæ virginitatem efferendam. *Ego igitur flos in campo volui eſſe, & non in rure, quod nimirùm ruſticus hæreditario ſibi iure vendicat, quod proſcindit aratro, & fodit ſtudiosè ſarculo. Campus autem nulli propriè hominum aſſignatur, neſcit cultoris manum, nec rupta ſuperficie ſeminatur, ſed ſole animatus, perfuſus cœleſti pluuiâ, ſiue rore, intepeſcit, & germinat: & proceſſu temporis flore congruo ridet. Nec abhorret, ſi hoc campo ſignari Virginem aſſeratur, in qua carne integra, deſcendente vt in vellus pluuia ſpiritali, fœcundatur, & germinat, decore gaudet florido, & annuali: Huius enim campi, quem non læſit cupidus operator, manus ruſtica non arauit, non extulit tumor noxius, ſed diffuſa humilitas complanauit, ego ſum flos, non vtique humano prouidens ſtudio, non culturâ, ſed cœleſti editus munere, incomparabili præditus genitura.* Pulchrè.

6. *Maria ager plenus omniū virtutum germine.* Carthuſ.

Profectò Maria campus eſt, ſeu ager plenus virtutum germine, cui benedixit Dominus, vt florem Ieſum producere mereretur. Dionyſius Carthuſian. *Chriſtus fuit flos campi, id eſt, Filius Virginis, quia fuit mundiſſimus campus omni caſtitate, temperantiâ, & puritate ineffabiliter decoratus:* vt mundiſſimus & puritate ineffabiliter decoratus flos Chriſtus ſe ex Mariæ campo ortum eſſe non dedignaretur.

7. *Chriſtus campus virtutibus plenus ex campo virtutibus pleno Maria.* Alan.

Alanus verò humanitatem Chriſti aſſerit eſſe campum, Diuinitatem florem. *Campus dicitur humana Chriſti natura. Sicut enim in campo florum pullulat varietas: ſic in humana Chriſti natura florum pluralitas. In ea fuit viola humilitatis, patientiæ roſa, lilium caſtitatis. Huius campi flos fuit Chriſti decor ſecundum diuinitatem! Quia ex virtute diuinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem. Eleganter autem per campum Chriſti humana natura ſignificatur propter amplitudinem, & planitiem, quia in eo nullus fuit ſcrupulus erroris.* Si humana Chriſti natura eſt tot virtutum floribus vernans, indicat planè campum eſſe ex campo pleno virtutum floribus, nempè ex Maria, vnde Chriſti humanitas habuit exordium.

8. *Chriſtus & Maria ſunt conualles ex humilitate admodum ſimiles.* Alan.

Id idem Alanus apertè fatetur, dum adiicit: *Vnde & de eodem dicitur, lilium conuallium, quia perfecta Chriſti humilitas fuit in Maria: & humana Chriſti natura valles, dicuntur propter eminentiam humilitatis.* Quàm amplus Maria campus, è cuius planitie tot Chriſti humilitatis valles efformantur? *Et non ſolùm valles, ſed conualles ratione ſimilitudinis, quia ſpecialiter Virgo fuit Chriſto ſimilis.* Quid pulchrius?

9. *Chriſtus flos in campo Maria non poteſt, non in aperto eſſe, vt legatur à cunctis.*

Mirum ſanè, quòd Chriſtus Dominus ſeſe flori in campo, & lilio in conuallibus comparauit apertis, & non potiùs floribus, qui ſunt ſeptorum præſidiis muniti. Crediderim tamen, ideò ſe aſſimilaſſe flori in campo & lilio in conuallibus, quia cum Deipara campus ſit floris huius, & huius lilij vallis: non poteſt non in aperto eſſe, vt legatur à cunctis. Chriſtus enim in Maria omnibus patet, haud poteſt præſidiis muniri, quin à cunctis hominibus ritè accedentibus colligi valeat.

Vis campi, & vallis Mariani ineffabilem qualitatem, ac virtutem agnoſcere? Memor botri olim ab exploratoribus adducti in terræ promiſſæ fertilitatis teſtimonium, perpendes ex fructibus opimis, terræ omninò argui fœcunditatem. Audi Honor. *Campus & vallis eſt terra inarata, hoc eſt inuiolata Virgo, cuius flos & lilium eſt Chriſtus.* Obiicio iam lilij huius proprietates. *In lilio*, ſubdit, *quinque conſiderantur. Quia eſt candidum, aureum habens colorem, prominentem, eſt odoriferum, & pendulum, & ſemper incuruum: ſic Chriſtus eſt candidus in humanitate, aureus in diuinitate, odoriferus in prædicatione, pendulus in ſuſcipiendo pœnitentes, incuruus in condeſcendendo peccatoribus, & eos recipiendo.* Annon ex tam mirabili fructu campi ac vallis Mariani vbertas mira colligitur? Num non poſſumus cum exploratoribus inclamare: Terra *re vera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognoſci poteſt.* Num. 13. — 10. *Mariani campi mira vbertas ex qualitate, & proprietatibus floris Dominici colligitur.* Num. 13. Honor.

Ego flos campi, & lilium conuallium.] Sint iam ſponſæ Mariæ verba. Pſellus, aliud agens, ſic de Maria loquitur. *O præclaram pulchræ Virginis progreſſionem! Ecce te ipſam eximium totius campi naturæ humanæ florem, & diuinum conuallium lilium agnouiſti. Cuius rei teſtis eſt Chriſtus, ac ſponſus, qui ſermonem ſponſæ confirmat, dicens: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Mirúmnè quod Maria ſe eximium florem & lilium prati, & vallis humanæ naturæ agnoſceret tam profundâ humilitate ſplendens? Non mirum, quia cum audiſſet ab Angelo, ſe omnium creaturarum exſurgere Dominam, Dei ſcilicet Matrem, ſe tunc verè dignouit ancillam. *Luc.* 1. Ea eſt humilitatis Mariæ præſtantia, quòd maiori ſui agnitâ eleuatione, magis pergat ad ima. — 11. *Tanta Mariæ humilitas, vt dignoſcens ſummam ſuā eleuationem, ſe ſimul agnoſcat eſſe ancillam.* Pſel. Luc. 1.

Dionyſius Carthuſian. *Beatiſſima Virgo eſt vernantiſſimus, pulcherrimus, ac redolentiſſimus flos campi, id eſt, huius ſæculi, in quo tanquam in loco certaminis ſumus conſtituti, quia militia eſt vita hominis ſuper terram. Ipſa quoque eſt flos campi, id eſt, horti deliciarum, videlicet paradiſi cœleſtis. Eſt præterea lilium conuallium ipſa, inſtar lilij, præclarè venuſtat corda humilium. Ipſa ſuauiſſima, & incomparabilis Virgo Deifera eſt lilium conuallium, id eſt, proles fœcundiſſima ſuorum parentum humilium, à quibus velut ſpecioſiſſimum lilium eſt exorta. Nec Salomon in omni gloria ſua ita exornatus eſt vt lilium iſtud. Et ſicut lilium eſt flos creſcens in altum, & tamen habet dependentia folia, granáque aurea: ſic optima, & amabilis Virgo creuit in omnium arcem virtutum, & nihilominùs excellentiam earum depreſſit. Fide quoque, & ſpe, & charitate, ac donis Spiritus ſancti tanquam granis aureis ornatiſſima extitit.* Eleganter piè Doctor. — 12. *Fragrantiſſimus, pulcherrimus flos campi humanæ naturæ Maria.* Carthuſ.

Aben-Ezra aduertit, vocem Hebræam correſpondentem lilio deriuari à radice *ſex* ſignificante, quia ex totidem foliis eſt lilium compactum. Iure igitur optimo tam Chriſtus (vti vidimus ſuperiùs) quàm Maria ſub hac voce Hebræa *ſex* lilio comparantur. Vt ſignetur Filium & Matrem fuiſſe floridam totius mundi gloriam, vel quatenùs in ſex fuit diebus creatus, vel quatenùs in ſex eſt diuiſus ætates. Itaque Chriſtus & Maria prout erant in Diuini Opificis idæa, primarium, & præcipuum — 13. *Chriſtus & Maria florida totius mundi gloria.* Aben-Ezra. *Chriſtus & Maria diuini Artificis primarium obiectum in creatione.*

puum obiectum, gloria quidem sex dierum illorum extitêre. Si verò senarium hunc numerum ad sex mundi referamus ætates, Christus & Maria iam in naturali, & scripta lege tot typis expressi, iam in sexta progeniti ætate, cunctas ætates mundi mirabiliter decorarunt.

14. *Maria à Christo è lectulo vocatur ad campum pietatis, quasi non possint quodammodo saluari homines sine intercessione Mariæ.* Richard.

Iam verò oportet sponsum iterùm loqui, ne elegans planè Richardi Laurent. *lib.* 12. *de laud. Virg.* prætéream testimonium. *Superius* (inquit) *imitauerat sponsa sponsum ad quietem lectuli viridis, lectulus noster floridus: & domos pulchritudine atque magnificentia plenas, dicens: Tigna domorum nostrarum cedrina, &c. Sed sponsus vocat eam ad strenuitatem certaminis, & ad spiritualis agriculturæ laborem: Ego flos campi: quasi diceret. O Mater sponsa, tu delectaris in quiete, secretis vis florere virtutibus, & hanc pulchritudinem amas. Ego verò aliam quæro, scilicet pulchritudinem pietatis, & salutem multorum. Odorem meum toti mundo innotescere cupio, quod fieri non potest, nisi postposita quiete, quâ delectaris, ad prædicationis officium attingas.* An-non potest salus multorum acquiri, & floris Dominicæ odor per orbem spargi, nisi Virgo ab occulta quiete recedat? Nonne ad id sufficit Christi labor, & prædicatio? Cur ergo Dominus asserit, non posse id fieri, nisi Maria ad prædicationis officium attingat? Planè quia Pater disposuit, vt salutis humanæ negotium, quod Christus operatur Deiparæ intercessione ad effectum adduci. Id ô Mater libenter (Doctor addit) facere debes, quia ego flos campi, id est, decor & gloria mundi, in quo pugnandum est. Ego, qui naturaliter sum Deus, sum flos campi, id est Virginis Filius: Campus enim incultus est, & tamen florem producit: sic tu Virgo intacta, & illibata Christum florem peperisti. Quasi reddat Dominus causam, cur sine Maria non possit salus mundi operari ex Dei dispositione: tam ardens enim est Dei amor erga Mariam, vt velit hominum salutem à Filio intercessione Matris mandari executioni.

Vers. II.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

15. *Maria Deus non est, sed ea excellétia nitet, quâ infra Deum maior nequit intelligi.* Anselm.

SIcut lilium inter spinas, &c.] Se sponsus lilium appellauerat, *Ego lilium conuallium.* Absolutè & per antonomasiam lilium sum, Maria verò *quasi lilium*: non est lilium ipsum, seu Christus Deus & homo, sed *quasi*. Maria non est Deus, sed infra Deum, quidquid augustum, quidquid cœleste, quidquid summum excogitari potest, est Maria. D. Anselm. Maria eâ nitet puritate, & excellentiâ, *quâ infrà Deum maior nequit intelligi.*

16. *Angeli, & sancti cælesti cum Maria, velut spinæ indicantur.*

Non fit hìc comparatio inter Mariam & peccatores, sed inter Mariam & omnes Diuos, qui *filiæ* vocantur; peccatores enim in Scriptura sacra non appellantur *filij*. Quemadmodum ergo omnes filij, seu omnes sancti Angeli, & homines cum lilio vero, seu Christo Domino collati, etiam cum flores sint, quasi spinæ videntur: sic & iidem, si cum Maria *quasi lilio* comparentur, non flores, sed spinæ indicabuntur.

17. *Angeli & homines sicut filij, & famuli in Dei domo; Maria sicut Domina.* Hebr. 3.

Magna est in domo inter Matrem & Filias differentia. Mater enim est totius familiæ domina, cui filiæ submittuntur. In augustissima Dei domo Maria Mater est, Domina est; cuncti autem Angeli, & homines veluti filiæ Deiparæ vti Dominæ subiiciuntur. Ad hunc modum Apostolus *Hebr.* 3. Christi maiestatem super Moysem exposuit, vt Iudæorum iactantiam confunderet. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus: Christus verò tanquam Filius in domo sua.* Sic de Maria fari possumus: Angeli, & homines in domo Ecclesiæ tanquam famuli ac filioli sunt; at Virgo sicut magna Mater, sicut *Domina*, cui omnes domestici subiiciuntur.

18. *Maria lilium spinis vulneratum ex compassione dolorum Christi.* Rupert. Gen. 22.

Rupertus ait, *Fuit Christus lilium inter spinas, quando tolerauit tot, & tantas impiorum blasphemias, sustinuit probra, alapas, flagella, coronatus insuper corona spinea: sic quondam pater Abraham vidit post se (qui nondum venerat, sed suo tempore erat venturus) arietem (animal innoxium præfigurabat, innocens hoc lilium) inter vepres, (blasphemias, maledicta, & spinas illas) hærentem cornibus (manus, totúmque corpus vinctum) sed & Maria fuit sicut lilium inter spinas, quia quæcumque spinæ Filium, eadem Matrem confixerunt, & lacerarunt vulneribus condolentiæ, & compassionis: Et sicut Filius spinas pertulit, ac confregit: sic de Matre veraciter semper prædicabitur, cunctas hæreses interemisti.* Si Christi passio spinæ sunt lacerantes Mariam, cur non dixit, Virginem passionis Christi spinas pertulisse & confregisse, sed hæreses? Certè quia tam augusta fuit Mariæ fides, vt hæreses contra eam exurgentes, tam dirum Virgini vulnus infligant, ac Christi tolerati in passione dolores.

Tam egregia Mariæ fides, vt tam dirè sancietur ex hæresibus impugnantibus fidem, quam ex Christi vulneribus.

19. *Maria lilium pariens sine læsione & dolore lilium.*

Guillelmus dicit, Mariam lilium spinarum non vocari, sed *lilium inter spinas*, quia ex eo spinæ non mollescunt, sed magis horrescunt: & tamen simul exortæ non suffocant lilium. Filias autem vult vocari omnes alias ex Eua genitas mulieres, quæ spinæ, quia in libidine concipiunt, & cum dolore pariunt. *Quod enim dictum est Euæ matri.* Genes. 3. *In dolore paries, dictum est & filiabus. Vnde Veritas, Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* Ioan. 16. *sed Virgo lilium, quia pariens, gaudium, & lætitiam habebat, & erat ei parienti in voce exultationis, & confessionis quasi sonus epulantis.* Psalm. 41. *quia nihil in eam de maledictione matris Euæ transiit: peperit vt cæteræ; sed non in dolore, vt cæteræ; quia non in libidine, vt cæteræ concepit. Numerabatur Virgo mater inter matres (hoc est lilium inter spinas) quando quotannis cum cæteris Ierosolymam ascendebat; sed tunc singulæ illæ, quas pepererant spinas, adducebant secum: sed hoc lilium inter illas spinas suum secum lilium adducebat. Quid parerent spinæ nisi spinas? corruptæ matres nisi impuros homines, & peccatores?* at

at Virgo Mater peperit Filium redemptorem, lilium peperit lilium conuallium, lilium virginitatis, lilium maiestatis, cuius candore tenebræ fugantur, cuius odore mortui suscitantur, cuius tactu leprosi mundantur, & omnes curantur infirmi. Lilium, quod filij spinarum spina pupugerunt, quando sacrato eius vertici coronam spineam imposuerunt. Quid elegantius?

20. *Quidquid laudis de Christo dicitur, in Mariæ laudem exundat: & è conuerso.* Richard.

Porrò Richardus de Sancto Laurentio plura Deiparæ elogia ex hoc versiculo excogitauit. In primis asserit, quidquid laudis de Christo prædicatur, in Deiparam refluere. *Id significatum est*, ait, *Cant. 2. vbi postquam se laudauerat Filius, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium, statim transit ad commendationem Matris, dicens: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Quo ostendit, quòd laus sua, laus Matris est: & è conuerso. Et vocat eam amicam, ad ostendendum, quòd sicut omnia communia sunt verè amantibus, sic laus vtriusque communis est vtrique: & quod post laudem Filij laus Matris primo loco succedit.* Luc. 11. Confirmat id ex cap. 11. Luc. *Beata illa mulier, quæ extollens vocem de turba volebat Filium collaudare, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Intelligens per Spiritum sanctum, in Matris laudibus Filium collaudari.* Honor. Adhuc roborat ex D. Hieronymo, & ex D. Bernardo argumentum. Ait enim Hieronymus serm. de Assumpt. *Honor maternus eius est, qui natus est ex ea.* Idem, Nullus honor Matris alius est, nisi cum ille iure honoratur, qui nasci dignatus est ex ea. Idem, Nulli dubium, quin totum ad gloriam Christi pertineat, quidquid dignæ Genitrici eius impensum fuerit, ac solemniter exhibitum. Bernard. Bernardus autem *hom. 4. sup. Missus est*, inquit, *Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere: & rursum cum Filium honoramus, à Matris gloria non recedimus.* Cùm igitur volueris laudare Mariam, ad immensum Filij laudum mare accurre, annumera cœli laudum Christi stellas, si potes. Quidquid de Filij gloria excogitaueris, in Matris commendationem exundare non dubites: & quidquid prædicaueris de Maria, in Filij elogium te prædicasse crede.

21. *Plus cæteris virginibus Maria vouit, vouens virginitatem, quia qualibet eius actio superat aliorum actiones.* Richard. Luc. 1.

Sicut lilium, &c. Commendantur Mariæ actiones, laudantur opera cuncta, quæ quidem, quia ex singularissima Dei amica proferuntur, superant valdè quæcumque virtutis gesta ab aliis prolata. Ineffabili enim Virgo ea gerit affectu. In virginitatis voto exemplum exhibeo ex Richardi calamo lib. 4. de laud. Virg. *Maria dicitur Virgo per antonomasiam; quod notauit Lucas, dicens: Missus est Gabriel ad Virginem, antonomasticè: quasi dicat ad Virginem virginum. Maria enim dicitur Virgo virginum.* Quare precor? Respondet, *Quia prima inter cæteras virginitatem vouit, ideò virginitatis signifera est, & exemplar. Et quia plus cæteris Virgo vouit. Vnde Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ac si diceret, Maria vouit virginitatem, innumerabiles etiam Dei filiæ virginitatem vouerunt: sed Maria *plus vouit cæteris*, quia opus illud, vt à Virgine futura Dei Matre processit, vota cunctorum, ac cunctarum Virginum superauit ex ineffabili planè vouendi Deóque placendi affectu. Vnde reliquas filias longo superat interuallo: sicut lilium spinas superat pulchritudine.

22. *Sanctitas Mariæ non potest esse comparabilis.* Richard.

Opera itaque Mariæ opera singulorum Angelorum & hominum supergrediuntur: vnde eius sanctitas haud potest esse comparabilis. Laurent. Richardus lib. 4. *Dicit Christus de Maria, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Spina licet flores proferat, lilio tamen incomparabilis est: omnis autem homo spina, cui terra corporis sui, & conscientiæ spinas, & tribulos germinat, exceptâ Virgine gloriosa.* Propterea quemadmodum lilium spinas superat, Virgo cunctos Diuos antecellit. Roborat id Pater ex Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. Multæ filiæ*, ait, *id est, virtutes Angelicæ, & animæ sanctæ congregauerunt diuitias diuersarum virtutum, & operum: tu discretiuè ô Virgo supergressa es vniuersas excellentiâ (v. gr.) humilitatis, virginitatis.* Virgines illæ, humiles illi, sed tu plus Virgo, plus humilis prædicanda. Prou. 31.

23. *Mariæ pulchritudo omnium pulchritudinum est epilogus.* Richard.

Pulchriùs adhuc *lib. 5.* Richardus hunc locum illustrat. Quid speciosius lilio, cum inter spinas, seu rubi folia & flores regio amictum indumento ostentatur? Tunc equidem omnimodam Mariæ speciositatem mirificè prædicat. *Verè*, Doctor ait: *Maria speciosa, quæ omni speciositati comparatur: Speciositati hortorum. Vnde* Hortus conclusus. *Speciositati fontium. Vnde* Fons signatus. Cant. 4. *Speciositati arborum. Vnde* sicut Cedrus. Eccli. 24. *Speciositati gemmarum. Vnde* Venter eius eburneus distinctus saphyris. Cant. 5. *id est, cælestibus coloribus. Speciositati luminum. Vnde* Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora. *Speciositati herbarum. Vnde* Nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1. *Speciositati florum. Vnde* Eccli. 24. Quasi plantatio rosæ in Iericho. *Speciositati fructuum. Vnde* Cant. 4. Sicut fragmen mali punici. *Speciositati ædificiorum. Vnde dicitur Arca, Thronus, Solium, Nauis, &c. Speciositati vasorum.* Vnde dicitur Eccli. 43. *Vas admirabile.* Porrò in omnibus hisce elogiis Virgo cunctos Diuos Dei filios superat, & excellit sicut lilium spinas. (Cant. 4. Eccl. 24. Cant. 5. Cant. 6. Cant. 1. Eccl. 24. Cant. 4. Eccli. 43.)

24. *Maria ex omnibus mulieribus electa, vt Mater Dei fieret, omnium virtutes vna colligit.* Richard.

Idem *lib. 7.* asserit his verbis: *Sicut lilium inter spinas, &c.* Mariam ex omnibus mulieribus esse electam, vt Mater Dei efficeretur. Quasi vna esset inter omnes fœminas ad hoc cœleste munus digna eleuari. *Sicut Christus (ille ait) electus est ex millibus hominum.* Cantic. 5. *sic Maria electa est ex millibus fœminarum. Vnde dicitur* Cantic. 6. *Vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Ideò etiam dicitur, Mulier ex omnibus* (Eccli. 7.) *bonis scilicet mulieribus collecta, omnes proprietates, & virtutes bonarum mulierum in se vna, & vnica repræsentans. Sicut enim ipsa dicit de Filio suo.* Cantic. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic Dilectus meus inter filios: sic & Filius dicit ibidem, sicut lilium inter spinas, sic Dilecta mea inter filias.* Vt enim Christum parerent, omnes fœminæ licet Dei filiæ, quasi spinæ fuere reputatæ, sola Maria lilium vt lilium Christum Dominum produceret.

Omnes sanctæ fœminæ in Mariæ conspectu quasi spinæ reputantur.

25. *Sicut lilium, &c.* Richardus *lib. 12.* Verba sunt

Omnimoda lactea Maria innocentia. Richard.

sunt Christi de Maria. Lilium quidem ratione candoris signat innocentiam, & peccati immunitatem. Quia Maria nunquam vel leue piaculum commisit. Dicitur ideò lilium quasi lacteum propter lacteum colorem. Quia Maria à lactis vbere, imò ab vtero, imò à primo vitæ instanti lacteâ innocentiâ decoratur.

26. *Mariana sanctitatis fulgor in conspectu solis sanctitatis Dei quodammodo lucescit, nec stellarum instar obscuratur.* Richard. Iob.25.

Inibi Doctor, Mariæ lilij proprietates eleganter accommodat, cuius vberem discursum carptim colligam. *Maria dicitur lilium. Quia sicut lilium spinis inter quas nascitur, præstantius est absque comparatione, sic Maria Iudæis, de quibus est nata. Vnde sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam. Imò in eius comparatione spinæ reputantur animæ sanctæ, & virtutes Angelicæ. Quia sicut dicitur* Iob. 25. *Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo.* Quod quidem Iobi testimonium non Virginis, sed Dei sanctitatem commendat, in cuius conspectu omnis Angelorum, ac hominum sanctitas obscuratur, quasi non sit. Cur ergo à Richardo hæc Iobi sententia Mariæ accommodatur? Crediderim, quia tanta est Mariæ sanctitas, vt coram Dei sanctitate sole quidem institiæ, quodammodo lucescere valeat, nec stellarum in morem, obscuretur.

27. *Maria lilium à spinis compunctum in Filij passione.* Richard.

Deinde, *Quia sicut lilium* (ille adiicit) *candorem suum retinet inter spinas: & quantò magis ab illis pungitur, maiorem emittit odoris fragrantiam: sic Maria dum à nequam Iudæis in Filio pungeretur, semper mentis innocentiam retinuit, non reddens malum pro malo, nec pro maledicto retribuens maledictum. Et secundum hoc huius auctoritatis.* Sicut lilium, &c. *Sic potest esse sensus, vt dicat Filius: Sicut ego, qui sum lilium, id est, innocens, inter spinas, id est, inter Iudæos, qui circumdederunt me sicut apes, & sicut ignis in spinis: Sic Maria inter filios, id est, inter synagogam, & Gentilitatem, quæ me crucifixerunt, (synagoga scilicet auctoritate, Gentilitas ministerio) animam Matris meæ confixerunt, dilacerauerunt, & compunxerunt.*

28. *Maria Deo attribuit quidquid boni habet.* Richard.

Adhuc ille: *Maria lilium. Quia sicut lilium totum quod habet odoris, decoris, fructus, & amœnitatis, transmittit ad summum, & collocat in capite suo; sic Maria beatissimæ Trinitati quidquid boni habet, attribuit, dicens: Fecit mihi magna, qui potens est.* Luc.1. *Quasi diceret cum Apostolo illud* 1. Corinth. 15. *Gratia Dei sum, id quod sum. Et hoc facit exemplo Filij sui attribuentis Patri, à quo habet originem, totum. Vnde dicit* Ioan. 17. *Pater omnia mea tua sunt.*

29. *Maria omniũ dolores mitigat, concupiscentiam frænat.* Richard.

Item, *Sicut lilium dolores mitigat, & ardores extinguit: sic Maria precibus suis; & exemplis in nobis peccatoribus, & in seruis suis quàm maximè noxias refrenat, & extinguit concupiscentias, & mitigat animæ dolores, consolationem gratiæ in eam transfundendo: vt ei verissimè possit dici: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ (ô Maria) lætificauerunt animam meam.* Psal.93. Psal.93.

30. *Omnis pulchritudo rutilat in Maria, dum eam Matrem Dei contemplamur.*

Quid plura? *Lilium* (pergit Richardus) *in medio floris grana habet crocea, & quasi aurea, quæ septem hastulis supportantur, in quo septiformis gratia designatur, quæ florem Mariæ, id est, Christum impleuit. Vel grana & aurea in medio floris Filius Dei Deus & homo in vtero Virginis.* Omnis plani pulchritudo Mariæ, aurei eius fulgores rutilant, dum eam Dei Matrem contemplamur. Richard.

31. *In Mariano lilio fides spei, & charitatis fulgor splendet.* Richard.

Iam verò *radix lily* (addit ille) *quæ latet sub terra, signat fidem Virginis, quia fides est de occultis: Hastile, quod in altum surgit, spem Virginis in cœlestibus: Flos candidus intus, & extra innocentiam virginalem: Grana aurea charitatem; quia sicut concauitas floris hæc grana continet: sic humilis innocentia, & innocens humilitas cordis Mariæ plena extitit Dei, & proximi dilectione.* En in vno flore virtutum Theologicarum Mariæ oculis offertur imago.

32. *In Mariano lilio temperãtia, fortitudo, ac prudentia splendescit.* Richard.

Denique (ait Doctor) *in lilio isto quatuor consideranda sunt, quæ faciunt ipsum commendabile, scilicet radix, id est, Maria generatio præclaro ex semine Abrahæ, orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid. Ex radice stylus, in quo quatuor, gracilitas surgens, seu temperantia. Sic enim oportebat ad hoc, vt eam inhabitaret sapientia illa, quæ non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Iob.28. *Item æqualis est, per iustitiam; reddit enim quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Item solidus, in hoc fortitudo; quia Maria illum portauit, sub quo curuantur, qui portant orbem.* Iob. 9. *Item sublimis. In hoc prudentia Virginis, quæ interrogauit: Quomodo fiet istud? &c.* Luc. 1. En & virtutes cardinales Mariæ in lilio adumbrantur. Iob.28. Iob.9. Luc. 1.

33. *Maria inter peccatorum spinas est liliũ sanctitatis.* Richard.

Necdum cessauit Richardi deuotio, Mariæ elogia ex hac sponsi sententia excogitare. Notat enim non dixisse: *Sicut lilium inter lilia*, sed *sicut lilium inter spinas amica mea. Hoc*, addit, *est contra eos, qui cohabitationem peccatorum abominantur: sicut Pharisæi, dicentes de Domino.* Luc. 15. *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum eis. Benè viuere inter bonos, bonum est: sed inter malos bene viuere, & innocentiam retinere perfectum est. Maria igitur inter peccantium spinas est innocentiæ lilium.* Non desperet spina ex lilij societate in lilium forsitam conuertenda. *Forsitam* dixi? Displicet aduerbium. Quis enim peccator Mariæ adhæsit persistenter, qui spina cum accederet, lilium candidum non exurgeret? Luc.15.

Ex Mariani lilij societate spina in lilium conuertemur.

34. *Mariæ virginitas omnium virginitates antecellit quia prima omnium virginitatis votum emisit.* Richard.

Aliter Richardus locum exponit Mariæ commendans virginitatem, quæ omnes virgines longo interuallo superat. *De ea dicit Christus*; ait, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Nam quantum flos lilij flores spinarum: tantum præcedit Mariæ virginitas virginitates, & castitates omnium.* Quare? precor! Crediderim quia prima omnium virorum, ac fœminarum virginitatis votum emisit. Sic Richard. *Quando virginitatis prima votum emisit, lilium fuit inter spinas, id est, sicut lilium spinarum flores: sic Maria virginitas cunctorum virorum mulierumque virginitates superauit*, illius perfectissimi holocausti, seu virginitatis voti Magistra.

35. *Maria in conceptu, & in partu virginia.* Richard.

Concludit Doctor, virginitatis Marianæ lilium inter partus spinas sine læsione rutilans: *Fuit* MARIA *lilium inter spinas, seu in partu Virgo*, sicut in Conceptione. *Et ideò Cedro comparatur, sicut Cedrus exaltatus sum in Libano. Quia sine corruptione concepit;*

& peperit; quod competit cedro, quæ eſt imputribilis. Propter hoc exaltatur vt cedrus, id eſt, ſicut Mater, & Virgo in Libano, id eſt, manens in candore virginitatis. Vnde omnes excedit mulieres, ſicut omnes arbores cedrus.

Verſ. III.

Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios.

36. *Omnes Sancti ad comparationē Christi ſylua ſunt ad Mariæ comparationem ſpina.* Origen.

SIcut *malus inter ligna, &c.* Præfatur Origenes homil. 2. ex duabus: *Omnia ligna, omnes arbores ad comparationem Christi ſylua inferaces exiſtimantur. Etiam ligna, quæ videntur fructibus incuruari, ad collationem eius infructuoſa monſtrata ſunt.* Hoc ex capite Virgo Chriſtum ſponſum æmulatur: ſicut enim ipſe eſt malus inter ſyluarum ligna, ſic ipſa eſt inter ſpinas lilium. Fœcundiores arbores, ſublimiores Diui ſyluæ ſunt malo Dominico comparati? iidem ſunt prorſus ſpinæ, ſi cum Mariano lilio conferantur.

37. *Quam vberes ſanctitatis fructus Mariani arboris Christo inſita.* Nyſſen.

Bellè Nyſſenus, *Propterea ſponſum accipit, & aſpicit purgata anima in lignis ſyluæ factum malum, vt cum ſibi inſeruerit, omnes agreſtes ramos ſyluæ efficiat, vt ſimiles fructus producat.* Natura humana fuit quaſi ramus quidam inſitus Verbo diuino, vt cœleſtes, diuinóſque iam fructus producat? Quoſnam quæſo fructus Maria proferet, quæ nunquam ſylua fuit, quando *Verbum inſitum* ſuſcepit?

38. *Omniū Angelorum & hominum amores erga Christū quaſi ſcintilla ſunt, ſi cum ingenti Mariani amoris flamma comparentur.* Guillelm.

Sic dilectus meus.] Sponſa dicit, Dilectus meus, & non dilectus noſter. Cur ita, ſi Chriſtus ab omnibus diligendus obiicitur? An quia omnium creaturarum erga Deum amores ipſa ſola collegit? Reſpondet Guillelmus, *Dilectus meus, dicit Maria, & non noſter, quia reliquæ* rationales creaturæ *reſpectu ſponſæ Mariæ potiùs videntur non diligere. Itaque cùm ſicut nec ſtellarum igniculi ſoli: ita nec parua illa ſcintilla cum ingenti flamma ſponſæ Mariæ potuerit collucere; meritò dixit, Dilectus meus*, & non *Dilectus noſter.* Preme illud verbum: *Ita nec parua illa ſcintilla cum ingenti flamma.* An cuncti Angelorum, & hominum amores erga Chriſtum velut ſcintilla parua ſunt cum ingenti amoris Mariæ flamma collati? Minimè dubitarim.

39. *Christuſnè à terra Maria afflictorum conſolatrice, hauſit eſſe afflictorum conſolatorem?* Carthuſ.

Conſolatrix afflictorum ab Eccleſia Deipara appellatur, & meritò; omnes enim afflictos dulciſſimo ſuo ſolabatur eloquio. Didicitnè hanc proprietatem Mater à Filio, an didicit quodammodo Filius à Matre? Ipſa hanc de Filio proprietatem commendat. *Sicut malus, Dilectus meus.* Audi Dionyſium Carthuſian. *De hac arbore loquitur Alexander ſic: Malus eſt arbor pulcherrima, cuius fructus ſumi iubetur à filiis Iſraël cum palmarum ſpatulis, dum habitarent in tabernaculis, & vmbraculis: & profert poma coloris aurei: nitentiſſimus quoque viror foliorum ipſius. Ita intuentibus eſt acceptus, vt cum radij ſolis tangunt ſuperiora eius, ex reuerberatione fulgoris videatur ramis aureis ornatus. Hæc arbor nunquam ſuo fructu priuatur, eſtque recta, alta, frondoſa, recreans flore, reficiens ſapore.* Iam Chriſto adaptat, *Ideòque Maria per hanc arborem Filium ſuum Ieſum Chriſtum ſignificauit; quia delectat nos flore ſuæ ſanctiſſimæ conuerſationis, & reficit ſapore ſuæ ſuauiſſimæ conſolationis.* Liceat mihi, ô Domine, dictare, te arborem *Malum* (Hiſpanè ex ſententia Alexandri *Naranzo*) omnium bonorum fontem ſolandi corda proprietatem ex terra materna afflictorum ſolatrice bibiſſe.

Addit Doctor, *Hæc arbor ſignificat etiam, quod in Christo nulla fuit curuitas culpæ, ſed ſummæ perfectionis proceritas. Cuius aſpectus fuit conſolatorius valdè, & folia, id eſt, verba ipſius auro ſapientiæ radiabant.* Ad quam quidem excellentiam impeccabilitatis per naturam decuit, vt ex terra per gratiam impeccabili, & benedicta omninò arbor Dominica oriretur. 40. *Christus impeccabilis per naturam ex Maria per gratiam impeccabili exortus.* Carthuſ.

Honorius verò ingenioſè exprimit ſanctitatis, & perfectionum differentiam inter Mariam & alios Diuos, dum ait: *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic Christus fuit inter omnes Diuos, Prophetas, Apoſtolos, &c.* Quia in conſpectu Dominicæ arboris cuncti Sancti, licet omnimodâ perfectione conſpicui, ſicut ligna ſyluarum infructifera apparent. At loquutus de Virgine, addit: *Mariam* autem *obumbrat*, iuxta illud: *Sub vmbra illius ſedi.* Quaſi Dominus ſolius Mariæ curam habeat, eam ſolam recreet vmbraculo. In conſpectu igitur Chriſti arboris fœcundiſſimæ ſola Maria oliua ſpecioſa admodùm inter ſyluarum ligna minimè computatur. Vmbra autem illa (Doctor addit) Mariam *Spiritu ſancto ab omni carnali delectatione præſeruauit*, cum Chriſtum concepit. 41. *In conſpectu ſanctitatis Christi omnes ſancti quaſi ſyluæ ligna eſſeuantur: ſola Maria ſanctitas ſuū fulgorem retinet.* Honor.

Ponderat Rupertus particulam illam: *Sic Dilectus meus inter filios* hominum. *Conſiderat* (ait ille) Maria Chriſtum *eſſe vnum ex filiis hominum, quia os ex oſſibus Adæ, & caro ex carne Adæ: ſed non eſſe vnum, ſicut quilibet filij hominum.* Quare? *Quia non maſculus & fœmina homines eum genuerunt; ſed intacta vterus Virginis eum fudit.* Igitur quia natus ex Maria Virgine hoc habet, vt non ſit vnus, ſicut quilibet filius hominum, ſed inter cunctos homines ligna ſyluarum Malus pulcherrimus, & vberrimus prædicetur. O Mariani vteri excellentiam. 42. *Ex Maria nō habet Christus, vt inter filios hominū ſingulariſſimus hominis filius oſtentetur?* Rupert.

Liceat autem mihi illam particulam, *Quia non maſculus, & fœmina homines eum genuerunt*, premere. Certum eſt maſculum hominem Chriſtum non genuiſſe: at æque certum eſt, eum à fœmina homine fuiſſe generatum. Cur ergo dicit Rupertus, Chriſtum à fœmina homine generatum non fuiſſe? An quia virginitas quodammodo ſuprà humanitatis limites eleuatur, & quid quaſi diuinum hallat? Fateor. Sed aptiùs dixerim, tantam eſſe Mariæ excellentiam, tam diuinæ virtutes, vt quodammodo Deitatis cumulum attigiſſe videatur. Vnde D. Damaſcenus non dubitauit piè eam: *Deam* appellare. 43. *Christus quodammodo natus non eſt ex Virgine homine, ſed ex Virgine Dea.* Rupert. Damaſc.

Verſ. IV.

Verſ. IV.

Sub umbra illius , quem deſideraueram, ſedi : & fructus eius dulcis meo gutturi.

44\. *Ab omni prorſus ſecura peccato Maria ſedet.* Philip.

SVb umbra &c.] Ab omni prorſus ſecura peccato Maria ſedet. Peccator namque cum labore ſtat. *Quid hic ſtatis totâ die otioſi?* Nunquam ſedet peccator. Perfecta ſeſſio, & quies Mariæ reſeruatur ab omni peccato liberæ, vt *volum.* 2. videbimus. Nunc de actuali ſolùm ſermo procedit. Ait Abbas Philippus. *Virgo Mater, quæ præ cunctis inuenit gratiam apud Deum, in ea ſabbatizat, & fœliciſſimum obtinet Iubilæum. Et non ſolùm viuit, quod eſt omnium laborantium generale; ſed & ſecura ſedet, quod quieſcens per priuilegium obtinet ſpeciale. Ipſa enim eſt, cui Spiritus ille ſanctus ſuperuenit, in qua virtus Altiſſimi gratam ſibi requiem adinuenit, quam umbra velamento longè à culpa faciens, vel timore, ſeſſionem placidam ipſi ſolo contulit in amore.*

45\. *Deſiderij Mariæ fructus Verbi Incarnatio fuit.* Philip.

Quem deſideraueram.] Affectuosè Virgo Verbi Incarnationem deſiderauerat. An Verbi Incarnatio huiuſmodi ardentis deſiderij fructus fuit? Adiicit Philippus. *Deſiderio deſiderauerat Virgo, vt Deus Dei Filius adueniret.* Quiſnam deſiderij tanti fructus? *Oſculatam Deus deoſculans caſtitatis eam ſigillo præmuniuit, ſicut mentem, ſic & carnem illæſo flore virginea cuſtodiuit.* Peperit denique Saluatorem. *Quo percepto fructu iam Virgo culpa neſcia, & timoris, ſedet velut in ſolio ſub vmbra refrigerij gratioris.*

46\. *Extinctus in Maria omnino peccati fomes.* Rupert.

Sedi.] Porrò ſedit Maria ſub refrigerij diuini vmbra ſemper, fomite omninò peccati extincto. Rupertus. *Ego ſub umbra illius ſedi. Non ſteti ad horam ſub umbra, vt interdum paterer carnis æſtum, & interdum haberem carnis refrigerium; ſed continuo ſedi, quia ſemper pacem habui, & iugiter ſub umbra illius quieui.*

47\. *Adepto deſiderij huius fructu ab eius affectu nunquam Maria ceſſauit.* Guillelm.

Quem deſideraueram. An adepto deſiderij fructu, Virgo à deſiderij ceſſauit affectu? Abſit. Nam etiam poſſidens, quod optauerat, adhuc cupiebat poſſidere. Guillelmus. *Nulli tam deſideratus fuit hic fructus, quàm piæ Matri: Nam hæc perfectè diligebat; quod autem perfectè diligitur, nunquam ſatis habetur, ſed ſemper vt poſſideatur, deſideratur. Ideò quod deſiderabat, habebat; quia ſub ūmbra eius ſedebat, & tamen eum adhuc deſiderabat.*

48\. *Nulli diuo datum niſi Mariæ, propius ad Incarnationis myſterium accedere.* Exod. 3. Guillelm.

Reliquis hominibus quantumcunque ingenij acumine, & ſanctitate conſpicuis haud datum Incarnationis propiùs ad myſterium accedere. Vnde Moyſi prohibetur ad ardentem rubum Verbi Incarnati ſymbolum accedere. *Exod.* 3. Mariæ ſoli ſpecialiſſimo priuilegio datum, non ſolùm accedere, ſed inibi ex perfecta eius cognitione placidè ſedere. Audi Guillelmum. *Lucis ad corpus acceſſu vmbra gignitur. Lux diuina humano ſe corpori in Virgine vniuit, & ſic vmbram produxit denſam, & caliginoſam: Venerabile; & inſcrutabile myſterium Incarnationis. In hac vmbra ſoli humanitati Christi ſedere datum; ſub ea tamen ſedere priuilegio peculiari datum ei, cui dictum eſt ab Angelo, virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. *Cæteri quantalibet ſanctitate præfulgeant, caliginem umbræ lucis huius procul intuentur (vti Moſes) diuinum quidem myſterium ſummiſſis capitibus humiliter venerantes, & ad eius ſcrutationem propiùs formidantes accedere. At ſub hac vmbra piæ Matri ſedere ſingulariter conceſſum. Et ideò de hoc priuilegio in Domino gloriam canit: ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi.*

49\. *Fructus tam deſideratus à Maria erat hominum redemptio. Adeò eius in nos ardens pietas.* Guillelm.

Et fructus eius dulcis gutturi meo.] Quinam hic fructus adeò à Deipara deſideratus? Reſpondet Guillelmus. *Quis rogas fructus iſte mali dulcis? Vtilitas humanæ redemptionis, quæ eſt in ſanguine eius. Omnibus quidem redemptis, & eorum amicis ſanctis Angelis prædulcis: ſed præcipuè Matri Redemptoris. Nulli tam gratum iucundúmque fuit magnum illud opus pietatis, quàm Matri pietatis. Huic illa operi piâ exultatione congratulans, pleno gutture gratias agebat. Nec eam licet eximere de numero Sanctorum, de quibus dicitur: Exultationes Dei in gutture eorum: ſic dulcis fructus gutturi eius.* Itaque Matri immenſæ pietatis hominum redemptio deſideratiſſimus ac dulciſſimus extitit fructus.

50\. *Mariæ profundiſſima humilitas ſe videns Dei Matrem effectam.* Alan.

Ex mente autem Alani huius fructus dulcedo fuit Mariæ quædam præcelſæ virtutis exercitatio, nempe profundiſſima humilitas cum ſuprema Dei maternitate coniuncta. *Ad verba* (inquit) *Gabriëlis ſedi, id eſt, requieui ſub vmbra illius, id eſt, ſub protectione Filij Dei per obumbrationem Spiritus ſancti facta. Tempore enim Incarnationis gratia Spiritus ſancti fuit tabernaculum, vel vmbraculum contra concupiſcentiæ incentiuum. Sub hac vmbra non ſteti rigidâ elatione, ſed ſedi; ideò plena gratia per humilitatem apud Deum, & per fœcunditatem.* Id eſt, ideò in myſterio Incarnationis plena ſum ſatietatis gratia, quia cum Mater Dei eſſem per fœcundam virginitatem, non ſteti elatione, ſed profunda humilitate ſedi.

51\. *Mariæ humilitas ſedentis ad Chriſti pedes, vt eius verbis dulciter ſatiaretur.* Carthuſ.

Dionyſius Carthuſ. hanc Virginis humilitatem ſedentis ad Ieſu pedes, vt eius verbis dulciter ſatiaretur, commendat. *Humillima* (ait ille) *& quietiſſima Virgo Filij ſui veram Deitatem omnipotentiámque cognoſcens, tantò perfectius ſub eius protectione quieuit, & ipſius auxilio innitebatur, quantò erat humilior. Conuerſandóque in hoc mundo cum dilectiſſimo ſponſo, ac Filio ſuo, ſub eius pietate degebat, & ſub eius exemplariſſima conuerſatione proficiebat. Et coram ſermocinante ſedit frequenter, verba prædicantis ſponſi & Filij attendendo, quibus miro modo delectabatur, ſicut fatetur: Et fructus eius dulcis gutturi meo. Refecit itaque Dominus maieſtatis Matrem ſuam refectionibus mentis illuminando mirificè.* Mariæ Deiparæ extitit Maria altera æmulatrix. *Quæ etiam ſecus pedes Chriſti Domini, audiebat verbum illius, tanquam ad vmbram ſedens, & ex ipſius ore gutturi ſuauiſſimos fructus decerpens.* Luc. 7.

52\. *Maria præmiſſo deſiderio, vt Chriſtus, ſeu fama, quotidie Euchariſtiam recipiebat.* Rupert.

Profectò Rupertus meditatur hac arbore malo vitale lignum, hoc eſt, Euchariſticum fructum ſignari. *Ad quid ſurrexit Chriſtus inter ligna Syluarum, niſi vt faceret huiuſmodi fructum, quo euacuauit primæ præuaricationis reatum ligni vetiti morſum. Vbi tempus venit huiuſmodi fructus edendi, accipiens panem, & vinum,*

vinum, & benedicens. Accipite (inquit *) & manducate, hoc eſt corpus meum: accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus.* Hoc vitalis ligni Dominici ſuauiſſimo fructu deſiderabat Deipara ſaginari, & poſt fameſcens deſiderium fructus dulcedine potita clamat, ſub vmbra illius arboris, cuius fructu deſideraueram ſatiari, ſedi, & ideò fructus eius dulcis gutturi meo. Eſt enim optima ad Euchariſtiam diſpoſitio comedendi deſiderium, ſeu accipiendi Euchariſtiam fames. Id Chriſtus expreſſit, dum ſe hac fame communicandi præparaſſe dixit ante Euchariſtiæ inſtitutionem. *Deſiderio*, ait, *deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* Luc. 22. Deus dixit Moyſi *Deut.* 8. antequàm eum cœleſti manna Euchariſtiæ typo reficeret. *Afflixi te penuria, & dedi tibi cibum manna.* Ex Hebræo *afflixi te fame* prinſquam te manna ſatiarem. Fames enim optima eſt ad recipiendam Euchariſtici manna abundantiam. Quotidie Deiparam Euchariſtiam recepiſſe, conſtans eſt apud Doctores placitum. Certè Chriſti æmulatrix deſiderio deſiderauit hoc vitali Dominici mali fructu refici. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi.* Quid mirum, eius fructum Mariæ tantâ impleniſſe ſuauitate*: Et fructus eius dulcis gutturi meo.*

Luc. 22. Deut. 8.

Ideo, fame præmiſſa, dulciſſima ei Euchariſtia extitit.

53\. *Maria arbor eſt, cuius vmbram cupiunt fideles inire, vt eius fructu reficiantur.* Richard.

Aſt Richardus *de S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg.* aſſerit ipſam Deiparam arborem eſſe, ad cuius vmbram fideles geſtiunt pergere, vt ſecuri à cunctis hoſtibus ſedere valeant. *Debemus*, inquit, *accedere ad Mariam duplici de cauſa, propter reuerentiam eius, quia Regina eſt; & propter periculum noſtrum, qui inter dæmones, & prauos homines habitamus, & viuimus in peccatis. Qui enim iuſtus eſt, ad illam debet confugere, vt dicere poſſit illud Canticorum: Sub vmbra illius, quam deſideraueram ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Vt impleatur illud Mich.* 4. *Sedebit vir ſubter vineam ſuam. Hoc eſt, ſecurus erit per auxilium Virginis.*

Mich. 4.

54\. *Marianæ arboris dulciſſimus fructus eſt Chriſtus Dominus.* Richard.

Si vis autem Marianæ arboris quinam ſit fructus tanta ſedentis ſub vmbra hac dulcedine guttur explens*:* eundem audi Doctorem lib. 4. *Maria* quidem *ſuauis eſt vniuerſis. Vnde de ea dicitur Sap.* 8. *Non habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus ipſius; ſed lætitiam, & gaudium.* Tam dulcis arboris qualis eſt fructus? *Maria (* ille adiicit *) ideò dulcis fructu, id eſt, Filio, à quo potiſſima dulcedo ipſius, quia à Filio traxit omnem dulcedinem. De quo videlicet fructu dicit fidelis anima* ſub vmbra Mariæ arboris ſedens*: Fructus eius, id eſt Mariæ, dulcis gutturi meo.*

Verſ. V.

Introduxit me in cellam vinariam; ordinauit in me charitatem.

55\. *Ad recta opera præſtanda Virgo non allicitur ſpe præmij, ſed ſolo Dei amore.* Richard.

Richardus Laurent. *lib. 4. de laudib. Virg.* opera Mariæ commendat ex puro Dei amore, ſine humano vel leni reſpectu facta*:* exemplumque in eius meditatione circa cœleſtia exhibet. *Ratione ſua contemplationis dicit ipſa: Introduxit me Rex in cellam vinariam, id eſt, in cogitationem gaudiorum cœleſtium. Rex non ſeruus, id eſt, timor pœnæ, qui quandoque facit cœleſtia cogitare: non amicus, id eſt, deſiderium præmij; ſed Rex, id eſt, amor ſponſi, qui facit me cœleſtia meditari. Innuens igitur, quod timore ſupplicij, vt ſerua; nec amore tantum præmij, vt mercenaria; ſed ſola dilectione, & charitate Patris vt filia, in cellam vinariam eſt introducta: quæ eſt meditatio ſpiritualium; non in aquariam, quæ eſt cogitatio temporalium; & ſic ei collata eſt gratia ſpiritualis.* O ineffabilem Mariæ erga ſponſum dilectionem, quam æternæ gloriæ deſiderium non potuit acuere ad opera præſtanda*:* ſed merus Dei amor accendit.

Recolens autem ſpiritualia dona, quibus donata fuit Virgo ad cellam vinariam contemplationis introducta, Doctor adiicit*: Dicit ergo Maria. Introduxit me in cellam vinariam, id eſt, omnium bonorum ſpiritualium mihi contulit affluentiam. Quia hæc cella vinaria contemplationis gratia multiplicia continet pocula. Primum eſt puritas mentis. Secundum requies mentis. Tertium ſecuritas mentis. Quartum gaudium in Spiritu ſancto. Eſt ergò ſenſus: Introduxit me in cellam vinariam, id eſt, contulit mihi gratiam contemplationis, cuius pòculis me multipliciter inebriauit.* Si ex vnius contemplationis gratia tot Deiparæ dona impenduntur, quanta donorum cœleſtium immenſitas bonorum ipſius operum reſpondebit immenſitati? 56.

Ex vnius contemplationis gratia Maria pluribus donis impletur: quid ex rectorum operum immenſitate? Richard.

In hac verò cella vinaria, vbi ipſe ſponſus pincerna Virginis oſtentatur tot ei bonorum pocula propinans; ipſa fidelibus amicis ſuis ſe pincernam oſtendit. Pulchrè fatur idem Richardus lib. 12. *Cùm ipſa ſit diſpenſatrix, & pincerna gratiarum: introducta in cellam vinariam, non ſolùm potatur à dilecto ſuo, quin & amicis ſuis hauriens refundit; qui de plenitudine eius omnes recipiunt gratiam pro gratia. Dilectores ſuos potat vino, ac potu multiplici: & largitur differentias potuum ſecundum potatorum differentias.* Certè *quod ipſa ſit pincerna ſanctorum oſtendit.* Prou. 9. *dicens: Bibite vinum, quod miſcui vobis.* Et Cant. 5. *dicit conuiuis ſuis. Bibite, & inebriamini chariſſimi. Quod etiam ſit pincerna Domini dicit.* Cant. 8. *vbi dilecto loquitur, dabo tibi poculum ex vino condito.* 57.

Maria à Deo propinatur donorum affluentia, & ipſa ſuis propinat amicis. Richard.

Maria Dei, & ſanctorum pincerna. Richard.

Honorius quidem de gloriæ immenſitate, quâ Maria in cœlo potitur locum expoſuit fatus. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi, hoc eſt, in requiem ad viſionem eius iam veni, vbi pulchritudinem eius Sol, & Luna mirantur. Fructus eius dulcis gutturi meo, id eſt, gloria eius dulcis eſt animæ meæ. Hanc enim nunc conſpicio, quia introduxit me Rex gloriæ in cellam vinariam, id eſt, in cœleſtem Ieruſalem.* Qui in cellam ipſam vini introducitur domini cellæ amicus, non parcè poculum recipit, ſed omnia ei meri vaſa pateſcunt. Maria amiciſſima cœleſtis ſponſi in gloriæ, quâ omnes ſancti potiuntur, cellam introducitur, & adeò omnia ei vini huius vaſa pateſcunt, vt totum hauſerit ipſa liquorem. Vnde Theologi bonæ notæ ſolius Mariæ gloriam omnium Angelorum & hominum gloriam ſimul ſumptam ſuperare, haud improbabiliter opinantur. 58.

Maria tota cella vinaria gratiarū patefecit, vt pro libito hauriat. Honor.

Rupertus introductionem hanc Mariæ in cellam 59.

Maria in nuptiis Canæ petebat, hominibus vinũ incorruptionis à Filio propinari. Ioan. 2. Rupert.

cellam vinariam refert ad conuiuium in Canæ Galilææ nuptiis. *Ioan.* 2. Vbi Virgo ibi innuit quid altius, quàm quod verba sonabant. *Indicauit*, ait, *namque, quòd in toto mundo defecisset vinum incorruptionis animarum, & immortalitatis corporum. Tunc illi Filius respondit: Quid mihi, & tibi mulier? & his verbis introducta fuit in cellam vinariam à Filio. Quia eam intelligere sic fecit, se ad hoc venisse, vt humani generis aquaticam infirmitatem in suum vinum, hoc est, in suæ immortalitatis conuerteret fortitudinem.* Pulchrè planè.

60. *Reliquis diuis gratia de plenitudine datur: Mariæ verò omnis plenitudo offertur.* Guillelm. Col. 2. Ioan. 1.

Nisi fallor altiùs adhuc & pulchriùs in Deiparæ laudem hic Guillelmus subuolauit. *Præterea*, ait, *introduxit eam Dominus in cellam vinariam. Non propinauit ei vinum de cella tantùm, vt cæteris, quibus foris de plenitudine propinatur, sed specialiter admisit ad ipsam plenitudinem, vt abundantiùs repleretur. Non habet illa plenitudinem propriam, sed de plenitudine sponsi pleniùs, quàm cæteri accepit, eo ipso quòd genuit eum, in quo habitat omnis plenitudo corporaliter.* Col. 2. *Vas plenitudinis est solus Filius, de cuius plenitudine omnes accepimus.* Ioan. 1. *Sed præ participibus suis pia Mater, quæ concipiendo, & pariendo vas plenitudinis, in ipsam cellam introducta fuit.*

61. *Secreta mysteria in Testamento veteri occulta Virgini fuere reuelata.* Alan. Luc 2.

Alanus quidem sic locum exposuit: *Per cellam vinariam accipitur vetus Testamentum: quia sicut in cella victualia reponuntur, sic sub figuris veteris Testamenti latent secreta cœlestia, quibus spiritualiter anima saginatur, & inebriatur. In hanc cellam Christus Virginem introduxit, cum ei spiritualiter legis intelligentiam reuelauit. Vnde & de ipsa dicitur.* Luc. 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Quia quæ fiebant circa Christum conferebat cum iis, quæ vetus Testamentum promittebat.*

62. *Mentis excessus Mariæ, quo ad cœlestia rapiebatur, obliuioni cuncta terrena remittens.*

Aliter locum idem Doctor interpretatur de Deiparæ mentis excessu, quo ad cœlestia per terrenorum obliuionem auolabat. Nec dubium, quin terrenorum amorem ad cœlestem cumulum animi volatum retardaret. *Vel per cellam vinariam* (ait ille) *intelligitur mentis excessus, quo Virgo ad cœlestium contemplationem, & amorem rapiebatur. Ab amore terrenorum suspensa. Ex hac, & in hac cella ei spiritu* alia vina *id est arcana cœlestia*, ac dona *propinabantur, quæ ideò animam ebriam faciunt, quod sobriam reddunt.*

63. *Tam exuberans erat Mariæ charitas, vt quodammodo à Deo ordinari, seu frænari indigeret.* Ioan. 2. Rupert. Ioan. 19.

Ordinauit in me charitatem.] An Mariæ charitas inordinata erat, vt egeret à Deo ordinari? Equidem tam exuberans erat, vt quodammodò necessarium fuisset ad ordinem & modum adduci. In Canæ nuptiis cùm vinum absumeretur, Christo suggerit. *Vinum non habent.* Ioan. 2. Vbi Rupertus meditatur Virginem non solùm petiisse aquæ in vinum conuersionem, sed & aquaticam infirmitatem in fortitudinem commutari, quod Dominicæ mortis vi præstandum erat. Respondit ergo Dominus. *Quid mihi & tibi est mulier, nondum venit hora mea*, hora scilicet mortis meæ, de qua Ioannes, *sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem.* Ioan. 19. Ac si diceret, comprime ô Mater tuæ ineffabilis charitatis affectum, nec propter eorum salutem velis me ante tempus à Patre præscriptum profundere sanguinem.

64. *Roborata est charitas Mariæ mirum in modum in Filij conceptione.* Guillelm.

Ad hæc verba. *Ordinauit in me charitatem* ait Guillelmus, sensum esse *confirmauit*, seu roborauit in me meum erga se amorem. Quando? precor. Respondet. *Cùm Virgo Deum corporaliter concepit, tantam in seipsa de calore superuenientis Spiritus sancti flammam pij amoris concepit, quantam capere poterat puri hominis modus.*

65. *Maria à charitate originem duxit.* Brigit.

Confirmauit seu accendit tunc in conceptione Filij Deus in Maria amorem, quem in ea iam ab vtero Annæ matris accenderat. Vnde dixerim, Mariam à charitate originem habuisse. Ipsa Brigittæ id reuelauit. *Pro certo dico tibi, quod ex verbo Angeli nuntiantis, conuenerunt parentes mei non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed ex diuina dilectione: & sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est.*

66. *Actus charitatis in Maria per ordinem sine intermissione procedebant.* Amad. *Maria Phœnix charitatis.*

Ordinauit, seu per ordinem *in me* charitatis actus sine intermissione processerunt. Virgo beatissima originem à charitate ducens, eius flammam perpetuò fouit, & auxit. Placet illorum sententia, qui existimant feruentissimum charitatis actum nunquam Mariam intermisisse. A primo suæ conceptionis instanti Deum cœpit Virgo, ab hoc deinde amore nunquam cessauit, quin semper in eius corde adeò creuit amoris flamma, vt tandem amore languens defecerit. Vnde Amadæus *hom. 6. de laud. Virg.* eam Phœnici in flamma obeunti comparauit. *Ergo diuinis ignita colloquiis tota effecta es velut ignis, ô Virgo: téque holocaustum Deo suauissimum obtulisti. O Phœnix aromatizans gratiùs cinnamomo, & balsamo, & nardo suauiùs Regem in aspectu tuo delectans!* Phœnix congregans omnes species, & igne circumfusa superessentiali, cœlum cœlorum, & cœli Potestates *Angelicas* ascendens è lacrymarum valle, *replens suauitatis incenso.*

67. *Charitas Mariæ velut aciei contra dæmones in tutamen hominum ordinatur.* Bernard.

Seu ordinauit Deus charitatem Mariæ, sicut aciem ordinatam aduersus dæmones hominum hostes, vt eos debellatos mittat in fugam. Ait D. Bernardinus Senens. serm. 51. art. 3. cap. 2. *Sicut magnus ignis effugat muscas: sic ab ardentissima Virginis mente, & inflammatissima charitate dæmones effugantur.* Sit à nobis hæc Mariæ flamma, nihil suis insidiis dæmon proficiet: sed terrore correptus, fugam arripiet.

68. *Vexillum extulit Maria facta omnibus sanctitatis exemplar.* Hildephons.

Ordinauit in me charitatem. Cald. *Cuius vexillum super me charitas*, seu *vexillum præceptorum eius suscepi super me in dilectione.* Vexillum planè extulit Maria facta omnibus sanctitatis exemplar, omnes ad diuinæ legis obseruationem inuitans. Hildephonsus de partu, & purif. Mar. *Vexilla virtutum in Maria effluxerunt, in qua tota Dei maiestas versatur.*

69. *Maria præcipuè in voto virginitatis vexillum extulit, seu primiceria extitit, ab ipso Deo edocta.* Hugo. Bernard.

Charitatem. Non dubium, quin virginitatis virtus à mea charitate in Deum proficiscatur, quia minimè à lege præcipitur. *De virginibus* enim (ait Paulus) *præceptum Domini non habeo.* Maria extulit non solùm proposito, sed voto hunc ardentissimæ charitatis effectum, dum perpetuam prima Deo virginitatem vouit. Virginitatis voto firmatæ Maria vexillum extollit. Vnde à Cardinali Hugone *Virginitatis primiceria* vocatur *cap. 1. in Luc.* quia omnibus in vouenda virginitate præiuit. A quo didicit Maria? Audi. D. Bernardum *hom. 3. sup. Missus est. Tu*, ô Virgo, ait, *non*

præce

præceptum de virginibus, ſed nec conſilium, nec exemplum habes, niſi quod vnctio docebat te de omnibus, ac ſermo Dei viuus, & efficax antè tibi factus eſt Magiſter, quàm Filius: priùs inſtruxit mentem, quàm indueret carnem. Chriſto ergo deuoues te exhibere virginem, & neſcis, quòd ipſi exhibere te oporteat etiam Matrem? Eligis in Iſraël eſſe contemptibilis, vt & illi placeas, cui te probaſti maledictum incurrere ſterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur. An hoc non eſt eximius charitatis effectus?

70. *Virgines voto alligatæ poſt Mariam ſigniferam pergût ad ſponſum, non ante eam vllæ.* Pſalm. 44. Bernard.

De Maria loquens Regius vates cecinit Pſalm. 44. *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Rectè poſt eam non ante, quia ante Mariam nullus, nulla virgo voto virginitatem ſuam Deo obtulit: ipſa hoc perfectiſſimæ charitatis vexillum erexit. Ignota prorſus ante Mariam hæc oblatio. Bernardus hæc verba Dauidis exponens *ſerm. 7. de B. Virg.* ait: *Offerantur Regi virgines poſt eam; nam primatum ſola vindicat ſibi.*

71. *Alas indidit Mariæ virginitatis votũ, vt velocius Chriſtum inſequeretur.* Pſal. 44. Hugo.

Valde vtile Virgini hoc charitatis ardentiſſimæ vexillum erexiſſe; velociùs enim fecit eam ad cœleſtem ſponſum auolare. *Adducentur Regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.* De virginibus dicit. *Adducentur*: de iis, quæ virgines non ſunt nempe viduis, & continentibus, quas proximarum nomine ſignat, non dicit. *Adducentur*, ſed *afferentur.* Quare? Hugo Cardin. *Virgines dicuntur adduci, & quod habeant pedes integros, & ſanos, id eſt affectus incorruptos. Vidua autem, & continentes afferri dicuntur, eo quòd habeant pedes morbidos, id eſt, affectus fractos.* Mariæ virginitas alas indidit ad currendum, quia ipſe virginitatis flos ala eſt velociſſima. Ierem. 48. *Date florem Moab, quia florens, egredietur.* Pagninus vertit. *Date alas Moab, quia volando exibit.* Vides flores in alas conuerſos? Verè id in virginitatis flore accidit, quæ alas ſuis cultoribus adiicit. Vnde non mirum Ioannem citiùs Petro ad Chriſtum cucurriſſe. *Ioan.* 20. quia huius floris alis adducebatur. Hieronymus pulchrè *lib.* 15. *in cap.* 46. *Iſa.* loquens de Ioanne inquit. *Qui Petro tardiùs ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum.* Hinc colliges, quàm velox fuerit Deiparæ charitas, vt ſponſum inſequeretur, ſi non virginitatis ſolùm pennis adducebatur, ſed addiderit alis hiſce virginitatis voti fuiſſe Magiſtram.

Ierem. 48. Pagnin. Ioan. 20. Hieron.

72. *Charitas Mariæ nouũ ordinem oſtẽtat, non enim à ſe incipit, ſed à proximis.* Rupert.

Ordinauit in me charitatem. Potiùs videtur Deus inordinaſſe, quàm ordinaſſe charitatem in Virgine, quia *ordinata charitas incipit à ſe ipſo*: priùs prouidendum tibi, quàm proximo. At Mariæ charitas priùs ad proximorum commodum, quàm ad proprium efferri apparet, dum maternum affectum Dei voluntati circa Chriſti mortem in hominum ſalutem prapoſuit. Perbellè Rupertus. *Ordinaſſe etiam in ea charitatem dicit, quia docuit opus Dei*, in hominum redemptionem *materna affectioni praponendum. Et ideò licet iuſti doloris gladium in mente portauit, non tamen auerti propoſitum Dei cupiit prouenturum ei ad gloriam, & honorem, & humano generi ad ſalutem, ſic ordinata erat charitas Deipara, quia etſi optaſſet, vt non moreretur talis dilectus, huic tamen voto maiorem Dei gloriam, & hominum ſalutem preferebat. Non ſic Petrus, & ideò audiuit. Abi poſt me ſatana.* Matth. 16. *quia non erat in eo*, vti in Maria, *charitas ordinata.*

Guillelmus autem aſſerit, hinc innui charitatem in Deum & proximum in Maria perfectiùs quàm in reliquis ſanctis proprium habitaculum ſortiri. *In Maria*, ait, *corde ordinata charitas fuit, quia quaſi proprio in loco collocata, longè altiore, quàm in cæteris, gradu: longè concinnius, quàm in cæteris, diſtributo ordine: longè quàm cæteris, ardentiori flamma.* Charitas igitur Mariæ prima in ordine eſt conſideranda, quæ plus cunctis Deum, & proximos dilexit. 73. *Charitas in Deũ & proximum perfectius, quàm in reliquis ſanctis proprium habitaculum ſortitur in Maria.* Guillelm.

Verſ. VI.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.

FVlcite me floribus, &c.] Honorius exiſtimat, tam ardentem fuiſſe Deiparæ præfatum amorem in Deum, & proximum, vt iuſtè petierit, à cunctis ſanctis in Dei gloriam illum commendari. *Per flores* inquit, *innocentes: per malos arbores domeſticas, alij ſancti intelliguntur. Ab innocentibus ipſa exaltatur innocens, à ſanctis ipſa ſanctior glorificatur; quia amore languet, quia in Deum, & proximi vtilitatem proſpicere deſiderat.* Certè Mariæ charitas debet ab hominibus tot beneficiis obæratis haud terminabilibus efferri præconiis. 74. *Petit Maria ſuum in Deũ & proximum amorem ab omnibus ad Dei gloriam commendari.* Honor.

Guillelmus verò ſic Mariæ amorem flagragrare contemplatur, vt cogeretur ab hominibus petere refrigerium. *Afficiebatur*, ait ille, *Virgo ardentiori amoris flammâ quàm cæteri Sancti. Hinc fit, vt poſtulet. Fulcite me floribus, quia amore langueo. Non ergò vt cæteri, paulatim, & gradatim in habitu virtutum proficiebat. Propterea non paulatim amore langueſcebat, ſed ex quo Verbum Incarnatum genuit, ſancto eius amore ad ſe ipſam, & ad omne, quod infra ipſam eſt, perfectè languebat. Quia verò propter hoc emulanda, atque imitanda eſt omnibus, ad imperfectiores animas eius vox eſt: Fulcite me floribus, &c. O vos adoleſcentula, ô filia paruula, & delicata, qua nondum cœleſti ſponſo puriori amore nupſiſtis: ſed adhuc vos ipſas fortiter amatis, quia ego langueo, langueſcite & vos.* Ardentiùs illum, quàm vos ipſas amate. Annotarim autem, hîc Guillelmum velle, Deiparam non debuiſſe paulatim per multos actus virtutum infuſarum habitum acquirere. Non tamen negat poſteà Virginem hoſce habitus adauxiſſe ætatis, ac vitæ progreſſu.

75. *Tam ardens amor Dei & proximi amor in Maria, vt cogatur quodammodo, ab hominibus refrigerium petere.* Guillelm. *Refrigerium eſt Mariani amoris flamma, nos Deum perfectè diligere.*

Rupertus meditatur, ineffabili amore ſauciam Deiparam à ſodalibus, à piis fidelibus medicinam, vel leuamen petere. *Hoc*, inquit, *ordinato amore vulnerata Deipara, cùm iam Filius poſt paſſionem, ſepulturam, reſurrectionemque in cœlum aſcendiſſet, petit à fidelibus, quia deſiderio diſſolutionis à corpore, & amore langueat propter Filij abſentiam; vt conſolationis loco eam fulciant floribus recta & ſyncera fidei: & ſtipent malis bonorum operum, & fructuum vita aterna: ſic enim poſſe hoc deſiderium*, hoc amoris vulnus *leniri*, & *ſanari langorem; quia ſalus animarum ſummum illi adlatura ſit gaudium.* 76. *Fulciunt floribus & malis ſtipant Mariæ vulnus amoris, qui fidei, ac bonorum operum flores & fructus edunt.* Rupert.

dium. O ineffabilem Virginis charitatem! cuius vulneri nostra salus est medicina, cuius flammæ profectus noster est refrigerium. Del-Rio noster hæc confirmans, fatur: *Si Deum ardentius, quàm vos ipsas ô adolescentulæ meæ, diligitis, quantum in vobis est, fulcitis me floribus, quia meam pro vobis sollicitudinem bonis vestris initiis exhilaratis. Consequenter etiam stipatis me malis, suauiter & copiosè me piis profectibus pascendo. Quantum enim vos vni viro Filio meo Virginem castam exhibere cupio:* 2.Cor.11. *Tantum, cum illi nubetis, vobis gratulabor.*

Del-Rio. 2.Cor.11.

77. *De iure Maria duo simul sibi sacrari petit & flores virginitatis, & fœcunditatis fructus.*

Fulcite me floribus, stipate me malis. De iure Maria postulat flores & fructus: Nam qui ei florem offert sine fructu, hoc est virginitatem sine fœcunditate, maternitati eius iniuriam irrogat: qui verò ei fructum sine floribus offert, eam Dei Matrem agnoscere, sed nō virginem profitetur, & violat pulcherrimum eius puritatis insigne. Flores ergo Mariæ fructus, & fructus sunt flores: vtrumque postulat, & flores & fructus. Eleganter Bernardus *cap.46. de passio.* hanc excogitationem confirmat: *In omni arborum genere in ortu fructus florem decidere videbis; in hominibúsque & cunctis ferè animantibus fructus filiorum florem virginitatis abscindit. Non sic in Virgine beatissima. Venter enim illius fructum protulit benedictum, non amisso virginitatis flore. Protulit fructum mulier pulcherrima, flore virginitatis non perdito.* In cuius symbolum petit fulciri floribus, malis stipari.

Bernard.

78. *In Maria paradiso virginitatis flores cum fructu fœcunditatis.* Chrysost.

Ait D.Chrysost. *tom.5. orat.1. in Parasc.* in paradiso arbores floribus & fructibus simul exornari. *Homo in paradiso gaudebat arboribus semper florentibus, & floribus in flores transeuntibus, à fructibus in fructus* simul *transilientibus.* Maria ab Ecclesia *Paradisus voluptatis* appellatur: cur igitur in ea fructum maternitatis simul cum flore virginitatis germinantem non intuebimur?

79. *Maria Aaronis est virga, flores simul ac fructum ostēdens.* Num 17. Albert Mag.

Roboro excogitationem virgæ Aaronis miraculoso Deiparæ typo. *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas efformati sunt.* Num.17. Ad quæ Albertus Magn. *cap.181. sup. Miss.* pulchrè ait: *Et quidem suo modo virginitas, & maternitas dici possunt in arboribus simul virorem floritionis cum partu fructificationis reseruare; vt dicere possent, flores mei fructus, sicut amygdala illa, quæ Virginis Matris figura fuit: & quodammodo sub vmbra, & ænigmate futuræ beatitudinis Virginem repræsentauit.* Plura alibi.

80. *Gratiæ vnguenta Mariæ velut colūna fuere ne corrueret.* Philo Carp.

Fulcite me floribus, &c. Philo Carpath. & alij, ex Septuag. legunt: *Seruate me in vnguentis.* Nyssen. *Fulcite me vnguentis.* Et addit: *O admirabiles columnas! ô noua fulchra! Quemadmodum fiunt vnguenta columnæ domus?* Quia gratiæ vnguentum fulcitum fuit Virgini, nè domus increatæ sapientiæ vnquam piaculo laberetur. Vnguentum enim hoc (inquit Pater) seiunctum est ab omni tetro odore peccatorum.

81. *Maria fundamentum est cœlum empyreum. Quia ibi initit, vbi cuncti sancti cumulū posuêre.*

Legunt alij, *Fulcite me in igne.* Quònam ô Virgo postulas tuum ædificium spirituali fulciri? Bonæ notæ Modernus asserit, petere Mariam pro fundamēto Empyreum cœlum, quod igneum nominatur, seu ignitum: sed cur Virgo pro fundamine requirit sui ædificij Empyreum cœlum, quod respectu aliorum cœlorum est fastigium, & corona? Profectò quia Beatorum omnium perfectio, quæ illis est finis, mihi extitit velut initium. Vbi alij sui ædificij terminum imposuerunt, Maria suæ domus regiæ prima iecit sanctitatis fundamina. Vnde illud Dauidicum, *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Psal.86. Quia ibi Mariæ sanctitatis fundamenta iaciuntur, vbi cuncti perfectissimi sancti cumulum montanum, seu eleuatissimum posuêre. Psal.86.

82. *Maria à quolibet peccati pondere immunis.* Nyssen.

Nyssen. ait ad illud, *Stipate me malis. Hoc genus fructus, scilicet malorum, quo stipari petit sponsa, graue non est, neque in terram vergens, ac depressum: sed suaptè naturâ sursùm fertur.* Vt in ipso fructu Maria innuat, se à quolibet piaculi pondere immunem, ad terram nunquam fuisse deflexam, sed nunquamnon ad cœlestia tendentem.

83. *Omnis sanctitatis tectū, respectu sanctitatis Mariæ est quasi humile pauimentum.* Nyssen.

Legunt alij, *Sternite mihi poma.* Ad hæc Nyssenus asserit non tam peti ab sponsa pauimentum inferius, quàm tectum. *Quamobrem horum malorum pulchritudine desiderat sponsa suæ domus tectum decorari? Non enim mihi videtur eius studium hoc esse, vt aliquid humi stratum ostendatur per malorum compositionem.* Miror igitur, quod Maria tectum re ipsa petat, & aliundè tectum hoc superius humilis, & inferioris pauimenti vocabulo declaret. Ast vt ab admirationi recedam, crediderim, Deiparam innuisse, quod in Angelis, & hominibus sanctis per modum tecti, seu fastigij in genere gratiæ, & gloriæ excreuit, respectu Mariæ humile esse pauimentum. Illa enim ibi fundamina iacit, vbi omnes Diui cumulum posuêre.

84. *Quidquid in Angelis, & hominibus corona est sanctitatis pro fundamento Mariani ædificij iacitur.* Ambros.

Legit Ambrosius ad Psal.118. *Stipate me malogranatis.* Hinc perpende Virginis excellentiam, quæ pro pauimento pedum coronatos fructus requirit, seu suis pedibus Regum sanctorum Dauidis, Iosiæ, Ezechiæ, &c. diademata, Angelorum, & hominum iustorum coronas subiicit. Quia scilicet quidquid in aliis Diuis corona est, præcelsúmve fastigium, sub pedibus Deiparæ pro fundamine iacitur.

85. *Maria in sanctitate Angelorum instar per breuissimas morulas proficit, & crescit.* Antonin.

Annoto præterea, quàm proximi sibi sint in Mariâ flores & fructus. Vix petierat flores, eum perbreui morulâ interiectâ, *vult flores* (cum Nysseno loquor) *in fructus conuerti. Fulcite me floribus, stipate me malis.* Quid mirum si Maria plusquam Angelica more Angelico per breuissimas morulas crescit, & proficit. Audi D.Antoninum p.4.sum.tr.15.c.26. *Flores sunt inchoationes fructuum. Vbi ergo in aliis sanctis virtutes sunt quasi flores, id est, incompletæ, & imperfectæ respectu virtutum patriæ: in Maria fuerunt flores isti fructus, quia virtutes habuit quasi ad modum patriæ.* Quid illustrius?

86. *Charitate iuxta crucem Maria dirum accipit vulnus.* Petr.Cellens.

Legunt denique alij pro particula, *Quia amore langueo: Quia vulnerata charitate ego sum.* Quod Petrus Cellens. *lib. de panib. c.19.* Virgini iuxta crucem stanti, dum Christus Dominus patiebatur, accommodat. *Præ suauitate huius amoris, si es in visceribus Iesu, non lanceam expauescis, quâ non odio inimici, sed charitate Christi suauiter vulneratus lancearis. A quo vulnere Virgo, quæ inter vbera sua sponsum collocauerat, & lanceâ viscerum eius perforata vitaliter, lethaliter languebat, exclamat: Vulnerata charitate ego sum.*

Verſ. VII.

Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

87. *Leuamẽ vulneris Mariæ charitatis fidelium profectus, & ſua ad gloriam aſſumptionis meditatio.* Rupert.

LÆua eius, &c.] Petierat Virgo beatiſſima in vulneris ſuæ charitatis leuamen, floribus rectæ & ſinceræ proximorum fidei fulciri, & bonorum operum fructibus ſtipari. Profectò dum eius votum executioni datur, eius charitatis vulnus accipere ait refrigerium, cùm videt ad Petri prædicationem iam tria millia, iam quinque millia hominum ad Chriſtum conuerti, & diem ſui tranſitus aduentare, in quo æternæ felicitatis præmium eſt receptura. Ad hæc Rupert. *Intereà enim dum differtur totius mundi conuerſio, hanc eſſe læuam*, ait, *Filij ſub capite ſuo, ſi videat promiſſa Filij impleri, & gratiam Spiritus ſancti in tot fidelibus per Petri prædicationem adductis vacuam non eſſe. Poſteà quoque dexteram eius Matrem amplexuram, hoc eſt, æterna gloria totam ſe circumdandam, cùm de præſenti ſæculo in cœlum fuerit aſſumpta.*

88. *Acerbitas vulneris Mariæ in paſſione Filij tecta, & propera eius reſurrectione leuatur.* Guillelm.

Guillelmus locum refert ad paſſionis Dominicæ tempus, & *læuam* explicat acerbitatem paſſionis, *caput* mentem Mariæ: *dexteram* gaudium reſurrectionis. *In paſſione Filij languor iſte Matris manifeſtiſſimè ſe prodidit. Videt tamen mens diuinitus illuminata, quàm vtiliter, ac ſalubriter dulciſſimus Filius moriatur: quàm breues ſit morulas in morte facturus, & quàm glorioſè poſt modicum triumphaturus. Et ecce propter hoc læua eius ſub capite meo; non enim ſupergreditur caput meum, vt ratio cedat affectui, & lugeatur à me Filius meus quaſi deſcenſurus in corruptionem, & non quaſi poteſtatem habens ponendi animam ſuam, & iterùm ſumendi eam. Ego verò certiſſima ſum, quòd dextera eius amplexabitur me, quòd gloria reſurrectionis citò me exhilarabit. De morte eius breui luctus mihi breuis: ſed quia reſurgens ex mortuis iam non moritur, materna in me charitas immortali lætitiâ perfruetur.*

89. *In ſponſi læuæ & dexteræ amplexu animæ ac corporis Mariæ beatitudo ſignatur.* Richard.

Richardus Laurent. *lib.* 10. *de laud. Virg.* vtrumque amplexum læuæ, & dexteræ Deiparæ Aſſumptioni accommodat, in qua tàm animus, quàm corpus eius cœleſtis ſponſi potitur amplexu. Thalamus exterior eſt Virginis corpus, thalamus interior animus. Corpus læuæ fruitur amplexu, animus dexteræ amplexu potitur Aſſumptionis, &c. *Tunc dicit illud Cant.* 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Et ita in aſſumptione aſcendit thalamus vterque*, ſeu anima & corpus *in thalamũ ſcilicet interior, & exterior in ſuperiorem* cœleſtem thalamũ. *Nam aſſumptam ſimul cum corpore credunt eam fideles vniuerſi.*

90. *Chriſtus lapis ex Mariano monte ſine hominu manibus, ſed cũ manibus De delabitur.* Dan. 2. Damaſc. Hieron.

Ad Mariæ virginitatem ſententiam hanc D. Hieronymus allicit *epiſt.* 22. *de cuſt. virgin.* In cuius gratiam ad memoriam refert illud Daniel. *cap.* 2. teſtimonium, *Donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus. Ex quo monte, id eſt Maria* (ait D. Damaſc.) *citra vllam manuum operam ſcindi voluit lapis angularis Chriſtus.* Aduertit itaque Hieronymus manus accipi pro opere nuptiarum, iuxta illud Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo, &c. Lapis*, inquit, *prædicatur abſciſſus de monte ſine manibus, ſignificante Propheta Virginem naſciturum de Virgine; manus quippe accipiuntur pro opere nuptiarum, vt ibi, ſiniſtra eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Si manus pro opere nuptiarum accipitur, & Maria fatetur vnius, & alterius manus amplexu potitam: quomodo Dominicus lapis ex Mariano monte ſine manibus fuit abſciſſus? Planè quia hæ manus non hominis, ſed Spiritus ſancti fuère, quæ quidem virginitatem ipſo amplexu tuentur.

Fatur D. Paulin. epiſt. 4. ad Seuerian. *Ergo illum amemus, quem amare debitum eſt. Illum oſculemur, quem oſculari caſtitas eſt. Illi copulemur, cui nupſiſſe virginitas eſt.* Patet itaque *nubendi* verbum idem eſſe ac *copulandi*; necdit enim hæc duo: *Illi copulemur, cui nupſiſſe virginitas eſt.* Maria ergo Chriſtum amplectitur, à cuius amplexu caſtior, ac illibatior abiit: id ipſa oſtendit, dum poſtquam dixerat, *Læua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me*, mox addit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Oſtendens, ſponſi cœleſtis amplexu virginitatem cuſtoditi, ac nutriri. Liliis enim virginitas ſignatur, quæ marceſcere neſciunt, licet Mariam ſponſus vnâ & alterâ manu amplectatur. 91. *Maria in Verbi Incarnatione ſponſum amplectitur virginitatis profectu.* Paulin.

Vix dixerat Maria, *Amore langueo*, ſeu *vulnerata charitate ego ſum* iuxta LXX. lectionem, cum adiicit: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quibus verbis ad ſimilitudinem ſagittæ volantis videtur reſpicere, quam ſcilicet Deus, vt cor feriret Matris iacularetur. Primò diuinus amor Virginem vulnerauit; Poſteà velut ſagittam eam aſſumpſit, vt noſtra corda amoris ictibus feriret. Sagittam qui iaculari intendit, manum *læuam*, ſeu ſiniſtram arcui ſubiicit, *dexterâ* autẽ ſagittam apprehendit, vt in ſcopum collimet, in quem dirigit ictum. Ita hîc factum, prius Maria vulneratur amore, deinde vulnera in noſtrorum cordium ſcopo Dei manus eam velut ſagittam iaculatur. Pſellus perpulchrè, *Læua eius, &c. Ecce quæ paulò ante mirabili ſagitta ſaucia erat* MARIA, *Amore langueo, amore ego vulnerata ſum, iam inquit: Nunc ſagitta fit in manibus iaculantis. Læua ſub capite ſponſæ; dextera illam complectitur: quandoquidem ad ſimilitudinem volantis ſagittæ emiſſa fuiſſe dicta eſt.* O ſi nos hæc ſagitta vulneret, & altè cordi ſui amorem imprimat. O cœleſtis iaculator, dirige ad nos hanc ardentem ſagittam, Matris tuæ dilectionis piæ igne afficiamur, tibi capiemur, tuæ erimus venationis fructus. 92. *Amoris ſagitta Deus Mariam vulnerauit, eam facit ſagittam, quæ nos vulneret charitate.* Pſel.

Eadem verò ſagittarij, arcus, & ſagittæ metaphora vtens aliò tendo ex Nyſſen. hic *hom.* 4. aſſerente Mariam à diuino ſagittario vulneratam, factam eſſe ſagittam velociſſimè ad cœleſtia volantem. *Vides* (ait ille) *quomodo manus arcum tractant, diſpertita ad vſum operationis. Quæ ergo paulò ante teli facta eſt ſcopus, nunc ſe iam pro telo aſpicit in manibus ſagittarij: cùm aliter dextera, aliter ſiniſtra telum apprehendat: oſtendens, quod idem ſit ſponſus & ſagittarius: eadem ſponſa noſtra* MARIA *& ſagitta, purâ nempè vtens animâ, & tanquam iaculum ad bonum ſcopum dirigens. Propterea dicit, ſiniſtra eius ſub capite meo, per quam iaculum dirigitur ad ſcopum; dextera autem eius me apprehendens, & ad ſe trahens, efficit me leuem vt ſurſum ferar, vt illicò mittar, & à ſagittario minimè ſeparer.* 93. *Maria vulnerata à Deo amoris ſagitta, facta eſt ſagitta velociſſimè ad perfectionem euolans.* Nyſſen.

Impera

94. *Maria erat, vt Spiritu sancto protegatur aduersus inuisibiles hostes, nobis exhibens eradi exemplar.* Cantacuz.

Imperator Cantacuzenus asserit, Mariam ab sponso cœlesti vndique protegi postulare. Vt nulla ad illam hostium inuisibilium irrumpere valeat impugnatio. *Laua eius,&c. Quasi dicat: Suo vndique præsidio me protegat, & læuam quidem manum; quæ prohibendi vim habet quodvis malum, in capite meo, in rationalis videlicet animi parte, vt imponat precor. Dexteram verò, effectricem scilicet, seruatricemque vim præbeat virtutum. Clarè enim Dei Patris, ac Filij manum Spiritum sanctum scriptura appellat, quemadmodum Saluator Iudæis dicit: Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, videlicet in spiritu Dei. Et in libro Psalmorum, Dextera Domini fecit virtutem.Idcirco Gabriel perspicuè clamat, Spiritus sanctus superueniet in te.* Si Dei Mater tot cincta virtutibus, tot gratiis munita postulat enixè à Dei non solùm manu, sed manibus protegi: quid nos oporteat agere vitreos, debiles, vacuos munimento virtutum à tot horribilibus hostibus impugnatos?

95. *Maria mortalitatis pondere oppressa alleuiatur Christi Filij sui laborum meditatione. Nos edocens vnde laborū leuamen requirere debeamus.* Guillelm.

Ex Guillelmi autem mente affirmo, Virginem pondere mortalitatis oppressam ad Filij similitudinem vehementer leuari ex meditatione tribulationum, quibus Dei Filius in hac lacrymarum valle fuit affectus. Magna quidem Mariæ gloria Christi imaginem in cunctis exponere. *Laua eius* (ait ille) *sub capite meo, id est, leuans & sustentans caput meum: siquidem, vt scriptum est, graue iugum super filios Adæ, iugum scilicet mortalitatis, quod & ego fero cum cæteris filiis ac filiabus Adæ. At læua dilecti mei caput meum, id est, mentem meam sub tam graui pondere laborantem consolando sustentat, & sublueat.* Quænam ô Domina ista est consolatio? *Læua eius est dignanter ex me assumpta similitudo carnis peccati. Venit non in carne peccati, vt cæteri, sed in similitudinem carnis peccati. Denique generale pondus leue mihi efficitur consideranti, quod Dominus omnium idem pondus ferre dignatur mecum,& cum omnibus filiis Adæ. Sic nunc læua eius sub capite meo, suo tempore dextera eius amplexabitur me. Dextera eius est gloria resurrectionis eius, quæ in carne eius absorbet similitudinem carnis peccati: tantique prærogatione exempli de sequutura membrorum eius imitatione exhilarabit subtiliter attendentem, quia primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi.* Tribulationum laborumque sæculi huius perleue pondus erit Christi tribulationum dirarum, & futuræ resurrectionis gloriæ memori.

96. *Cœlestes terrestresque creaturæ audito Mariæ nomine genuflectunt.* Honor.

Abbas Honorius per *læuam* ait significari sphæras, ac creaturas sublunares, per *dexteram* cœlestes ac supernas. Læua itaque eius sub capite Mariæ, & dextera illius amplexabitur illam, id est terrestria ac cœlestia illam *magnificabunt.* Quia sicut ad nomen IESV *omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum:* sic ad nomen Mariæ.

97. *Maria pueruli Iesu crebris donatur amplexibus.* Carthus.

Denique Dionysius Carthusian. Virginem infantuli IESV crebris amplexibus donatam contemplatur. *Credimus quoque ô supercœlestis Domina, omnium creaturarum decus, & gloria, te cum puero Iesu in sua sacra infantia, qua renouata est senectus & vetustas nostra, quandoque in eodem lecto dormiisse: atque infantulum Deum inter tua mundissima brachia collocasse; têque ad eiusdem dextera amplexatam. O quàm incomparabilis, & indicibilis est gloria tua, excellentia, & beatitudo: quam propinquissima, & familiarissima facta es Deo. Certè in quantum es Mater Dei, es dignitatis quodammodo infinita.*

Verſ. VIII.

Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum, nè suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadvsque ipsa velit.

98. *Curat Christus, ne ab orationis somnio Maria excitetur,ne cesset pro peccatoribus Patrē Deum deprecari.* Rupert.

MAgnæ profectò vtilitatis, aut volnptatis cœlestis sponso videtur esse Mariæ somnus, siquidem tanto studio filias Ierusalem adiurat, ne illum interrumpere audeant. Rupert. *Quid ergo necesse fuit, dilectam dormire? Nemini enim parum fuit ipsa dormitio, cum tanta sit pro ea dilecti adiuratio.* Quando in sacra Scriptura aliqua verba sæpè exprimuntur, mysterium continere speciale Patrum est placitum. Bis sponsus suum circa dilectæ dormitionem expressit affectum. *Ne suscitetis dilectam. Ne euigilare eam faciatis.* Coram testibus fit adiuratio, *Per capreas, ceruosque camporum*, quibus ex plurium sententia Angeli designantur. Quisnam ergo somnus hic Mariæ tot à Christo sponso affectibus procuratus. Crediderim ex Patrum mente esse dulcem contemplationem eius, & continuam pro peccatoribus precationem. Christus itaque anxius peccatorum reductionis, custos est somnij Deiparæ, sciens eius ad impetrandam ex Patre cœlesti salutem omnium, efficaciam.

99. *Maria secura dormiebat à cuiusvis piaculi irruptione inter sortes Matris Dei, & in gratia confirmationis.* Psal.67. Guillelm.

Guillelmus Abbas securitatem Mariæ ab omnis piaculi, & imperfectionis irruptione in hoc dulci somnio contemplatur. *Dormiebat pia Mater inter medios cleros, & erant pennæ eius columbæ deargentatæ. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ huic, & volabo, & requiescam! Quippe non datum est illi, sicut & cæteris, sed sicut inter omnes participes veritatis habeat priuilegium Mater veritatis. Pennæ eius virtutes eius, quibus subleuatur à terra, licet originaliter esset è terra, siue hominum filia. Pennæ eius deargentatæ, id est nitidæ, nihil obscuræ, vel sordidæ admixtionis habentes. dum dormiret in medio duorum clerorum, id est, sortium.* Quænam hæ sortes inter quas tam dulciter Deipara dormit? sors Matris Dei, & sors confirmationis in gratia. Liceat vulgariter exponere: *La suerte, que le cupo de ser Madre de Dios, y de ser confirmada en gracia.* Securitas enim ab irruptione culpæ animum facit suauissimo somnio indulgere.

100. *Mariam dum somnio contemplationis indulget, nec prospera, nec aduersa potuerunt excitare.* Guillelm.

Aliter hunc locum idem Abbas exposuit. *Sors vna dextera erat, & alia sinistra: vtraque attingebat columbam Mariam. Sors dextera est Incarnatio Saluatoris: ea quippe Virginem Matrem pia exultatione repleuit. Sors sinistra eiusdem Redemptoris passio, quæ piam Matrem mœstificauit ad tempus. Toto autem tempore, quo erat inter duos cleros Incarnationem,& passionem, dormiebat pia Mater dulcissimo contemplationis somno, somnians iugiter dilectum. Et quidem circa humanitatem eius materna sol-*

licitudine pro tempore satagebat. Attamen in Diuinitatem eius iugiter intenta contemplatiua quietis dulcedine fouebatur. En cordis Deiparæ fortitudo, quod nec prospera, nec aduersa potuerint à pacis, ac quietis somnio excitare. Profectò eum, qui contemplationis, seu orationis somnio indulget, nec prospera efferunt, nec aduersa deiiciunt.

101. *Quàm molestum Mariæ fuerit, blasphemias contra Iesum audire, & eius ineffabilis patientia.* Guillelm.

Adiuro vos, filiæ Ierusalem, ne suscitetis dilectam.] Quænam hæ Ierosolymæ filiæ tam anxiæ Mariam à somnio excitandi? Respondeo ex Guillelmo profante. *Verùm dormienti Maria inter medios cleros obstrepebant quædam improba anima, & inquietare conabantur dulcissimè quiescentem. Cum enim pius Iesus verbum vitæ prædicaret, & sermonem diuinis miraculis confirmaret, compatriotæ sui scandalizabantur in eo, dicentes: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne Mater eius dicitur Maria? Exierant etiam quidam de suis, tenere eum quasi arreptitium dicentes: Quoniam in furorem versus est. Et audiebant ab Scribis, & Pharisæis, quod in Beelzebub Principe dæmoniorum eiiceret dæmonia: & credebant eis, quasi magnis; & doctissimis viris. Quanta putas tunc compatriotæ, & cognati eius loquebantur de illo piæ Matri? Audire mihi videor voces loquentium: Corripe Maria Filium tuum, si fortè tibi obediat, & quiescat à vanitatibus suis. Nempe aliena loquitur, & Filium Dei se nominat, & gloriatur se Patrem habere Deum, quasi vir tuus Ioseph Deus sit.* An-non virilis patientiæ miraculum cor Mariæ, aliàs vigilans ad sensum doloris, tam suauiter obdormire?

102. *Plus offenditur Christus iniuriis Matri, quàm sibi illatis.* Guillelm.

Filiæ Ierusalem.] Profectò veriùs illas tàm impiæ curantes Mariæ patientiæ somnum interrumpere, Babylonis filias sponsus appellaret: cur ergo eas filias nominat Ierosolymæ? Respondet Guillelm. *Molli, & benigna appellatione blanditur eis, appellans eas Ierosolymæ filias. Nam si vocaret eas filias Babylonis miseras, quod veriùs erant, vehementius exasperaret eas in Matrem. Sic traditori suo dixit: Amice, ad quid venisti; quem tamen hostem nequissimum esse sciebat.* Quasi Christus Dominus plus de iniuriis Matri, quàm sibi illatis offendatur.

103. *Maria nunquã vel peccatoribus maximis exasperatur. Tam ineffabilis eius est pietas.* Guillelm.

Per capreas, ceruosque camporum.] Quinam hîc capreatum; ac ceruorum nomine intelliguntur? Adhuc Guillelm. *Adiurat eas per capreas ceruosque camporum, per Prophetas scilicet & Patriarchas, de quorum propinquitate carnali gloriabantur. Per capreas enim designantur Prophetæ propter videndi acumen. Per ceruos quoque armatos cornibus, & inimicos serpentibus, præcipui illi legum æmulatores Patriarchæ figurantur. Quasi dicat: Prophetarum & Patriarcharum hinnuli vos esse iactatis. Si ergo filiæ Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc columba dormienti inter medios cleros obstrepitis, & improbis vocibus, quantum in vobis est, quietem eius turbatis. Adiuro ergo vos per illos, quorum filios vos esse gloriamini cessate ab inquietudine columbæ dormientis.* Annota illud, *Improbis vocibus, quantum in vobis est quietem eius turbatis.* Intendebant hostes illi, quantum in illis erat, Mariæ turbare & exasperare patientiam. At minimè turbatur, dulciter dormit somnij domina. Non excitatur illis asperè responsura. Nec enim vnquam, dum vixit etsi dirum hostem, aut maximum peccatorem fuit asperè allocuta.

Elegantiùs demùm Abbas ipse meditatur, Christum eos hîc subtaxare, qui intercessione Virginis conantur, quæ minus sint licita consequi. *Quia ergo*, ait, *multi vel indigna, id est, quæ præstari non debeant, vel indigni, id est, quibus non debeant præstari postulando, piam Matrem in intima suauitatis deliciis quiescentem, quantum in ipsis est, improbis clamoribus inquietant: eorum importunitatem cœlestis sponsus reprimit dicens: Adiuro vos filiæ Ierusalem. Filias vocat, in quo vt molles notat; nam si viriliter saperent, agerentque, filij vocarentur, non filiæ. Adiuro, inquit, non simpliciter moneo, sed adiurans, vehementer prohibeo, nè suscitetis dilectam, id est, in quantum in vobis est, inquietetis, talia postulando, quæ præstari non debeant; neque euigilare faciatis tales postulando, quibus nihil præstari deceat. Donec ipsa velit. Nondum enim assurget ad effectum petitionum vestrarum, quia nondum postulatis quales postulare, & qualia postulari deceat. Ergo postulate digni exauditu digna impetratu, vt delectet piam Matrem assurgere interpellando pro vobis.* Asseris ô venerande Abbas necessum esse, vt Deiparam ad interpellandum pro nobis excitemus *tales* esse, *quibus præstari id deceat.* Ego, tua venia, dixerim, licet non *tales* simus, dum postulemus *talia* qualia postulari deceat, Virginem tanta in peccatores affici pietate, vt ad nostrum clamorem excitari velit, vt eius precibus *tales* efficiamur, & *talia* postmodum impetremus.

104. *Minimè per Mariæ intercessionem quæ non sunt licita, efflagitanda.* Guillelm.

Tãta est Mariæ charitas, vt etiam peccatorum clamoribus excitetur.

105. *Mirabile silentium Deo, gratũ Mariæ quo sua priuilegia operiebat.* Rupert.

Porrò Rupertus in mystico somnio Mariæ asserit indicari eius mirabile silentium, quo sua priuilegia custodiebat. *Quid ergo necesse fuit*, inquit, *Mariam dormire, aut certè quid fuit illam dormire? Profectò quod Euangelista vult insinuare, cum dicit: Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Luc. 2. *Iterumque repetens, dicit: & Mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Ibid. *Hoc erat dormire, scilicet oris custodiam habere, & secretum* donorum, quæ acceperat, *non propalare. Igitur adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis dilectam donec ipsa velit, Id est, firmo mentem dilecta, nè antè tempus loquendi enarret vobis, quid vel quomodo sibi factum sit; etiamsi vos multum instanter requiratis.* Subtaxantur intereà qui facilè euulgant acceptas à Deo in oratione illustrationes, &c. Crediderim equidem, innumerabilia Deiparæ priuilegia nos ignorare, quia ipsa ex profundissima humilitate operiri voluit. Ei enim morem gerens sponsus dixit, *Quoadusque ipsa velit.*

106. *Maria vehementer commouebatur, dum viueret & inquietabatur hæreticorum erroribus.* Honor.

Honorius affirmat, Virginem vehementer commoueri, & inquietari, dum viueret hæreticorum erroribus; ideóque Christum dicere, *Adiuro vos, id est, Sacramento meæ Incarnationis adstringo ô anima Christiana, dum per capreas, ceruosque camporum, id est per Prophetas, & Apostolos, Doctores populorum loquor,* vobis reserans Euangelium: *nè suscitetis dilectam, id est, nè aliqua peruersa doctrina inquietetis Genitricem meam, quoadusque ipsa velit,* id est, ea docete, quæ ipsa vult doceri.

107. Dionysius Carthus. videtur mente voluere

illud

Christus sic Maria contemplatione lætabatur, vt curaret, ne dulce id somnium inquietudine afficeretur. Carthus. Luc. 10.

illud Luc. 10. quando satagente Martha *circa frequens ministerium*, dum Maria ad Iesu pedes contemplationis dulcedine potiretur, à Domino audiuit: *Martha Martha solicita es: Maria optimam partem elegit.* Placebant Christo externa charitatis opera Marthæ, sed plùs videtur laudasse in Maria dulcem contemplationis affectum. Id autem Deiparæ accommodans affatur. *Post Christi ascensionem, ac missionem Paracliti Spiritus sancti, multiplicatis fidelibus, & euidenti fide tenentibus, sacrosanctam Virginem esse veri Dei Matrem, omnes eam in maxima, & admirabili reuerentia, vt verè decuit habuerunt, atque ad ipsam in omni necessitate habebant refugium; sed & plurimi, & sapientissimi etiam ex paganismo conuersi, talem ac tantam videre, & audire præcordialiter optauerunt: vt patet de S. Dionysio, & S. Ignatio. Legitur etiam, quod generalis congregatio sanctarum Virginum morabatur cum ea eius obsequio deputata. Commisit igitur sponsus cœlestis omnibus istis, nè importunè ad hanc prædilectissimam sponsam suam & Matrem accederent, ad reuocandam eam de suo secreto, & quietissimo actu, & loco, vbi contemplatiua vita exercitiis excellentissimè inhærebat.*

108. *Dulcissimæ contemplationis quieti Maria nunciũ remittit, cum proximorum necessitas vrget.* Carthus.

Quid ad hæc sponsa, cuius animus amoris in proximos flagrabat incendio? An-non tam dulci quieti nuncium remitteret, vt nobis ad salutem proficere posset? Ipsum sponsum audite illam particulam, *Quoad ipsa velit*, adiicientem. O Domine, si Matris voluntati dormire, vel vigilare in hoc casu relinquis, certum est illam suauissimum *Mariæ* contemplationis somnium interrupturam, vt erga egentes, & interpellantes proximos *Marthæ* excitamenta gerat. Aptè Carthusianus adiecit: *Verumtamen, quoniam sponsus nouerat eam in proximum æstuantissimam esse, iugiterque paratam accurrere, & suscitari pro rationabili causa, addidit: Quoadvsque ipsa velit, vtpote tempore congruo, in quo sine dubio semper fuit prompta; quoniam fructum passionis, & mortis sui Filij semper optauit.*

109. *Maria videtur à Deo dilecta appellari eo modo, quo Christus dilectus vocitatur.*

Ne suscitetis dilectam. O ineffabilis Mariæ excellentia! *Dilecta*-nè à Deo dicitur eo modo, quo Christus dicitur à Patre dilectus? Bis de cœlo Pater intonuit, nempe in Iordanis ripa, & in monte Thabor, vt Christum Dominum super omnes Adami filios exaltaret: & nullo alio præcelsiori compellauit nomine quàm *dilecti. Hic est Filius meus dilectus.* Similiter in Cantico ter Mariam dilectam appellauit ad Filij dilecti similitudinem. Num vacua Dei verba? Absit. Ergò quidquid dilectissimæ sponsæ fas est à Deo concedi, Deiparæ fuit concessum, vt aptius Filij Dei referret imaginem.

110. *Maria & charitas idem esse videtur.* 1. Ioan. 4. Nyssen.

Loco particulæ illius. *Ne suscitetis dilectam*, legunt alij. *Ne suscitetis charitatem, Deus charitas est* (1. Ioan. 4.) *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quodammodo hoc idem nomen Mariæ conuenit, vt nihil aliud quàm *charitas* esse videatur. Nyssenus, *si excitetis, & expergisci faciatis charitatem* (id est Mariam) *donec ipsa velit.* Nimirum tota in charitatem immigrasse visa est Virgo, vt nihil aliud esse putes nisi *charitas*.

111. *Maria est Regina, charitas semper à dextris Dei adstans, quia cuncta temporalia despexit.* Hugo. Psalm 44. Richard. Victor.

De Deipara illa Dauidis verba *astitit Regina à dextris tuis* Psalm. 44. intelliguntur. Hinc Hugo Card. *Adstitit Regina, id est B. Virgo.* Regina planè est Maria, sed simul est charitas, vt Mariam & charitatem in vnum coïnisse disceremus. Richardus Victor. *hic meritò Regina virtutum, Charitas esse dicitur. A sinistris Dei sunt bona temporalia: à dextris autem bona æterna. A dextris ergo stare Charitas dicitur, quia bonis æternis, non temporalibus innititur. In solis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat.* Aptè igitur dum Maria à dextris Dei adstat, dicimus ipsam adstare charitatem. Ipsi etenim apprimè conuenit quod D. Ambrosius lib. 1. de Virg. profatur. *Verè Regina es, quia inuictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiua haberis, sed quasi Regina dominaris.* Porrò hoc Deiparæ maximè congruit, quæ quò ardentius cæteris Deum dilexit, eò magis bona temporalia contempsit, vt Reginam decebat charitatem. Vnde *Apoc.* 12. visa est à Ioanne Sole amicta, ob charitatis incendium, sed simul Lunam sub pedibus habens. Nam qui verè Deum amat, mundana peritura pedibus atterit.

Ambros.

Sole itaque induta Virgo ob charitatem Sol iure facta videbatur. Quid ergò reliquum, nisi nos huic Soli corda explicemus, suscepturi per Virginem diuini amoris radios. Methodius orat. de Hypop. Maria est *diuinæ charitatis promptuarium.* Vt ex hoc promptuario charitas in reliquos effundatur. Cordis vas appone, imò omnes apponant *vasa non pauca* amoris oleum suscepturi à pulchræ dilectionis Matre. Pulchrè. D. Bonauentura tom. 3. ser. 1. de Virg. *Quia Maria, verè charitas, tota ardens fuit, omnes se amantes, eamque tangentes incendit, & sibi assimilat. Vnde dici potest similis cuidam lapidi pretioso, qui manum se tangentis adurit.*

112. *Maria est charitatis promptuariũ, à quo oleum pietatis cunctt accipere debemus.* Bonauent.

Vers. IX.

Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

113. *Per momenta singula ista Mariæ merita augebantur, vt Deus, quo paulò ante ad eam currebat; mox cursui addat plus velocitatis.*

VOx dilecti mei, &c.] Quasi inter dormiendum Maria vocem sponsi audierit filias Ierusalem adiurantis è somno euigilat inclamans: *Vox dilecti mei*: iam dedecet amantem obdormire. Promiserat Deus *cap.* 1. se velociter cursurum, vt ad Virginem aduentaret: *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, at nunc non solum promissa implet, sed admodum plus exequitur. Non enim solum peruenit *currens*, sed & *saliens*, sed & *transiliens*: non solum cursu ad Mariam pergit; sed & saltibus, sed & transultibus. Quis addidit aureum stimulum Verbo currenti, vt cursum acueret? An Mariæ preces, quæ Verbi Incarnationem accelerarunt? Id suprà asserui. Nunc verò dixerim Mariæ merita per singula momenta adeò adaugeri, vt quæ paulò ante Deum ad ipsam venire veloci cursu effecerant, iam vim maiorem exprimunt, vt

adhuc velocius admodum aduenire ſatagat: *Saliens in montibus, tranſiliens colles.*

114. *Vt oues deperditas quæreret, ad Virginem è cælis deſcêdit Deus cuius intereſſione cunctæ perditæ oues inueniuntur.* Hailgr.

In myſtico hoc ſponſi cœleſtis aduentu tria ſunt aduertenda. Primùm, terminus à quo venit, ſcilicet à Patris ſinu. Secundum terminus ad quem properat, nempe ad Mariam. Tertium eſt, medium per quod tranſitum agit, ſcilicet *montes*, & *colles*, de quo ſolùm nobis eſt dubitatio. Nonnulli aſſerunt hoſce montes & colles eſſe Patriarchas, Prophetas, & Reges, per quorum ſucceſſiuam progeniem vſque ad Virginem Deus factus homo peruenit. Hailgrinus per montes intelligit dæmones maiores, per colles minores dæmones; quos Chriſtus veniens in mundum potentiſſimè conculcauit. Alij alia. Ego autem per montes, & colles ſpiritus Angelicos intellexerim, per quos quaſi tranſiliens Verbum diuinum ad Virginis vterum deſcendit. D. Ambroſius ad Pſalm. 118. octon. 22. *Saliens in montibus, tranſiliens colles cœlorum, Angelos ſuperiores & inferiores. Reliquit enim nonaginta nouem oues in montibus, vt ouem perditam quæreret.* En Solem tempore Regis Ezechiæ per decem lineas retrocedentem. Sol enim iuſtitiæ nouem Angelorum choros tranſiliens in decima linea, quæ eſt humana natura ex Virgine aſſumpta conſtitit, ac placidè requieuit. Premo iam illa D. Ambroſij verba: *Reliquit enim nonaginta nouem oues*, ſeu Angelorum nouem choros in ſuperis, *vt ouem perditam quæreret.* Vt autem ouem quæreret, & inueniret, prius tendit ad Virginem, cuius interceſſione deperditæ cunctæ oues erant inueniendæ. (Ambroſ.)

115. *Verbum diuinum ad Mariam è cœlo deſcendens, magis aſcendere, quàm deſcêdere videtur. Maria enim cœlum cœlo ſublimior.* Richard. Cant. 7.

Ex proprietate verò vocis Latinæ *Salire*, & *Tranſilire* Virginis altitudinem aſpicio. Salire enim, & Tranſilire eſt, (rigoroſè ſi ſumas) de loco inferiori ad ſuperiorem quodam veluti ſaltu aſcendere, imò tranſcendere. Omnes Angelorum choros Verbum tranſiliit, vt perueniret ad Virginem? Ergò cunctis Maria ſublimior. Ergo velut pro pedum ſcabello ſummos Angelorum vertices ſuit ſortita. Ergo Verbum ad Mariam è cœlo deſcendens, magis aſcendere, quàm deſcendere videtur. Richardus Laurent. lib. 7. de laudib. Virg. poſtquam Mariam cœlum eſſe vberrim oſtendit, vt eam ſublimiorem admodum cœlo eſſe confirmet, addit. *De pulchritudine*, ſeu perfectionis ſublimitate *huius cœli à parte ſuperiori verſus Deum & Angelos dici poteſt illud Cant. 4. Abſque eo, quod intrinſecus latet ſoli Deo perfectè cognitum, & forte Angelis, ſed non niſi ſemiplenè. Nam quanta ſit Maria ſpecies*, & ſublimitas, *qui dedit ſpeciem ſolus nouit ad plenum.* O Mariani cœli velut imaginarij ſpatij ſublimitas!

116. *Vt videret Virgo Verbum tranſilire Angelorum choros, videtur cœlum eſſe in ſpatiis imaginariis collocatum.* Richard.

Saliens in montibus, tranſiliens colles.] Vt aliquis perſpicuè videat, ceruum aliquem, vel hinnulum ceruorum ſaltibus prætereuntem multorum montium, vel collium vertices, neceſſum eſt, vt ſit in loco, qui eminentia omnium illorum culmina ſuperet. Vt ergo Maria ſignificet ſe in illo gratiæ gradu fuiſſe diuinitùs conſtitutam, quò facile omnium Angelorum ſumptorum ſimul gratiam ſuperaret, hoc loquendi modo fuit vſa, aſſerens, ſe ſponſum Deum aſpexiſſe, capreæ & hinnuli inſtar Angelorum vertices tranſcendentem. Ergo cœlum Mariæ in imaginariis ſpatiis videtur collocari, vt ex Richardi mente conſtat.

Similis eſt dilectus meus capreæ.] Salit Verbum in Angelorum, Patriarcharum, omniumque ſanctorum montibus & collibus, de vno in alium tranſiliens, demumque ſe confert in Mariæ vterum. Plus enim in ea, quàm in omnibus illis requiem ſumere delectatur. 117. *Plus Deus in Maria quam in cunctis Angelis & ſanctis degere delectatur.*

Dum autem Salomon deſcribit Deum è ſuperis ad Virginem venientem, cum in quolibet itinere tria ſint, terminus à quo, terminus ad quem, & medium: terminum à quo, & ad quem ſubticet, & ſolummodo medium exprimit: *Saliens in montibus, tranſiliens colles.* Cur ita? Certè quia ſic ſapientiſſimus Rex indicat termini à quo venit Verbum, & termini ad quem excellentiam; quaſi ineffabilem omninò. Solummodò Salomon exprimit medium, quod ſunt Angeli finitæ perfectionis, terminum à quo, qui eſt ſinus Patris, & terminum ad quem, qui eſt Mariæ vterus explicare Salomon minimè potuit. En qualis quantaque ſit Mariæ perfectio, nempè quaſi incomprehenſibilis, & ineffabilis eo modo quodammodo, quo Deus. 118. *Quodammodo eo modo, quo Deus Maria eſt vel ſapientiſſimis ineffabilis.*

Vox dilecti mei, ecce iſte venit. Cur Virgo dilecti aduentum voce elata denunciat? Profectò vt ab omnibus recipiatur, nec ſit aliquis, qui propter ignorantiam *ſe à calore*, ſeu amore *eius abſcondat.* Mariæ etenim tanta erga homines charitas, vt eis geſtiat ſua bona communicare. Pulchrè Philippus Abbas. *Ardet Virgo eum, quem diligit propiùs intueri: videns, nec inuidens, quem prior venire percipit, denuntiat cuiuis audienti: vt ad verbum nuntiantis accurrat, & audiens occurrat venienti. Nec enim mouetur inuidia, ſi & aliis copia huius detur: ſi ſponſus aduenienꝭ præſtet ſeſe videndum cæteris, vt ametur. Ideò & hic Virgo non abſcondit præſentiam eius, ſed filiabus denuntiat, optans vt omnibus veniat ad prouentum.* 119. *Tanta Mariæ erga homines charitas, vt eis geſtiat ſua bona communicare.* Philip.

Saliens in montibus. Adiicit Abbas. *Myſticè loquens Virgo montes voluit bonos Angelos nominare.* Ante aduentum enim Verbi ad Mariam montana, & abſtracta admodum erat Angelorum cum hominibus communicatio. *Ad virginem ergo veniens Deus, in qua mirabile myſterium operatur, ſalit in Angelis, cum iam per ipſos familiares nobis nos aggreditur erudire, dare ſalutis monita, & quodvis beneficium impertiri: & cum ad nos docendos, vel regendos illi inueniuntur progredi, ſubitò ſalire eos facere dici poteſt*, ad hominum conſortium. 120. *Per Mariam Deus fecit vt Angeli antea parum hominibus familiares, iam continuo cum eis conuerſentur.* Philip.

Non verò ineptè crediderim hic in montibus & collibus ſpirituales & temporarij Virginis dotes commendari, quibus affectum Verbum ad eam venire geſtit. Philippus ad hæc. *Nec abhorret à ſenſu, ſi Virgo in ſe ipſa montes & colles habere perhibeatur: vt eius celſitudo in bonis ſpiritualibus & temporalibus commendetur. Spiritualia rectè montibus comparantur; collibus verò temporalia, quæ etſi magna, ſpiritualibus tamen non æquantur. Montes equidem in Virgine illarum præcipuè munera ſunt virtutum, per quas eidem Virgini nomimus attributum, vt in Eccleſia cæteris faſtigio ſublimi digna ſit præeminere. Mons eius eſt dilectio, mons humilitas, mons eſt caſta integritas* 121. *Spirituales, & temporariæ Mariæ dotes montibus, ac collibus comparantur. His ad eam attractum fuit Verbum.* Philip.

tegritas puritatis. Colles verò quos perhibetur Deus saliens transilire, illa sunt munera, quæ etsi magna Virgini voluit impertiri, in his tamen religionis summa, & vitæ perfectio non consistit. Forma enim genus, scientia, & alia his similia saluti necessaria non fuerunt. Hæc transiens, seu transiliens sponsus defixo intuitu non aspexit. Quia etsi ea munera Deus non abhorreat, transilit tamen ea, quia ipsa cum tempore transeunt.

122\. Idem Philippus explicat illa verba. *En ipse stat post parietem nostrum, &c. Paries,* inquit, *in hoc loco vita præsens non immeritò nominatur, quæ horarum, & dierum, mensium, & annorum tanquam lapidum structura fabricatur. Intra cuius angustias dum corporaliter coarctamur; vel ignoramus Deum, vel nondum eius faciem contemplamur. Vnde ad Moysem Deus, non me videbit homo, & viuet: id est, nemo intra huius corporis carcerem, intra huius vitæ septa positus me in meæ naturæ gloria videbit, quæ gloria post huius vitæ parietem iustis egredientibus apparebit. Signanter ait Virgo, non ipse stat intra parietem nostrum, sed post parietem nostrum. Nostrum,* inquam, *& non meum. Etsi enim Virgo gratiâ plenior ampliore nostrorum reatuum est immunis: iste tamen præsentis vitæ paries noster omnium est communis. In quo Virginem non culpa videndæ subtrahit veritati; sed quod ipsa natura prædita est subdita vanitati.* Ingeniosè quidem. Attamen tanti Doctoris venia, si vt asserat Virgini, dum viueret haud reseratam fuisse diuinam essentiam, quia Virgo clamat: *En ipse stat post parietem nostrum,* &c. quasi communis corporis, seu temporalis vitæ paries claram Dei visionem ei impedierit; certè ex ipsis verbis infero contrarium. Nam qui clamat. *Petrus stat post parietem per cancellos respiciens*, indicat se Petrum post parietem videre. Ergo clamans Maria: *En ipse stat post parietem nostrum, &c.* perinde est ac si diceret. Fateor vitam mortalem esse respectu omnium, ex naturæ lege parietem claram Dei visionem impedientem. At hoc priuilegium concessum est mihi, vt spirituales mei intellectus oculi lyncei fuerint effecti, vt Deum post parietem aspicerem: En ipse stat post parietem: clare illum video, plane illum agnosco. Quod autem mystica hæc lynceorum oculorum acuitas fuerit Virgini concessa, innuitur in pellibus illis, quibus arca fœderis antiqua, & tabernaculum vmbra Deiparentis operiebantur. *Pelles* enim *erant ianthina*, seu vti multi legunt *lincea*, hoc Mariæ priuilegium proferentes.

Maria, post parietem vitæ humanæ Deũ clarè vidit. Philip.

Exod 36.

123\. Honorius autem. *Vox dilecti mei, refertur hæc vox ad præteritam adiurationem factam. Vox dilecti mei, & Filij mei præcepit hæc, quæ dixi: Ne suscitetis dilectam. Saliens in montibus, transiliens colles. Qui saltat, nunc sursùm est; nunc deorsum. Christus venit ad Virginem, quasi saltans, quia diuinitate transcendit montes, id est, Angelos in cœlo: humanitate transcendit in terra colles, id est, Apostolos. De cœlo ergò saltauit in Virginis vterum.* O quàm placidam futuram sibi sciebat in Maria mansionem, quia tanta velocitate ad illam ferebatur.

Verbum magna velocitate ad Mariã venit, quia placidam admodum in ea habitationem erat habiturus. Honor.

124\. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.*] Honorius: *Christus similis est capreæ, quia eligit bonas herbas à malis caprea, sic ipse à peruersis bonam per* antonomasiam, id est, Mariam. *Hinnulóque ceruorum, qui in vmbra requiescit; ita Christus in castissima Virgine requieuit.* Quasi postquam montes & colles seu Angelos, & homines diuos percurrisset, nullam dignam sibi vmbram, vbi quiesceret, inuenerit, nisi Mariam. *En ipse stat post parietem nostrum. Paries est nostra mortalitas; post parietem Christus stetit, cum mortalem carnem de Virgine sumpsit.*

Christus elegit ex cunctis hominibus Mariam, vt in ea requiesceret. Honor.

125\. *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*] Quænam fenestra, per quam Christus nos respicere dicitur? Planè ipsa Virgo beatissima. Sic Honorius. *Respicit Christus per fenestras natus de Virgine. Ipsa enim B. Virgo cœli fenestra fuit, per quam Sol iustitiæ in domum mundi splenduit; vt Ecclesia cecinit: Cœli fenestra facta est.* Si fenestra singulariter Maria appellatur, quomodo Christus non per fenestram, sed *per fenestras* nos dicitur aspicere? Certè quia vnica fenestra Maria fenestrarum continet multitudinem, vt vno quasi intuitu Deus per illam omnes vniuersi egentes respiciat ab ipso remedium accepturos.

Maria est fenestra, per quam Deus omnium necessitates respicit. Imò non solum fenestra, sed fenestræ. Honor.

126\. Guillelmus sic Deiparam ex prædicatione Filij plena fructibus exultantem describit: *Vox dilecti mei: Stupet & gaudet ad vocem Filij noua; & salubria prædicantis, dæmonibus imperantis, sanantis languores, mortuos ab inferis suscitantis. Si autem illustris ille amicus sponsi Ioannes audiens eum, gaudio gaudebat propter vocem sponsi: quantò magis pia Mater sponsi? Quàm dulciter sonabat in auribus Matris illa vox tam præclara, tam potens Filij, & talis Filij? Nunquam locutus est homo, sicut hic homo tam potenter, tam terribiliter, tam suauiter. Nam hic homo elementis, languoribus, & dæmonibus imperabat. Nunquam locutus est homo sicut Deus homo: & hac propter, nunquam sic ad vocem Filij gauisa est alia mater, sicut Virgo Mater.*

Maria ineffabilis voluptat vocem prædicationis Filij audientis. Guillelm.

127\. *Ecce iste venit, &c.* Rupertus. *Vos fortè audire vultis cur tamdiu dilatum fuerit negotium Incarnationis* (Mariæ sunt verba) *priusquam mecum conuenerit? Cur tot generationes præterierint? Nam ab Abraham vsque ad David generationes quatuordecim. A David vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim. A transmigratione Babylonis vsque ad ipsum generationes quatuordecim. En ipse stat post parietem nostrum: diligenter aduertite, vt rem sciatis. Non enim res parua est, quam dico parietem nostrum, propter quem tam morosè venit iste, qui & antè quàm veniret, festinus, & celer vocatur: & cum venisset, illud propter quod venerat, tam citò, tam velociter operatus est. Spatio enim triginta duorum annorum tantam exultando cucurrit viam saliens; atque transiliens tanquam caprea hinnulusve ceruorum, in vterum meum, de vtero in crucem;* seu in hominum, ad quam venerat, redemptionem. *Propter quem ergo parietem nostrum tamdiu moratus est, qui tam velox in opere est? Nimirum propter parietem inimicitiarum, qui non de vno tantum originali peccato, verumetiam de multis actualibus peccatis conquestus est. Post huiusmodi ergo parietem ipse stat, id est, propter hæc peccata iustas facit moras. Stat, inquam, respiciens* per

Dilatus fuit aduentus Verbi ad nos venire gestientis, quia expectabat Mariæ natalitiũ, ab omni peccatorum impedimento immunis. Rupert.

Post fenestras respiciebat Verbum attendens quedam.

modo, quando Maria veniret, vt ex ipſa carnem ſumeret. per feneſtras proſpiciens per cancellos. Quaſi expectans, an aliquis vir, aut fœmina ſine peccati vllius pariete ad mundum adueniet, vt obice ablato, Deus carnem aſſumat. Maria illi ſine vlla originali aut actuali piaculo offertur, & illicò *Emanuël*, ſeu Deus nobiſcum à pariete recedit, ac videndus apparet.

128. *Per fanctorū omnium feneſtras nō ingrediebatur gigas, quia incapaces existebant, vt magna Maria feneſtra pateret.* Idem Doctor. *Reſpiciens per feneſtras. Feneſtræ in hoc pariete fuerunt Moyſes, & Prophetæ, & iuſti viri, ſuo quiſque tempore intra multitudinem peccantium in ipſa congerie peccatorum claruerunt, parietem non ita contiguum eſſe ſinentes, quin dilectus haberet aditum,* (ſeu feneſtram) *quo huc introrſus reſpiceret, & vocem audibilem daret.* Feneſtra fuit Abraham, per quam lux promiſſionis iuratæ de Verbi Incarnatione nobis illuxit. Feneſtra fuit Ioſuë, per quam nominis Ieſu claritas affulſit hominibus. Feneſtra fuit Dauid, per quam iterato iuramentum de Chriſto ex ipſius ſemine generando radiauit. Aſt omnes exiguæ fuere feneſtræ, per quas magnus Dominus, qui exultauit vt gigas ad currendam humanitatis viam, poſſet mundum intrare, vnde reſpicit per feneſtras, ſed non intrat. Apparuit verò magna illa feneſtra Maria ſimul Ezechielis porta, *de qua* (adiicit Rupertus) *natus eſt Ieſus genuinæ ille gigas ſubſtantiæ.* Cœli itaque Maria feneſtra facta eſt, gigantea meritorum magnitudine patens, vt Gigas Deus poſſet ad nos aditum inuenire. Rupert.

129. *Incarnationis inſtantia dulciſſimum, quod Verbo diuino Mariæ cum Gabriele colloquium.* Carthuſ. Ad Incarnationis inſtantiam, locum Dionyſius Carthuſ. accommodat. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus. Hoc rectè potuit dicere beatiſſima Virgo, quando ab Archangelo Gabriele audiuit, Ecce concipies in vtero. Tunc vno vehementiſſimo ſaltu à Paterno throno Virginis proſiliit in vterum. En ipſe ſtat* (ait illa) *poſt parietem noſtrum, id eſt, in carne mundiſſima, quam ex me aſſumpſit, ſuam latere voluit diuinitatem: me quoque cum Archangelo conferente de proximo adſtitit proſpiciens per cancellos, qualiter noſtrum finiremus colloquium.* Mihi credite, occultè Deum placidè admodum auſcultare, cum inter Angelicæ puritatis ſectatores pia colloquia texuntur.

130. *Ineffabilis Verbi diuini affectus, quo ad dilectiſſimam Virginem ferebatur.* Richard. Porrò Richardus de S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg. aſſerit, his verbis exprimi Verbi diuini ineffabilem affectum, quo ad dilectiſſimam Virginem ferebatur. *Feſtinauit* (ait ille) *Abraham in tabernaculum ad Saram. Geneſ. 18. dixitque ei: Accelera, tria ſata farinæ commiſce, & fac ſubcineritios panes. Sara beata Virgo, Abraham Filius Dei, qui feſtinauit ad eam in annuntiatione. Vnde Cant. 2. Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, &c. Ipſe enim appellatur magni conſilij Angelus: & motus Angelorum eſt feſtinus. Tabernaculum eſt vterus virginalis. Dixitque accelera, dando reſponſum conſenſus tui.* Vnde D. Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus. *Quanto concupiuit* (ait ad Mariam) *Rex decorem tuum, tantum deſiderat reſponſionis aſſenſum. Per tria ſata illa* (addit Richardus) *tria ſignantur, quæ concurrunt in perſona Chriſti ſcilicet Verbum, anima, & caro.*

131. *Vehemens admodum eſt deſiderium Verbi diuini ad Mariam veniendi.* Richard. Luc. 1. Gabriel Archangelus miſſus à Deo peruenit ad Virginem rapido quidem Angelico curſu, vt enim aiebat Richardus. *Motus Angelorum eſt feſtinus.* Et tamen iam Dei Filium iuxta Virginem conſenſum illius expectans inuenit. Ideò ipſa clamat: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Richardus. *Tranſiliit Gabrielem, & preuenit ad Virginem, ipſo etiam Archangelo atteſtante, qui ait: Dominus tecum. Nec dixit. Dominus meus venit, præpara illi hoſpitium: Sicut dicere ſolent alij præcurſores; ſed hoſpitium præparatum inueniens, & Dominum præueniſſe eum, dixit: Dominus tecum. Quia quem modò in cœlo reliquerat, reperit apud eam.* Bernardus hom. 3. ſuper *Miſſus, victus es ò Archangele* (in curſu) *tranſiliit te, qui præmiſit te.* An non hinc vehemens Verbi deſiderium veniendi ad Mariam indicatur?

132. *Mariæ humilitas Deū ad eam rapido curſu attraxit? Quid aliæ virtutes, quarum humilitas fundamentum?* Richard. Matth. 1. Aliter Richardus eadem verba exponit. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus. Montes Patriarchæ, & Prophetæ ſaltus eius ſunt, quia Abraham genuit Iſaac: ecce vnus ſaltus. Iſaac Iacob: ecce ſaltus ſecundus. Iacob genuit Iudam: ecce ſaltus tertius, & ſic de aliis. Ad vltimum fecit magnum ſaltum, Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. Cauſam autem tantæ feſtinationis aſſignat Maria dicens: Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Cant. 1. Verba ſunt B. Mariæ de ſua humilitate.* Si ſola Virginis humilitas potuit Deum ad ſe tam velociter auolantem attrahere; quid agerent reliquæ virtutes, quarum eſt humilitas fundamentum?

133. *Magna operatus eſt Chriſtus in Virgine tempore, quo in eius vtero manſit.* Richard. Adiicit Richardus premens verbum, *ſaliens in montibus. In quolibet ſaltu Verbum diuinum relinquebat aliquod veſtigium, ſicut mos eſt ſalientium. In Abraham fidem, in Iſaac ſpem, in Iacob charitatem, & ſic de aliis.* Si dum tranſit Deus leui pedum attactu tam magna virtutum veſtigia relinquit: quid operatum fuiſſe in Virgine credimus toto illo tempore, quo illius vteri fuit habitator?

134. *Ineffabilis Mariæ vis, vt Deum ad homines trahat.* Richard. Adhuc Laurentius exprimit Mariæ vim ad Deum ad homines trahendum. *Saliens in montibus. Mariæ humilitas ſic Regem cœli attraxit ad terras: & velut aquilam odore prædæ concupitæ illectam carni immaculatiſſimæ copulauit: aſcendente fumo aromatum, ſeu virtutum eius in conſpectu gloriæ magni Dei. Statimque Rex egrediens de loco ſancto ſuo, & de excelſo cœlorum habitaculo proſiliens exultauit vt gigas ad currendam viam, & nimio peruolans deſiderio præuenit nuncium ſuum ad Virginem, quam elegerat, quam amauerat. Quem proſpiciens à longe venientem gratulans, & exultans, ait: Ecce iſte venit ſaliens in montibus.*

Verſ. X.

En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.

135. *Plus Mariæ in commune bonum, quàm in propriam laudem ab ſponſo expreſſum erat affecta.* EN *dilectus meus loquitur mihi.*] In verſ. præcedenti inchoarat Maria referre verba, quibus ſponſus Deus eam à ſomno excitabat. *Vox dilecti mei.* Hæc autem verba concatenanda ſunt cum his ſubſequentibus. *En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, &c.* Alia enim, quæ modò explicauimus, per modum paren

parentheſis fuère interpoſita. Sponſa quidem ſtupore affecta ob tam præproperam velocitatem, qua Verbum diuinum in ipſius vterum aduolabat, vt homo fieret, interrupit vocis & verborum narrationem, queis ſponſus eius pulchritudinem virtutum commendauerat, *Amica mea, columba mea, formoſa mea.* Cur igitur Virgo huiuſmodi interruptionem egit? Certè id geſſit Maria charitate erga hominum genus inflammata, plus in bonum commune, quàm in proprium honorem & encomium affecta. Pulchrè Rauchliuus egregius Regis Galliarum Concionator. *Cur beata Virgo Maria illicò ac Verbum diuinum in ipſius puriſſimo vtero fuit incarnatum, & homo factus eſt, non cecinit Canticum illud celeberrimum, Magnificat: ſed in viſitatione, & ſalutatione Eliſabeth, & in ſanctificatione Baptiſtæ?* Reſpondet, *Quia tunc myſterium Verbi incarnati, prout erat ſibi ſoli cognitum, & Chriſtus erat in vtero ſuo abſconditus: ipſa illud beneficium ſibi ſoli proprium, & ſingulare indicabat: ideóque Canticum non cecinit, ne aliquis exiſtimaret, ſibi ſoli beneficia diuina velle arrogare. At poſtquam Incarnationis myſterium aliis cœpit eſſe commune, & Eliſabethæ & Baptiſtæ, Zachariæque: tunc in verba Cantici exultabunda prorupit.* Sicut ergo tunc Maria ſubticuit tanti honoris elogium proprij commodi oblita, & cum communis vtilitas eluceſcit, dulciſſimè canit: ſic in præſenti narratione verborum ſponſi, quibus eius encomia celebrantur, interrumpit, vt communis boni celebritatem commendaret.

Rauchlin. Luc. 1.

136.
Nomē Chriſti Accelera, feſtina, *Mariæ nomen*, Surge, propera, *ob velocitatem ſuper Angelos, & homines auolandi.* Iſai. 8.

Præloquens Iſaias cap. 8. de ineffabili Ieſu nomine, futurum eſſe ait, *Accelera, feſtina, prædare.* Simile Mariæ ſit nomen, *Surge, propera.* Idem ergo ſit dicere de Ieſu per naturam, *Accelera, feſtina*, ac de Maria per gratiam, *Surge, propera.* Nomen-ne vacuum, & inane? Abſit. Nam quemadmodum hæ duæ voces, *Accelera, feſtina* in Chriſto denotant, ſic eum acceleraturum ac feſtinaturum in primo illo ſuæ Conceptionis inſtanti, vt omnibus Angelis & hominibus velocior ſurgeret in volatu, *Saliens* quidem *in montibus, colles tranſiliens*: ita in Maria illæ particulæ, *Surge, propera*, innuunt eam in matris vtero tantam fore gratiam à Deo accepturam, vt Angelos & homines longo interuallo ſuperaret. Chriſtus igitur ſit *Acceleratus & feſtinus prædator.* Maria verò *Surgit propera, & accelerata illius præda*, dum à Redemptore ab omni piaculo originali, & actuali præſeruatur. De quo volumine ſecundo vberrimè.

137.
Maria ob ſinceritatem, & manſuetudinem columba. Hieron

Columba mea.] Hæc particula ſignat Mariæ agnatam ſinceritatem, & animi manſuetudinem. Diuus Hieronymus tom. 4. epiſtol. 10. Diligentius procurate, *ſi quando ſimplicitas, ſeu ſinceritas columbæ, quæ fuit in Maria illæſa, inuiolatáque in vobis cuſtodiatur. De qua Salomon in Canticis quaſi in laudem eius inquit, veni columba mea.* Annon hæc ſimplicitas, & ſinceritas arguit in columbino Deiparæ corde nullam fuiſſe iræ commotionem?

Ant. de Eſcob. & Mendoz. in Cantic.

138.
Maria nō ſolum columba, ſed columba Dei, vt perfectiſſimam eſſe ſignetur. Mat. 4.

Columba mea. Cur illam particulam *mea* ſponſus addidit, ſi ſufficeret eam appellare columbam? Crediderim hîc alludi ad aliquam ſpecialiſſimam Dei columbam, nempè ad illam ſpeciali Dei prouidentia creatam (vt ex Auctoribus bonæ notæ didici) vt Spiritum ſanctum ſignificaret, ſuper Chriſti Domini verticem ad Iordanis fluenta ſedentem. Hæc propriè *Dei Columba* vocitari poteſt, quia ad illud creata miniſterium. Quia Spiritus ſancti imaginem præferebat. Quia nulli alij muneri deſeruiit. Quis autem dubitabit, quod columba illa ad tam excellens miniſterium creata, diuinitùs efformata non fuerit perfectiſſima abſque vllo imperfectionis næuo? ſi ergo Maria, *Dei* verius ſeu ſpecialius *Columba*, fuit ad longè excellentius miniſterium efformata, quomodo non omnis perfectionis collegium appareret? Vt ſcilicet perfectiſſimus Artifex poſſet gloriari ſcribens inſtar pictoris celeberrimi, *Ego pinxi, Hac columba mea.*

139.
Deus in pingenda Maria omnem artis ſuæ vim expreſſit. Auguſt.

Formoſa mea, alij addunt, *ſpecioſa mea.*] Sub hac pulchritudinis geminatione oſtendit ſponſus ſe omnis ſuæ artis vim in Maria depingenda expreſſiſſe. *Deus eſt* (inquit D. Auguſt.) *ſuæ Matris opifex, quod nulli vnquam alterius matris filio, niſi Deo contigit.* Scimus Deum eſſe tam ſapientem opificem, cur ergo non fatebimur, illum maximam artis ſuæ diuinæ vim exercuiſſe, in ſuæ Matris opificio, vt eam ad tam præcelſam dignitatem efformaret? Neceſſarium iudicauit Deus Beſeleel mirabili & infuſa artis eminentia nitere, ad Tabernaculi Moſaïci extructionem? Cur igitur Deus Artifex ſummus haud ineffabilem in efformanda Maria exequeretur excellentiori quidem Verbi futura Tabernaculo?

140.
Tanta erat Mariæ animæ pulchritudo, vt Deus ſe deſiderio illius aduentum æſtuantem exclamet. Rupert.

Rupertus Abbas, mirificè hunc locum expoſuit. *Si vnquam aliquid dicitur operaſſe, vel deſideraſſe Deus, quanto magis iſtud, in quo eſt ſumma ſalutis, iſtam plenitudinem temporis, in quo fieret ex muliere? Igitur hæc verba dilecti loquentis mecum, ſurge, propera amica mea, ſic accipite, quaſi verba deſiderantis, tanquam feſtinantis, & optantis, iam adeſſe materiam tantæ ſalutis, ſcilicet me, cuius caro illi eſſet materia aſſumendæ carnis: tanquam præſenti loquebatur mihi, meque iubebat ſurgere, & properare, id eſt, naſci, & hoſpitium ventris mei ſibi citò preparari. Et re vera priuſquam naſcerer, illi præſens aderam, & antequam fierem, bene illi cognita fueram. Si enim dicitis, & benè dicitis, quia elegit nos in ipſo antè mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate: non-ne & de me rectè ſentitis, & rectè ſentiendo dicitis, quia elegit me antè mundi conſtitutionem, vt eſſem ſancta, & immaculata in conſpectu eius in charitate? Etſi ſapientia, vt ipſa teſtatur, ludens erat coram eo in orbe terrarum, & deliciæ eius cum filiis hominum: quanto magis ludens erat, & deliciabatur, cum iſta Ancilla Domini miraculo cunctorum filiorum, & filiarum hominum.* Vndè non mirum Verbum diuinum tanto videndi Mariæ aduentum deſiderio æſtuantem affectuoſis admodum vocibus inſtare, vt ſurgeret, vt properaret, vt moras rumperet: *Surge, propera.*

141. *Maria Euæ omninò opposita.* Rupert.

Idem Rupertus in his dictionibus, *Amica mea, columba mea, formosa mea*: Mariam Euæ oppositam omninò fuisse recognoscit. *In his omnibus*, ait, *Eua fuit Virgo opposita. Eua namque quasi inimica, Eua quasi vipera, Eua quasi deformis, & ignominiosa. Mihi inimica, viro suo vipera, sibimet confusa per ignominiam. Inimica per superbiam, quâ intus intumuit; vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens, foris tentata facilè cessit; ignominiosa per pruritum libidinis, quâ statim scaturire cœpit, vnde & nudam se cognouit. Tu autem ô Maria, amica per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem. Tu contra Deum non intumuisti, imò mente humili altissimo complacuisti: & ecce amica es. Tu serpenti aurem non præbuisti: imo inimicitias inter te & serpentem ego posui: Ecce columba facta es. Tu nuditatem libidinis non incurristi: imo Spiritus sanctus obumbrauit tibi: Ecce formosa facta es. Veni ergo Maria, veni, nam Eua ad latebras fugit.*

142. *Maria Christo commortua, cum eodē resurrexit.* Guillelm.

Guillelmus ex his verbis, *Surge & propera* colligit Mariam commortuam Christo cum eodem resurrexisse. Surge commortua mihi per affectum maternum, surge mecum. Ego moriebar, tu mœrebas. Claui mei ferrei fodiebant mihi manus & pedes; sed maternum tuum pectus transigebant, & pertingebant in te vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Surrexi ego à morte, surge tu à mœrore: & sicut similis facta es morti meæ, ita similis fias meæ resurrectioni. Surge, & propera. Quo? Ad resurrectionem *immortalitatis.*

143. *Maria verè amica columba, & formosa Dei.* Guillelm.

At illas particulas *Amica mea, columba mea, formosa mea*, sic exponit. *Amica mea, cui tampridem æternum meum de reparatione generis humani consilium credidi. Columba quoque propter fœcunditatem; sed mea, cuius singularis pullus ego sum. Columba per fœcunditatem, sed nihilominus formosa per virginitatem. Quippè in te sicut virginitas fœcunditatem non impediuit; ita nec fœcunditas virginitatem deflorauit, sed venustauit. Ita columba mea, vt tamen formosa mea. Quia Mater mea, ideo Virgo mea. Quid est Virgo mea? Virgo perpetua: quia es Mater mea, ideo Virgo perpetua es. Nempè Matrem meam non tantum Virginem, sed perpetuam Virginem esse oportet. Sicut non potui secundùm carnem tecum habere patrem, ita neque ex te fratrem. Proinde non tantum primogenitum, sed vnigenitum tuum me esse oportet. Primogenitum, ante quem nullus: vnigenitum, post quem nullus.*

144. *Deus Mariā affectuosè hortatur, vt consensum exhibeat, incipiens admodū in ea requiescere.* Carthus.

Dionysius Carthusian. cunctas hasce particulas: *Surge, propera, amica, columba, formosa*, sic pulchrè Mariæ accommodat. *Qui per Gabriëlem loquebatur mihi forinsecùs, per se ipsum loquebatur mihi intrinsecùs, me incitando, & hortando inspiratione occulta ad credendum Archangelo, ad consentiendum eius oraculo, ad cooperandum summo, & diuinissimo Incarnationis mysterio. Et dixit mihi instinctu secreto: Surge à consideratione humillima tuæ propriæ paruitatis ad actum nobilissimæ magnanimitatis: quatenus pietatis meæ omnipotentiæ innitendo, credas, mox agendum ex me, & fiendum ex te, atque complendum per te, quod tibi ore nunciatur Angelico, & omnem transcendit naturam. Propera, id est festinanter sic age, crede, consenti, loquere verbum, præpara vterum, præbe materiam, vt concipiar à te, & gignar ex te. O amica mea singularis, & vnica, cuius respectu aliæ sunt ancillæ, quamuis & suo modo amicæ sint. Columba mea, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, felleavè austeritas; sed simplicitas sapientialis inuiolata. Formosa mea in naturalibus dotibus; valdè perfecta in genere tuo; corpore speciosa; mente ingeniosa; optimæ indolis, priuilegio decorata; ex naturali dispositione mitissima; meritis opulentissima; talis, ac tanta, vt speciem tuam non mediocriter concupiscam; quatenus post frequentiam Angelorum, & tumultuationem hominum tandem in te requiescam.*

Porrò D. Hildephonsus serm. de Assumpt. ad vltimum Mariæ volatum ad superos hæc verba transfert. *Imitamini*, ait, *Matrem Domini. Festinate ingredi, quò hodie ingressa est B. Virgo ad æternas nuptias. Præparate lampades vestras, vt cum venerit sponsus, & pulsauerit, vos vigilantes inueniat, sicuti hodie Mariam vigilantem inuenit. Hodie namque nimis læta meruit audire. Surge, veni columba mea, sponsa mea, formosa mea; quoniam ecce hyems transiit. Cui fortè illa respondit: Credo videre bona Domini in terra viuentium.* 145.

Maria ad cælum volatus assumptionis die. Hildephons.

Amedæus verò homil. 3. de laud. Virg. de affectu Verbi diuini cupientis admodùm Mariæ vterum inire locum exposuit. *Gaude*, inquit, *& lætare Maria, quia inuenta eris habens de Spiritu sancto. Desponsata quidem eras Ioseph, sed à Spiritu sancto præuenta. Ille, qui te creauit, signauit, & assignauit te sibi. Plasmator tuus ipse factus est sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ, ipséque vocat te dicens: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea. Ille decorem tuum concupiuit, & tibi adhærere desiderat impatiens moræ, ad te venire festinat. Surge ergo induere vestimentum gloriæ tuæ, ornâre pretiosissimis ornamentis tuis, quia complacuit Domino in te. Surge, festina, noli tardare, quia ille non tardabit, sed exultabit vt gigas ad currendam viam.* 146.

Verbum diuinū vehementer cupiebat Mariæ vterum ingredi, eius dulcissima requiei locum. Amedæ.

Surge amica mea, formosa mea. Maria formosa quidem, sed amica. Pulchritudo animos auertere assolet à virtute. At Virginis pulchritudo contrarium in aspicientibus generabat affectum. Gabriël 3.p. d.3. q.9. art. 3. dub.2. *Quidam Iudæi asserunt, hoc mirum fuisse in Virgine, quod cum esset pulcherrima mulierum, nunquam à viro fuerit concupita.* Alexander Alens. p.3. q.2. *Tanta fuit in Virgine sanctificatio, vt etiam extenderetur ad alias. Vnde etiam dicunt infideles, cum Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen vnquàm potuit concupisci. Et hoc erat, quia virtus suæ castitatis, & sanctitatis extinguebat omnem motum impurum in aliis aspicientibus ipsam.* En Virgo formosa, sed simul amica; quia eius pulchritudo non solùm ab sponso animas non auertebat; sed auersas acquirebat sponso. D. Bernardus hîc serm. 57. *Meritò amica dicitur, quæ sponsi lucra studiosè ac fideliter conquirit.* Quæ huiusmodi est, formosa dignè potest appellari: alioquin valde est deformis formositas illa, quæ deformes efficit aspectantes. 147.

Maria formosa, sed amica, quia eius pulchritudo ad Deū attrahebat aspicientes, eis infundens puritatem. Gabriël. Alex. Alensis. Bernard.

Sara vix in Ægyptum peruenit, cum statim in Ægyptij Regis ducitur aulam ob singularem, quâ erat prædita pulchritudinem. Gen. 12. Pergit Maria in Ægyptū cum sponso Iosepho, nec tamen monetur ab illo, nè eius esse sponsū manifestet, nō solum quàm Sarā pulchrior, sed mulierum pulcherrima. Cur Iosephus sibi & Mariæ 148.

Sara pulchrior Maria, ie tra ingressa est in Ægyptum: nec ne eā ssum ei fuit dissimulare, se Iosephi esse sponsam.

Mariæ non timuit pulchritudini, cum Ægyptum vt Abrahamus iniret? Quid timeret? Cur vllam adhiberet cautionem, ne pulcherrima sponsa in alienas ædes abriperetur? Pulchritudo Mariæ hanc à Deo gratiam obtinuit, vt visa minus pudica incentiua cohiberet. Simon de Cassia lib. 2. c. 22. *Non vt Abraham Saram, præmonuit Ioseph Mariam, vt diceret, se ipsius esse sororem, veritus, propter eius pulchritudinem mortem, si se fateretur vxorem, quæ specie sua Saram superauit. Nec ipsa sublata est in domum alicuius Ægyptij Regis, vt Sara in domum Pharaonis. Sciebat enim, quòd talem gratiam in Matre Virgine Deus posuit, vt nec propter eius excellentem pulchritudinem potuisset ab aliquo ob immunditiam concupisci. Nouerat hoc Ioseph experimento sui.*

Sim. de Cass.

149. *Maria per momenta singula in sanctitate crescebat.*

Surge, propera, amica mea. Paulò pòst vers. 13. adiicit sponsus, *Surge amica mea, speciosa mea, & veni.* Haud dubium, Mariam primò iussam statim paruisse. Cur ergò rursus sponsus dilectam, vt surgat, inhortatur? An quia nullus in perfectionis cursu adeò processit, qui multum ei restet, quod acquirat. Nyssenus hic hom. 5. *Sponsa excitata rursus dicit. Surge: & ei, cum aduenisset, dicit, Veni. Nec enim ei, qui verè surgit, vnquam deerit semper surgere: nec ei, qui currit ad Dominum, vnquam consummetur amplum, & latum campi spatium ad cursum conficiendum. Oportet enim semper surgere, & excitari: & per cursum appropinquando, nunquam cessare.* Hæc vera Mariæ consignatio est, semper crescere, & semper ad sponsum venire, cum sit omnis sanctitatis exemplar.

Nyssen.

150. *Maria pulchritudo septē speciosis rebus comparatur. Vnde collige, speciositatem animæ Deiparæ veluti immensam extitisse.* Idiota.

Formosa mea. Alij addunt, *Et speciosa mea.* Quo quidem signatur, ineffabilem esse animi Mariæ pulchritudinem. Eam Idiota Doctissimus c. 3. spec. eleganter expressit, vbertim quidem, sed pulchrè satis. *Speciositas tua, ô Virgo beatissima, designatur per septemplicem speciem, quæ in sacra Scriptura inuenitur. Est namque species oliuæ, de qua scribitur. Quasi oliua speciosa in campis. Est species columbæ, de qua canitur, vidi speciosam sicut columbam. Est species Libani, de qua dicitur species eius vt Libani. Est species cœli, de qua legitur, species cœli cum visione gloriæ. Est species ignis in nocte, de qua scribitur, operiebat tabernaculum quasi species ignis. Est species arcus, de qua scribitur, vidi arcum, & benedixi, qui fecit illum; valdè enim speciosus est. Est etiam species solis, de qua scribitur, Est enim speciosior sole.* Cum autem numero septenario in sacris quasi immensa numeritas designetur, Doctor asserit speciositatem animæ Deiparæ veluti immensam extitisse. Pergit Pater omnes hasce speciositates Virginis pulchritudini accommodans.

151. *Per Mariæ fidem pax inter Deum & homines fuit inuenta.* Idiota.

Speciositas oliuæ consistit inter cætera, in viroris amœnitate. Sic tua species, ô beatissima Virgo Maria, consistit inter alia in fidei sinceritate. Et sicut viror pacificæ oliuæ delectat oculos corporis: sic fides tua, quæ pacem inter Deum & hominem reperit, mentis lumina delectat. O quàm delectabilis debet esse hominibus Mariæ fides, si pax illa à nobis perdita per eam fuit inuenta!

152. *Mariæ humilitas, sanctæ cogitationis, est magisterium.* Idiota.

Pergit ille: *Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum. Sic ô beatissima Virgo Maria species tua consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, & doctrinæ varietate, quæ in collo intelligitur; quia* Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic. *Doctrix fuisti Doctorum, & Apostolorum Magistra. Vnde & beatissimus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas Dominicæ Incarnationis descriptio attribuitur, Euangelij seriem à te Virgine Maria didicisse traditur.*

Species (addit) *Libani consistit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florum candore. Et significat ô gloriosissima Virgo, candorem tuæ fœcundæ virginitatis; quia tu es, de qua dicitur, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. De tua autem supereminenti virginitate iustè scribi potest, quod dicitur, Pulchritudinem candoris eius mirabitur oculus.* 153. *Fœcunda Mariæ virginitas.* Idiota.

Adhuc Idiota, *Species cœli est in visione gloriæ. Et significat in te Virgine sanctissima contemplationis sublimitatem, de qua scribitur, species mulieris exhilarat faciem viri. Per quod intelligere quis possit altitudinem contemplationis acceptam esse, & placentem in conspectu diuinæ pulchritudinis.* Addiderim ego, si species, & pulchritudo maior cœli est in visione gloriæ, seu in beatifica visione diuinæ essentiæ: hæc cœli species in beatissima Virgine fuit etiam in statu viæ, qua fuit specialissimo priuilegio donata non semel, vt ab Auctoribus bonæ notæ didici. 154. *Maria in cōtemplatione aliquādo hic beatifica fuit visione donata.* Idiota.

Præterea, *Species ignis consistit in ardore, & splendore. In te autem, ô beatissima Virgo, fuit ignis charitatis ardens, & splendens ante Deum, & nos miseros protegens peccatores. Et sicut tu Regina virtutum nominaris: sic charitas illa tua Regina virtutum appellatur. Quia virtus virtutis nomen amittit, quæ charitati non famulatur.* Illam preme particulam: *Sicut tu Regina virtutum nominaris: sic charitas illa tua Regina virtutum appellatur.* Quia Maria & charitas idem esse videntur, vnde eodem nomine decorantur. Maria nominatur virtutum Regina: charitas Regina virtutum appellatur. Vnde colligo tantam esse charitatem Mariæ, vt in ipsam charitatem fuerit conuersa. Vnde Cant. 2. Ne suscitetis *Dilectam.* Alij legunt, *Ne suscitetis charitatem.* 155. *Tanta Mariæ charitas, vt in ipsam charitatem conuersa esse videatur.* Idiota. Cant. 2.

Doctor adiicit, *Species arcus cœlestis fit ex radiis solis in humida nube. Et significat Incarnationem Filij tui superbenedicti in te. Tunc enim sol iustitiæ, qui est splendor Patris, ingressurus mundum, ascendit super nubem leuem, id est, sibi vniuit mundissimam carnem sine pondere peccati: quod factum est de tua carne in vtero tuo virginali. Et sic facta es visibilis imago iustitiæ solis cum profusionis gratiarum plenitudine: vt sit visibilis imago solis, cum sit Arcus, sed nonnisi in die profusionis pluuiæ.* 156. *Maria arcui cœlestis similis Filio iustitiæ soli cum gratiarum vberrima pluuia.* Idiota.

Denique (inquit ille) *Species solis consistit in splendentium radiorum emissione. Et significat te, aduocata nostra, largam gratiarum effusionem habere erga omnes, qui se ad te conuertunt, quæ es sole speciosior, & gratiarum emissione fœcundior.* Si ergo Maria tot continet speciositatis excellentias, meritò ab sponso *Formosa, & speciosa* per excellentiam appellatur. Piaculum duxi Idiotæ Doctissimi vel verbum præterire. 157. *Maria vt sol electa largam in nos gratiarum effusionē profert.* Idiota.

H 2 Vers. XI.

Verſ. XI.

Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit.

158. RVpertus aſſerit, per Mariæ aſſenſum ad Verbi Incarnationem hyemem peccati homines imbribus Dei iræ obruentem pertranſiiſſe. *Ecce, ô Virgo, æquinoctium vernum iam præteriit, & adeſt feſtiuitas Paſchalis, dum hæc loquor tibi, dum foris Angelus annuntiat, & ego intus vocem ſequor annuntiantis. Quo tempore ſine dubio, ſecundùm curſum ſolis, & naturam aëris hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Ex ipſa ergò qualitate temporis, auſpicium cape magnæ fœlicitatis. Quia per iſtud tempus quod dicitur tibi, quod agitur tecum, tranſiit, id eſt, certiſſimè pertranſibit tempus, & hyems peccati. Abiit, & receſſit, id eſt, certiſſimè abibit, & recedet imber iræ cœleſtis. Quæ videlicet hyems ex eo venit, quòd Eua fugiens abſcondit ſe à facie Dei. Qui imber idcircò terram, id eſt, omne genus humanum verberauit, quia peccauit. Hic imber abiit, id eſt, certiſſimè abibit per me fructum ventris tui.* Quàm aptè illa particula, *Auſpicium cape magnæ fœlicitatis,* adiicitur, cum ira cœleſtis ob Mariæ aſſenſum aufertur. Tanta enim eſt Mariæ erga nos charitas, vt non tam fœlicem ſe exiſtimet, quòd Dei Mater exſurgat, quàm quod Dei ira in homines ſedetur.

Tanta Mariæ erga peccatores pietas, vt magis ſe fœlicem putet, quod ira Dei contra eos ſedetur, quàm quod Dei Mater ipſa efficiatur. Rupert.

159. Pulchrè Philippus Abbas, Comparat, inquit, tempus paſſionis Chriſti Domini imbri, hyemi, & turbini, quo omnes Diſcipuli ſubmerſi fuerunt. Tunc omnes tulit aqua, læſit diluuium, culpa merſit. Sed cæteris per gratiam euadentibus, Iudas perditus non emerſit. Poſtquam igitur fide Chriſti reſurgentis procul hyemis, & imbris moleſtias voluit amouere: & in iis, quos elegerat, eminentius gratia liberatrix apparere: ſollicitè Virginem inuitauit, nè ſurgere, *properare, & venire pigritaretur.* Quaſi non poſſent ſine Mariæ præſentia, & interceſſione Apoſtoli obruti aquis diluuij ad liberatricem gratiam emergere. Virgo citius aduentaſſet, & pro Iuda naufragante intercederet: an non cum ſociis liber emerſiſſet?

Vt Apoſtoli naufragi in paſſione Chriſti diluuio emergerent, Maria à Chriſto vocatur, vt properans auxiliatrix adueniret. Philip.

160. Ex Amedæi verò mente Virgo à ſponſo vocatur ad reſurrectionis poſt hyemem paſſionis lætitiam, quaſi neceſſarium eſſet quodammodo Matrem adeſſe, vt dies ille Chriſto lætabilis eſſet. *Gaude* (ait homil. 6.) *& lætare ô Maria, quia ſurrexit ſuſceptor tuus. Gauiſa es in conceptione, afflicta in paſſione, gaude in reſurrectione. Propterea vocat te. Surge, & propera amica mea, & veni. Hyems, quo Petrus negauit torpens, quo corda Iudæorum congelata extinxère, ſibi Solem iuſtitiæ tranſiit: imber abiit, & receſſit: imber turbidus, ruinoſus, mixtus niue, & grandine abiit, & receſſit.* Cur properare ad lætitiam Virgo ſuadetur, niſi quia Chriſtus quodammodò illius indigebat aduentu, vt reſurrectionis gaudio frueretur. Ideò eam appellat *amicam.* Amicorum enim omnia communia eſſe oportet & mœrorem & gaudium. Et vis amoris efficit, vt læti euentus amanti gaudium non ingeneret, dum amatus in mœrore diuerſatur. Ideò Dominus è ſepulchro reſurgens, illicò Matri lætuſne, an lætitiam aſſumptus? apparuit.

Chriſtus quodāmodo Matrem properare iubet ad reſurrectionis lætitiam, quia ſine illius præſentia nolebat exultare?

At Hildephonſus ſerm. de Natiuit. Mariæ aſſerit, &c. quo nata eſt Virgo beatiſſima, cœleſtis iræ in homines hyemem penitùs receſſiſſe. *Celebritas*, ait, *hodierni diei*, ſcilicet natalitij Mariæ, *in laude Virginis* immori debemus; quia re vera indignum eſt, vt in die tantæ Dei Genitricis laudes Domini noſtri ſileat lingua noſtra. In hac ſiquidem die competenter beata Virgo Maria ſponſo cœleſti liberè proclamat: Tenuiſti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxiſti me. Hodiè inquam & ipſa congruè ab ſponſo ſuo audit, Veni proxima mea, quoniam ecce hyems tranſiit, pluuia abiit. Quaſi Deus dexteram Mariæ manum tenuiſſet, firmans inter ſe ac genus humanum amicitias in gaudij ex Mariæ natalitio percepti à Domino indicamentum. 161.

Dies natalis Mariæ quaſi in lætitia percepta à Domino indicamentū, firmat ipſe inter ſe & homines amicitias. Pſal. 72. Hildephonſ.

Idem Toletanus Archiepiſcopus ſerm. de Aſſumpt. hanc ſententiam accommodat deſiderio, quo cœleſtis patria æſtuabat, vt Maria illuc glorioſa conſcenderet. *Nec diu ſacratiſſima Virgo* (inquit ille) *poſt Domini Aſcenſionem in terris potuit remanere, quam deſiderabant Angeli, cœlum etiam, & ipſum de eius Aſcenſionis dilatione querebatur. Atque ideò Spiritus ſanctus inuitabat dicens: Veni columba mea, immaculata mea; iam enim hyems tranſiit, & receſſit.*

Denique Amedæus hom. 7. de laud. Virg. Hildephonſi ſententiam confirmans, ſcribit: *Surge amica mea, immaculata mea, & veni. Iam enim hyems tranſiit abſentia mea* per mortem; *imber lachrymarum tuarum abiit, & receſſit, & redeunte ſole, flores Angelici apparuerunt tibi. Tempus aſſumptionis aduenit. Igitur cum Virgo virginum à Deo, & Rege ſuo, exultantibus Angelis, collatantibus Archangelis, & cœlo laudibus acclamante, deduceretur, impleta eſt prophetia Dauid dicentis ad Dominum: Aſtitit Regina à dextris tuis.* Pſal. 44. 162.

Poſt imbrem lachrymarum tempus & aſſumptionis aduenit. Amedæ.

Verſ. XII.

Flores apparuerunt in terra noſtra: tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.

FLores *apparuerunt in terra noſtra.*] Maria terra eſt, cuius Ieſus flos vnicus, cuius reſpectu pulcherrimè in ea virtutum flores oriuntur. Inquit Card. Hailgtin. *Hæc terra eſt ager ille, qui nondum floruerat, & tamen eiuſflorum fragrantiam Iſaac in filio odorabatur, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Hæc terra eſt beata Virgo, quæ fructum illum produxit, de quo Iſaias dixit: Et fructus terræ ſublimis. Huius terræ flores ſunt, decor & odor gratiarum, virtutum, & operum. Veni ergo, quia tempus eſt metendi, quod ſeminaſti; pro ſemente meritorum accipe præmiorum manipulos.* An tot præmia Virgo recepit, quia Chriſtum florem & fructum protulit benedicta terra: Non quidem, ſed quia flores virtutum vberrimè germinauit. Ideò ei dicitur. *Pro ſemente meritorum accipe præmiorum manipulos.* 163.

Maria ineffabilibus ditata eſt præmiis, non quia Dei Mater præcisè, ſed quia præcelſis virtutibus clarnit. Hailgr.

Richar

Fœcundissimum ver florum seu tempus gratiæ per Mariam in orbe vernauit. Richard.

164. Richardus de S. Laurent. lib. 12. de laud. Virg. ait, simul Mariam florem & Iesum florem apparuisse in vere, florum scilicet tempore. Vt ostenderetur iucundissimum ver, seu tempus gratiæ per verbum illud Mariæ. *Fiat mihi*, ad homines longo hyeme rigentes aduentasse. *Annuntiatus*, inquit, *& conceptus est flos Christus in tempore florum, hoc est, in vere. Vnde dicitur, flores apparuerunt in terra nostra. Post hyemem videlicet conceptus est Christus de Virgine. Sonuit vox eius. Fiat mihi, in auribus Domini. Conceptus ergo est flos ille, & nutritus in Nazareth, quod interpretatur Flos. Congruum autem erat, florem cum flore concipi, & de flore nasci, & in flore nutriri, & in tempore florum, hoc est, in vere nuntiari.*

Docet nos Maria, quomodo Dei matres esse possimus. Richard.

165. Nos Maria edocet, quonam modo Dei matres esse possimus. Quod idem Richardus expressit, docet nos Virgo. *Ab illis etiam Christum spiritualiter concipi, in quibus reperit tres floris proprietates, speciem, seu honestatem conuersationis: fragrantiam, seu bona opinionis odorem: spem fructus, seu æterna retributionis intentionem. Vnde D. Bernardus. Amat florigeram patriam flos de radice Iesse. Florem te reputat, & ad te diuertit, sicut ad Nazareth, si tibi vel honestas conuersationis, tanquam floris species: vel odor bona opinionis, tanquam fragrantia floris: vel intentio æterna retributionis, tanquam spes fructus non desit.* Marianus itaque flos tribus hisce vernans proprietatibus Dei Mater effecta nos instruit, quonammodo Dei matres esse valeamus.

Tanta virtutum vbertate Maria terra à Deo donatur, vt in vnico flore omnium virtutum abundantiam proferant. Richard. Eccl. 24.

166. *Flores*, ait Virgo, *apparuerunt in terra nostra.* Quomodo *flores*, si vnicum Deipara florem protulit Christum? Planè quia tanta vbertate virtutum terra Mariæ à Deo donatur, vt in vnico illo flore omnium virtutum proferat abundantiam. Ideò dicit ipsa Eccli. 24. *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Vbi Richardus lib. 12. *Bene dicit flores mei pluraliter, non flos meus. Nam licet vnum florem protulerit Christus, ipse est lilium per castitatem, viola per humilitatem, crocus per charitatem, rosa per patientiam* (inter spinas) *singularem: & huiusmodi.* Nec enim è terra vbertrima Mariæ flos Christus sine vberrimo florum seu virtutum germine produceretur.

Virga Marianæ natalitio debemus, quod flos Dominicus germinarit. Richard.

167. *Egredietur* (inquit Propheta) *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Isa. 11. Ergo natalitio virgæ Marianæ debemus, quod flos Dominicus germinarit. Sine virga namque seu sine Virgine, quomodo flos ascenderet? Adhuc Richardus. *Spes fructus non habetur sine hoc flore, nec flos iste habitus est sine virga ista. Ergo sine virga ista*, scilicet Maria, *nec flos haberetur* Dominicus, *neque spes fructus vitæ æternæ.*

Flos Christus tot gratiis stipatus, mirificè terræ Marianæ vbertatem commendat. Hildephons.

168. *In terra nostra*, id est, in Maria apparuit vnicus flos Christus tot stipatus virtutum, & gratiarum floribus, vt mirificè terræ nostræ, id est, Mariæ cœlestem commendet vbertatem. D. Hildephonsus serm. de Nat. Mar. fatur. *In hac die competenter sponsa Virgo Maria sponso cœlesti liberè proclamat, tenuisti manum dexteram meam, & cum gloria assumpsisti me. Hodie & ipsa congruè ab sponso audit, flores visi sunt in terra nostra. Videamus fratres, quæ sit hæc terra transacta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est: quæ tam speciosa, quam Deus elegit sponsam: quæ tam casta, vt possit esse virgo post partum. Hæc terra est Dei templum, fons ille signatus, & porta Dei clausa. In eam sanctus descendit Spiritus, hanc virtus obrumbrauit Altissimi, & ex ea potens virtute flos Christus egreditur. Hæc est fœcunda partu virgo castitate. Hæc peperit non dolore; sed gaudio: hæc nutriuit Angelorum, & hominum cibum. Fœlix certè terra, & omni laude dignissima, quæ sine humano semine cœlestem sæculo protulit panem, & mundi genuit Saluatorem.* Quomodo flos, cuius immensus redemptionis fructus ex minus vberi terra nasceretur?

Vox turturis audita est in terra nostra] Id-est Euangelij prædicatio in mundo audietur: cuius principium è turture Maria procedit. Rupertus. *Audita est vox turturis in terra nostra, id est, certissimè audietur. Vox inquam turturis paruula quidem, sed castissimæ auis est prædicatio Euangelij, cuius principium est pulchritudo virginei conceptus tui. Et hæc vox audietur in terra nostra, in Ecclesia nostra, & in vniuersa terra.* An-non Euangelium salus est hominum? Quis dubitet? Ergo ex ore turturis Mariæ aptè salutis humanæ profertur, è quo prolata illa vox fuit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* 169.

Ex ore turturis Mariæ salutis humanæ vox profertur. Rupert.

Ex ore turturis Mariæ audita est in Ecclesia, noua vox virginitatis. Audi Guillelm. *Vox turturis, audita est professio cœlibatus. Nam turtur auis vniuira viduitatis castæ est typus. Olim lex eum, qui non faceret semen in Israel, maledictum pronuntiauerat. Vox turturis audita non erat in Israel, sed vox columbæ tantum, prolificatione addictæ. Donec turtur nostra verè vidua, sed alma; nupta, sed nulli cognita, prima signum sustulit virginitatis & cœlibatus. Audita est vox eius, quando cecinit. Quia virum non cognosco. Tunc etiam prima significauit, se voto Virginitatis sponte obligatam. Tunc etiam præiuit illis Filio dilectis eunuchis, qui se castrauerunt propter regnum Dei.* 170.

Noua virginitatis vox audita est ex ore turturis Mariæ. Guillelm.

Premè illam particulam *sponte obligatam* virginitatis voto. Iephte filia haud *sponte* virgo moritur, sed moritura inducias postulat, vt ploret *virginitatem suam.* An coacta Maria votum virginitatis emisit? An virginitatem plorat? Idem Abbas respondet. *En Mariam lætum laudis hymnum canentem, & virginitatem non lugentem cum filia Iephte: sed cum Angelis de virginitate lætantem: innumera postmodùm sunt turbæ sequutæ, & adductæ fuerunt Regi virgines post eam.* 171.

Maria non plorauit vti filia Iephte suam virginitatem, sed cecinit. Guillelm.

In terra nostra.] Cur non dixit. *In terra mea*: vel, *In terra tua*; sed *In terra nostra*? Planè ob Christi & Mariæ similitudinem; aptius dixerim quasi identitatem. Pulchrè Guillelmus. *Addit, in terra nostra, seu in terra illa mea, quæ me florem peperit; tua tamen* ô Mater; *& ideo nostra, quia omnia mea tua sunt, & omnia tua sunt mea.* 172.

Inter Christum & Mariam non solùm similitudo, sed quodammodo fuit identitas.

Guillelmus Apponius imitatur, sed nonnulla adiicit in Virginis elogium. *Congruè satis* (inquit) *huius castissimæ auis vox gloriosa virginitatis in supradicto tempore per beatam Mariam primùm audita est in terra nostra, dicendo ad Angelum Gabrielem. Quo-* 173.

Maria vexillum virginitatis voto obfirmatæ erexit. Appon.

modò fiet iſtud, cum virum non cognoſcam? Cui voci Angelus reſpondit, ſacratiſſimi partus exponendo myſterium, quomodo quod ſine lege complexus concipitur, ſine pœna doloris parietur. Verè digna, quam ſolam beatam omnes gentes dicant, quam glorioſam inter omnes fœminas non ſolùm diuerſarum gentium nationes, ſed etiam cœlorum virtutes admirantes collaudent. Per quam vitam ingreſſam, mortem fugatam, mundum reconciliatum gaudemus. Per quam in terra maledictionis, in terra impiorum, in terra incontinentiæ primùm ſanctæ voluntatis vox, vox conſeruandæ virginitatis eſt audita. De qua prædixerat Dauid. Terra noſtra dabit fructum ſuum. Bonum vtique voluntatis fructum, quem natura ſuſcepit in parente Adam. Niſi enim voluntas fuiſſet conſeruandæ virginitatis, non diceret Maria, Quomodò fiet, cum virum non nouerim?

174. *Tanta Mariæ gloria ex nouo virginitatis voto, vt ſola digna quodāmodo ſit ab omnibus laudari.* Appon.

Sententiæ Apponij illud annoto, *Verè digna* Maria, *quam ſolam beatam omnes generationes dicant*, quod ſcilicet vexillum virginitatis voto obfirmatæ euexit. Hoc ex capite ſola debet laudari, quia huius tam præcelſæ virtutis fuit inuentrix. Attamen altius euolat hinc Mariæ præconium. Tanta enim eius gloria ex huiuſmodi inuentione, vt abſolutè debeat *ſola* hinc ab omnibus collaudari, prædicarique beata. Quaſi omnium diuorum laus ſileat omninò, dum huiuſce præconij Mariæ laus profertur.

175. *Virtutes cœleſtes Mariæ virtutem ex nouo virginitatis voto admirantur.* Appon.

Annoto & illud. *Verè digna* Maria, *quam glorioſam inter omnes fœminas non ſolum diuerſarum gentium nationes, ſed etiam cœlorum virtutes admirantes collaudent.* Non mirum mihi, homines cunctos hanc tam nouam Virginis admirati virtutem; nouitas enim parit admirationem. Illud mihi mirabile admodum, quod tam noua, ac peregrina ſit cœleſtibus virtutibus hæc Mariæ virtus, vt in admirationem eas abripuerit. Admirantes collaudant Virginitatis Deiparæ votum virtutes cœleſtes, quibus virginea puritas agnata.

176. *Votum virginitatis Mariæ fuit quaſi ſecundum incontinentiæ diluuium, ſed ad ſalutem, non ad exitium hominum.* Appon. Gen 6.

Denique illam premo particulam. *Per quam in terra maledictionis, in terra impiorum, in terra incontinentiæ primùm ſanctæ voluntatis vox conſeruandæ virginitatis audita eſt.* Olim *omnis caro corruperat viam ſuam.* Gen. 6. Quare Deus diluuio incontinentiam abolere decreuit. Puduit hunc orbē incontinentiæ vitium: vt autem obrueretur ſine hominum exitio, votum virginitatis Mariæ benignioris diluuij vices geſſit. Vnde terra maledictionis, & incontinentiæ conuerſa eſt virgineum voluptatis Dei in paradiſum.

177. *Terra, quæ per incontinentiam erat diaboli terra, per Mariæ virginitatem Dei terra eſt effecta.* Appon.

In terra noſtra. Quare Dei terra vocitatur mundus hominum patrium habitaculum? Planè, quia per Mariæ virginitatem terra *maledictionis*, & *incontinentiæ*, (quæ ideò à diabulo poſſidebatur) facta eſt caſtitatis flagrans affectu: vnde diabolo pulſo, Dei terra verè nuncupatur. Audi Apponium. *Quandiu præuaricationis hyems, tempus triſte, conſtrictámque ab omni germine bono mundi faciem obtexerat, & ſua ditione terram diabolus obtinebat: hæc dulciſſima vox turturis, per glorioſam Mariam non eſt in terra audita. Sed vbi magnus ille Sol iuſtitiæ, qui nobis indulgenter æſtatis vbertatem adducendo, exortus eſt: cœpit deſiderij conſeruandæ integritatis vox Mariæ caſtiſſimæ turturis in terra noſtra audiri.* Quonam fructu? *Quæ prius terra impiorum incontinentium nuncupabatur, nunc ſuam terram Dei ſermo vocitare dignatur.* Igitur Mariæ virginitati debemus, vt terra incontinentiæ maledicta, diaboli addicta ditioni, iam ſit benedicta terra, Dei vtique poſſeſſio.

In terra noſtra, mea ſcilicet & hominum patria; per Incarnationem enim Deus omnium Dominus dignatus eſt mundi effici ciuis. D. Bernardus conſiderat, vocem hanc *terra noſtra, non dominium, non principatum, ſed conſortium, ac familiaritatem* inſonare. Igitur *tanquam ſponſus, non tanquam Dominus loquitur, multum illi cum terra, multum cum ſponſa* iam eſſe. An-non hanc ſummam familiaritatem Dei cum humana natura, hoc cum terra conſortium Deiparæ debemus? Nullus dubitauit. 178.

Per Mariam Deus eſt terra noſtra ciuis. Bernard.

In terra noſtra, id eſt, in cœlo per Verbi Incarnationem iam patria communi exauditus eſt gemitus turturis, id eſt peccatorum pœnitentiæ plorantium affectu. Vnde eis *tempus* putationis aduenit, quando vites lachrymas profundunt. Origenes. *Tempus putationis aduenit, ſeu remiſſionis peccatorum, quia vox turturis ſeu pœnitentium gemitus auditur in ſuperis.* Profectò hæc omnia Mariæ debentur, ob cuius preces peccatoribus venia datur, quia eius etiam interceſſione eis à Deo donatur, vt lachrymæ fluant. 179.

Per Mariæ preces auditur in cœlo gemitus pœnitentium. Origen.

Verſ. XIII.

Ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum.

IN quæſtionem adduxerim, quare ſapientiſſimus ſponſus duas haſce arbores ficum & vitem primi veris tempore germinantes potiùs elegerit, quàm alias, quæ aſſolent cum maiori venuſtate florum oſtentari? Et reſpondeo tam ficum, quàm vitem pulchrum Deiparæ gerere ſymbolum. Ficulnea quidem fructum pro flore habet, groſſus enim in ea eſt flos. D. Ambroſius lib. 7. in Luc. cap. 13. *Aliæ arbores florem ferunt ante quàm fructum, pomaque ventura prænuncio ſuo flore deſignant. Hæc ſola ab initio germinat poma pro floribus. In aliis flos decutitur, vt poma naſcantur.* Petierat ſuperius Maria. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis.* Sim ſimul florens Virgo, & Mater fructificans. Votis Mariæ annuens Spiritus ſanctus proclamat. Ficus protulit groſſos ſuos in fœcundæ tuæ virginitatis documentum. Mater eris & Virgo. 179.

Ficulneæ flores fœcundam Deiparæ virginitatem ſignant. Ambroſ.

Eundem planè fœcundæ virginitatis Mariæ ſymbolum in *vite* reperio. Hæc quidem quamvis non ſimul germinet florem & fructum, ſed prius gemmas in flore pariens, poſterius denſatur in fructus, non tamen fructus omninò florem excutit, ſed illum retinet in granulis. Vnde in Hebræo pro *vineæ florentes*, alij legunt, *vineæ ferunt vuas minutas.* Quia idem ſunt flores & fructus, vel ſaltem ſimul in vite conſpiciuntur, vti Mariana annotat. Et inferius, eodem Auctore, pro *vineæ noſtra floruit*, eſt in Hebræo. *Vinea noſtra fert vuas minutulas.* Vel *vitis vua minutula* 180.

Vineæ florentes fœcundæ Mariæ virginitatis typum gerunt.

nutula dederunt odorem suum. En igitur fœcundæ Mariæ virginitatis alterum hieroglyphicum.

181. *Maria interna opera commendantur.* Guillelm. Matth.7. *Ficus protulit grossos suos.*] Abbas Guillelmus annotat, duo grossorum genera reperiri. Per *fructus* ait, *opera intelligi*, vt Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Et sunt quidam insignes ad opera, verumtamen opera pietatis nulla vultus hilaritate, aut verbi suauitate praeueniunt. Hi nimirùm in paradiso Domini ficus sunt, & facturi fructus optimos, non premittunt flores, sed grossos, in ipsis tamen grossis non minor spes fructus est, quam in floribus, apud prudentem consideratorem. Porrò sunt alij, qui spem fructus pramittunt in floribus, & ante pietatem operum quædam oblectamenta suauitatis emittunt. De huiusmodi subiungitur, vineæ florentes dederunt odorem.* Vellem, hæc Deiparæ accommodasset; sed quia prætermisit, valde gauisus fui, Del-Rio. apud nostrum Martinum Del-Rio pulchram reperisse accommodationem. *Opera*, inquit, *Deiparæ quædam planè intrinseca fuisse, notum est vel ex eo, quod legimus. Luc. 2. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Hæc fructificarunt in corde eius, & non flores, sed grossos promiserunt. Alia porrò externa eius vera charitatis & fidei viua opera spondebantur etiam suauitate florum; nec enim putandum, comitatem, aut dulcedinem atque vtilitatem eius sermoni defuisse. Sic ficulnea lectissima grossos protulit. Vnde simul flores & fructus Agricola semper inuenit, & ideò eam benedixit, quæ dulcedinem suam nunquam deseruit.*

182. *Maria humilitas mirum modum exaltata.* *Vineæ florentes dederunt odorem suum.*] Vitis quidem est humillima planta, in qua id mirabile cernitur, quod cum sit lignum inter omnia adeò gracile, fructum tamen profert opimum. Sic Virgo beatissima omnium humillima rationalium, dum dixit: *Ecce ancilla Domini*, ideò meruit tam vberi honorari Deifico fructu, Botro scilicet illo, ex quo vinum germinans virgines, ex quo spiritualis sanctorum ebrietas.

183. *Maria vinea electa.* Del-Rio De hac lectissima vinea Mariana sic Del-Rio scribit. *Dedit odorem vitalem vinea electa Maria plantata in cornu olei.* Isa. 5. *quæ vita vitem peperit. Vinea, quæ nunquam deseruit vinum suum, quod lætificat Deum, & homines.*

184. *Maria ficulnea vulneribus hominum medicamen.* Isa 38. Redit Doctor idem ad ficum, & ait. *Maria est ficus, quæ protulit massam ficorum, quâ vulnera incurabilia sanantur, de quibus Isaias cap.38.* Nullum enim insanabile vulnus, nulla desperata ægritudo ei, qui ad Mariam se recipit, cuius intercessione Christi Domini fructus ficulneæ huiusce meritorum vis applicatur, & mox æger sanitati restituitur.

185. *Maria non est vinea in singulari, sed vinea omnes fructifera, quæ in sacris celebrantur.* Richard. Iud. 9. Cant. 8. Isai. 5. Ierem. 2. Cur autem in plurali *vineæ florentes* dicuntur, si Maria vinea vnica est? Certè quia in singulari hæc vinea omnium vinearum, quarum in sacris memoria geritur, virtus reperitur. Pulchrè Richardus de S. Laurent. lib. 11. de laud. Virg. *In Mariæ vinea omne genus vinearum, seu vitium bonarum reperitur. Ibi vitis vino suo lætificans Deum, & homines.* Iud.9. *Vinea Engaddi.* Cant.1. *Vinea putata.* Cant. 2. *Vinea pacifica.* Cant. 8. *Vinea dilecti.* Isa. 5. *Vinea electa, seu vinea Soreth.* Ierem.2. *Vinea sub qua securè quiescitur.* 3. Reg.4. *Vinea crescens ex aquis multis, gratiarum.* Ezech. 19. *Vinea plantata in montibus Samariæ, seu in eminentia Ecclesiæ.* Ierem. 31. *Vinea plantata dexterâ Dei Patris.* Psalm.79. *Vinea pastinata.* Mat.12. *Vinea habens septem torcularia, & turrim.* Matth.21. Quanta Mariæ merita, quæ in tot vinearum fructibus designantur! Cum igitur in vinea Mariæ omnis tot vinearum virtus inuenitur, aptè dixit sponsus. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* 3. Reg. 4. Ezech. 19. Ierem. 31. Psal. 49. Mat. 21.

De ficulnea denique idem adiicit Doctor. *Maria est ficus, non illa maledicta folia habens sine fructu, quæ aruit* Matth. 21. *Et quæ iussa est abscindi, quasi frustra terram occupans.* Luc. 13. *Sed illa, quæ noluit deserere dulcedinem suam, fructusque suauissimos, vt promoueretur inter ligna.* Iudi. 9. *Item illa, quæ gignit ficus bonas valde.* Ierem. 24. Item Ioël. 2. *Ficus & vinea hæc dederunt virtutem suam.* Alibi plura. 186. *Maria vinea est, quæ nunquam suam deseruit dulcedinem, &c.* Richard. Matth.21. Luc 13. Iudi.9. Ierem.24. Ioël.2.

Vers. XIV.

Surge amica mea, speciosa mea, & veni: Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.

Surge amica mea, speciosa mea, & veni.] Cantacuzenus Imperator sic exposuit. *Tempus est, ô Mater, vt tu nascaris in terra, vt sic domicilium mihi ex te nascituro mortali preparetur. Exurge veni propinqua mea, tempus hyemis præteriit. Exsurge columba mea, purissimum te mihi domicilium velim expedias, & reddas. Oportet enim sellam ante Regium aduentum adornari.* Impossibile mihi explicari sellæ, seu throni huius ornatus. At ex mente Imperatoris præter originalem iustitiam, (de qua volumine altero) indicantur hic gratiæ & priuilegia, quæ Virgo à natalitio vsque ad Incarnationis Verbi accepit instantiam, quæ quidem ineffabilia esse apertè dignoscit, qui scit, non homini nudo, sed Deo homini habitaculum præparari. 187. *Ineffabilibus priuilegiis ornata fuit Maria à natalitio vsque ad Incarnationis Verbi instantiam, vt in Christi habitaculum præpararetur.* Cantacuz.

Idem Cantacuzenus ait. *Iudæorum populus vt immundus, à Deo reprobatus. Virgo autem omni ex parte labis expers, tanquam purissimum templum in ipsius est electa domicilium. Ad quam dicit: Veni tu amica mea, speciosa mea: videlicet veni, vt tu me carne vestias, quo perinde sim ac cæteri particeps irreprehensibilium passionum, in tegmine Petra, Christi nimirum. Ostende mihi aspectum tuum, claram videlicet, candidamque mentem, nulla fœda cogitatione inquinatam.* 188. *Mariæ debemus quod habeamus Deum sicut vnum ex nobis.* Cantacuz.

Columba mea in foraminibus petra, in cauerna maceriæ.] Guillelmus asserit hanc maceriam esse Angelorum ordines, prout sunt hominum custodes, sicut maceria est vinearum præsidium. Bernardus, & Petrus Dam. docent sepem, quam Pater-familias suæ vineæ circumdedit Angelorum esse custodiam. *Verum* (Guillelmus adiicit) *ista maceria continua non est, sed multis interrupta locis, habet propter Angelicas ruinas multas cauernas, & foramina.* Assonat Philippus Abbas, dum ait: *Denique ab antiquo in hac maceria cauernæ patuê* 189. *Sola Maria ruinas Angelorum impleuit.* Guillelm. Philip.

patuerunt, ex quo inde Angeli lapſu perditi corruerunt. Porrò per Chriſti merita hæc maceriæ foramina hominibus ſunt implenda, Dauide canente. *Implebit ruinas.* Pſalm. 109. Et forſan hæc ſunt illa foramina vacua Angelorum, ad quæ alludit Ezechiel cap. 8. loquens ad luciferum, poſtquam è cœlo cecidit tanquam fulgur: *Foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt* hominibus, qui tuas aliorumque Angelorum cadentium ruinas implebunt. O quanta Mariæ excellentia, quanta maieſtas. Quæ ſola ab ſponſo vocatur, vt omnes cauernas, ſeu vacua Angelorum foramina impleat. Vnica enim Maria pro omnibus Angelicis ſpiritibus æquiualet, omnium continet excellentias. Philippus. *Quas Angelicæ maceriæ ruinas prudens Architectus Deus ex eiſdem lapidibus noluit reſarcire; ſed loco decidentium gratia & meritis homines voluit introire. Et quoniam interrupta maceria, expectat per homines reſarciri, nulli niſi ſponſa Maria amplius diligit aperiri.* Quaſi omnes ruinas, ſeu loca vacua Angelorum ſola impleat Maria, dum ſcilicet per eius intercesſionem Architectus quodammodo expectat ruinas illas Angelorum iuſtis hominibus reparare.

Pſalm. 109. Ezech. 8. Philip.

190. *Continuò columba Maria in Ieſu foraminibus, ſeu vulneribus gemini morabatur.* Rupert.

Rupertus ait, Mariam eſſe columbam gementem propter clauorum ac lanceæ in paſſione Filij foramina. *Iterùm vox dilecti mei, iterum loquitur mihi, & ad ſurgendum inuitat: eiſdem nominibus me compellat, ſurge, inquiens, amica mea, ſpecioſa mea, columba mea, & veni. Et protinùs, acſi quæreret ego: Quò ſurgam? vbi, vel in quo ero columba? In foraminibus, inquit, petræ, in cauerna maceriæ. Scit enim ſitum, & habitum mentis meæ: quia claui eius, quos ante quàm fierent, mente prophetica prauidebam, & in Propheta legebam dicente: Foderunt manus meas, & pedes meos; & lancea lateris eius, quam ſimiliter prauidebam: & in Propheta legebam, videbunt enim* (ait Zacharias) *in quem transfixerunt. Claui, inquam eius, & lancea iam eſſent animæ meæ vulnera, & in ipſis gemerem, quaſi columba. Dicebat ergò: Columba mea* Maria in *foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ, ſeu eius anima gemitvoſa propter fixuram clauorum in me, qui ſum petra: propter vulnus lateris mei, qui ſum maceria. Age, quod agis: contemplare, quod contemplaris.* Cui Filij voci obtemperans Deipara, nunquam non lachrymas profudit in petræ huius foraminum, in cauernæ maceriæ huius contemplatione.

191. *Maria tres animæ potentias nunquam non Deo ſponſo addictas.*

Dionyſius Carthuſ. ex hiſce verbis ſic tres animæ Virginis potentias commendat: *Columba mea in foraminibus petræ, id eſt, in potentiis animæ tuæ, in omni gratia ſolidata, conſtantiſſima, & firmata: puta in intellectu, & voluntate, quæ ſunt ſpiritualia foramina, per quæ anima intellectualis cernit me, & cupit. Vnde in Ezechiele Dominus ait ad Cherub, qui cecidit: Foramina tua in die conditionis tuæ parata ſunt. Fuit itaque ſacratiſſima Virgo amica ſponſa, & Columba Verbi æterni in foraminibus petræ, id eſt, in intellectu, & voluntate; quia per fidem, & ſapientiam ſui intellectus, atque per ſpem, & charitatem ſuæ voluntatis placuit ſponſo cœleſti potiſſimè. Et in cauerna maceriæ, id eſt, in intellectuali memoria, per quam iugiter diuina meditabatur. Memoria autem eſt receptaculum, & locus ſpecierum, & quaſi venter ſimilitudinum rerum: & ita rectè appellatur maceria cauerna, id eſt muri; ſeu parietis animæ virtuoſæ in cuſtodiam.* En potentiæ animæ Deiparæ Deo omninò dicatæ.

192. *Maria murus inter Deum & homines, vt eos à numine irato defendat.* Carthuſ.

Idem Doctor affirmat, Deiparam eſſe maceriam, ſeu murum. *Quæ quidem inter Deum ſponſum & iudicem & animas peccatrices, pro quibus laborat, vt eas reconciliet Deo, & à maligno protegat.* Periiſſet mundus diuinæ iræ expugnatione, niſi Deiparæ maceria, ſeu murus fortiſſimus ignita tela retudiſſet.

193. *Maria mons emittit Chriſtum petram foraminibus, vt per ea omnes ad cœlum ingrediamur.* Guillelm.

Guillelmus verò contemplatur, Chriſtum petram eſſe è Mariano monte ſine manibus abſciſſam, plenam quidem foraminibus, vt omnes per eam in cœlum ingrediantur. *Petra Chriſtus? nimirum illa, quæ de monte ſine manibus abſciſſa: & factus eſt mons magnus, & repleuit vniuerſam terram: & omnis terra non poteſt implere eam. Abundat enim foraminibus, quibus omnes intrare volentes ſuſcipit, continet, & continendo implet: porrò ipſa non impletur. Quia ſi omnes terrigenæ, & filij hominum ſimul in vnum, diues & pauper vellent intrare, non deeſſent foramina, quibus reciperentur, imò & ſuperabundarent.* Petra quidem Dominica ſapit Marianum montem, è quo prolabitur. Maria enim mons foraminibus miſericordiæ plenus, vt omnes recipiat, Chriſtum emittit ad nos petram foraminibus plenam, omnes vtique recepturam.

194. *Stricta cœlorum porta amplum offert precibus Mariæ aditum.* Guillelm.

Adhuc Guillelmus. *Anguſta quidem videntur petræ foramina, cum intratur per ea. Vnde ipſa petra venientibus ad ſe dicit, contendite intrare per anguſtam portam credendo, & amando hæc ampliora cubilia, & ſuauiorem requiem inuenietis.* Non dubium, quin aſpicientibus mortalibus ſtrictus admodum foraminum petræ huius pateat ingreſſus. At ideo: *Columba Maria in foraminibus petræ habitabit.* Vt ſuis precibus ingreſſuris vim impetret, vt audaces piè irrumpere contendant.

195. *Sibi & aliis Maria bona prouidit.* Guillelm.

Profectò idem Doctor pulchriùs totam ſententiam ſic Deiparæ accommodauit. *Nullus vnquam mortalium tot virtutibus inſignis, & tam diues meritis fuit, quàm pia Mater ſaluatoris. Ipſa in petræ foraminibus habitauit propter ſe; ipſa in cauerna maceriæ habitauit propter alios. Viuens pia Mater non tantùm ſibi, ſed etiam aliis prouidens bona.*

196. *Maria ad cœlum aſſumpta murus eſt ad viatorum hominum protectionem.* Guillelm.

Quid plura? Doctor denique fatur. *Maria quoque ſuarum prærogatiua virtutum, & vbertate meritorum, nunc in cœlum tranſlata, non vnam modò cauernam maceriæ implet, & tuetur. Sed vt Imperatores ſolent caſtrorum Dei curam gerit: Ipſa militiam illam cœleſtem ducit: & cunctis cuſtodibus maceriæ præeſt. Nam cunctis Eccleſiæ hoſtibus ſe opponit. Quid mirum, ſi in his petræ foraminibus, & in his cauernis maceriæ conſiſtentem ſponſus eam amet videre, amet audire?* Viſa, ſponſi accendit amorem: audita, efficaciter impetrat ſuis precibus, quidquid difficile licèt, intendit.

196. *Ineffabilis columba Maria ſimplicitate sua admirabili prudentia.* Richard.

Columba mea, nempe ob ſimplicitatem, veram (eſt enim alia ficta, alia indiſcreta) Richardus de S. Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Ratione ſimplicitatis comparatur Maria columba, quæ*

qua est auis simplicissima. Vnde dicit ei Filius Cant.2. Columba mea in foraminibus petræ. Est autem simplicitas quasi collactanea humilitatis. Simplex est, qui vni soli rei intendit Luc.10. vnum est necessarium. Et dicitur simplex quasi sine plica. Est simplicitas vera iustorum, quæ comitem habet discretionem. Vnde Dominus. Math.10. Mat.10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Talem habuit Diua Virgo simplicitatem super omnes creaturas.*

197\. *Mariana columba simplicitas à temeritate, debilitate ac timiditate immunis fuit.* Richard.

Cum autem simplicitas triplici sit incommodo obnoxia nempè *temeritati, debilitati*, & *timiditati*: quam libera ab hisce incommodis nostra columba fuerit, idem Richardus expressit. *Solent*, ait, *tria incommoda sequi simplicitatem, à quibus peropportunè sibi cauit Maria. Primum est.* Temeritas, *quia de facili simplices decipiuntur: unde comparantur columbæ seductæ.* Ose.7. *Sed Maria loco temeritatis habuit prudentiam Spiritus, quà benè discernebat, esse Angelum Dei, cuius verbis consentire deberet. Secundum est* Debilitas. *Simplices enim de facili cadunt, quia resistere nesciunt. Sed Maria fuit mulier prudens & fortis, quæ contriuit caput serpentis antiqui. Tertium est* Timiditas, *qua non audent ardua aggredi. Sed Maria habuit confidentiam, fidem, & spem certam, quâ credidit, Deum de se incarnari: & respondit audacter, & deuotè. Ecce ancilla Domini, fiat mihi. Fortitudo autem eius, & confidentia in hoc apparuit, quod Ezechiel, & Daniel, & Ioannes videntes Angelos leguntur corruisse: sed Maria videns Angelum, turbata est: Sed non perturbata; & aspectum Angelicum sine casu potuit sustinere.* Columba etenim sponsi cœlestis *habebat cor*, non sicut illa de qua Propheta, *Columba seducta non habens cor*, seu carens fortitudine.

Verſ. XV.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

198\. *Ita Maria sua ex humilitate abscondebat priuilegia, vt Deo ipsi quodammodo viderētur abscondita.*

OStende mihi faciem tuam.] Si Dei oculis omnia patent, nihilque ipsum latere possunt: quomodò ad Virginem quasi sibi absconditam dicit, vt faciem ostendat? Planè vt ostendat sponsus profundissimam Virginis humilitatem, quâ ita suas laudes, priuilegia sua in facie signata abscondere nitebatur, vt Deo ipsi quodammodo opus esset, enixe ab ea postulare, vt internæ animi pulchritudinis faciem manifestet.

199\. *Tanta Mariæ pudicitia, vt facies eius Deo ipsi quodammodo esset ignota.* Tertul.

Vel hinc referatur singularis Virginis verecundia, & pudicitia, quâ vel ipsi Deo quodammodò à facie esset ignota. Vnde emphaticè clamat: Adeò te ô sponsa mulierum ex fama pulcherrima, præ virgineo pudore abscondis: vt ego sponsus futurus tuam faciem non aspectarim. Nec enim Maria inter fœminas illas annumeratur, de quibus Tertullianus dixit, *Nundinatia* capita, seu faciem *habent*, cunctis emptoribus expositam.

200\. *Maria adeò pura est, vt corā omnibus possit referata facie apparere.*

Aptius adhuc crediderim Deum sponsum hic innuere Mariam ita animi faciem à quolibet imperfectionis næuo immunem habere, vt coram omnibus possit facie referata ostentari: *Puede parecer la cara descubierta*, vti vulgariter Hispani dicimus. Hinc Virgo Deo se similem ostendit. Exod.28. Moysi Deus: *Facies* laminam *de auro purissimo, in qua insculpes Sanctum Domini: imminensque erit fronti Pontificis.* Ad quæ D.August.q.6. *Intelligitur per hoc frontis ornamētum fiducia bonæ vitæ, quam quidem non significatione, sed perfectè ille sacerdos habet, qui solus auferre potest peccata, non habens necessitatem offerre pro suis.* Profectò nullus præter Christū potest hanc in facie fiduciam ostēdere. Quem Maria specialissimo priuilegio imitatur, ideo ei veritas dicit: *Ostende faciem tuam*, cur abscondis? Nil enim habes, ex quo tuus vultus rubore perfundatur.

Ant.de Escob.& Mendoz.in Cantic. Exod.28. August.

201\. *Vox propria Mariæ est, virum non cognoscam, licet Dei Maternitati cogar renunciare.* Bernard. Luc.1.

Sonet vox tua in auribus meis.] Vox hæc, quā audire ita expetit Deus, *vox tua* seu per antonomasiam Mariæ vox appellatur. Quænā hæc Mariæ vox? *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quam quidem vocem Deus expetiuit audire. Non abnego. At D.Bernard. innuit, propriam Mariæ vocem illam esse: *Quomodo fiet istud, quoniā virum non cognosco*, imò nec cognoscam, tùm ob votum virginitatis, tùm ob castitatis dilectionem. Tam addicta erat, Doctor ait, Maria virginitatis seruandæ proposito, vt renuntiaret Dei Maternitati, si id virginitati læsionem esset allaturum, nisi speciale Dei præceptum adesset.

202\. *Pulchritudinis Mariæ aspectus, quodammodo apud Deum potuit Euæ erratum corrigere.* Rupert.

Rupertus acutè admodum totum versiculum exposuit. *Ostende mihi* (ait sponsus) *faciem tuam; & ostendendo, corrige, quod peccauit Eua, quæ abscondit à me faciem suam.* O admirabilis Mariæ pulchritudo, cuius aspectus potuit sic quodammodo Deum afficere, vt tàm nefarium Euæ erratum corrigeret!

203\. *Pulchritudo Mariæ à Deo visa impetrare-nè potuit, vt Euæ durities ad conuersionem emolliretur?* Rupert. Gen.4.

Vbi (pergit Abbas) *abscondit* communis mater *faciem suam? In medio ligni paradisi, videlicet in eodem, quo peccauit. Nam de ligno, quod est in medio paradisi, ait, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Comedit, & cum audisset vocem Domini Dei, abscondit se in medio ligni paradisi. Ergo in ligno, in quo peccauit se abscondit. Vtpotè quæ in peccato suo sibi complacuit.* Siquidem ab occasione delinquendi non recedebat. Tantanè potentia faciei Mariæ, vt visa à Deo valeat ab eo auxilium impetrare, vt tanta Euæ durities ad correctionem emolliatur?

204\. *Maria correxit Adamī silentium ad confitendum piaculum?* Rupert.

Quid de Adamo attexam? *Peccatum suum* (cum Ruperto loquor) *defendit, non ostendit mihi faciem suam, cum dicerem: Adam, vbi es? Non sonuit vox eius in auribus meis: vox confessionis, quæ sonare debuisset, cum dicerem: Quare hoc fecisti? Ostende* ergò *mihi* ô Virgò *faciem tuam, & corrige, quod peccauit* Adamus, *qui abscondit à me faciem suam.* Si tantum Maria potest faciei ostensione, quid cum vterum & vbera Deo Filio ostentarit?

205\. *Mariæ vox gratiarum actionis pro beneficio Maternitatis Dei accepto pungit Parentū primorum ingratitudinem.* Rup. it.

Quid autem de Adami, & Euæ vili ingratitudine attexam? An-non ex Mariæ gratitudine correctionem accepit? Audi eundem Doctorē. *Non sonuit vox eorum in auribus meis, vox confessionis, quæ sonare debuisset, quando benedixi Euæ & viro eius, dicens, crescite, & multiplicamini. Non sonuit vox eorum in auribus meis; nullum enim cantauerunt canticum gratiarum actionis pro tam magno beneficio, quo illos constituebam, parentes tam magnæ generationis possessuros tantam hæreditatem Regni Dei. Tu autem ô Maria, ostende mihi, sicut ostendis, faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis.*

Luc. 1.

Et audiam ego, audiant amici, quorum vnus, vel primus audiuit, cum adhuc clauſus eſſet in vtero matris ſuæ, & exultauit ad vocem tuam, quæ hoc modo ſonuit in auribus meis: Magnificat anima mea Dominum. En gratiarum actionis Mariæ Canticum pro tanto à Deo accepto beneficio, quo facta fuit Filij Dei, & omnium fidelium beatiſſima Mater.

206. *Tanta animi Mariæ pulchritudo, vt ad ſui dilectionem Deum potenter arriperet.* Philip.

Porrò Philippus Abbas commendat hinc Virginis ſine vllo næuo pulchritudinem. *Poſtquam in cauernis maceriæ, & in petræ foraminibus Virgo eſſe dicitur, & columba, æſtimo non tam gemens, quàm ſecuro munimine lætabunda admonetur, vt faciem tantis beneficiis enutritam ſponſo videndam offerat, decoris ſui merito concupitam.* O quàm ineffabilibus beneficiis Deus faciem Virginis animæ enutriit, ſiquidem in flagrantiſſimam illius dilectionem Auctorem abripuit! *Nihil enim in ea ſponſus æſtimat reſidere, quod oblatum intuenti debeat deſpicere.* Si aliquid minus ſpecioſum in Maria Deus ſponſus reſidere dignoſceret, potiùs vellet eius faciem obnubilari, quam publicè ab amicis videndam (vt Rupertus aiebat) apparere, ne ſponſam, ne Matrem affici rubore cogeret.

Si aliquid eſſet in Maria ſpecioſum minus, haud in publicum eam prodire adhortaretur ſponſus.

207. *Deus hortatur Mariã faciẽ oſtendi, quia ſcit nihil in ea fœdum reperiendum.* Philip.

Exemplo Abbas id Adami confirmat. *Adamus peccati conſcius ad triſtes tenebras mox receſſit, triſti deformis facie. Deo vocanti ob viam non proceſſit, ſciens maculas ſordium, quas triſtis culpa intulit faciei, non Deo placituras, qui amator pulchritudinis animarum eſſe legitur. Faciem verò Virginis, ſibi ſponſus tam ſollicitè vult oſtendi, quia ſcit non ſordere, non turpitudine ſordida reprehendi. Planè eius conſcientia pollet quadam gratia ſingulari, cui præferri nulla, vel altera non poteſt æquari.*

208. *Vox illa Mariæ* Ecce ancilla Domini *omnium ſanctarũ mulierum voces quaſi anſerum inter olores eſſe oſtendit.* Philip.

De voce autem Mariæ, *Ecce ancilla Domini*, ſic Doctor: *Vocem Virginis ſponſus in ſuis auribus vult ſonare, quàm nimirum inuenitur dulcedo nimia commendare; quæ ſuauis, & iocunda ſoni conſonantia dulcioris, inter voces ſonat mulierum: ſicut inter ſtrepitum anſerum vox oloris.* Vetus, ac nouum recole Teſtamentum, tuis in auribus inſonent omnium piarum mulierum voces plenæ dulcedine, queis vel Deum laudant, vel pro beneficiis gratias reddunt, vel ſingularia plena fide, & prudentia documenta proferunt. Extollit Maria vocem præcinens, *Ecce ancilla Domini.* Cunctæ illæ fœminæ diuerſa intonant carmina pietatis. Vox Mariæ inter voces ſonat mulierũ, *ſicut inter ſtrepitũ anſerum vox oloris.*

209. *Maria in cælis pro nobis deprecans repulſam non patitur.* Guillelm.

Ad Virginis Aſſumptionem, qua Cœlicolas donari expetebam, hanc ſententiam Guillelm. accommodat: *Oſtende mihi*, ſponſus clamat, *faciem tuam: exhibe mihi apud Patrem præſentiam tuam; vt vbi ſum ego, & tu ſis mecum. Sonet vox tua in auribus meis. Nolo clames ad me de terra, ſicut ſanguis Abel; ſed aſſumpta adſtans à dextris meis, familiarius, quam Abel, loquens mecum. Nullius petitionis repulſam patieris. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Dum pulchritudo iuſtæ animæ cum pia petitione dulce ſonante copulatur; quomodo orans poteſt pati repulſam.

210. *Vox Mariæ Deo voce Abelis ſuauior.* Guillelm.

Pergit Guillelmus vocis dulcedinem, & faciei Mariæ ſpeciem exprimere. *Delectat me* (Deus ait) *vox tua, quia dulcior voce Abelis, veniam poſtulans, & nunquam rauceſcens, nunquam deſinens, vel tacens, (vt Abraham vox) intercedere pro miſeris. Delectat me facies, quia decora, maculam, aut rugam non habens; & ideo digna, & grata diuinæ oculis Maieſtatis.* Illud annoto: *Delectat me vox tua, quia nunquam rauceſcens, nunquam deſinens, vel tacens.* Si nunquam Maria deſinit loqui, ſi tacet nunquam pro peccatoribus deprecatrix, quomodo non rauceſcit, ſed ſemper vox eius dulcedinem retinet. *Vox tua dulcis?* Certè quia Dei auribus nunquam ingrata poteſt eſſe vox Mariæ pro peccatoribus deprecantis. Vnde ipſe eam ad loquendum, ſeu clamandum inuitat. *Sonet vox tua in auribus meis.* Annoto & illam particulam: *Nunquam deſinens, vel tacens, ſicut Abraham, intercedere pro miſeris.* Abraham pius admodum deprecator, ſæpè ad Dominum clamauit, poſtulans, vt Sodomitis parcere dignaretur: ſæpè loquitur, & Deum placabilem magis iteratis precibus efficit: non autem omninò liberationem Sodomorum obtinuit. Dixit denique Patriarcha, *Obſecro, ne iraſcaris Domine, ſi loquar adhuc ſemel: Quid ſi inuenti fuerint ibi decem* iuſti? *Et dixit* Dominus: *Non delebo propter decem.* Quid plura? *Abiit Dominus poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham.* Aliter, *Poſtquam ceſſauit loqui Abraham.* Magna Abrahami pietas ad precandum pro peccatoribus illis, ſed ceſſauit petere, & ideo fortaſſe orationis eius vox efficax non fuit ad impetrandum. At vox Mariæ *nunquam deſinit*, nunquam ceſſat clamare, donec impetret, quod intendit. Ideo Doctor opportunè dixit: *Nunquam deſinens, nunquam tacens ſicut Abraham.*

Nunquam rauceſcis Dei auribus vox Mariæ, licet nunquam ceſſet pro peccatoribus exorare.

Maria cum pro peccatoribus precatur, nunquam deſinit, ſicut Abraham ceſſauit orans pro Sodomitis. Vnde ſemper petita conſequitur. Guillelm. Gen 17.

211. *Infans Ieſus Mariæ cum pannis inuoluenti promittit, nil ei negaturum ex his, quæ tunc petierit.* Ghiſler.

Ghiſlerius præcedentis verſ. illa verba: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, explicauit de Virgine ingreſſa in cauernam Bethleemiticam, quam probat ex Patribus excauatam eſſe in petra iuxta promurale Bethleemi: & verba hæc, ſonet vox tua in auribus meis, &c. intelligit dicta ab Infantulo IESV recens nato ad Matrem, dum ipſa eum pannis inuoluebat, vt præſepis lectulo reclinaret. Quaſi Infans profareur: *In huius gratiam obſequij, quod meo corpuſculo exhibes, poſtulans quod volueris, ſonet vox tua in auribus meis,* proculdubio conſequutura. Vnde valde opportunum tempus adeundi Mariam Dominici Natalis die, vt nobis à Filio Deo obtineat optata.

212. *Mariæ vel leuis inſinuatiũ ſufficit, vt à Deo quidquid illa petierit aſſequatur.*

Profectò loco huius particulæ: *Sonet vox tua in auribus meis*, alij ex Hebræo legunt, *Inſinua mihi vocem tuam.* Haud neceſſum eſt ſonare vocem tuam ò Mater, clamare noli: tantum eius, quod poſtulare vis vel perleuem inſinuationem exhibe: id ſufficiet, vt quidquid petieris: imò vt quod Mater Filio iuſſeris, aſſequaris.

213. *Populi fidelis liberatio à Deo non dignè facta celebrata fuit, donec Maria hymnum cecinit.*

Cæterùm in hac ſententia Deiparæ elogiis accõmodanda cunctis vberiorem ſe Richard. Laurentinus oſtendit. Nam lib. 2. de laud. Virg. contemplatur Deum Mariam hortari, vt vox eius illa in ipſius auribus ſonet, qua Virgo poſt tartareum Pharaonem obrutum fidelis populi liberationem celebrauit. Cum B. Virgo (ait ille) *ſignetur per Mariã illam Propheriſſam, quæ ſumpto tympano; iubilauit pro ſubmerſione Pharaonis.* Exod. 15. *ipſa etiam pſallit mente & ſpiritu, & Deo iubilat pro ſubmerſione ſpiritualis Pharaonis, & liberationem populi fidelis. Hanc vocem Mariæ ſponſus Filius audire deſiderat. Vnde dicit ei: Sonet vox tua in auribus meis.* Ac ſi diceret Deus illius Imperator exercitus victor: O melior Maria, ſurge, ſpirituale arripe tympanum. Nec enim ſatis dignè victoria

Exod 15. Richard.

mea

meâ fidelium liberationis celebrabitur, donec tu in illa Maria adumbrata hymnum intones dulciorem. Canit ergo Maria *Magnificat anima mea Dominum: Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.*

214. *Vocis Mariæ gracilitas, seu sermonis humilitas Deo admodum suauis fuit.* Richard. Exod 4.

Pergit pius Doctor lib.4. vocis Deiparæ dulcedinem commendare. *Humilitas Mariæ fuit in voce & sermone, unde audita magnitudine, ac multitudine promissorum, quæ & Angelus faciebat, respondit tanquam humillima mulierum: Ecce ancilla Domini, &c.* Luc.1. *Ratione huius vocis potuit dicere illud, quod dixit Domino Moyses.* Exod. 4. *secundum aliam translationem: Gracilis vocis ego sum. Gracilitas vocis humilitas est sermonis. Propter hanc vocis, & sermonis humilitatem, dicit ei Filius ipsam commendans à voce.* Cant.2. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.*

215. *Dulcis vox & verba Mariæ, quia illa à Spiritus sancti dictamine profert.* Psal.44. Richard.

Inibi Richardus septem Mariæ verba, vt eius vocem commendet retulit ad memoriam. In eis quidem vocis huius miram dulcedinem experieris, quæ sponsum Deum allicit, vt expetat sæpè illam audire. *Commendantur,* ait, *septem Virginis verba à Spiritus sancti dictamine. Vnde ipsa videtur cum Psalmista dicere Psal.44. Lingua mea calamus scribæ. Scriba hic est Spiritus sanctus. Quasi diceret Virgo: Quod loquor, à me ipsa non loquor, sed à Spiritu sancto. Nam sicut manus scribæ mouet calamum. Sic Spiritus sanctus mouet linguam meam. Et illud* 2.Reg.23. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.* Si autem tantam Spiritus sanctus dulcedinem fouet, vt ab Ecclesia dulcis hospes animæ, dulce refrigerium appelletur: quid mirum Mariæ vocem tam dulciter insonare, vt ipse sponsus inclamet: *Vox tua dulcis.*

2.Reg 23.

Primum verbum Mariæ diffluit Spiritus sapientiæ dulcedine. Luc. 1. Richard. Glossa.

Primum igitur verbum Mariæ (pergit Richardus) *fuit illud: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Luc.1. *Id est, nunquam cognoscere, proposui. Et hoc verbum dictauit ei dulcissimus Spiritus sapientiæ, qui eam repleuerat. Glossa, Faciendum credit, quâ quomodo fiet quærit. Non enim dubitat virginem parituram; quia legerat Isa.7. Ecce Virgo concipiet, & pariet; sed quomodo fieret non legerat.* Primum itaque verbum Mariæ Spiritus sapientiæ diffluit dulcedine.

216. *Secundum Mariæ verbum Spiritus timoris dulcissimum fauum stillat.* Luc 1. Richard.

Secundum verbum fuit, quando intellecto, quod posset concipere & parere manens virgo, respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc.1. *Ecce verbum spiritus timoris, qui collectaneus est humilitatis. Et in hoc verbo notatur prompta obedientia, prompta deuotio, prompta fides, promptus consensus. Vnde dicit: Ecce. Notatur humilitas: vnde Ancilla. Notatur religiosa discretio: vnde Domini, non carnis, non mundi, non diaboli. Notatur fides, spes, charitas: vnde Fiat mihi secundum verbum tuum.* O quàm dulcis, vocis Marianæ fauus mellis, quem tot virtutum floribus confectum Virgo Deo apis prælibat!

217. *Tertium Mariæ verbum Spiritus intellectus dulcedinē parit.* Richard. Luc.2.

Tertium verbum fuit, quando salutauit Elizabeth, congratulans ei de dono, quod eam recepisse didicerat. Ecce verbum spiritus intellectus; ad cuius prolationem intellexit Elizabeth, Mariam Dominum suum concepisse; vnde dixit: Et vnde hoc mihi, vt Mater Domini mei veniat ad me? Ad eius etiam salutationem intellexit Ioannes clausus in vtero Dominum suum clausum, & pro modulo suo gauisus est in occursum eius. O quàm suauis vox, quæ in vteri pressum angustiis procedere, & salire fecit infantem?

218. *Quartum Mariæ verbum Spiritus fortitudinis habet intellectum omnino.* Luc.2. Richard.

Quartum (pergit ille) *verbum fuit, quando coram Elisabeth Maria dixit: Magnificat anima mea Dominum: quando scilicet magnificante Mariam Elisabeth, ipsa magis Dominum magnificare curauit. Et hoc verbum fuit spiritus fortitudinis. Quo docemur eius magnificare potentiam, Vnde dixit Virgo: Quia fecit mihi magna qui potens est.* Luc.2. An in veteri ac nouo Testamento est canticum dulcius aut voce dulciori prolatum?

219. *Quintum Mariæ verbum Spiritus pietatis dulcorem effundit.* Ioan.2. Richard.

Quintum verbum protulit Deipara in Chanæ nuptiis, quando deficiente mero Filio suggessit, *Vinum non habent.* Ioan.2. *Ecce verbum Spiritus pietatis, charitatis, & compassionis. Hic etiam sermo certissimus index ingenitæ sibi mansuetudinis fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, nec dissimulare vini defectum.* Dulce admodum vinum illud, quod Architriclinus bonum esse testatur; sed dulcior planè vox pietatis Deiparæ adeò potens, vt quodammodo Christum cogeret, vt tempus, seu horam excitandi miracula maturaret.

220. *Sextum Mariæ verbum* Spiritus consilij *dulcem reddit saporem.* Ioan.2. Richard.

Sextum verbum fuit, quandò dixit ministris: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Ioan.2. *Ecce verbum Spiritus consilij. In quo docemur, ad diuinæ voluntatis impletionem alios, quantum possumus, inuitare. Hoc est enim consilium sanctorum. Sicut dicit Glossa ibi. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum.* Psal.88.

221. *Septimum Mariæ verbū* Spiritus timoris Domini *filialis suauitatem canuntiat.* Ioan.2. Richard.

Denique *septimum verbum Mariæ fuit, quando dixit Filio* Luc.2. *Fili, quid fecisti nobis sic? vt remaneres, nobis ignorantibus? Ecce ego, & pater tuus dolentes de absentia tua quærebamus te. Sed heu multi hodie plus dolent de amissione denarij, quàm de amissione Iesu: quod patet ex eo, quòd ipsum amissum per peccatum, per dolorem pœnitentiæ non requirunt. Ecce verbum Spiritus timoris Domini* filialis. *Docemur enim, delinquentes filios corripere, cum Maria corripuerit etiam non delinquentem.* Sed quanta mansuetudinis, & amoris dulcedine? Concludit Richardus. *Propter huiusmodi verba, quæ Christus libenter auscultat, dicit ipse Matri: sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.*

222. *Maria labiū est, dulcissimè sonans Dei auribus, cum pro peccatoribus intercedit.* Exod.30. Soph 3. Richard.

Verùm lib.9. idem Richardus vocis Mariæ dulcedinem pulchrius adhuc expressit, ponderans illud Exod. 30. *Facies* (ait Deus Mosi.) *labium æneum ad lauandum cum basi sua. Benè Maria labium Ecclesiæ, quia in labiis eius diffusa est gratia. Hoc labium nobis loquitur verba vitæ, & pro nobis loquitur bonum in Dei conspectu. Et ipsa est labium electum nobis promissum* Soph. 3. *Reddam populis meis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini. Labium istud Maria pro quo nobis dato à Deo debemus nomen Domini inuocare. Hoc autem labium* (à Mose perfectum) *fuit æneum, quia æs imputribile, & sonorum: & ipsa sine vitiorum putredine est sonora* in precibus. Cui Filius dicit Cant.2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, cum pro peccatoribus interpellas.

Verſ. XVI.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; nam vinea noſtra floruit.

223. *Maria cũctas hæreſes, ſeu omnes hæreticos veluti vulpes cepit, & interemit.* Ignat. Origen.

CErtum eſt hæreticos per vulpes ſignificari. D. Ignatius epiſt. ad Philadelphienſ. ait: *Quiſquis ſententiam ſequitur aliam, quam Epiſcopus ſuus Catholicus, eum non eſſe* aſſero Chriſti, nec paſſionis eius participem, ſed vulpem, & vineæ Chriſti corruptorem. Orig. hîc hom. 4. *Vulpes peruerſos Doctores, & hæreticorum dogmatum poſſumus intelligere; qui per argumentorum calliditatem ſeducunt corda innocentium; & vineam Domini exterminant in fide recta.* Statim quidé principio vernantis Eccleſiæ Catholicæ natæ fuere multæ hæreſes, & ſchiſmata, Nicolaïtarum, Simonianorũ, Ebionitarum, Menandrianorum, Chorinthianorum, Doſitheorum, & ſimilia. Poſtea ſingulis ſæculis aliquæ hæreſes exortæ. Longum foret per cunctas ætates diſcurrere. Attamẽ Dei prouidentia electæ vineæ ſuæ dedit Mariam, vineæ, ſeu vinearum, omnium ſcilicet Eccleſiarum, quæ vnam Eccleſiam conſtituunt, cuſtodem, quæ vulpes caperet, & occideret, vti canit Eccleſia: *Cunctas hæreſes tu ſola interemiſti in vniuerſo mundo.* Quonam modo quæſo, Maria Sola potuit cunctas hæreſes interimere? Certè quia, cum poſita fuiſſet cuſtos in vineis iuxta illud: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis,* Cant. 1. Sua interceſſione à Deo obtinuit, vt ei cunctis temporibus addicerentur viri, quibus ipſa profatur: *Capite vulpes, quæ vineas demoliuntur.* Naſcentis Eccleſiæ temporibus. Apoſtoli, & eorum Diſcipuli ſic in capiendis hiſce vulpibus laborarunt, vt non diu poſt, vix illarum reliquiæ ſupereſſent. Poſtmodum aliæ non minus noxiæ vulpes in vineas irruerunt, Arrianæ, Macedonianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ, Monothelitæ, Seuerianæ, Iconoclaſtæ, &c. Sed ſtatim Mariæ vinearum cuſtodi dati à Deo fuere venatores harum vulpium innumeri. Conſidera poſt Berengarium vulpem admodum noxiam, quam celeriter ad eius capturam Deus immiſit Algerum, Lanfrancum, Paſchaſium: conſidera Albigenſes vulpeculas: non-ne tum ſuſcitauit Deus Dominicum, & Franciſcum? Conſidera Lutherum, & Caluinum, non quidem *paruulos*, ſed magnas vulpes: num non Maria in Montiſſerrati Templo pro materiali gladio quem eius altari P. N. D. Ignatius, ei verbi Dei & igneum cæleſtem ſpiritum reddidit, vt nouis monſtris nouus venator opponeretur, qui non ſolum vulpes has caperet, ſed & occideret? Profectò cum militum ſtrenuorum victoriæ Imperatori tribuuntur: Sunamitis fortiſſima, *cunctas hæreſes tu ſola interemiſti in vniuerſo mundo.*

Vſa eſt Maria ad cunctas hæreſes interimendas Sanctorũ Doctorum miniſterio, vti Imperatrix exercitus Catholici: vnde ei ſoli victoria tribuitur.

224. *Ex immaculata Maria virginitate vera fidei habet exordium.* Alan. Honor.

Porrò Alanus per vulpes etiam intelligit hæreticos, qui Chriſti Diuinitati, & Mariæ virginitati detrahunt. Conſonat pulchra honoris expoſitio profantis, *Vulpeculæ ſunt hæretici, qui demoliuntur vineas, id eſt, inficiunt ſimplicium Eccleſias dicentes: ſi Virgo peperit, phantaſma fuit. Hi quaſi rete cum tali ſyllogiſmo concluduntur: Deus omnia, quæ vult, poteſt: ſed voluit homo ex Virgine naſci: Igitur quod Virgo genuit, Deus & Homo fuit. Nam vinea noſtra floruit, quia Maria* florens virginitate *Chriſtum* floridum fructum *protulit.* Igitur demolitur omnes Eccleſiæ vineas, qui non profitetur Mariam virginem concepiſſe, & peperiſſe mundo Saluatorem. Ex immaculata enim Deiparæ virginitate noſtræ fidei puritas cepit exordium.

225. *Sæculi ſapiẽtes per Mariæ interceſſionem in Eccleſia Doctores fuere conuerſi.* Guillelm.

Guillelmus verò per vulpeculas intelligit ſæculi ſapientes, & oſtendit, quo illos modo Apoſtoli ceperint. Aſſumpta itaque in cœlum Dei genitrice, introducit Salomon ſponſum Chriſtum ſodalibus ſuis Apoſtolis in hanc ſententiam loquentem: *Non ſit vobis moleſtum, quòd iam Matrem meam à vobis abſtulerim. Sat iam vos eruditi eſtis per Spiritum ſanctum, & per eam. Capite nobis Euangelij retibus vulpes paruulas, prædicate, me natum ex Virgine Matrem virginitatem conſeruaſſe. Ad hoc elegi vos columbas, vt per vos capiam vulpes. Capite illas, quia in illis capietis multos ad vitam, qui per illos ad mortem capiendi erant. Eo quod ſapientes ſunt, vulpes ſunt: ſed ideò paruulæ, quia mundi ſunt ſapientes. Sapientia enim mundi ſtultitia eſt apud Deum.* 1. Cor. 3. *Hæ capiendæ ſunt, non occidendæ.* Vides totam hîc curam ſponſi cœleſtis eſſe, vt perpetuæ Mariæ virginitatis veritas adſtruatur; quaſi ea tota fidei Catholicæ firmitas innitatur.

226. *Cõtinuas preces fundit Maria, vt peccatores capiantur ad Deum, ſed non occidantur.* Guillelm.

Preme quæſo, illud Guillelmi verbum: *Hæ capiendæ ſunt non occidendæ.* Non enim dicit ſponſus: *Occidite vulpes*, ſed *capite.* Si vulpes ſunt adeò vineis noxiæ, quare non occidendæ? Certè quia dixit Chriſtus, *Capite nobis*, id eſt mihi; & Matri meæ, *quam à vobis abſtuli.* Ipſa enim continuas preces effundit, vt peccatores capiantur quidem, ſed non occidantur: ſed potiùs conuertantur, & viuant. Bellè admodum addit Guillelm. *Sæcularis prudentia in iis, qui ad pietatem conuertuntur, non eſt deſtruenda, ſed captiuanda, hoc eſt, Sacræ ſapientiæ ſubiicienda, & eius cancellis includenda; deſtructis vtique conſiliis malis, quæ ex acumine illo manabant.* Certè Chriſtus, & Maria, qui vno hic ore loquuntur, *Capite nobis vulpes.* Referens ad memoriam illud Samſonis facinus, de quo Iudic. 15. perſpicuè intelliges Chriſtum, & Mariam in illo ſignari. Trecentas hi vulpes ceperunt, ſeu infinitos mundi ſapientes, qui prius virginitatem Matris puriſſimæ pertinaciter impugnabant. Non deſtruxere eorum ſingularem ſapientiam, ſed meliorem reddidere, eam fidei veræ funibus reuincientes. Coniunxerunt enim caudas earum, poſuerunt in eis faces charitatis, vt qui anteacta vita ſua (hoc eſt, quaſi capite, & facie) rebelles diſſenſerant; ſaltem caudas ſuas, hoc eſt, nouiſſima ſua pari voto in holocauſtum ſuauiſſimum Domino offerrent. Nam hûc illucque diſcurrentes caudarum ſuarum igne ſuccenderunt Philiſtinorum ſegetes, qui paulò antè ignem naribus ad concremandas Iſraëlitarum ſegetes efflauerant. Sanè quantum huiuſmodi ſapientes Eccleſiæ ex Mariæ vinearum cuſtodis interceſſione, & diuina miſeratione ad pietatem conuerſi profuerint, ſciunt, qui Cyprianos, Arnobios, Auguſtinos, Athenagoras, cæteroſque tales legerint: quantum etiam zelo, & ſtudio domus Dei exarſerint: quantumque fidei aduerſariis diſ-

Maria vulpes noxias inſtar Samſonis, in vineæ cuſtodes mutauit. Iud. 15.

curſione

cursione sua nocuerint, satis est annalibus sacris expressum.

227. *Qui motibus libidinis agitatur, ad Mariam accurrat castitatem eius intercessione accepturus.* Richard.

Richardus de S. Laurent. lib. 8. de laudib. Virg. per vulpes intelligit motus libidinis, qui vineas Domini Sabaoth demoliuntur. Vt autem vinea, seu anima fidelis à tam noxiis vulpibus liberetur, asserit vtile admodum esse remedium in Deiparæ vineæ florentis puritate affectum. *Ipsa enim præcipit Angelis: Capite vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: vinea enim nostra floruit*, id est, ego puritatis floribus ornor, cui debent alumni mei assimilari. Ad huius confirmationem vtitur pius Doctor versiculo illo Psalm. 136. *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos,* (*id est*, ait, *motus hosce libidinis*) *ad petram. Ad petram* scilicet, *id est, ad Mariam, inuocando fideliter auxilium huius petræ. Ipsius enim adiutorio conteritur caput serpentis, id est, initium immundæ suggestionis.* Addit, *sentiens B. Benedictus carnis suæ stimulos vehementer insurgere contra animam, proiecit se in vepres, & in eis diutiùs volutatus, per vulnus cutis vulnus mentis sanauit D. Gregorio Auctore.* O tu qui huiusmodi motibus agitaris, ad meliorem *rubum* accurre, nempe ad Mariam virginitatis luce flagrantem iuxta illud Ecclesiæ. *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem.* Rubus est, sed spinas, seu aculeos non habet; vnde sine vulnere castus exsurges.

Psal. 136.

228. *Deus & Angeli sūt vineæ florentis Mariæ diligentissimi cust des.* Isaïæ. 27. Cant. 8. Richard.

Idem Richardus lib. 12. profatur. *Maria est florens vinea diligentissimè seruata à Deo, qui dicit de ea sub vineæ appellatione: Nocte ac die seruo eam.* Isa. 27. *Seruatur etiam ab Angelis. Vnde* Cant. 8. *Vinea fuit pacifico, tradidit eam custodibus. Præcipui verò custodes Marianæ vineæ fuerunt Gabriël, & Ioannes,* (adeò purus, vt inter Angelos valeat annumerari.) *Et nota, quod vinea destruitur per demolitionem vulpecularum, id est, primorum motuum furtiuè irrumpentium. Vnde* Cant. 2. *Capite nobis vulpes, quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra, id est Maria, virginitate floruit.* Ab hoc incommodo præseruata est Virgo per fomitis *extinctionem*.

229. *Quidquid ad Mariæ honorē & gloriam pertinet, id ad beatissimæ Trinitatis honorem & gloriam pertinere quis dubitet?* Bernard. Origen.

Capite nobis. Hæc verba crediderim expressa esse à tota beatissima Trinitate: sicut & Genesis vox illa pluraliter dicta. *Faciamus.* Quia id, quod per hæc verba *capite nobis vulpes*, in gloriam maximam exundat ipsius Trinitatis. Quidquid enim pertinet ad Mariæ gloriam, id beatissima Trinitas sibi singularissimè interesse signare videtur. Vnde D. Bernardus dixit. Vide quàm *socialiter loquitur Deus: Capite nobis*, cum posset dicere: *Capite illi vulpes.* Dixit *nobis*, quia Mariam Deus vt sociam, vt sui planè honoris, ac gloriæ participem. Origenes. *Capite nobis vulpes. Nobis, id est, mihi, sponsæque simul.* Quia omnis honor Matris Mariæ, in Deum Filium exundare, quis dubitet?

Vers. XVII.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere; similis esto dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum super montes Bethel.

230. *Tot gratiis, & priuilegiis fuit Maria ornata, queis decuit ornari, quæ à tota Trinitate fuit in Dei & hominis Matrē electa.*

Dilectus meus mihi, & ego illi.] Id est, Christus *mihi* à beatissima Trinitate datus est in Filium: & ego ab eadem illi sum in Matrem electa. Omnis possibilis proportio inter matrem, & filium est inter me & Christum Deum & hominem. Ergò tot priuilegiis, tot gratiis, tot meritis, tot virtutibus sum ornata, queis necessum fuit esse præditam eam, quæ in Christi Dei & hominis Matrem à tota fuit beatissima Trinitate electa. D. Bonauentura specul. cap. 10. hinc sic arguit. *Ipsa est Mater, quam maiorem Deus facere non posset. Maiorem mundum facere posset Deus, & maius cœlum: maiorem matrem, quam Matrem Dei non posset Deus facere.* D. Bernardus hom. 2. super *Missus est. Nec enim decebat Deum alia Mater, quàm Virgo Maria: neque Virginem alius Filius, quàm Deus; neque maior inter filios, neque maior inter matres nasci potuit.* Et serm. 2. de Assumpt. *Neque enim filius alius Virginem* Matrem: *neque Deum decuit alius partus.*

Bonauent.

Bernard.

231. *Mira proportio inter Deū Filium & Matrem Mariam. Quidquid Christus est, id quodāmodo ac Mariæ prædicatur.*

Dilectus meus mihi, & ego illi. Mira est inter sponsum & dilectam; inter Filium, & Matrem consonantia. Quidquid Filius meus per naturam habet, ego per gratiam ex eo me habere profiteor, *dilectus meus mihi* exemplar obiicit: *& ego illi* cœlestium earum perfectionum imaginem reddo. Vulgariter exponam. *Ofrezco vna copia de aquel diuino Original.* Ille est Angelorum Rex? Ego cœlestium spirituum Regina. Ille hominum redemptor? Ego corredemptrix appellor. Ille gratiæ parens? Ego gratiæ Mater nominor ab Ecclesia. Ille ianua cœli? Ego paradisi porta. Mutua inter nos est idiomatum communicatio, sicut & naturæ participatio. Ego illi naturam humanam communicaui: ille mihi omnes gratiæ thesauros præstitit. *Ille speciosus præ filiis hominum: ego pulcherrima mulierum.* Ille electus ex millibus, ego electa & prælecta ex omnium hominum massa, vt Mater Dei fierem. D. Bernardus huc applaudens expositioni serm. de laudib. Mariæ, ait: *Ille desiderium collium æternorum, ego desiderium Angelorum, & hominum.* Et Richardus de S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virg. pulchrè ait. *Propter hanc conuenientiam, & multiplicem similitudinem inter Christum & Mariam: ferè omnia, quæ dicuntur de Christo, exponi de maria possunt, & eis eadem attribuuntur.*

Bernard.

Richard.

Vt autem Richardus hanc confirmaret sententiam, vsus est inibi hisce Cant. 2. verbis. *Dilectus meus mihi, & ego illi. In verbis istis notatur Christi societas ad Mariam, quam habuit similiter Maria in summo creaturæ. Est enim triplex societas, vna carnalis sponsæ ad sponsam: Alia naturalis matris ad filium. Tertia spiritualis creaturæ ad Deum. Prima magna,*

 quid

quia ibi ſunt duo in carne vna. 1. Cor. 6. *Secunda maior, quia ſunt duo ex carne vna; caro enim matris & caro filij vna caro. Tertia maxima; quia qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt*
1. Cor. 6. *cum eo.* 1. Cor. 6. *Et hoc per gratiam. Maria igitur dicta eſt gratia plena: & propter hanc tam vehementem vnionem ſui ad Deum per gratiam, dicit ipſa; dilectus meus mihi, & ego illi: Meritò ergo ſocietas B. Virginis ad Deum ſumma eſt, quæ omnes iſtas complectitur.*

233. *Quatuor inter Christum & Mariam vniones.* Richard. Id magis idem Doctor roborat, quatuor inter Deum & Mariam vniones diſtinguens. *Quæ maximè*, inquit, *vnum faciunt. Prima eſt Dei ad animam, & eſt ſpiritualis. De qua.* 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. Secunda eſt perſonalis, & eſt Verbi, ſeu diuinæ ſapientiæ ad corpus. Quamuis enim Mariæ non coniungeretur in vnitate perſonæ diuina ſapientia, tamen portionem eius carnis in vnitatem perſonæ ſibi diuina ſapientia ſociauit. Tertia vnio eſt naturalis, ſcilicet arboris ad fructum: matris ad filium; ipſa enim fuit arbor, Chriſtus fructus. Quarta eſt ſacramentalis, id eſt, per coniunctionem inter diuinam naturam & humanam: & hoc in vtero Virginis. Matrimonium enim conſiſtit in duobus; in mutuo conſenſu, qui ibi fuit, quando Virgo reſpondit; Fiat mihi ſecundum verbum tuum,* Luc. 1. *Et in coniunctione naturæ diuinæ, & humanæ, quæ ibi fuit. Et Verbum caro factum eſt.* Ioan. 1. *Et tunc fuerunt diuina ſapientia & B. Virgo vnus ſpiritus, & vna caro. Vnde*
Gen. 2. Gen. 2. *Erunt duo (id eſt Chriſtus & Maria) in carne vna.* Poteſt ne maior ſimilitudo, maior ſocietas inter Chriſtum Deum & hominem & Mariam excogitari.

234. *Sic Maria à Deo æſtimatur, ac ſi nihil aliud æſtimabile in creatis adeſſet.* *Dilectus mihi, & ego illi.* Ita Maria à Deo æſtimatur, ac ſi nihil aliud ei æſtimabile eſſet in creatis: & ita Deus æſtimatur à Maria, vt ei ſoli ſit addicta, nihilque ei vel in ordine ad ipſum illi eſſe poſſit amabile, *dilectus meus mihi* ſoli: *Ego* ſoli dilectæ. Ac ſi nihil ſit amabile Deo, niſi Maria: nihil ſit Mariæ amabile, niſi Deus. Scitis, quàm ſit Angelorum numerus ingens, Archangelorum, Principatuum, Poteſtatum, Dominationum, Virtutum, Thronorum, Seraphinorum, Cherubinorum: eorum dona, gratias, merita, ſcientiam, charitatem ex eorum officiis colligitis. Agnoſcitis, quàm magna ſit ſanctorum hominum multitudo, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum. Colligite in vnum omnium Angelorum & hominum merita.
Sic Maria Deum dilexit, ac ſi nihil amabile eſſet in creaturis. Bernard. At reſpectu Mariæ ſunt, ac ſi non eſſent, ita à Deo æſtimantur, ac ſi Diuus alius non adeſſet in mundo. Quidni & Maria Deum æſtimaſſet, ac ſi nihil aliud æſtimabile in creatis adeſſet? D. Bernardus ſerm. de aquæductu: *An non lucta dilectus meus eſt mihi, & ego illi?* Ac ſi diceret: Genus quoddam luctæ & æmulationis hæc verba ſapiunt. Decertamus (inquit Maria) *Deus & ego.* Ego in Deum diligendo, ac ſi nihil aliud in mundo eſſet amabile: & Deus in diligendo me, & honorando, ac ſi reſpectu mei nil eſſet ei in natura rerum amabile.

235. *Ita Deus Mariæ & Maria Dei, vt ſub nulla alia relatione debeat conſiderari, niſi vt dilectus Mariæ, & Dei dilecta, quodammodo.* Aliter *dilectus meus mihi, & ego illi.* Ita ſum tota Dei, & Deus mei totus, vt ſub nulla alia relatione quodammodò Deus erga me debeat conſiderari, niſi vt dilecti à me, & me diligentis. Laurentius Iuſtin. ſerm. de Annunc. *Talis profectò erat Maria, vt nulli vſui ſeruaretur, niſi diuino.* Fulbertus Carnot. ſerm. 3. de Nat. Mar. *Fœlix talis partus, & ortus, qui vt cenſemus, ad nihil aliud extitit, niſi vt fieret domus, & ſusceptio Filij Altiſſimi. Ad hoc ſolum effecta, vt eſſet Mater Dei.* D. Antoninus p. 4. ſumm. tract. 25. c. 32. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Taliter erat ſuum, quod non erat* quodammodo *alterius.*

Miror quidem, quòd Maria dans hoc loco priorem locum ſponſo Deo vrbana, & humilis. *Dilectus meus mihi, & ego illi,* inferius cap. 6. è conuerſo loquatur: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Certum eſt, ea vocabula, quæ priori loco collocantur, dum duarum perſonarum mentio agitur, ſuperioritatem innuere. Ideò Virgo dum Ieſum inueniſſet apud Ieroſolymæ templum ei dixit: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2. priorem locum ſponſo cedens, vt capiti. Vnde Ambroſius probat Chriſti cum Patre æqualitatem ex illis verbis: *Ego & Pater vnum ſumus. Nam ſi* (ait lib. 6. exam. cap. 7.) *Patrem præmiſiſſet; Pater & ego: tu minorem Filium indicares; ſed præmiſit Filium, quem non conuenit credi Patri inferiorem.* Cur igitur Maria ſe ante Deum illo cap. 6. nominat, quæ hic Deo locum priorem meritò adſcripſit? Crediderim, quia hîc nondum ſe quaſi actualem Dei Matrem introducit, & ideò priori loco ſponſum nominauit. Poſtmodum verò ſe Dei Matrem agnoſcens, priorem locum iure obtinens, dixit. *Ego dilecto meo*, quia vt homo voluit Matri ſubiici: Luc. 2.
Et erat ſubditus illis. Luc. 2.

Maria ſe priori loco nominat quando Chriſtus eum ſe eius matrē agnoſcit, in gloriam huius maternitatis. Cant. 6. Luc. 2. Ambroſ.

Dilectus meus mihi. Quantum ad humanam naturam meus dilectus ſolummodò fuit Filius meus; nec enim in terris Patrem habuit. Vnde teneor eum diligere vti Pater & Mater, & ipſe me vt Patrem & Matrem me diligere dignatur. D. Anſelmus lib. de excel. Virg. *Equidem omnes homines ex coniunctione maris & fœminæ procreantur & amorem ſuum vtrique perſonæ naturaliter debent, ipſumque ſimiliter amorem ſuum parentes ambo, qui eos genuerunt. Cùm autem amorem, quem mater, & pater ſinguli debent filio ſuo, debet hæc fideliſſima Mater Maria ſoli Filio ſuo: amorem etiam, quem debet quilibet filius ſimul ſuo patri, & matri, ille Filius verè Virgini ſuæ Matri debet. Nam alij filij naſcuntur ex patre & matre: at Filius eius ex ſola eſt Matre natus.* 236. *Maria Chriſtum vt pater & mater dilexit.* Anſelm.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Tam mutua aderat inter Deum & Mariam communicatio, vt Deus totus Mariæ eſſet, & Maria Dei tota, imò eſſent quidem anima vna. D. Bernardus ſerm. de laud. Virg. *Equidem poſtquam emiſit ſpiritum ſuum Ieſus, omnium quidem, ſed ſpecialiter tuus: tuam ipſius animam pertranſiuit gladius*, ſeu lancea. Ipſius enim anima es ô Virgo, pertranſiuit enim dolor *tuam animam*, quæ quidem eſt anima *ipſius.* 237. *Deus & Maria quaſi anima vna.* Bernard.

Et ego illi. Maria tota verbo, opere, cogitatione in Deo diligendo, eius gloria requirenda ſemper fuit addicta. Apoſtolus ait 1. Cor. 10. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid* 238. *Semper Maria fuit in Deo diligendo, & eius*

gloria promouenda, addicta verbo, opere, & cogitatione.
1. Cor. 10.
Antonin.

quidquam aliud agitis, omnia in Dei gloriam facite. An aliquis adeò est perfectione fulgens, vt id ad vnguem obseruet? Respondet D. Antoninus p. 4. tract. 15. cap. 20. *Frustra quidem hoc præciperetur, consuleretur, vel moneretur* à Paulo, *si nullus obseruaret. Sed nullus viatorum hoc fecit.* Pulchre autem infert: *Ergò Maria fecit. Vnde* (vti ex Odilone accepi.) *Pro certo scimus, quod omnis B. Mariæ actio, & cogitatio semper fuit Domino intenta.* Igitur & Deus vice versa totus erit in maiore Virginis gloria requirenda, ac promouenda intentus. Hinc Antoninus ibi cap. 24. asserit, ex Christi affectu gratitudinis in Virginem processisse, vt ipso inspirante, octo solemnitates in eius honorem, & totidem in honorem Virginis ab Ecclesia instituerentur. *Processio,* ait, *annuatim in honorem saluatoris in ascensione, in die palmarum, &c. & similiter ad honorem Mariæ in die Purificationis, Assumptionis, &c. Octo solemnitates Christi, alia octo Mariæ.*

Odilo.

Deus totus intentus in Maria amãda & eius maiori gloria promouenda.
Antonin.

239. *Impossibile est, explicare, quid Deus sit Mariæ, & quid sit Maria Deo.* Richard.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Quid verò sit Deus Mariæ, & quid Maria Deo, non indicatur. Quare precor? Audi ex Richardo de S. Laurent. lib. 5. de laud. Mar. *Dicit Maria: Dilectus meus mihi, & ego illi. Quid autem sit illi dilectus, quid illa dilecto, non dicit. Quia id tantum est, quod ad illud explicandum, verba deficiunt, & illud inscrutabile est viatori; quia credere præcipimur, discutere prohibemur, vt dicit B. Ambrosius.* Quid illustrius?

240. *Magna est Mariæ ancillæ gloria Deo ei obtemperare.* Richard.

Aliter idem Richardus inibi locum exponit. *Dilectus meus mihi subditus, id est obtemperans, sicut Filius matri: & ego illi obediens, & obtemperans, sicut filia patri, sicut ancilla Domino, sicut creatura creatori.* Magna Mariæ humilitas, cum esset Dei Mater, Deo ancillæ instar obtemperare: sed ineffabilis est ancillæ gloria Deum ipsum subditum impetrare.

241. *Maria ex maternitate quasi Deificata ostenditur.* Richard.

Adhuc ille. *Dilectus meus mihi, & ego illi, id est, ille ex me sola, & ego illum solum genui.* Vt innuatur maximum inter Deum & Mariam vnionis vinculum intercedere, ex quo Maria quodammodo Deificata ostenditur. *Non solum iam* (addit ille) *luminosa est effecta, sed tota est Deificata. Si enim qui adhæret Deo, (quod fit per dilectionem) vnus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6. *vnitate scilicet amoris, & gratiæ, quomodo non magis anima Mariæ, à qua nunquam recessit: & corpus, in quo nouem mensibus habitauit incarnata sapientia, Deificata sunt, & à Filio, qui ignis est, tota facta sunt ignita?* Id pulchro expendit exemplo ex nuptiis Chana Ioan. 2. *Sicut enim aqua in nuptiis conuersa est in vinum, vbi nec accessit vinum, nec recessit aqua: sed alterum factum est aliud, non successionis vice, sed immutationis origine: nec rationis expositione, sed admirationis obtentu; sic & Maria prius quasi aqua purissima, in Spiritus sancti superuentione, & Filij Dei conceptione, quasi conuersa est in vinum veluti Deitatis, super omnia post Christum lætificans cor hominis.* Nihil enim hominum alumnorum Mariæ iucundius, quàm eam tam similem Filio, tam Deificatam contemplari.

1. Cor. 6.

Ioan. 2.
Quasi tota Maria in Deum conuersa est in Christi conceptione.
Richard.

242. *Quia Maria Dei semper*

Idem lib. 4. *Dilectus meus mihi, vt meam humilitatem exaltaret, quia ego illi semper obediens instar ancillæ.* Talis enim humilitas talem infert exaltationem. *Paradisi porta per Euæ superbiam, (quæ obtemperare noluit) clausa est: & per Virginem iterum est patefacta. Eua superba, Maria humillima, illa cupida, hæc paupercula; Illa ergò humiliata: vnde sub viri potestate eris.* Genes. 3. *Hæc exaltata. Vnde* Cant. 2. *Dilectus meus mihi.*

obediens vti ancilla, Deus mirificè eius humilitatem exaltauit.
Richard.

Et ego illi. Richardus, *id est*, omninò addicta, seu *sancta.* Sanctum enim idem est, ac *Deo dicatum* iuxta illud: *Omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur,* Luc. 2. *Maria verò tota fuit Dei. Ideò dicitur, Dilectus meus mihi, & ego illi. Et ferè vbique in Canticis vocat eam Filius suam.* Itaque *Maria nullius nisi Dei. De huiusmodi sanctitate Virginis dicit B. Bernardus: Hæc est Ierusalem ciuitas sancta, quæ prærogatiua meritorum omnem transcendit creaturam ad euacuandam omnem potestatem inimici, quæ sola in vniuersa humana generationis linea dicere potest post Filium: Princeps huius mundi in me non habet quidquam* Ioan. 14. *Item* Ioël. 3. *Erit Ierusalem sancta, & alieni non intrabunt per eam.* Vnde verè inclamauit: *Et ego illi,* seu illius solummodo possessioni subiicior. 242.

Maria omninò Deo dicata.
Richard.

Bernard.

Rupertus autem sic sententiam exposuit: *Beatam me dicent omnes generationes, quia dilectus meus mihi, & ego illi. Quomodo enim ille mihi, & ego illi, nisi sicut per Prophetam dictum est. Ecce concipiet Virgo, & pariet filium,* & vocabitur nomen eius *Emmanuël? Ita enim ille mihi, & ego illi. Nec opus est, dicere verbis, quia mente potest melius percipi. Imò nec verbis exprimi, nec mente percipi potest comprehendi, siue æstimari, quale vel quantum hoc sit.* Attamen licet gloria Virginis ex maternitate haud valeat verbis æquari, imò & intellectu comprehendi: rectam regulam illam esse affirmarim circa Mariæ elogia. Vt quidquid recta ratio indicarit melius, illustrius, & augustius, hoc præconiis Virginis tribuamus. 243.

Quidquid recta ratio poterit gloriosius & augustius de Maria Dei matre excogitare ei tribuendum.
Rupert.

Philippus Abbas. *Quid sibi vult, quod cum de dilecto loquitur hic dilecta, eius hæc locutio videtur aliquantulum imperfecta, nec in ea plenior inuenitur, si non ad inueniendum, foris aliquid addatur? Dilectus meus mihi. Non aliud adiunxit: & quò illud incertius, eò conceditur cuilibet liberius inuenire, quidquid præsenti loco licenter conuenire videbitur. Præterea amor intemperans sua ipsius vix sufferens incentiua verba, non inuenit affectuum suorum plenius expressiua; & ideò inuenitur nonnunquam eius locutio suspensiua. Dilectus meus mihi, & ego illi. Ille inquam, dat mihi quod suum est, illi do ego quod sum; vt & mea sua sint, & sua mea: & sic nostra pariter habeamus.* 244.

Quid Deus dederit gratiæ & priuilegiorum Mariæ, nec ipsa quæ recepit potest explicare.
Philip.

Quæ Dei sunt, Mariæ sunt: quæ sunt Mariæ, sunt Dei.

Itaque Deus & Maria sibi inuicem dona largiuntur: sed Maria ab ipso Deo accipit, idem id, quod largitur. Audi Guillelmum Paruum. *Planè non ego prior dedi illi, sed ipse mihi; & ideò non dico. Ego dilecto meo, & ille mihi; sed dilectus meus mihi, & ego illi. Dedi quod prius acceperam. Quid enim habebam, quod ab eo non acceperim? Non ergò gloriabor, quasi non acceperim. Dilectus meus prior dedit mihi; & ego postea illi refudi. Accepit à me carnis substantiam, sed quam antea dederat.* 245.

Maria à Deo accepit quod ipsa Deo dat. Sed ingens in eius possessione pretium acquisiuit: siquidem id quasi [illegible] Deo reddit.
Guillelm.

dederat. Paui eum lacte meo, ſed quo ipſe vbera mea implebat. Officioſa fui, & hoc ipſe ancillæ præſtabat. Profectò id, quod à Deo Maria accepit magnum pretium in ſua poſſeſſione proculdubio acquiſiuit, ſiquidem rurſum potuit Deo quaſi nouum munus offerri.

246. *Maria quodammodo ad æqualitatem Deo ſoluit, quod debet: reddit totum, quod accipit.* Carthuſ.

Dionyſius Carthuſ. *Dilectus meus mihi, & ego illi, id eſt, ſponſus iſte ab omnibus ſanctis dilectus, ſed tanto ſpecialius mihi charus, quanto præ cæteris me in Matrem, & ſponſam ſingularem elegit.* Si ad menſuram beneficiorum, quæ Maria à Deo accepit vt digna eſſet eius Mater & ſponſa ſingularis, fuit eius erga Deum dilectio, omnino ineffabilem eſſe quis dubitet, ſi beneficium pluſquam eſt ineffabile? *Tantò ſpecialius mihi charus, quantò præ cæteris me in Matrem, & ſponſam ſingularem elegit.* Adiicit, *Hic inquam dilectus meus mihi familiariſſimè eſt intentus, cohærens, & innixus: & ego ſimiliter illi.* Ego *ſimiliter?* An Maria ad æqualitatem Deo ſoluit, quod debet? reddit, quod accipit? O ineffabile priuilegium!

Ineffabilis Mariæ erga Deum dilectio.

247. *Summæ Mariæ erga Deum dilectioni summus Dei erga eam, & quodammodo infinitus amor reſpondit.* Carthuſ.

Idem profatur cap. 7. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Locutiones vehementes amoroſæ, aut doloroſæ ſolent eſſe truncatæ, quoniam vehementia affectionis abrumpit, & præſcindit verba loquentis. Et ita eſt in his verbis. Ego dilecto meo totaliter ſum intenta, deuotiſſimè ei vacans, affectuoſiſſimè ei ſemper inhærens, ab eo excellentiſſimè ſum electa, ſingulariter prædilecta, familiariſſimè, & fructuoſiſſimè ei coniuncta, & facta ſum ei Mater, ſponſa, filia & ancilla, & Domina, quia ſubditus fuit mihi.* Tam ſummæ Virginis charitati quantus Dei amor reſpondit? *Dilectus meus mihi, id eſt, vnicè & ſummè me dilexit.* Ergo quodammodo fuit infinitè amata. Quia ſicut ſummus amor in creatura innuit omnem poſſibilem ei affectum æquare, ita ſummus amor in creatore quandam videtur infinitatem affectus arguere.

248. *Maioris æſtimationis apud Mariã quodammodo fuit, factam eſſe à Deo eius ancillã, quam Matrem, quam ſponſam, quam filiam.* Carthuſ.

Preme quæſo illam Dionyſij particulam: *Facta ſum ei Mater, ſponſa, filia, & ancilla.* Inter beneficia ab ſponſo Deo accepta annumerat factam ab eo fuiſſe ancillam, imò poſt *Matrem, ſponſam, filiam* hoc ſeruitutis vocabulum ancilla collocauit, vt innuat humillima Virgo maioris ſibi pretij & æſtimationis factam fuiſſe Dei ancillam, quam Matrem, quam ſponſam, quam filiam.

249. *Vt Ieſus à Maria paſci cuperet, & ei in coniugium hæreſcere, illectus fuit liliorum virginitatis eius fragrantia.* Cant. 2. Paulin.

Qui paſcitur inter lilia.] Nec enim Ieſus paſci à Deipara dignaretur, nec ſponſus eius inniteretur brachiis, niſi in ea (concluſo vtique horto) lilia virginitatis inueniret. Vnde vix dicat Maria hic verſ. 6. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* cum addit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Oſtendens ſponſi ſui amplexu virginitatem nutriri. D. Paulinus epiſt. 4. ad Seuer. *Ergò illum amemus, quem amare debitum eſt. Illum oſculemur, quem oſculari, caſtitas eſt. Illi copulemur, cui nupſiſſe, virginitas eſt.* O pulchrè! ô verè! Maria has nuptias terrenis prætulit. Chriſtus has nuptias amauit, immarceſcibilibus virginitatis Mariæ liliis illectus.

250. *Deo placent preces, & xenia, quæ ei per Mariæ manus offeruntur, quia in eis virginitatis lilia contemplatur.* Richard. Bernard.

Ait Richardus de S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg. Preces, & ſacrificia ſeruorum ſuorum, & maximè quæ ei exhibentur, Maria offert in conſpectu diuinæ Maieſtatis? An obtinet, quod precatur? Ita planè; nec enim potens habere repulſam. Quare precor? Certè quia in omnibus Mariæ actionibus & petitionibus virginitatis lilia Dominus contemplatur. Vnde ipſas Mariæ manus, per quas preces illæ Deo offeruntur, ſupponit beatiſſima Trinitas eſſe lilia virginitatis. Pulchram do D. Bernardi ſerm. de Aquæductu ſententiam. Verſans enim Pater hunc Canticorum verſiculum. *Qui paſcitur inter lilia,* inquit: Manus Mariæ quædam lilia candidiſſima ſunt. Nec cauſabitur *liliorum amator inter lilia non inuentum, quidquid inter manus Mariæ inuenerit.* Adiicit Richardus. *Non poſſunt igitur ſummæ Trinitati diſplicere xenia quæcumque manibus tam dignæ gerulæ committuntur.*

251. *Virgines alia ſequuntur Agnum quocumque ierit: Mariam agnus ſequitur liliorum virginitatis eius attractus.* Appoc. 14. Richard.

Idem lib. 1. aſſerit Chriſtum ſequutum eſſe Mariam, quocumque ierit ob odorem liliorum virginitatis eius voto obfirmatæ. *Dominus,* ait, *fuit cum Maria ſicut ſponſus cum ſponſa, ſicut filius cum matre, ſicut ſponſus, inquam cum ſponſa. Si enim Virgines ſponſæ ſunt agni, quomodo non Virgo virginum, quæ primo conſecrauit, & vouit virginitatem abſque omni præcepto conſilio, & exemplo? In laude aliarum virginum dicitur, quod ſequuntur agnum, quocumque ierit.* Apoc. 14. de Maria autem poteſt ſecurè dici, quod Agnus ſequebatur eam, quocumque iuit. *Vnde* Cant. 2. *Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Nam virginitatis Mariæ liliorum fragrantia eum vbicumque illa pergeret, attrahebat.

252. *Mariam virgines vti ducẽ virginitatis voto obfirmatæ ſequuntur. At etiam ſe Chriſti velut ducem Maria oſtendit.* Pſal. 44. Richard.

Canebat de Maria Dauid. *Adducentur Regi virgines poſt eam.* Pſalm. 44. Maria enim cunctis virginibus ducatum virginitatis voto obfirmatæ exhibuit. At dum video Agnum ſine macula Mariam ſequi, miror admodum. Videtur enim Chriſtus Mariam ſequi velle, vti Virginitatis ducem. Quid de liliis virgineis Deiparæ potuit illuſtrius excogitari? *De Maria poteſt ſecurè dici, quod Agnus ſequebatur eam, quocumque iuit.*

253. *Chriſtus Mariæ vberibus paſcebatur, ſed inter virginitatis eius lilia.* Richard.

Qui paſcitur Mariæ vberibus *inter* virginitatis eius lilia. Rurſus audi Richard. lib. 3. *Chriſtus ex Maria, & in Maria paſcebatur. Ex ea* quidem, *quia (vt ait Ambroſius, & canit Eccleſia) Paruóque lacte paſtus eſt. In ea autem,* ſiue inter lilia virginitatis, ſeu manus Mariæ ei vbera porrigentes. *Vnde* (adiicit ille) *ipſa* Cant. 2. *dicit: Qui paſcitur inter lilia, id eſt, inter manus Mariæ, ſicut D. Bernardus expoſuit.*

254. *Ad virgineam Mariæ menſam Deus ſuum Filium monet, vt deſcendat & ſpe.*

O ineffabiles huius virginalis menſæ deliciæ! De hac menſa (adhuc Richardus) videtur Pater dixiſſe Filio Eccli. 29. *Tranſi hoſpes, & orna menſam. Tranſi de ſinu meo in vterum* (& poſtea in vbera) *Mariæ, & orna menſam iſtam. Menſa eſt virginitas, quæ ſignificatur in liliis, inter quæ, ſeu in quibus Chriſtus paſtus eſt; quæ virginitatis ornauit fœcunditas, & mirabiliter decorauit.* An tam ineffabiles deliciæ in virginea Mariæ menſa liliorum, vt Dei Filius, vt eis frueretur peregrinationem inierit, & hoſpes ad illam acceſſerit?

Ineffabiles huius menſæ deliciæ.

255. *Maria Chriſto vt paſcatur duplicem offert virginitatem nam-*

Eodem lib. 3. hæc Richardus annectit: *Nouerat glorioſa Virgo diuinitus inſpirata, Dei Filium deſiderare virginitatem, in qua paſceretur. Vnde de ipſo dicitur Cant. 2.* Qui paſcitur inter lilia; & ideò vouit virginitatem,

te mentis & corporis. Richard.

tem;quasi hoc ipso diceret: Lilia desiderabat? Lilia ei exhibeo,id est duplicem virginitatem, scilicet, mentis, & corporis. *Quod notatur per hoc, quod dicitur: inter lilia.* Hoc quidem est, quod Apostolus dicit 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Nam cum dixisset, *Virginem*, subsistere noluit, sed *castam* subiunxit; vt innueret Christum sponsum duplicem virginitatem requirere mentis & corporis, nec vnam sine altera ei complacere.

256\. *Labore digitorum Mariæ Iesus pascitur inter virginitatis lilia.* Richard. Mat. 25.

Persequitur Richard. lib. 4. huius particulæ. *Qui pascitur inter lilia*, expositionem, asserens, Mariam sex misericordiæ opera Christo, qui fuit in vnum diues,& pauper, excellenter exhibuisse. *Vnde in iudicio* (ait ille) *poterit dicere ei Filius illud* Matth. 25. *Hospes eram & collegisti me, in virginalis vteri tui tabernaculo. Nudus fui, & cooperuisti me virgineæ carnis tuæ vestimento. Propterea comparatur Maria velleri Gedeonis, quæ lana sua, seu carne virginea Dei induit Agnum Filium: & dedisti mihi potum virginei lactis, quod ego solus bibi. In carcere eram, & venisti ad me. Tunc Christus fuit incarceratus, quando positus erat in sepulchro. Certum esse crediderim Virginem ad sepulchrum venisse, vt Filij sacerrimum corpus inuiseret.* D. Hieronym. *Quam impium erit sentire de Matre, vt quando cæteræ sanctæ mulieres tantam curam habuerunt de Dominica sepultura, ipsa se absentauerit. Absit. Infirmus eram, & visitasti me. Quod impletum est, quando Christus crucifigebatur, & ipsa stabat iuxta crucem.* Denique *Esuriui,& dedisti mihi manducare. Vnde Hieronymus dicit, quod cum acu, & colo acquirebat Maria, vnde se.& Filium pascebat. Ideo* Cant. 2. *dicitur, Qui pascitur inter lilia. Et hæc lilia interpretatur Bernardus B. Mariæ digitos.* Nec enim suauis esset Iesu digitis Deiparæ acquisitus, si in eis lilia virginitatis non contemplaretur. Colliges autem ex hoc discursu, Mariam non fuisse cœlesti gloria donatam, quia Deipara fuit, sed quia erga Iesum misericordiæ opera exercuit.

Maria gloria donatur, non quia Deipara, sed quia misericordiæ opera erga Christum exercuit. Richard. Hieron. Hieron.

257\. *Duplici virginitate carnis,& spiritus pascit Maria Agnum suũ.* Richard.

Diuitem planè se ostendit Richardus in huius versiculi expositione. Eodem enim lib. 4. scribit, *Maria prima absque omni humano præcepto, consilio, & exemplo, diuinitùs inspirata, votum emisit virginitatis, ad hoc vt Dei Filius in ea pasceretur, à tota Trinitate præparata. Vnde* Cant. 2. *dicit Maria de Filio: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Ac si diceret: Lilia desiderabat? Lilia ei exhibeo, id est, duplicem virginitatem carnis ac spiritus; quod notatur per hoc, quod dicit lilia in plurali, non vnicum tantum lilium.*

258\. *Christus à Virgine inuitatur, vt comedat eius virtutum lilia, & peccatorũ hædos sua manu virginea conditos.* Gen. 27. Richard.

Elegantem equidem lib. 4. subit ille excogitationem, asserens Deiparam suum inuitare Dilectum ad conuiuium, in quo ei duo suauissima fercula offert, nempe suam virginalem, ineffabilem quidem puritatem, & veram peccatorum sua intercessione pœnitentiam. Nec enim Mariæ charitas integra voluptate in conuiuio hoc potiretur, si hominum vtilitati simul non studeret. *Humilitas* (inquit) *Mariæ effudit orationem suam, vt vocaret, & adduceret sponsum ad conuiuium nobiscum in terris, qui cum Patre, & Angelis conuiuabatur in cœlis.* Duo fercula libentissimè comedit sponsus ille; quæ sunt omnino ea vitæ munditia. Hoc ferculum mensæ apponit Deipara. *Vnde illud*

Ant. de Escob.& Mendoz. in Cantic.

Cant. 2. ***Qui pascitur inter lilia*, vel *pascit lilia* (vti alij legunt) virtutum illius.** Alterum ferculum est vera pœnitentia. *De quo dixit Rebecca filio suo Iacobo. Adfer mihi duos hædos optimos: de quibus libenter vescitur* pater tuus. Genes. 27. Vescitur quidem libenter hœdis; seu peccatoribus, quando immaculatis Mariæ veræ Rebeccæ manibus præparantur.

Christus apis è florigero Angelorum mõte ad dulciores sibi Mariæ flores in nostram vallem aduolauit.

Pergit lib. 12. *Christus est apis mellis habens dulcedinem, & aculei punctionem.* Ad vallem nostram descendit è superis. *Et tanquam apis, pascitur inter lilia. Hoc est, Florigeram habitans patriam Angelorum, ad suaueolentem virginitatis florem in Incarnatione aduolauit: ibi insedit, ibi adhæsit.* Ergo Mariæ lilia fragrantiora, & dulciora Iesu api fuêre, siquidem Mariæ floribus adhæsit, quasi ad florigeram Angelorum patriam serò reuersurus. Quo autem fructu ad Mariæ flores descendit? Certè in superiora Angelorum florida prata, si melle iustos Angelos obtemperantes indulcauit, rebelles spiritus aculeo acri percussit. At ex florido Mariæ prato ad peccatores melleo quidem tota sine aculeo Diua apis aduenit. *Huius apis mel, & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei, & iudicium decantat, dulcis & rectus Dominus. Attamen ad nos veniens è dulcissimo liliorum Mariæ pasto, solùm mel attulit, & non aculeum, misericordiam non iudicium. Vnde persuadentibus quandoque Discipulis,* Luc. 9. *Vt ciuitatem, quæ eum suscipere noluit, præciperet igni consumi: respondit, se non venisse ad perdendum, sed ad saluandum.* Quod dulcissimo Mariæ pastui nos debere quis dubitet?

Apud Mariæ pratum Apis Christum nos melle indulcat, sed aculeo non vtitur.

259\. *Maria est lilium liliorũ, seu Angelorũ & Diuorum hominum, quæ pascit Christum, & quæ à Christo pascitur.* Guillelm. Mat. 6.

Denique Guillelmus eleganter Mariæ lilia describit, quibus Christus fuit pastus. *Superius petiit Maria à Filio, sibi indicari, vbi pasceret: Indica mihi, vbi pascas.* Cant. 1. *Nunc eum dicit, pasci inter lilia; nimirum dilectus pascitur inter lia, & pascitur in liliis, & pascit ipsa lilia, & vestit etiam lilia. Si namque lilia agri sic vestit, vt nec Salomon in omni gloria sua coopertus sit sicut vnum ex istis.* Matth. 6. *quanto magis lilia cœli. S. Angeli lilia cœli sunt; iusti, dum hîc degunt, lilia agri. Vtrique propter fragrantiam, & nitorem. Vtrobique Maria fuit, & est lilium liliorum: hîc iusta iustorum, & casta castorum: illic Regina, & Domina Angelorum.* At Christus, *vt pascit lilia, sic pascitur inter lilia illa, cum liliis. Pascit diuinitas eius, pascitur humanitas. Se Deo pascit se hominem: & secum pascit Angelos, & Matrem.*

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.] 260.

Semper exoptat Maria, vt vmbra mundi huius euanescente, sui alumni ad fœlicem æternitatem transferantur. Guillelm. Luc 17. Psal. 83.

Ad hæc verba Guillelm. *Donec aspiret, seu illucescat dies illa, de qua veritas Discipulis ait: Desiderabitis videre vnum diem Filij hominis.* Luc. 17. *& Propheta ad Dominum. Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* Psal. 83. *Super multa millia dierum nostrorum, qui apud nos fluunt, & in quibus defluimus, & sicut aqua dilabimur. Et quia hoc die aspirante, seu illucescente, mox tenebræ dissipabuntur, ideò subditur: & inclinentur vmbræ. Ecce tunc velum ab oculis multorum auferetur; tunc apparebunt, qui Deo grati sunt, qui iusti, qui fœlices: qui vero iniusti, & inuisi Deo. Mundi iudicia dumtaxat vmbram habent veritatis, sed hanc vmbram sol iustitiæ Christus luce sua coget euanescere, quando mundum iudicabit.* An-ne Deiparæ hæc conueniũt? Hæc planè. Dicit enim sponso: Pasce ô Domine lilia tua, Sanctos tuos, & pasci eorum virtutum Del-Rio.

floribus dignare, donec mundi hu… vmbra euaneſcente dies fœlicis æternitatis appareat. Pulchrè ad hæc Del-Rio noſter. *Placet hac tribuere B. Virgini: Donec aſpiret dies. &c. vt ex commemoratione diei illius vltimæ in deſiderium eius exardeſcenti (amor enim mora eſt impatiens) & iuſtos, electoſque ardentiſſimè Dei genitrix ſemper amauit, amatque inceſſanter: quare & eorum in cœlos transferri coloniam non ceſſat optare. Hoc deſiderium verbis his indicatur quibus orat Filium, vt aduentum hunc ſuum acceleret.*

261. *Maria ſemper fuit lucis filia vmbraticis mundi vanitatibus recedens vera in hoc Christi æmulatrix.*

Paſcitur quidem ſponſus, ſed inter lilia, non inſanientium mortalium vmbras ſectatur, nec inanibus, & ſola vanitate grauidis eius mens diſtenditur; lilia ab vmbris diſcriminat. Quem profectò illi imitantur, qui ſupera luce perfunduntur. Profectò Deipara dum liliis virtutum paſcit ſponſum, ipſa eius liliis ſimul paſcitur. Vnde lilia illa dulcedinis cœleſtis ſponſi ab vmbraticis mundi gaudiis diſcriminauit perfecta illius æmulatrix. Vnde ei congruunt, quæ de perfecta Dei ſponſa Greg. Nyſſen. hom. 5. ſcribit: *Qui nutriuntur per lilia, hoc eſt, quorum puro, & benè olenti nutrimento impinguatur anima, cum ab omni fallaci, & vmbroſa viſione eorum, in qua ſtudium multorum in hac vita confertur, ſe abduxerint, ad rerum veram aſpiciunt ſubſtantiam, effecti filij lucis, & diei.* (Nyſſen.)

262. *Maria continuò orauit pro ſalute Iudæorum eius Gentis reliquiarum.* Rupert. Iſai. 63.

Reuertere; ſimilis eſto dilecte mi capræ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether.] Vbi Rupert. *Quid erat hoc dicere, niſi orare pro ſalute reliquiarum gentis meæ? Numquid enim ego erga gentem meam minorem compaſſionem haberem, & charitatem, quam Prophetæ, & Apoſtoli?* Magna fuit erga gentem ſuam Prophetarum pietas. *Vnde inquit Iſaias c. 63. Quare errare nos feciſti Domine, de viis tuis indurasti cor noſtrum, nè timeremus te? Conuertere propter ſeruos tuos Tribus hæreditatis tuæ.* Nec minor fuit Apoſtolorum charitas erga contribules. *Ait Paulus* Rom. 9. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea, in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo.* Concludit Deipara. *Igitur & me non dubitetis, poſtulaſſe pro ſalute reliquiarum gentis meæ.*

Compaſſio Mariæ de Iudæorum clade vicit Prophetarũ, & Apoſtolorum compaſſionem.

263. *Superauit Mariæ triſtitia ex Iſraelis exidio Ionæ triſtem affectum.* Hieron. Ion. 4.

Age, recognoſcamus, num dolor Prophetæ Ionæ ex perditionis Iudæorum ſymbolo triſtitiam, & compaſſionem Virginis ex eorundem excidio ſuperarit? Iacebat olim ille ſub hederæ vmbraculo triſtitia & ita correptus, cui Deus: Putaſ-nè benè iraſceris tu? Ioan. 4. Hebraicè pro *Iratus* eſt חרה לך. *Charah lach,* id eſt, *Triſtatus es tu?* D. Hieronym. *Putaſ-nè benè contriſtatus es tu? Intelligens ſcilicet Iſraël eſſe periturum. Et rationabiliter ei dicit malè contriſtatus es, nè videretur reprehendere contriſtatum.* Maior profectò Virginis, quàm Ionæ erga populum ſuum amor fuit, maior ſollicitudo. Nam & ſub ſpiritus vmbra, & ſub Chriſti in cruce pendentis vmbraculo populi ſui excidium intelligebat, ſicut exareſcente hædera Ionas; dolebatque perire eum, à quo vitam hauxerat; dumque doleret, Deo populum commendabat. Quonam, ait, fructu? Egit quidem, vt plurimi conuerterentur, ac tandem vt reliquiæ Iſraël ſaluæ fierent. B. Brigitta ſic ad Mariam: *In hoc mundo,* ô Virgo, *Filius tuus multis annis te permanere permiſit, vt tunc per tua verba prudentiſſima, & opera ſanctiſſima innumerabiles Iudæos, & infideles Paganos ad Catholicam fidem conuerteret.* (Brigit.)

264. *Curabat Maria ſalutem Iudaici populi, à quo in Filio, & in ſe multis fuerat iniuriis affecta.*

An Maria populi ſui officiis erat obærata, vt tam anxiè dolens de illius clade, tam feruenter illius ſalutis negotium agere dignaretur? Minimè quidem: imò in Filio & in ſe innumeris erat iniuriis affecta; vnde eius ineffabilis charitas amplius elucescit. Virginis ſunt illæ querulæ voces Cant. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* De Iudæis conqueritur, à quibus in Ieſu paſſa eſt multa. Sed cur non de Gentilibus? An-non pugnauit contra eam Pilatus, qui Chriſtum condemnauit? Num non pugnauerunt milites, qui eum cruci affixêre? Quare ergo de eis non conqueritur Virgo, ſed tem ad ſynagogæ filios coërcet? Crediderim, quia maior offenſa eſt, quæ à propinquo, à magis noto, ab amico, & à maioribus beneficiis donato recipitur. Pulchrè ait Philippus Abbas. *Attendendum quòd cum aduerſus Virginem tam Gentiles ſæuiant, quam Iudæi, cum Pilatus agat, & milites, quod verbis expetunt Phariſæi; hic tamen vbi pugna ſpiritu Prophetali, nuptiali cantico recenſetur, ſuos tantum Virgo commemorat, exteriorum mentio non habetur. Filij, ait, matris meæ. Vt quid hoc, niſi quia recto iudicio plus moleſtat, qui cum deferre debuit, dehoneſtat: qui, cum in ſinu eius ſperanda fuerit requies, vt amici, quem fouere debuerat, tradit manibus inimici.* Hinc Deiparæ charitas ineffabilis oſtentatur, dum querelarum tam iuſtam cauſam obliuioni tradens, pro illorum ſalute anxia precatur. *Surge* ô Dilecte è ſepulchro, & qui iuſtè exurgere poteras vt taurus, vt leo Iudæos Deicidas exitialiter vulneraturus veni, veni ad eorum ſalutem vincens ſuper nouæ Eccleſiæ montem capreæ, hinnulique ceruorum velocitatem. Hiſce precibus præſtitit Virgo piiſſima, vt quidam bonæ notæ Auctor contemplatur, nè terra diduceretur, omneſque qui aderant Ieſu mortis acclamatores (ſicut in Dathan, & Abiron factum legimus) abſolueret, ac deglutiret.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululùm cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum mediâ charitate constrauit propter filias Ierusalem. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Vers. I.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

1. *Virgo, si hic Deum clarè non vidit, fuit vt per fidei exercitamēta amplius mereretur.* Guillelm.

IN *lectulo meo quæsiui.*] Non sufficiebat Mariæ ineffabili dilectioni potiri Christi humana præsentia, vehementer exoptabat eius frui Diuinitatis aspectu, & id in suomet sponsi cœlestis lecto, dum videt, illum in proprio lecto suo non inuenisse. Pulchrè de more Guillelmus ait. Quærebat Maria verbum in lecto suo, seu in sinu Patris, quia in *meo* inquit, *non inueni. Nam alium lectum Verbum habet apud Patrem, alium apud Matrem. Ille est æterni Patris sinus: & est magnus lectus: hic est temporalis Matris vterus, & est præ illo paruulus lectulus. In hoc lectulo quæsiuit illum, quia ibi latebat in homine Deus. Sed quoniam altè latebat, quæsiuit, & non inuenit. Quæsiuit per fidem; sed non inuenit per speciem, seu per claram visionem; sic enim tantum in magno illo lecto inuenitur.* Profectò si adhæreas eis Doctoribus, qui asserunt nec Deiparæ fuisse hic concessam claram diuinæ essentiæ visionem, &c. id Deum gessisse, vt Virgo magis ac magis ex fidei exercitamento mereretur. Quod Guillelmus innuit: *Quæsiuit per fidem.* At qui sentio cum his, qui concessam fuisse virgini dum viueret illam beatissimam visionem, dixerim, Patrem in præsenti non negare, aliquando eam illi per breues morulas fuisse concessam; sed ea non fruitam fuisse per modum status, quæ solum conceditur beatis in patria cum Deo in magno illo lecto sine intermissione discumbentibus.

Deū hic Maria aliquando clarè aspexit.

2. *In lectulo meo*, id est in vtero, vbi Christus nouem mensibus requieuit. An *lectulus*, & non *lectus* absolutè vocitandus vterus Christum Deum, & Hominem capax excipere? Lectus immensus poterat appellari Mariæ vterus ob immēsitatem habitatoris immensi, Patris sinus æmulator. At ineffabilis Mariæ humilitas eum non *lectum*, sed *lectulum*, esse recognoscens sine fictione ait: *In lectulo meo.* Annotauit id Guillelmus. *Nota humilitatem beatissimæ Mariæ suum purissimum vterum lectulum*, non lectum *vocantis.*

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic.

Mariæ humilitas suum vterum Dei capacem non lectum, sed lectulum vocantis. Guillelm.

Philippus Abbas in *lectulo* angustiam mentis Mariæ contemplatur, quæ nunquam nisi Dei capax fuit, nullum vnquam recepit alienum. Lectulus, inquit, hic, vt arbitror, dici potest angustia quædam mentis, in qua se ipsam colligit, & adstringit voluntas diligentis: cum scilicet ei, quem diligit, summo desiderio vult placere, ei solùm colloqui, & arctis eius amplexibus cohærere. Quo æstuans proposito, dum ab his sensibilibus resilire volens, carnis velut nescia, amore sponsi ebria, quem prægustat, vnus cum illo Spiritus breui *tanquam lectulo se angustat Virgo.* Itaque in quadam mentis angustia se recludens, nec præter eum, cum quo vnus est Spiritus, quemquam pariter introducens, ipsum, quem diligebat, in hoc apud se lectulo requisiuit.

3. *Ineffabilis Mariæ erga Deum amor, eum solum sua in mente, & voluntate admittentis.* Philip.

Dixerat Isaias c. 57. *Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum.* Hoc accidit sponsæ illi, quæ perfectioni studens, alium præter Deum animo fouet affectum; mentis lectulum pluribus amatoribus, vel amatis capacem efficiens. Aptè hæc Philippus Deiparæ accommodat. *Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum ait sermo Propheticus. Dilatauit cubile suum, qui mentem perditam foras fudit, suscipitque adulterum, cum peccati alicuius lenocinium introducit. Virgo verò fuit semper prædictæ nescia latitudinis.* Consonat Gillibertus hîc serm. 2. *Bona quidem hæc breuitas lectuli, quæ nescit nisi* dilectum

4. *Maria nesciuit aliū amorem, nisi Dei lecto cordis suscipere.* Isaiæ 57. Philip.

Gillibert.

dilectum suum, id est Christum suscipere. Cur enim non in bono coarctatio accipiatur, si dilatatio strati in opprobrium Isai. 57. *vertitur?* Anima ergò Deiparæ se solius Dei capacem recognouit, Dilectus meus mihi, & ego illi, nec capax est cordis lectulus, vt alium admittat.

5\. *Ineffabilis amoris affectu Maria absentem esse dicit eum, quē præsentem semper habebat.*

Profectò Deipara nunquam-non dilecti præsentia fruebatur, at ardentissimi amoris affectu, ei videbatur illum non possidere. Audi Rupert. *Quantò vicinior hic dilectus habetur, tantò vehementius desideratur. Qui habent, habere desiderant: qui vident, desiderant videre. Nam Angeli vident, & tamen, scriptura teste, desiderant eum prospicere.* Pulchrè admodum id Mariæ accommodat prosanti: *Ego eum non vtcumque habui, aut vidi eum; sed in vtero gestaui; & genui eum, & ei Mater lac prebui, & diligenter contemplata sum. Quid putatis quot noctes duxi, videndo, & audiendo eum? Non enim sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed totis noctibus in lectulo meo, in cubili meo, peruigil fruebar illo, & adorabam paruulum: audiebam, & adorabam iam adultum, cum intra dulcia colloquia per oculos suos, oculos corporis transfuderit mihi suæ Diuinitatis affectum. Ita tamen contemperans, vt tolerare possem, quem tremunt Angeli. Ita in lectulo meo habui eum; sed deinde contigit mihi, vt ibi non inuenirem eum. Dixit enim: Quid mihi & tibi mulier? Iam ex quo baptizatus est à Ioanne, in lectulo, siue cubili meo iam non inueniebam eum. Nam statim ductus est in desertum ab spiritu. Itaque desiderio quærebam, & non inueniebam eum, vt solitaria possiderem solitarium.* De duplici igitur Deiparæ absentia conqueritur: vnam gerit Christi in desertum recessus, alteram ineffabilis dilectionis affectus efformat.

1\. Pet. 1.

Ioan. 2.

Matth. 4.

Conqueritur Maria, quod Iesum ad desertum reducentem non in cubili inueniat.

6\. *Maria possidens semper Deum, inueniē semper eum quasi absentē quærebat, vt copiosiùs eum velut de nouo obtineret.*

Quæsiui quem diligit anima mea. Maria quidem, quæ cum dilectus semper commoratur, semper eum velut absentem quærit, vt semper miris profectibus, quasi de nouo obtineat. Dionysius Carthus. ait: *Cum sacratissima, & suauissima Virgo, quamvis maximè confirmata in gratia, tamen viatrix fuit, & incomparabili ardens dilectione excellentissimè quoque fuit proficiens omni die in vniuersis gratiæ charismatibus. (Nec enim vnigenitus & liberalissimus Filius tot guttas virginei lactis ex Deificatis suæ Matris vberibus suxit, quot illustrationibus, & sacris ardoribus electissimam eius animam adimpleuit) certum est, quod ipsa diuinissima, & spiritualissima Virgo in lectulo suo non solùm spirituali, videlicet tranquillissimi pectoris pace, sed etiam corporali dilectum suum præ cæteris cunctis ineffabiliter ardentius quæsiuit, intensissimè deprecando, sublimius contemplando, copiosius obtinendo.* Igitur quæ possidebat illum, intensius quærebat, vt quasi de nouo copiosius obtineret. Illa nomina in superlatiuo collocata attende quæso: *Sacratissima, suauissima, diuinissima, spiritualissima* Nihil enim de Maria exeogitari potest, quod in gradu superlatino collocari non debeat.

Carthus.

Tot Mariæ Iesus infundebat gratias, quot lactis guttulas ex eius vberibus sugebat.

Nihil de Maria potest excogitari, quod in gradu superlatino collocari non debeat.

Carthus.

7\. *Maria dolens Iesum in Tēplo remanentem quæsiuit.*

Idem Pater hæc verba: *Quæsiui, quem diligit anima mea*, triduo illi adaptat, quo Dei parens Filium apud Ierosolymam remanentem dolens requisiuit. *Hoc item (ait ille) superficialiter potest intelligi de triduo, in quo sanctissima Domina quæsiuit dilectum, cum ille duodecim existens annorum mansisset, ea ignorante, in Ierusalem, & in Templo, in quo post triduum reperit eum.* Cur si reperit eum, fatur: *Quæsiui, & non inueni?* Quæsiuit profectò, & quodammodo non inuenit eum. Quomodo namque inuentus, qui se Matrem agnoscere dissimulabat? Nonne dissimulauit primùm in ipso Templo, quando dixit: *Quid est, quòd me quærebatis?* & alium sibi Patrem, quam Mater dixerat, esse indicauit. Secundò in Galilææ nuptiis. Quando dixit: *Quid mihi & tibi est mulier?* Ioan. 2. Tertiò quando dixit in synagoga: *Quæ est Mater mea?* Matth. 12. An-non illud eum inuenire potiùs non inuenire fuit? Quæsiui eum, & non inueni.

Alium quærendi modum Alanus suggerit hisce verbis. *Lectus intelligitur sepulchrum in quo requieuit corpus Domini. Per noctes, id est, per multas tribulationes, quas de amarissima dilectissimi Filij passione sustinuerat, & potissimum in mortis Christi triduo, quæsiuit per desiderium quem diligebat anima sua. Quasi eum Propheta diceret: Quæsiui, qui simul contristaretur, & non fuit.* Psal. 68. *Hic igitur primò in lectulo quæsiuit, & non inuenit. Lectus est, in quo solent fessa diurna fatigatione corpora quiescere: per quem eleganter quies mentis designatur, in qua Deus est quærendus. Sed quia pro vita huius statu huiusmodi quies exigua est, & angusta: non in lecto, sed in lectulo dilectum quæsiuisse perhibetur.*

8\. *Triduo mortis Domini Maria illum quærens non inueniebat.*

Alan.

Psal. 68.

In mētis quiete Maria Deū requirit.

Addit Auctor, *Per lectum etiam non absurdè domus illa in arce Sion sita, in qua Christus cum Discipulis supremam cœnam celebrauit, significatur; in quam post Filij passionem gloriosa Virgo sese recepisse perhibetur, quærens per crebra suspiria, & sancta desideria quem diligebat anima sua, vbique loca illa venerabatur, venerandoque cordis osculabatur ore, in quibus dilectum Filium vel cum Discipulis accubuisse, vel in eorum pedum lotione fuisse prostratum, aut alicubi resedisse imaginari poterat. Sed quid per huiusmodi piæ deuotionis obsequia, quæris dilectum requirebat? Minimè inuenit, quia ex his consolationem non recepit.*

9\. *Quærebat Maria Christum in domo, vbi in vltima cœna vidit eum Discipulorum pedes abluentem.*

Alan.

Vera hæc sunt, sed alia his magis conuenientia. Nempe sensus eorum, qui existimant, hæc de natura diuina Filij potius accipienda. Honor. *In requie suæ contemplationis Maria in huius vitæ nocte dicit, quæsiuisse Filij Diuinitatem, sed non inuenisse, quia non potuit ad eius altitudinem pertingere.* Vberiùs Guillelmus, *Verba sunt piæ Matris adolescentulas adhuc carnaliter sapientes suo exemplo ad æmulationem spiritualium prouocantis. Neque enim ipsa contenta fuit Christum nosse secundum carnem, in Diuinitatem eius mente flagrabat: carnis eius faciem læta videbat, sed faciem Diuinitatis eius nihilominus cum hilaritate quærebat.*

10\. *Quærebat Maria hic Filij Diuinitatem.*

Honor.

Guillelm.

Quem diligit anima mea.] Hic Gillibertus Abbas hanc excitat quæstionem: *Quid sibi vult, quod Animam, non spiritum dicit? Et quidem nunquàm in toto hoc Cantico spiritum nominat, sed semper Animam. Anima mea liquefacta est: Anima mea conturbauit me: Quem diligit Anima mea.* Respondet. *Possumus conuenienter sicut in spiritu subtilem, & actualem intellectum, sic & in anima suauem, & teneriū affectum intelligere. Iure igitur optimo animam suam dili-*

11\. *Affectuosissimus Maria ergo Deum amor.*

Gillibert.

gere

gere sponsa dicit, exprimere volens intimam quãdam viuidam, & animatam affectionem. Qua quidem Maria nos edocet Deum esse quærendum. Aliter autem huic quæstioni possumus satisfacere. Maria in hoc nuptiali Cantico Deum quærit sponsum, non solùm vt pure Deum subtilem, & incorporeum; sed vt hominem futurum. Anima vero in hoc vocabulo dependentiam à corpore dicit, cuius est anima. At spiritus quid omnino quasi independens à carne exprimit. Vnde Angeli dicuntur *spiritus*, animæ minimè. Ideo igitur sponsa corporea, Dei hominis mater futura, non se spiritum nominat, sed animam, vt vel sic agnoscamus eam Deum incarnandum requirere: vel futuram esse aliquando Filij sui animam per affectum compassionis iuxta illud Simeonis vaticinium. *Tuam ipsius animam*, id est, animam tuam, quæ est anima ipsius *gladius* doloris *pertransiuit* Luc. 2.

Maria Dei quærebat, & expectabat Incarnationem, vt quasi anima Christi efficeretur.

Luc. 2.

Vers. II.

Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

12. RVpertus hanc sententiam accommodat Deiparæ perpetuæ Filij vel corporeo gressu sectatrici. *Surgam, & circuibo ciuitatem, &c. Dixi & feci sic. Cum enim circuiret Filius per ciuitates, & Castella prædicans Euangelium Regni Dei, ego sequebar, & quærebam eum. Quæsiui illum, & non inueni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem suam cognoscere quodammodo dissimulauit. Quodam enim die cum loquente eo ad turbas dixisset ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? Hoc modo me matrem suam agnoscere dissimulauit. Post hæc iuxta crucem eius steti. At num hoc fuit inuenire dilectum? Imo fuit mihi inuenisse gladium, qui & pertransiuit animam meam.* En etiam cum adest dilecto eum minimè inuenit.

Perpetua tesis fuit Maria corporeo gressu sectatrix. Rupert.

Etiam cum adesset illi, aliquando eum non inueniebat.

13. Honorius vero hinc meditatur Mariæ contemplationem circa perfectionem dilectissimi Filij, cui similis nullus Angelus ei meritò apparuit. *Surgam*, ait Maria, *corde ad cœlestia, & mente circuibo ciuitatem, id est, Angelorum agmina per vicos, & plateas, id est per Angelos, & Archangelos quæram Christum, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni vllum illorum similem illi.* Agnouit Virgo Angelos vicis, ac plateis assimilari, quia per Filij eius Incarnationem tam familiares sunt Angeli hominibus, quàm familiares & vsuales sunt vici, & plateæ inambulantibus. An non huiusmodi commercium Virgini illud *Fiat* proferenti debetur?

Maria contemplatio circa Christi perfectionem, cui nullus Angelus similis reperitur. Honor.

Maria debemus, Angelos nobis tam familiares esse.

14. Dionysius Carthus. persequens sensum Mariæ triduo illo quærentis Iesum apud Ierosolymam remanentem, adiicit: *Surgam manè de lecto, & circuibo ciuitatem Ierusalem; per vicos, & plateas eius quæram dilectum præsertim inter cognatos, & notos.* Sed inter eos eum *non inueni*, quia solum in iis, quæ ad Patris cœlestis præscriptum pertinent, occupatur.

Quærit Maria Iesum inter cognatos, nec inuenit. Luc. 2. Carthus.

Loco verborum illorum. *Per vicos, & plateas.* Pagninus legit: *Quæram per alta loca.* Chaldæus. *Ascendam super excelsos cœlos.* Profectò Maria non per loca infima Deum quærit, sed per eleuatissimos gratiarum, virtutumque vertices. 15.

Maria per eleuatissimos gratiarũ, & virtutum vertices Deũ quærit.

Porrò Richardus Laurent. lib. 11. de laud. Virg. aliò diuertit. Ait enim, hæc verba *Surgam*, & circuibo ciuitatem proferri ab anima fideli expetente Deum inuenire. Vnde circuire ciuitatem intendit, vt proculdubio inueniat. Quænam ais hæc ciuitas? Respondet ille. Ciuitas est Maria, *de cuius plateis dicitur.* Apoc. 21. *Platea ciuitatis aurum mundum. Platea dicitur à Græco πλάτος, quod est latitudo*, & designat latitudinem charitatis Mariæ, qua præsto est illos omnes liberaliter recipere, qui prius ambulabant per latam viam, quæ ducit ad perditionem. Mat. 7. Qui ergo curat diuertens ab exitialibus illis plateis Deum requirere, & salutis viam inire, ad Mariæ plateam accedat, circuit Virginis ciuitatem, & Deum inueniet apud illam commorantem. *Dicat ergo* (Richardus addit) *qui huiusmodi est desiderio, & re illud Cantici: Surgam & circuibo ciuitatem, id est Mariam per vicos, & plateas quærens, quem diligit anima mea, qui in Maria, & per Mariam inuenitur.* 16.

Maria est ciuitas in qua, & per quam Deus à peccatoribus est inueniendus. Apoc. 21. Richard.

Mat. 7.

Qui ergò vult Deum, quem ob peccatum amisit iterum inuenire, non pergat cum Maria ad ciuitatem Ierosolymam, vt illum requirat post tres absentiæ dies, & molestiæ totidem. Luc. 2. ad ipsam ciuitatem Marianam accurrat; illam piis precibus circuiens, illicò Deum in ipsa & per ipsam inueniet. Nunquam enim Deus ab illa recedit. Ideo cum Maria clamaret Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes?* Respondit sponsus: *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, abi, & egredere post vestigia gregum.* Ac si diceret, si te non agnoscis esse ciuitatem, in qua semper habito, & à qua nunquam recedo, sequere greges fidelium, quorum me profiteor esse pastorem. Sed cur gressus velut otiosè ad agros diriges, si in te nunquam non commorantem inuenies. Qui Christum quæris, circui Mariæ ciuitatem, & illum inuenies, quia (vt ait Richardus) *in Maria, & per Mariam inuenitur.* Te autem Maria non repellet, quia huius ciuitatis *plateæ charitatis Mariæ*, obiiciunt *latitudinem.* 17.

Nunquam à Maria recedit Deus. Bernard. Cant. 1.

Vers. III.

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?

INuenerunt me vigiles.] Spiritus Angelici sunt, qui hìc vigiles appellantur. Dan. 4. *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit*, id est, Angelus. Et inibi vers. 14. *Decretum est in sententia vigilum*, id est Angelorum Ita Ambrosius, Nyssenus, Theodoretus, & alij. 18.

Maria non inuenit Angelos sed ab eis inuenitur, anxie enim eum quære-

tam, & vt desiderabant Christi Matrem. Ambrof. Theodor. Nyssen. Dan 4. Guillelm.

alij. *Nam hi sunt* (inquit Guillelmus) *vigiles qui custodiunt ciuitatem, seu Ecclesiam electorum secundùm illud Apostoli: Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium, missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Hi sunt vigiles, de quorum sententia, vt in Daniele legimus, Rex superbus vltioni diuinæ subiacuit, quorum eadem, quæ Dei sententia est: Dei per auctoritatem, vigilum per ministerium executionis.* Addit Abbas apposité: *Ab his vigilibus Maria inuentam se dicit: non verò à se vigiles inuentos.* Et Philippus Abbas *signanter non vigiles à virgine: sed Virgo à vigilibus est inuenta.* Cur igitur Maria circumiens ciuitatem, vt dilectum quærat, dicitur ab Angelis inuenta, & non ipsam Angelos inuenisse? Mittens duorum Patrum solutiones, de quibus inferiùs dixerim, beatissimam Virginem inuentam fuisse ab Angelis, quia ipsa ab Angelis anxiè quærebatur. Inuentio enim rei alicuius & ipsius desiderium, & accuratam inquisitionem præcessisse. In hoc autem ineffabilis Mariæ dignitas emicat. Quamvis enim Virgo per humanam naturam sit creatura Angelis inferior: est tamen per gratiam, & Dei maternitatem adeò Deificata, vt iam possit simul cum Filio suo Deo & homine esse dignum desiderij Angelorum obiectum, & inquisitionis anxiæ omnium sublimium creaturarum: vt simul cum Christo Domino dici valeat *desiderium collium æternorum.* Methodius homil. de Purific. inquit: *Benedicta tu, & prorsus benedicta, omnibusque* Angelis & hominibus *desiderabilis. O sponsa desiderata!*

Philip.

Method.

19. *Desiderium spirituũ cœlestium ac Mariæ aduentu ter cuncta post lapsum Adæ sæcula* Damasc.

Confirmo id ex Damasceno orat. 2. de Nat. Mar. *O desiderabilis, ac ter beatissima fœmina; Certabant inter se sæcula, quodnam ortu tuo gloriaretur! O desiderabilis Angelis!* Certum est enim cœlestes spiritus à primo suæ creationis instanti quæsiisse, & desiderasse Christum incarnandum, si gloriam obtinuerant, eò quòd eius humanitati sese submiserunt; quod rebelles Angeli gerere noluerunt; consequenter autem debebant illum quærere, & desiderare *ex muliere factum.* Mater enim & Filius sunt res ita connexæ, vt vnum sine altero quæri, ac desiderari non valeat, simul ergo cum Christo Deo & homine futuro matrem Mariam Deificandam quærebant, & dignam tanto muneri ciuitatis nouæ Ecclesiæ custodes futuri perfectionem inuestigabant. Angeli, qui custodiebant cœlos, quærebant Dei Matrem super omnes cœlos exaltandam, per quam portæ cœlorum hominibus tunc clausæ erant reserandæ. Angelus præses solis motibus, requirebat Mariam solis institiæ matrem, solis splendoribus induendam. Angelus Lunæ custos illam quærebat mulierem sole amictam, quæ omnium imperfectionum Lunam erat sub pedibus habitura. Sic mundialis *ciuitatis* tunc *custodes,* nunc Ecclesiæ per singula sæcula Mariam inuenire gestiebant, & tandem *me* (inquit illa) fœliciter *inuenerunt.*

20. *Maria dum vixit in hoc sæculo frequentibus Angelorum visitationibus fruebatur.* Guillelm.

Guillelmus ex hisce verbis. *Inuenerunt me vigiles* colligit Mariam, dum apud nos commoraretur, frequenter Angelorum visitationibus fuisse fruitam. *Non possumus Angelos inuenire, id est, ad eos ingredi intus in gaudio Domini custoditos, dum in corpore peregrinamur à Deo. Porrò ipsi imperio conditoris egrediuntur, vt nos quærant, & inueniant, id est, vt quæ ad nostram salutem pertinent, agant circa nos, etiam dum nos nescimus. Quis autem dubitet, eos Matrem Domini specialissimè quæsiisse, & inuenisse, dum in corpore peregrinaretur, id est, illam visitasse crebrò, & cum ea sæpius dulcia colloquia miscuisse?*

Philippus Abbas sic dubio illi reddit solutionem. *Signanter non vigiles à Virgine, sed Virgo à vigilibus est inuenta. Virgo enim sicut non homines, sic nec Angelos requirebat: sed Dominum Angelorum inuenire summo satagebat studio.* Tota itaque Deo soli erat addicta. Vnde Angeli illam quærebant, vt tantum in virtute profectum admirarentur, & applauderent. Adiicit Abbas. *Quia super hanc ciuitatem mundi vigilum sollicitudo est intenta ad hoc, vt diligenter quærant, quis profectum accipiat sanctitatis, vt Mariæ congaudeant affectuosa beneuolentia charitatis,* eam curant inuenire.

21. *Maria inuenitur ab Angelis, non illos inuenit, quia ipsa solum Deum quærebat.* Philip.

Mariam quærunt Angeli, vt ineffabiles eius virtutes applaudant.

Aliter Rupertus. *Qui vigiles? & quam custodientes ciuitatem? Discipuli eius, quia ad hoc erant dispositi, vt custodirent, imò vt ædificarent ciuitatem veram Ierusalem, de qua, vel ad quam ipse dilectus per Isaiam dixit: Super muros Ierusalem constitui custodes: & tota die non* tacebunt, laudare nomen Domini. *Isti vigiles* (ait Virgo) *me inuenerunt, & mulieres, quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, inueneruntque me bonum afferentes nuncium, quia resurrexisset, & vidissent Dominum.*

22. *Monetur Maria ab Apostolis Ecclesiæ custodibus, eum resurrexisse.* Isai. 62. Rupert.

Porrò Alanus non Apostolis, non piis fœminis hoc nomen, & officium vigilum, sed Angelis vti Guillelmus, & Philippus adaptat. *Vigiles,* inquit, *id est, Angeli sancti quasi venerunt, & inuenerunt Virginem plorantem in morte dilectissimi Filij. Vt consolarentur eam, quæ ob absentiam Christi tristi premebatur dolore, & angustia, in quo statu est inuenta.* Quia scilicet cœlestes consolationes studiosè quærunt, & inueniunt hi, qui de Dominica passione cordis amaritudine tristem pium fouent affectum.

23. *Angeli Mariam consolantur de morte Filij ineffabili dolore affectam.* Alan.

Profectò Hailgrinus vult ciuitatem hanc esse ipsam terrestrem Ierosolymam: Custodes esse Pharisæos, *à quibus B. Virgo frustra de dilecto interrogauit passionis tempore, quem incredúli nosse recusarant.* Ruperto autem sunt Apostoli & discipuli, quia ad hoc erant constituti. Ab his ait Deiparam interrogasse: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* At illis respondisse: *Vidimus, apparuit Simoni, visus est euntibus in Emaus, & stetit in medio nostrùm.* Attamen tanti Patris venia hæc satis contorta esse asseruerim. Quia contextus indicat, potiùs vigiles contempsisse, quam ad cor sponsæ respondisse, quod ei satisfaciebat. Denique vidit Filium prima postquam resurrexit, ideò non nimis hæc decorè dicta, nisi vt piæ concionis cogitationi seruiant.

24. *Rogat Maria Apostolos, an viderint dilectum, & ipsi de eius resurrectione dulce nuncium reddunt.* Hailgr. Rupert.

Num quem diligit anima mea vidistis? Guillelmus. *Credimus piam Matrem circa carnem Verbi materna pietate sollicitam: sed verbum apud Patrem pia, & flagranti fide quæritantem, hac ipsa de re Angelos amoris sui conscios non rarò interrogasse: Num quem diligit anima mea vidistis? Multa de illo noui, plura*

25. *Maria Angelos interrogat de Christi diuinitate, & ipsi ei non respondent, quia ineffabile est quod interrogat.*

plura nescio; si quid nostis, quod nesciam, nolite celare. Quid illi responderint omnino tacetur. An forte non responderunt? Dicit Guillelmus respondisse, & *talia de interna visionis gaudio respondisse, quæ humana locutione nequiuerint enarrari.*

Guillelm.

26. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Verè humilis Virgo vult ab Angelis edoceri, quæ vt ipsorum Magistra, eos Angelos & homines erudire posset. Profectò non tam miror Mariam doceri ab Angelis voluisse: quam quod interrogati Angeli haud ei reddiderint responsum. Rogantur à Maria & tacent: obuiam ei procedunt, quam requirebant, quam desiderabant, & illam non salutant? & illi non respondent? An hæc taciturnitas fuit contemptus indicamentum? Absit. Fuit namque erga Maria ingentis venerationis indicium. Talis est Virgo, vt coram illa Angelorum sapientia obmutescat. Vnica Mariæ interrogatio, quasi omnium Angelorum sapientiam absorbet. Nec Cherubicus chorus se sufficientem reputat, ad interrogationibus Deiparæ satisfaciendum. Verène Maria est quid diuinum? In sapientia communicata habet per gratiam, quod diuina sapientia per naturam? De Deo inquit Iobus cap. 9. *Si repente interroget, quis respondebit?* O quàm æmulatrix per gratiam sapientia Mariæ, cui interroganti nec Angeli audent respondere! Cherubini illi coram Arca fœderis adstantes alas habebant extensas quasi intendentes volare, sed omnino stupentes. Ezechiel. 10. Innuebant planè, quod coram animatæ Virgineæ arcæ conspectu Cherubicæ sapientiæ vis conticescit. Quod si Gabriel tam disertè loquutus fuit Mariæ. Luc. 1. non mirum; non enim suo, sed ipsius Verbi diuini ex nomine loquebatur.

Tanta Mariæ maiestas, vt coram illa nō audeant vel Cherubini sapientissimi loqui, videtur eam Deitatis æmulatricem.

Iob. 9.

Ezech. 10.

27. Philippus Abbas hinc ineffabilis Mariæ erga Deum sponsum amoris præstantiam ponderans, scripsit. *Debuerat Virgo moderatior in silentio sustinere, dum priores Angeli loquerentur, quos dignitatis gradum superiorem secundum naturam nouerat obtinere: eisque primum respondere loquentibus. Cæterùm vti modo, vel moderamine immoderatior amor nescit; non sexum, non ordinem, non prætergredi terminos pertimescit. Omnium iura legum quodam mentis fastu videtur obliuisci, iustum solummodo putans eius, quem diligit incessabiliter reminisci. Quapropter ab eisdem, qui supra curam ciuitatis vigilant, studiosè conueniri non sustinens, eos potius conuenit curiosè; & amor igne fortior sub fauilla cineris nesciens contineri, flammescit euidentius, & à circumstantibus vult videri.* Pulchrè planè.

Amoris Mariæ in Deum vis exprimitur.

Philip.

28. Inferius, Pater Mariæ in Deum dilectionis præstantiam manifestat. *Ad requisita Virginis non inducuntur Angeli respondere: fortè quia respondendi moram Virgo sustinere noluit, cuius animum æstuantem omnis dilatio iam molestat; & ob hoc quod impatiens moræ fecerit, manifestat.*

Adhuc amoris erga Deum Mariæ præstantia ponderatur.

Philip.

29. Ex Gislliberto autem suspicanti Angelos Mariæ interrogationi respondisse, colligo Virginis humilitatem, quæ profundissimi silentij velamine curauerit cœlestia specialissima dona obnubilare. Ait ille serm. 6. *Dulce puto susurrum, quod inter sponsam custodesque vertitur, & grata collatio; si tamen collatio; nulla enim eorum responsio memoratur. Secreta valde est, si qua est, quam alto tegendam silentio putat. Secretum suum sibi, secretum suum sibi. Nec audemus hinc aliquid coniicere, quod sponsa curauit retinere.* Edocet Deipara cœlestes illustrationes & reuelationes haud facilè euulgandas.

Mariæ humilitas curauit cœlestia dona, & illustrationes silentij velamine obtegere.

Gisliber.

Vers. IV.

Paululùm cum pertransiissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Paululùm cum pertransiissem eos.] Guillelmus Angelos Mariæ sic loquentes inducit: *Tu etiam ô Domina, supra nos assumêris, vt inuenias Iesum tuum in diuinitate sua, in æqualitate Patris. Pertransibis nos, & inuenies quem nunc quæris. Transiisti nos* excellentia meritorum, *sed non pertransiisti. Illud tribuit tibi meritorum prærogatiua, istud pondus carnis denegauit. Verùm cum Iesus tuus in cœlum ascenderit, & tu post illum assumpta fueris, pertransibis nos, vt quadam singularitate honoris, & gratiæ, atque gloriæ super omnes Angelorum Choros eleuêris. Cæteris autem sanctis æqualitas nostra permittitur, atque promittitur: tu autem sola inter puros homines gratia prolis tuæ etiam Angelicàm humilitatem transcendis.* Cur non dixit, *Angelicam sublimitatem*, sed *humilitatem?* Certè quia facta mentione celsitudinis Mariæ, & in eius conspectu præcelsior Angelorum sublimitas, submissior humilitas apparet. *Pertransibis ergò nos, sed paululum. Nam Iesus tuus pertransibit nos longè & multum in dexteram Patris assumptus. Vt ab omni creatura intellectuali non tantum in diuinitate sua, sed etiam in humanitate adoretur: & in nomine eius omne genu flectatur.* An Angeli Mariæ quæritanti, *Num quem diligit anima vidistis?* responsionem dedêre: illa autem iam lætabunda clamat: *Paululum cum pertransiissem, inueni quem diligit anima mea. Nam assumpto Iesu meo in gloriam* (adhuc Abbas) *suam, assumpta & ego sum post eum, & sic pertransiens paululum Angelos, inueni eum, & aspexi facie ad faciem in æqualitate Patris confidentem.*

30. *Maria assumpta in cœlum omnes Angelorum Choros pertransiit cunctis admodum superior.*

Guillelm.

In conspectu celsitudinis Mariæ præcelsior Angelorum sublimitas, submissior humilitas apparet.

31. Dionysius Carthus. asserit, Mariam Deum sibi, & cunctis hominibus ex charitatis superfluentia: & demum suis meritis, precibus sibi, & illis eum inuenisse. *Deifera hæc sponsa Filium suum quæsiuit in lectulo suo corporali, & spirituali non sibi ipsi duntaxat, sed omnibus hominibus, pro quorum salute fuit sollicita, assiduè preces fudit, vt eis gratiam conuersionis, reformationis, ac consolationis internæ acquireret. Nec tamen pro omnibus illis exaudiebatur ad votum propter eorum nimiam peruersitatem. Cumque esset humillima, non de suis meritis præsumpsit. Imò sanctorum, Patriarcharum, & Prophetarum virtutes, ac merita animo perlustrauit, & per ea petiit aliquando, exaudiri. Sicque per vicos & plateas quæsiuit dilectum, quem illis transmigratis inuenit;* quoniam

Nobis Maria Deum quærit, inuenit.

Carthus.

Tanta Mariæ humilitas, vt aliorum sanctorum in cœlesti-nā apud Deum vteretur, ad optata impetrandum.

Carthus.

quoniam pro meritis ſuis potius, quam illorum pro plurimis exaudiebatur.

32. *Tam acutus fidei Mariæ oculus, vt in exilio quodammodo clare videat Deum veluti adeſſet in patria.* Philip.

Philippus autem Abbas appoſitè admodum locum expoſuit. *Videns* (ait Virgo) *Angelos meum mihi deſiderium non ſupplere: videns cuſtodes ciuitatis efficacem ſupplendi gratiam non habere: tranſiui conſiderans vtrum Cherubini ac Seraphini, & ſpiritus excellentiæ dignioris conferrent æſtuanti donum ſufficientiæ plenioris. Tranſiui ergò Angelos, cum adſcendi ad illos ſpiritus digniores: pertranſiui, cum attendi, neutros poſſe eſſe deſiderij mei ſuppletores.* Adiicit mox Doctor. *Cum vero dicat Virgo, ſe illum, quem diligit inueniſſe, quid eſt, quod præmittit, ſeſe paululum Angelos vigiles pertranſiiſſe, cum non paululum, ſed plurimum pertranſiiſſe omnia videatur?* Reſpondet, *ſed quia tenetur lege mortalium carnis vinculo grauiore, quantumcumque proficiat æſtu deſiderij purioris, non tamen ſponſum inuenit, niſi oculo tantum fidei, vel amoris: rectè dicit,* Paululum *reſpectu gratiæ plenioris: qua etſi ſtudio, & gratia ſuum prouehit intellectum, prouentuque mirabili ſupergrediens Angelos, peruenit ad dilectum; tamen quia hæc peruentio, dum hic viuitur, habet aliquid imperfectum: paruo quaſi tranſitu oculo fidei ſe tranſuehit.* Fidei namque Deiparæ oculus adeò erat perſpicax, vt ante claram Dei viſionem in patria futuram, Deum clarè quodammodò in exilio conſpiceret.

33. *Probabile eſt, Mariam Matri Filium reuelaſſe adhuc viuenti diuinam eſſentiã.* Honor.

Honorius ſpeciali interpretatione ſententiam illuſtrauit, particulam illam *Paululum* non adiungens cum verbis ſequentibus, *pertranſiiſſem*, &c. vt ſenſum efficiat. *Cum paululum pertranſiiſſem*; ſed eam ſeiungit, & præcedentibus annectit; quaſi ſit Angelorum reſponſio ad Mariæ interrogationem hanc. O Angeli, dicitote mihi, ſi Chriſti diuinitatem dignoſcatis? Qui dixerunt: *Paululum. Quamvis enim Angeli* (cum Honorio loquor) *de Deo intelligant multum; tamen ad comparationem ipſius veritatis, videtur paululum. Nullus enim Angelorum ita Deum cognoſcit, vt ſe ipſe cognoſcit. Nam nemo nouit Patrem niſi Filius: nec Filium niſi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Addit opportunè. *Quod Filius creditur matri feciſſe.* Nam ſi voluntati Filij Mariæ datum à Patre eſt, vt eſſentiam diuinam cui placeat ei reuelare: Quis dubitet cum cum Matre dilectiſſima hanc poteſtatem aliquando hic non exeruiſſe?

34. *Adeò Maria humilis, vt diuorum interceſſione vteretur, dum viueret, ad obtinendum quod cupiebat.* Bernard. Victor.

At Richardus victor vt interceſſionis ſanctorum commendet efficaciam, ſic locum interpretatur: *Cum paululum pertranſiiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Id eſt, illico ac Angelos pertranſiui, dilectum inueni. Hos pertranſiui, vt venirem; & per hos tranſiui, vt inuenirem. Horum enim occurſu, & auxilio obtinui, quod concupiui.* Si Deus volt, vt Maria hominum & Angelorum Regina, dum in lachrymarum valle moratur, vt ſua expleat vota Diuorum interceſſione vti: quid mancipia ad veniam peccatorum obtinendam, agere debemus?

35. *Maria aſſumpta ad ſummam gloriã, non quia Dei Mater præciſè; ſed quia præclara virtutum opera exeruit.* Richard.

Profectò alter Richardus, nempe Laurentinus ſe prædiuitem (de more) in huius verſus expoſitione oſtendit. Ait enim lib. 3. de laud. Virg. hic aſſumptionis Deiparæ gloriam ſignari. *Paululum, ait ipſa, cum pertranſiiſſem, inueni, quem diligit anima mea. Ibi enim dilectum inuenit, vbi poſitus eſt thronus Matri Regis iuxta Regem. Vbi iam ab eo audit cum gaudio, Maria, Ecce Filius tuus. Quaſi diceret, ecce quem genuiſti, quem in tanta vides fulgentem maieſtate. Nam aliquando ab eodem audiuit in ſtatu longe alio ſibi dici: Mulier, ecce filius tuus,* Ioan. 19. *Quis enim eſſet ibi gaudij locus, vbi non tantùm diſſimulabatur Mater, cum ei ſupponebatur alienus, & proprius Filius tollebatur: imò diſſimilabatur, cum non vocatur Maria, ſed mulier.* Itaque cum gaudio audit in cœlo, *Maria ecce Filius* vetus tuus, *quem genuiſti*, quia iuxta crucem audiuit, *Mulier ecce Filius*, ſeu Ioannes, quem te in filium adoptare volo; vt hac commutatione tuæ patientiæ meritum augeatur. Maria enim ad tam ineffabilem gloriam Aſſumptionis die eleuata non fuit, quà Mater Dei præciſè, ſed quia ineffabilium virtutum actiones exeruit.

36. *Non poteſt verbis explicari gloriæ gradus, ad quem Maria fuit eleuata.* Richard. Pſal. 11.

Cum pertranſiiſſem eos. In ſua Aſſumptione Deipara Angelos, & ſanctas animas pertranſiuit: nec dicit, quò aſcenderit, & ad quem cumulum gloriæ ſuper cunctos auolarit, quia ineffabile prorſus. Audi Richardum. *De Aſſumptione* (ait lib. 3.) *Matris poteſt exponi, quod de Aſcenſione Filij dicit Pſalmiſta* Pſalm. 17. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit. Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ. Quia nulla humana ſcientia poteſt attingere quantum Maria aſcenderit, vel ad quantam gloriam. Bis dicit Aſcendit, volauit. Nec determinat, quò aſcenderit; ſed vnde. Vſque eo enim eam proſequi potuit, qui hoc dixit; ex tunc quaſi euanuit ex oculis eius; vt quo aſcenderit, vel capere non potuerit, vel ei non licuerit dicere.*

37. *Omnis creatura, imo & Chriſtus vt homo Mariæ via fuerunt ad Deum, non finis, ſeu terminus.* Richard.

Cum pertranſiiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea. Nos edocet Virgo omnem creaturam eſſe viam ducentem ad creatorem, nec ſiſtendum in via ei, qui Deum expetit inuenire. Vnde Maria pertranſiuit Angelos, & homines imo Chriſtum, qui vt homo eſt, via quidem eſt ad Deum inueniendum. Pulchrè Richardus lib. 5. *Cum Maria dicit, Paululum cum pertranſiiſſem eos, loquitur de vigilibus, id eſt, Angelis, & omnibus creaturis. Addit, inueni, quem diligit anima mea. Omnis ergo creatura pertranſeunda eſt, quaſi via, qua peruenitur ad ſponſum: Etiam ipſe ſponſus in quantum homo pertranſeundus eſt, quaſi via, non amplectendus vt finis, ſicut dicit B. Auguſtinus* lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 34. *Propter quod ipſe in quantum eſt homo, vocat ſe viam* Ioan. 14. *Ego ſum via.*

38. *Nunquam Maria potuit à Deo ſeparari.* Richard.

Tenui eum, nec dimittam.] Tenuit Maria Deum, ſeu ita ei dum viueret, adhæſit, vt non potuerit ab eo ſeparari. Richardus lib. 1. ait Mariam maris eſſe ſtellam. *Omnium ſtellarum generalis eſt circumuolutio, quia ſtella quælibet mutans locum, tamen circulariter mouetur circa circuli centrum. Sola verò ſtella maris de loco neſcia moueri, circuit immobile punctum. Huius ſtellæ nomen conuenienter Virgini poteſt aptari. Punctum immobile eſt Deus, qui eſt omnium principium. Vnde ipſe dicit* Ioan. 8. *Ego principium, qui & loquor vobis. Vis audire quomodo ſtella noſtra Deum habet intra ſe? Angelus ait Ioſepho* Mat. 1. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Vis audire, quod non poſſit ab illo diſcedere? Audi ipſam in Canticis. Tenui eum, nec dimittam.*

Tenui

39. *Maria tenuit Deum irascentem, nè peccatores percuteret.* Deuter. 2. Richard.

Tenui quidem Deum irascentem in peccatores, nè eos exitialiter percuteret. Fatur Richard. lib. 2. *Sæpè quos Filij iustitia damnat, Matris misericordia liberat. Quæ scilicet iustitia Filij, & misericordia Matris videntur sic altercari. Quasi dicat iustitia Filij* Deut. 2. *Ego occidam, & percutiam: Matris misericordia respondeat: Ego viuere faciam, & sanabo. Fugias igitur ad protectionem manus eius, & nihil tibi timendum est. Ideo enim dicit de Filio irato, Tenui eum, ne percuteret peccatores; nec dimittam, sed continua precum instantia furorem illius detinebo.*

40. *Maria à Deo inseparabilitas.* Richard. Ierem. 31. 2. Reg. 1. Rom. 8.

Redit lib. 4. idem Doctor inseparabilitatem Mariæ à Christo commendare. *De hac inseparabilitate dixit ipsa* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Vnde potuit verè dicere Filio* Ierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te. Item illud* 2. Reg. 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. Item illud* ad Rom. 8. *Quis me separabit à charitate Dei, tribulatio? an angustia? &c. & ponit vndecim adiectiua. Ergo si in tantum dilexit Regem suum miles Regis: quantum putas dilexisse Filium suum Regem Genitricem Regis? Vtique multo amplius.* Ego dixerim, Infinitè quodammodo.

41. *Tenet Maria Deum, nè nos vulneret, & simul eisdem manibus nostrorum delictorū vulnera sanat, nè rursum illum ad iram prouocemus.*

Laudat idem Richardus lib. 4. Deiparæ tactum, & quia manibus tenet Deum, ne peccatores percutiat: & qui ipsos peccatores attactu earum sanat, nè Deum ad iram rursum audeant prouocare. *Attactu tenet* (ait ille) *Filium, nè statim feriat peccatores. Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Dulcis etiam est peccatoribus Mariæ tactus, quia Mater est misericordiæ: & matris est, suauiter, & dulciter tangere filium puerum. Pueri sunt peccatores, quibus ipsa nouit leui manu, suaui attactu tumorem premere, putredinem eiicere, vulnera circumligare, spem, & securitatem præstare misericordiæ.* Vulneribus enim conscientiæ sanitate donatis, non erit necessarium rursum Deum tenere, nè percutiat.

42. *Maria infantem Iesum fasciis illigabat, vt iam à cunabulis quasi disceret à Maria teneri posse.* Richard.

Addit bellè Doctor, *Tenui eum, nè peccatores percuteret. Hoc figurabatur, quando ligabat Filij manus, & brachia in cunabulis.* Quod à cunabulis discitur, diutius postmodum retinetur. Infantis Iesu Maria assuescit ad Matris placitum teneri, & illigari: vt facilius postmodum Matri tenere eum, eiusque manus illigare volenti, nè feriat peccatores, morem gerat.

43. *Brachiis Maria tenet iræ diuinæ leonē, nè peccatores comminuat.* 2. Par. 9. Richard.

Profectò idem lib. 5. describens Mariæ brachia fatur: Nota, quod 2. Paral. 9. dicitur, solium Salomonis, quo Maria significatur, habuisse duo brachiola, & duos leones stantes iuxta brachiola. Habet gloriosa Virgo non solum brachiola, imo brachia *longa ad defensionem nostram*, cum diuinæ iræ leo rugierit. Ideò dicit, Tenui eum quasi duobus brachiis geminæ charitatis, & duplici manu bonæ operationis. Nec dimittam, id est, non sinam, donec peccatores à leonis ira omninò valeam liberare.

44. *Facillimè Mariæ preces velut brachioli leonem iræ Dei tenent.* Richard.

Porrò Mariæ preces vincula sunt, quibus leonis Iuda iracundia tenetur. Probat id Richard. lib. 2. *Maria facilè impetrat quidquid petit à filio leone.* Ideò non brachia fortissima gigantis, aut viri admodum robusti; sed Virginis tenerrimæ brachiola Throno Mariano suprà leones statuuntur. Ipsa enim detinet iram Dei, nè statim vindicet in nos. *Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Gratiositas autem eius ad impetrandum figurata est.* Esth. 5. *Dixit enim Assuerus ad Esther: Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi? & quid vis fieri? Conquerebatur Dominus, antequam Maria nasceretur, dicens* Isai. 64. *Non est, qui consurgat, & teneat me. Sed ipsa tenet eum facta aduocata nostra, & allegat pro nobis fideliter coram Filio ventrem, & vbera ei repræsentans. Et ipse velut piissimus infans ex leone effectus, ab vbere Matris ei repræsentato delectatur.* Isai. 11. Esth. 5. Isai. 11.

45. *Maria precibus, & rectis operibus peccatores ad Deum peccatores adducebat.* Richard.

Adhuc ille lib. 5. sic inducit Mariam clamantem: *Tenui dilectum, nec dimittam, id est, nec desinam amare eum, & bene operari: donec introducam illum in domum matris meæ, id est, donec notum dilectum fecero toti Ecclesiæ, quæ me spiritualiter genuit, & nutriuit.* Nihil enim Deo gratius, quam iustos veros Ecclesiæ filios procurare, vt dilectus, quem ipsi cognoscunt, ab aliis dignoscatur, & ametur. Hoc autem Deipara gerit non solum precibus, sed rectis operibus, quæ quidem efficacioris orationis vices agunt. *Nec desinam amare eum, & benè operari.*

46. *Perseuerantia vsque ad vitæ finē in deuotione Mariæ est prædestinationis signum.* Eccl. 15. Richard.

Denique Richardus flectens versiculi ex deuotionis in Deiparam affectu verba, hæc hominibus illam diligentibus accommodat, ac si dicat gaudio diffluens. *Inueni quam diligit anima mea, tenui eam, neque dimittam illam, id est, Mariam vt ei seruiam, eam collaudem, & operer ad honorem eius.* Ad cuius confirmationem vtitur verbis illis Eccli. 15. *Qui continens est iustitiæ, vel Mariam, in qua omnis iustitia continetur, dilexerit, apprehendet eam, seu firmiter tenebit affectu, & intellectu, & toto conamine mentis, & corporis: ita quidem vt vsque ad vitæ terminum non dimittat.* Persistentia enim huiusmodi in Deiparæ deuotione est perspicuum prædestinationis signum. Profectò (concludit ille) *non videtur iustus, vel de numero prædestinatorum, sed magis de reproborum numero, qui Mariæ specialiter non seruit.*

47. *Mariæ mirabilis charitas in ingratos Iudæos.* Rupert.

Donec introducam eum in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ.] Mariæ mater, & genitrix synagoga fuit, in cuius domum, atque cubiculum Christum piissima Filia introduxit, cum per ipsam multi Iudæorum conuersi fuêre, & in fine reliquiæ conuertentur. Huc flexit Rupert. hæc verba premens, & Virginem hæc fantem inducens: *Cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea, & non quocumque, sed in cœlum vidi ascendentem: & Apostolos eius misso de cœlo Spiritu sancto vidi prædicantes gloriam Domini. Hæc mihi inuentio fuit eius, quem diligit anima mea; & ex illa inuentione tenui eum, vt introducerem in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, scilicet synagogæ. Hoc ex parte iam factum est, quia multi Iudæorum crediderunt in eum. Alij quidem obclusis cordibus, ipsum & me repulerunt.* Sed non dimittam, donec illùc introducam eum. Sic enim ait scriptura Ose. 10. *Si fuerit populus Israël quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eis,* nempe mearum instantia precum. Tantum suo populo profuit Deiparæ ineffabilis charitas: & ab eo repulsa, & iniuriis acta tam grata extitit tam ingrato.

Verſ. V.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donéc ipſa velit.

48. *Maria nos docet, quonam pacto ei ſint noſtræ precationes offerendæ.* Guillelm.

RVpertus hunc verſiculum tranſilit, quia ſuperius fuerat interpretatus. Honorius ſuperiorem intelligit de conuitiis in Deiparam; hunc de falſa prædicatione Hailgrinus, & Alanus aliò diuertunt. Crediderim ſolum hæc optimè cum præcedentibus Guillelmum connexiſſe: nos monentem, quonam pacto Mariæ preces ſint offerendæ. Proximo verſiculo eximia Virginis charitas erga Iudæos ſui Filij interemptores exprimitur. Inde Abbas ſic ratiocinatur: *Si pia Mater tantum poteſt apud Filium pro his, qui ſanguinem eius tam impiè fuderunt: quantum credenda eſt poſſe pro his, qui ſecundum Apoſtolum* (Gal. 3.) *in Chriſto baptizati Chriſtum induerunt? Inde nimirum accidit, vt omnes Chriſtiani ſuis in neceſſitatibus tanta fiducia ad eam recurrant, ſuáſque illi petitiones per eam Filio offerendas commendent. Multi tamen minus honeſtè, vel ordinatè petunt, quàm oportet, quàm decet. Fœdas autem petitiones Mater Filio non offert, nec ſuſcipit offerendas. Nonnulli honeſtè quidem petunt, & ea quæ ad ſalutem; ſed tamen vel fratres non diligunt, vel ſuos mores non corrigunt; nec horum petitiones pia Mater dignatur admittere. Itaque non tantum petitionis honeſtas, ſed etiam petentis exigitur. Nam inhoneſta improbantur, inhoneſtas piæ Matri diſplicet. Prohibet ergo ſponſus cœleſtis nunc tales poſtulare, & talia poſtulari. Ne ſuſcitetis dilectam.* Adiurantur itaque filiæ Ieruſalem, Chriſticolæ fideles, ſed infirmi, vt caprearum, ac ceruorum (quibus perfecti deſignantur) imitatores, admonenturque Mariæ iam in cœlis quiete æterna fruenti non obſtrepere indecora, vel inutilia petendo; vel non ea, qua decet fide, intentione, & deuotione poſtulando; ſed dumtaxat eam orare tali modo, vt pro orantibus ſurgere, & ſuffragari eis poſcentibus opem non aſpernetur.

49. *Excubias agit Spiritus ſanctus ad Mariæ cuſtodiã, dum dormit.* Anonym.

Inducitur hîc Deiparæ ſponſus Spiritus ſanctus excubans ad eius cor puriſſimum, ad hoſtium inſidias repellendas: ne ab iis infeſtetur, qui eius inuident ſanctitati, eius paci, eius quieti. O fœlix quæ ita dormit, vt Deum ſuum cuſtodem habeat, qui ad dilectæ cor agat excubias! Cecinit Anonymus Auctor valde pius Virginis commendator Rythmo *de Virginit.* apud Patrum Bibliot.

Ne nocturni timores irruant,
Et ſopore depreſſas obruant
Peccati nebula.
Quas immittunt feruores noctium
Grauis ſopor, hoſtis ludibrium
In carne fragili.
Sed non habent ſuos introitus
Vbi cubat ſanctus Paraclytus
Cum tuba vigili.

Quam libera fuit Maria ab einſmodi hoſtis ludibriis, quæ ſub tam vigili cuſtode vel ſomno indulgens tanquam-non vigilabat, vti aſſerunt nonnulli! (de quo inferius.) Indicant id illa verba, Ne ſuſcitetis dilectam, donec ipſa velit ſuſcitari. Ergo dormiens vult, & non vult: ergo dum dormit, vigilat, ſiquidem voluntas eius vti inſomnis operatur.

50. *Somnus Mariæ contemplatio cæleſtis fuit.* Caſſiodor.

Quæſtionem excitat Caſſiodorus ſic: *Si requirebat ſponſum, quomodo quieſcebat, dormiebatque?* Paulo ante Maria ſe vigilantem exprimit per vicos, & plateas dilectum quærentem; mox autem à ſponſo inducitur tam profundè dormiens: *Ne ſuſcitetis dilectam.* Reſpondet Doctor, *Amori meritò datur nomen ſomnij. Quia ſicut dormiens à viſibilibus oculos claudit: ita is, qui diuinæ contemplationi inſiſtit, quaſi alienus ab exterioribus dormit, & ſola ſpiritualia, ac cæleſtia videt.* Somnium Deiparæ vigilans profectò contemplatio cœleſtium fuit, quia omnibus Deum plus amauit.

51. *Suauiſſimus ſomnus Mariæ fuit Deum quærere.* D. Thom.

Ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectam. Neſcio, ſi dormire poterat, quæ clamabat: *Surgam, & circuibo ciuitatem, quæram, quem diligit anima mea.* Statim-ne mox fuit ſomno correpta? Poſt Caſſiodorum ſic pulchrius Angelicus Doctor quæſtioni ſatisfacit. *Adiurat filias Ieruſalem, ne eam ſuſcitent, cum paulo ſuperius non dormientem, vel quieſcentem, ſed ſtudio laborioſiſſimæ inquiſitionis inſiſtentem, quæ ſponſum inquirebat, introducat. Si ergo requirebat ſponſum, quomodo requieſcebat? Sed dulciſſimus, & ſuauiſſimus eſt ſomnus Chriſtum quærere.* Huiuſmodi itaque ſomno Deipara ſemper fruebatur, quia ſemper dilectum, vel inueniens illum requirebat ex ineffabili dilectionis affectu, quaſi non inueniſſet.

52. *Somno pauciſſimo vſa Maria fuit, contemplationi tota ferè nocte interita.* Ambroſ.

Iam verò ex hiſce verbis: *Ne ſuſcitetis dilectam*, oſtendam, ſomno parciſſimo vſam eſſe Deiparam, totamque ferè noctem in diuinarum rerum meditatione tranſegiſſe. D. Ambroſius lib. 2. de Virginib. ait de Maria, *Dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit.* Neceſſitati verò aiunt bonæ notæ Auctores vnius horæ ſomnio ſolitam Virginem ſatisfacere: & poſt tam breue quietis ſpatium corpore ad ſpiritualia exercitamenta vigilare. Cur ergo ſponſus ſomnij illius cuſtodem tam vigilem ſe præſtat: *Non ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam?* Certè quia excitari non indigebat, quæ vix ſopori membra dederat, quæ ad Deum laudandum exurgebat: non erat à ſomno auocanda, quæ tam ſollicitè deſerebat ſomnus, & quæ vel dormiens de dilecto cogitabat.

53. *Maria hominum, Angelorum, imò Dei deliciæ.*

Non eſt abs re quòd hinc Maria *deliciæ* dicatur non ſolùm hominum, & Angelorum, ſed etiam Dei Filij ſui. Vnde hæc verba: *Ne ſuſcitetis dilectam;* nonnulli ex Hebræo vertunt: *Ne ſuſcitetis delicias*, Maria enim verè hominum, Angelorum, Deique deliciæ extitit.

54. *Maria Adami ſecũdi deliciarum paradiſus.* Proclus.

Non itaque aberrarim, ſi voluptatis Paradiſum Virginem dixero, quem ſecundo Adamo Deus præparauit, ſicut primo terreſtrem illum, in quo delicias omnes congeſſerat. Vnde Proclus de Maria loquens. *Hæc*, inquit, *eſt ſecundi Adami Paradiſus.* Quantum Adamo præſtat Chriſtus, tantum & virgineus Paradiſus terreno præſtat.

55. *Ex Maria deliciarum*

Quàm deliciarum prædiues Mariæ Paradiſus, ex quo Chriſtus Paradiſus prodiit! Bernardus ſerm. 1. de Natiu. *Paradiſum habemus*

multa

tam vber paradisus fuit, vt Christum deliciarum paradisum produxerit.

multo meliorem, & longè delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt : Paradisus noster Christus est. An-non in Dominico Paradiso omnes deliciæ vernant ? Quam ergo deliciis affluens Paradisus Mariæ, è quo potuit non iam vitale lignum vnicum, sed integer Paradisus proferri ?

56. *Christus Deus & homo positus fuit in Maria paradiso deliciarũ Dei, vt operaretur eius fœcunditatem, & virginitatem custodiret.* Gen. 2. Richard.

Tulit Dominus Deus (de terreno Paradiso legimus Genes. 2.) *hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Parum quidem esset operari, nisi & custodiret : & minus integra custodia esset, nisi cultus & operatio adiiceretur. Hoc perfectius in Paradiso deliciarum Dei Mariæ præstitum. Positus est homo in eo, qui simul Deus esset, qui operaretur in eo fœcunditatem, & simul virginitatem illæsam custodiret. Pulchrè Richard. de S. Laurent. lib. 8. de laud. Virg. *In Paradiso etiam, id est, in vtero Mariæ positus est Christus in Incarnatione, quando mulier circumdedit virum, vt operaretur in ea fœcunditatem, & virginitatem illæsam custodiret.*

57. *In paradiso Mariæ viuit homo, qui in alio paradiso perierat.*

In hoc denique virgineus Paradisus terrestri præstat, quod in terrestri sua culpa morti obnoxius factus est primus homo, & cum illo posteri omnes, & cœlos sibi, & illis delinquẽdo præclusit, ac mulierum opprobrium facta mulier est, dum serpentis verbis nimis leuiter credidit. Ast Maria Hortus conclusus deliciarum est, & simul vitæ reparatio, cœli ianua, mulierum, virginumque decus, & gloria. Audi D. Hildephons. serm. 1. de Assumpt. *Hæc est Hortus conclusus ille deliciarum, reparatio vitæ, ianua cœli, decus mulierum, fastigium omnium virginum.* Omnibus vtilis hic Paradisus, sed conditori suo deliciosus. Hic voluptates suas Christus habuit, in hunc post Angelorum tumultum fruiturus pace diuertit. O fœlix Maria, quæ in Christo quiescens, Christo requiem exhibuisti !

Hildeph.

Vers. VI.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij ?

58. *Maria magnum est miraculum Angelos cunctos in admirationem rapiens.*

QVæ est ista ? Cap. 7. vers. 9. *Quæ est ista ?* & cap. 8. vers. 5. *Quæ est ista ?* Trina hæc inclamatio est Angelorum, qui admiratione afficiuntur, Mariam aspicientes tot à Deo dotibus ornatam ; quasi naturæ, & gratiæ miraculum ostentetur. Res enim, quæ cœlestes spiritus in admirationem rapit, magnum debet esse prodigium naturæ, & communes gratiæ leges admodum superans. *Quæ est ista ?* Maria quidem. De qua D. Ignatius epist. ad Ioan. *Hæc omnia nos cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi Mariæ.* Et D. Epiphan. serm. de laud. Virg. *Cœli, terræque mysterium & stupendum* Virgo *est miraculum.* *Quæ est ista ?* Maria planè, de qua D. Chrysostom. serm. de Virg. *Magnum re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper beatissima Virgo Maria.* Et D. Damasc. orat. 1. de Natiu. *Maria miraculorum omnium maximè nouum, imò & miraculorum abyssus. O quot miraculo-*

Ignat.
Epiphan.
Chrysost.
Damasc.

pien æqualis, seu cognata creatura ? Audi Philip. Abbatem. *Angelici spiritus mirantur, vt ad id [illegible] es sciscitantur quæ sit Maria, quam miraculorum [illegible] attendunt. Quæ est ista ? Reuolui-sterneretur. Quæriem præsentium, vel præce-* qua D. Bernardus io *ex quo Eua, quæ primum magnum. Abyssus lumi[illegible]buit inimico. Quarum dixerim, quòd vel Angeli[illegible] charismata sunt* signi magni *fulgoris vehemẽ[illegible]ecies tam gratia,* Et D. Epiphanius citatus tantum[illegible]. *At nullam* mirans exclamat : *O Virgo sanct[illegible] : sed hæc exercitus Angelorum in stuporem ad[illegible]. Quæ Stupendum enim miraculum est in cœlis m[illegible]a amicta sole. Stupendum miraculum, mulier gẽstans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus.* Igitur non mirum, si à trina spirituum cœlestium Hierarchia aspiciente Mariam, trina admiratio excitetur : *Quæ est ista ? Quæ est ista ? Quæ est ista ?*

vel Angelica Mariæ in gratia similis : vnde sola, seu in deserto dicitur incedere. Philip.

59. *Tanta fuit Mariæ humilitas, vt charitatis incẽdio flagrans, putaret se quodammodo frigidam : vnde charitatis desiderio æstuabat.*

Quæ ascendit per desertum.] D. Hieronym. verba hæc Deiparæ Assumptioni accommodat à spiritibus Angelicis admirationi affectis prolata. Ex persona supernorum ciuium in Mariæ ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, &c. Et benè quasi virgula fumi, quæ gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis est repleta virtutum odoribus. Ascendebat autem Dei genitrix, de deserto præsentis sæculi virga de radice Iesse olim exorta : sed mirabantur cœlites præ gaudio, quænam esset, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem.* Preme illa. *Concremata intus incendio pij amoris, & desiderio charitatis.* Si pij amoris Deipara flammis concrematur, quonammodo dicitur charitatis desiderio flagrare ? Certè quia humilitatis prodigium Maria immensæ charitatis in Deum, & homines fouens incendium, putabat se quodammodo tepiditate laborare ; ideóque cupiebat accendi. Ascendit itaque sicut virgula ex virtutum aromatibus, quia non Maternitas, sed meritum pennas ei indidit ad volatum.

Maria non Maternitas, sed meritum pennas indidit ad volatum.

60. *In Maria omnium virtutũ suffimẽta spirante, nullum potuit esse fœtoris maculæ indicium.* Eusch. Gal.

Eusebius Gallicanus serm. de Natali Dom. in aurora hinc colligit, in Maria nullam vnquam fuisse maculæ suspicionem. *Sed quid de Matre Domini dicam, cuius odoris fragrantiam Rex sapientissimus Salomon admirans, ait : Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus ? Vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fœtoris indicium esse non potest.* Quomodo in omnimoda sanctitate poterat esse vel vnius perleuis maculæ indicium ?

61. *Admirabile est solam Mariã in deserto huius mundi ascendere, vbi cuncti descendere assolent.* Damian.

Petrus Damianus asserit, in deserto huius mundi, vbi omnes vel iusti cadunt, solam Deiparam semper ascendere. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum ?* Quasi admirabile, sit, vnam ascendere, vbi cuncti descendunt, seu cadunt. *Desertum*, inquit, *est vastitas huius mundi, in quo bestiæ agri frequentius ludunt. Desertum autem dicitur, quia derelictum à virtutum administratione, cum earum conuentus, abũdãte iniquitate, ad proprios ortus auolauerit. Quæ ascendit, inquit. In huius sæculi vanitates omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur ; rarusque* est

dederat. Pani eum lacte meo, sed quo ipse vbera mea implebat. Officiosa fui, & hoc ipse ancilla præstabat. Profectò id, quod à Deo Maria accepit magnum pretium in sua possessione proculdubio acquisiuit, siquidem rursum potuit Deo quasi nouum munus offerri.

246. Dionysius Carthus. *Dilectus meus mihi, & ego illi, id est, sponsus iste ab omnibus sanctis dilectus, sed tanto specialius mihi charus, quanto præ cæteris me in Matrem, & sponsam singularem elegit.* Si ad mensuram beneficiorum, quæ Maria à Deo accepit vt digna esset eius Mater & sponsa singularis, fuit eius erga Deum dilectio, omnino ineffabilem esse quis dubitet, si beneficium plusquam est ineffabile? *Tantò specialius mihi charus, quantò præ cæteris me in Matrem, & sponsam singularem elegit.* Adiicit, *Hic inquam dilectus meus mihi familiarissimè est intentus, cohærens, & innixus: & ego similiter illi.* Ego *similiter*? An Maria ad æqualitatem Deo soluit, quod debet? reddit, quod accipit? O ineffabile priuilegium!

Maria quodammodo ad æqualitatem Deo soluit, quod debet: reddit totum, quod accipit. Carthus.

Ineffabilis Mariæ erga Deum dilectio.

247. Idem profatur cap. 7. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Locutiones vehementes amorosæ, aut dolorosæ solent esse truncatæ, quoniam vehementia affectionis abrumpit, & præscindit verba loquentis. Et ita est in his verbis. Ego dilecto meo totaliter sum intenta, deuotissimè ei vacans, affectuosissimè ei semper inhærens, ab eo excellentissimè sum electa, singulariter prædilecta, familiarissimè, & fructuosissimè ei coniuncta, & facta sum ei Mater, sponsa, filia & ancilla, & Domina, quia subditus fuit mihi.* Tam summæ Virginis charitati quantus Dei amor respondit? *Dilectus meus mihi, id est, vnicè & summè me dilexit.* Ergo quodammodo fuit infinitè amata. Quia sicut summus amor in creatura inanit omnem possibilem ei affectum æquare, ita summus amor in creatore quandam videtur infinitatem affectus arguere.

Summæ Mariæ erga Deum dilectioni summus Dei erga eam, & quodammodo infinitus amor respondit. Carthus.

248. Preme quæso illam Dionysij particulam: *Facta sum ei Mater, sponsa, filia, & ancilla.* Inter beneficia ab sponso Deo accepta annumerat factam ab eo fuisse ancillam, imò post *Matrem, sponsam, filiam* hoc seruitutis vocabulum ancilla collocauit, vt innuat humillima Virgo maioris sibi pretij & æstimationis factam fuisse Dei ancillam, quam Matrem, quam sponsam, quam filiam.

Maioris æstimationis apud Mariã quodammodo fuit, factam esse à Deo eius ancillã, quam Matrem, quam sponsam, quam filiam. Carthus.

249. *Qui pascitur inter lilia.*] Nec enim Iesus pasci à Deipara dignaretur, nec sponsus eius inniteretur brachiis, nisi in ea (concluso vtique horto) lilia virginitatis inueniret. Vnde vix dicat Maria hic vers. 6. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* cum addit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ostendens sponsi sui amplexu virginitatem nutriri. D. Paulinus epist. 4. ad Seuer. *Ergò illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari, castitas est. Illi copulemur, cui nupsisse, virginitas est.* O pulchrè! ô verè! Maria has nuptias terrenis prætulit. Christus has nuptias amauit, immarcescibilibus virginitatis Mariæ liliis illectus.

Vt Iesus à Maria pasci cuperet, & ei in coniugium hæresceret, illectus fuit liliorum virginitatis eius fragrantia. Cant. 2. Paulin.

250. Ait Richardus de S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg. Preces, & sacrificia seruorum suorum, & maximè quæ ei exhibentur, Maria offert in conspectu diuinæ Maiestatis?

Deo placent preces, & xenia, quæ ei

An obtinet, quod precatur? Ita planè; nec enim potens habere repulsam. Quare precor? Certè quia in omnibus Mariæ actionibus & petitionibus virginitatis lilia Dominus contemplatur. Vnde ipsas Mariæ manus, per quas preces illæ Deo offeruntur, supponit beatissima Trinitas esse lilia virginitatis. Pulchram do D. Bernardi serm. de Aquæductu sententiam. Versans enim Pater hunc Canticorum versiculum. *Qui pascitur inter lilia,* inquit: Manus Mariæ quædam lilia candidissima sunt. Nec causabitur *liliorum amator inter lilia non inuentum, quidquid inter manus Mariæ inueneris.* Adiicit Richardus. *Non possunt igitur summæ Trinitati displicere xenia quæcumque manibus tam dignæ gerulæ committuntur.*

per Mariæ manus offeruntur, quia in eis virginitatis lilia contemplatur. Richard. Bernard.

251. Idem lib. 1. asserit Christum sequutum esse Mariam, quocumque ierit ob odorem liliorum virginitatis eius voto obsirmatæ. *Dominus, ait, fuit cum Maria sicut sponsus cum sponsa, sicut filius cum matre, sicut sponsus, inquam cum sponsa. Si enim Virgines sponsæ sunt agni, quomodo non Virgo virginum, quæ primo consecrauit, & vouit virginitatem absque omni præcepto consilio, & exemplo? In laude aliarum virginum dicitur, quod sequuntur agnum, quocumque ierit.* Apoc. 14. de Maria autem potest securè dici, quod Agnus sequebatur eam, quocumque iuit. *Vnde* Cant. 2. *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Nam virginitatis Mariæ liliorum fragrantia eum vbicumque illa pergeret, attrahebat.

Virgines alia sequuntur Agnum quocunque ierit: Mariam agnus sequitur liliorum virginitatis eius attractus. Appoc. 14. Richard.

252. Canebat de Maria Dauid. *Adducentur Regi virgines post eam.* Psalm. 44. Maria enim cunctis virginibus ducatum virginitatis voto obsirmatæ exhibuit. At dum video Agnum sine macula Mariam sequi, miror admodum. Videtur enim Christus Mariam sequi velle, vti Virginitatis ducem. Quid de liliis virgineis Deiparæ potuit illustrius excogitari? *De Maria potest securè dici, quod Agnus sequebatur eam, quocumque iuit.*

Mariam virgines vti ducẽ virginitatis voto obsirmatæ sequuntur. At etiam se Christi velut ducem Maria ostendit. Psal. 44. Richard.

253. *Qui pascitur* Mariæ vberibus *inter* virginitatis eius lilia. Rursus audi Richard. lib. 3. *Christus ex Maria, & in Maria pascebatur. Ex ea* quidem, *quia* (vt ait *Ambrosius, & canit Ecclesia) Paruòque lacte pastus est. In ea autem*, siue inter lilia virginitatis, seu manus Mariæ ei vbera porrigentes. *Vnde* (adiicit ille) *ipsa* Cant. 2. *dicit: Qui pascitur inter lilia, id est, inter manus Mariæ, sicut D. Bernardus exposuit.*

Christus Mariæ vberibus pascebatur, sed inter virginitatis eius lilia. Richard.

254. O ineffabiles huius virginalis mensæ deliciæ! De hac mensa (adhuc Richardus) videtur Pater dixisse Filio Eccli. 29. *Transi hospes, & orna mensam. Transi de sinu meo in vterum* (& postea in vbera) *Mariæ, & orna mensam istam. Mensa est virginitas, quæ significatur in liliis, inter quæ, seu in quibus Christus pastus est; quæ virginitatis ornauit fœcunditas, & mirabiliter decorauit.* An tam ineffabiles deliciæ in virginea Mariæ mensa liliorum, vt Dei Filius, vt eis frueretur peregrinationem inierit, & hospes ad illam accesserit?

Ad virgineam Mariæ mensam Deus suum Filium monet vt descendat hospes.

Ineffabiles huius mensæ deliciæ.

255. Eodem lib. 3. hæc Richardus annectit: *Nouerat gloriosa Virgo diuinitus inspirata, Dei Filium desiderare virginitatem, in qua pasceretur. Vnde de ipso dicitur Cant.* 2. Qui pascitur inter lilia; & ideò vouit virginitatem,

Maria Christo vt pascatur duplicem offert virginitatem nam-

ta mentis & corporis. Richard.

tem;quaſi hoc ipſo diceret: *Lilia deſiderabat? Lilia ei exhibeo*,id eſt duplicem virginitatem, ſcilicet, mentis, & corporis. *Quod notatur per hoc, quod dicitur: inter lilia.* Hoc quidem eſt, quod Apoſtolus dicit 2.Cor.11. *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Nam cum dixiſſet, *Virginem*, ſubſiſtere noluit, ſed *caſtam* ſubiunxit; vt innueret Chriſtum ſponſum duplicem virginitatem requirere mentis & corporis, nec vnam ſine altera ei complacere.

Labore digitorum Mariæ Ieſus paſcitur inter virginitatis lilia. Richard. Mat.25.

Maria gloria donatur, non quia Deipara, ſed quia miſericordiæ opera erga Chriſtum exercuit. Richard. Hieron.

256. Perſequitur Richard.lib.4.huius particulæ. *Qui paſcitur inter lilia*,expoſitionem,aſſerens, Mariam ſex miſericordiæ opera Chriſto, qui fuit in vnum diues,& pauper,excellenter exhibuiſſe. *Vnde in iudicio* (ait ille) *poterit dicere ei Filius illud* Matth. 25. *Hoſpes eram & collegiſti me, in virginalis vteri tui tabernaculo. Nudus fui, & cooperuiſti me virgineæ carnis tuæ veſtimento. Propterea comparatur Maria velleri Gedeonis, quæ lana ſua, ſeu carne virginea Dei induit Agnum Filium: & dediſti mihi potum virginei lactis, quod ego ſolus bibi. In carcere eram, & veniſti ad me. Tunc Chriſtus fuit incarceratus, quando poſitus erat in ſepulchro. Certum eſſe crediderim Virginem ad ſepulchrum veniſſe, vt Filij ſacerrimum corpus inuiſeret. D. Hieronym. Quam impium erit ſentire de Matre, vt quando cæteræ ſanctæ mulieres tantam curam habuerunt de Dominica ſepultura, ipſa ſe abſentauerit. Abſit. Infirmus eram, & viſitaſti me. Quod impletum eſt, quando Chriſtus crucifigebatur, & ipſa ſtabat iuxta crucem.* Denique *Eſuriui,& dediſti mihi manducare. Vnde Hieronymus dicit, quod cum acu, & colo acquirebat Maria,vnde ſe,& Filium paſcebat. Ideo* Cant.2. *dicitur, Qui paſcitur inter lilia. Et hæc lilia interpretatur Bernardus B. Mariæ digitos.* Nec enim ſuauis eſſet Ieſu digitis Deiparæ acquiſitus, ſi in eis lilia virginitatis non contemplaretur. Colliges autem ex hoc diſcurſu,Mariam non fuiſſe cœleſti gloria donatam, quia Deipara fuit, ſed quia erga Ieſum miſericordiæ opera exercuit.

Hieron.

Duplici virginitate carnis,& ſpiritus paſcit Maria Agnum ſuũ. Richard.

257. Diuitem planè ſe oſtendit Richardus in huius verſiculi expoſitione. Eodem enim lib.4. ſcribit, *Maria prima abſque omni humano præcepto, conſilio, & exemplo, diuinitus inſpirata, votum emiſit virginitatis, ad hoc vt Dei Filius in ea paſceretur, à tota Trinitate præparata. Vnde* Cant. 2. *dicit Maria de Filio: Dilectus meus mihi, & ego illi,qui paſcitur inter lilia. Ac ſi diceret: Lilia deſiderabat? Lilia ei exhibeo, id eſt, duplicem virginitatem carnis ac ſpiritus; quod notatur per hoc, quod dicit lilia in plurali, non vnicum tantum lilium.*

Chriſtus à Virgine inuitatur, vt comedat eius virtutum lilia, & peccatorũ hædos ſua manu virginea conditos. Gen.27. Richard.

258. Elegantem equidem lib. 4. ſubit ille excogitationem, aſſerens Deiparam ſuum inuitare Dilectum ad conuiuium,in quo ei duo ſuauiſſima fercula offert, nempe ſuam virginalem, ineffabilem quidem puritatem, & veram peccatorum ſua interceſſione pœnitentiam. Nec enim Mariæ charitas integra voluptate in conuiuio hoc potiretur, ſi hominum vtilitati ſimul non ſtuderet. *Humilitas* (inquit) *Maria effudit orationem ſuam,vt vocaret, & adduceret ſponſum ad conuiuium nobiſcum in terris, qui cum Patre, & Angelis conuiuabatur in cœlis.* Duo fercula libentiſſimè comedit ſponſus ille, quæ ſunt omnino ea vitæ munditia. Hoc ferculum menſæ apponit Deipara. *Vnde illud* Cant. 2. *Qui paſcitur inter lilia*,vel *paſcit lilia* (vti alij legunt) virtutum illius. Alterum ferculum eſt vera pœnitentia. *De quo dixit Rebecca filio ſuo Iacobo. Adfer mihi duos hædos optimos: de quibus libenter veſcitur* pater tuus. Geneſ. 27. Veſcitur quidem libenter hœdis, ſeu peccatoribus, quando immaculatis Mariæ veræ Rebeccæ manibus præparantur.

Chriſtus apis è florigero Angelorum mõte ad dulciores ſibi Mariæ flores in noſtram vallem auolauit.

Apud Mariæ pratum Apis Chriſtum nos melle indulcat,ſed aculeo non vtitur.

Pergit lib. 12. *Chriſtus eſt apis mellis habens dulcedinem, & aculei punctionem.* Ad vallem noſtram deſcendit è ſuperis. *Et tanquam apis, paſcitur inter lilia. Hoc eſt, Florigeram habitans patriam Angelorum, ad ſuaueolentem virginitatis florem in Incarnatione aduolauit: ibi inſedit, ibi adhæſit.* Ergo Mariæ lilia fragrantiora, & dulciora Ieſu api fuêre, ſiquidem Mariæ floribus adhæſit, quaſi ad florigeram Angelorum patriam ſerò reuerſurus. Quo autem fructu ad Mariæ flores deſcendit? Certè in ſuperiora Angelorum florida prata, ſi melle iuſtos Angelos obtemperantes indulcauit, rebelles ſpiritus aculeo acri percuſſit. At ex florido Mariæ prato ad peccatores melleo quidem tota ſine aculeo Diua apis aduenit. *Huius apis mel, & aculeum non ignorat, qui miſericordiam ei, & iudicium decantat, dulcis & rectus Dominus. Attamen ad nos veniens è dulciſſimo liliorum Mariæ paſto, ſolum mel attulit, & non aculeum, miſericordiam non iudicium. Vnde perſuadentibus quandoque Diſcipulis,* Luc.9. *Vt ciuitatem, quæ eum ſuſcipere noluit, præciperet igni conſumi: reſpondit, ſe non veniſſe ad perdendum, ſed ad ſaluandum.* Quod dulciſſimo Mariæ paſtui nos debere quis dubitet?

Denique Guillelmus eleganter Mariæ lilia 259.
deſcribit,quibus Chriſtus fuit paſtus. *Superius petiit Maria à Filio, ſibi indicari, vbi paſceret: Indica mihi,vbi paſcas.*Cant.1. *Nunc cum dicit, paſci inter lilia; nimirum dilectus paſcitur inter lilia, & paſcitur in liliis, & paſcit ipſa lilia, & veſtit etiam lilia. Si namque lilia agri ſic veſtit, vt nec Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit ſicut vnum ex iſtis.* Matth. 6. *quanto magis lilia cœli. S. Angeli lilia cœli ſunt; iuſti, dum hîc degunt, lilia agri. Vtrique propter fragrantiam, & nitorem. Vtrobique Maria fuit, & eſt lilium liliorum: hîc iuſta iuſtorum, & caſta caſtorum: illic Regina, & Domina Angelorum.* At Chriſtus, *vt paſcit lilia, ſic paſcitur inter lilia illa, cum liliis. Paſcit diuinitas eius, paſcitur humanitas. Se Deo paſcit ſe hominem: & ſecum paſcit Angelos, & Matrem.*

Maria eſt lilium liliorũ, ſeu Angelorũ & Diuorum hominum, quæ paſcit Chriſtum, & quæ à Chriſto paſcitur. Guillelm. Mat.6.

Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.] 260.
Ad hæc verba Guillelm. *Donec aſpiret, ſeu illuceſcat dies illa, de qua veritas Diſcipulis ait: Deſiderabitis videre vnum diem Filij hominis.* Luc.17. *& Propheta ad Dominum. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.*Pſal.83.*Super multa millia dierum noſtrorum, qui apud nos fluunt, & in quibus defluimus, & ſicut aqua dilabimur. Et quia hoc die aſpirante,ſeu illuceſcente, mox tenebræ diſſipabuntur, ideò ſubditur: & inclinentur vmbræ. Ecce tunc velum ab oculis multorum auferetur; tunc apparebunt, qui Deo grati ſunt,qui iuſti,qui fœlices: qui vero iniuſti, & inuiſi Deo.Mundi iudicia duntaxat vmbram habent veritatis, ſed hanc vmbram ſol iuſtitiæ Chriſtus luce ſua coget euaneſcere, quando mundum iudicabit.*An-ne Deiparæ hæc conueniũt? Hæc planè.Dicit enim ſponſo:Paſce ô Domine lilia tua,Sanctos tuos,& paſci eorum virtutum

Semper exoptat Maria, vt vmbra mundi huius euaneſcente, ſui alumni ad fœlicem æternitatem transferãtur. Guillelm. Luc 17. Pſal.83.

Del.Rio.

floribus dignare, donec mundi hui⸗ vmbra euanescente, dies fœlicis æternitatis appareat. Pulchrè ad hæc Del-Rio noster. *Placet hæc tribuere B. Virgini: Donec aspiret dies &c. vt ex commemoratione diei illius vltima in desiderium eius exardescenti (amor enim mora est impatiens) & iustos, electosque ardentissimè Dei genitrix semper amauit, amatque incessanter: quare & eorum in cœlos transferri coloniam non cessat optare. Hoc desiderium verbis his indicatur, quibus orat Filium, vt aduentum hunc suum acceleret.*

261. *Maria semper fuit lusu filia vmbraticis mundi vanitatibus recedens vera in hoc Christi æmulatrix.*

Pascitur quidem sponsus, sed inter lilia, non insanientium mortalium vmbras sectatur, nec inanibus, & sola vanitate grauidis eius mens distenditur; lilia ab vmbris discriminat. Quem profectò illi imitantur, qui supera luce perfunduntur. Profectò Deipara dum liliis virtutum pascit sponsum, ipsa eius liliis simul pascitur. Vnde lilia illa dulcedinis cœlestis sponsi ab vmbraticis mundi gaudiis discriminauit perfecta illius æmulatrix. Vnde ei congruunt, quæ de perfecta Dei sponsa Greg. Nyssen. hom. 5. scribit: *Qui nutriuntur per lilia, hoc est, quorum puro, & benè olenti nutrimento impinguatur anima, cum ab omni fallaci, & vmbrosa visione eorum, in qua studium multorum in hac vita confertur, se abduxerint, ad rerum veram aspiciunt substantiam, effecti filij lucis, & diei.*

Nyssen.

262. *Maria continuò orauit pro salute Iudæorum eius Gentis reliquiarum.*

Rupert.

Isai. 63.

Reuertere; similis esto dilecte mi capræ, hinnuloque ceruorum super montes Bether.] Vbi Rupert. *Quid erat hoc dicere, nisi orare pro salute reliquiarum gentis meæ? Numquid enim ego erga gentem meam minorem compassionem haberem, & charitatem, quam Propheta, & Apostoli?* Magna fuit erga gentem suam Prophetarum pietas. *Vnde inquit Isaias c. 63. Quare errare nos fecisti Domine, de viis tuis indurasti cor nostrum, nè timeremus te? Conuertere propter seruos tuos Tribus hæreditatis tuæ.* Nec minor fuit Apostolorum charitas erga contribules. *Ait Paulus* Rom. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo.* Concludit Deipara. *Igitur & me non dubitetis, postulasse pro salute reliquiarum gentis meæ.*

Compassio Mariæ de Iudæorum clade vicit Prophetarũ, & Apostolorum compassionem.

263. *Superauit Maria tristitia ex Israelis excidio Ionæ tristem affectum.*

Hieron.

Ion. 4.

Age, recognoscamus, num dolor Prophetæ Ionæ ex perditionis Iudæorum symbolo tristitiam, & compassionem Virginis ex eorundem excidio superarit? Iacebat olim ille sub hederæ vmbraculo tristitia & ira correptus, cui Deus: Putas-nè benè irasceris tu? Ioan. 4. Hebraicè pro *Iratus* est חרה לך. *Charah lach,* id est, *Tristatus es tu?* D. Hieronym. *Putas-nè benè contristatus es tu? Intelligens scilicet Israël esse periturum. Et rationabiliter ei dicit malè contristatus es, nè videretur reprehendere contristatum.* Maior profectò Virginis, quàm Ionæ erga populum suum amor fuit, maior sollicitudo. Nam & sub spiritus vmbra, & sub Christi in cruce pendentis vmbraculo populi sui excidium intelligebat, sicut exarescente hædera Ionas; dolebatque perire eum, à quo vitam hauserat; dumque doleret, Deo populum commendabat. Quonam, ait, fructu? Egit quidem, vt plurimi conuerterentur, ac tandem vt reliquiæ Israël saluæ fierent. B. Brigitta sic ad Mariam: *In hoc mundo,* ô Virgo, *Filius tuus multis annis te permanere permisit, vt tunc per tua verba prudentissima, & opera sanctissima innumerabiles Iudæos, & infideles Paganos ad Catholicam fidem conuerteret.* *Brigit.*

An Maria populi sui officiis erat obærata, vt tam anxiè dolens de illius clade, tam feruenter illius salutis negotium agere dignaretur? Minimè quidem: imò in Filio & in se innumeris erat iniuriis affecta; vnde eius ineffabilis charitas amplius elucescit. Virginis sunt illæ querulæ voces Cant. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* De Iudæis conqueritur, à quibus in Iesu passa est multa. Sed cur non de Gentilibus? An-non pugnauit contra eam Pilatus, qui Christum condemnauit? Num non pugnauerunt milites, qui eum cruci affixère? Quare ergo de eis non conqueritur Virgo, sed rem ad synagogæ filios coërcet? Crediderim, quia maior offensa est, quæ à propinquo, à magis noto, ab amico, & à maioribus beneficiis donato recipitur. Pulchrè ait Philippus Abbas. *Attendendum quòd cum aduersus Virginem tam Gentiles sæuiant, quàm Iudæi, cum Pilatus agat, & milites, quod verbis expetunt Pharisæi; hic tamen vbi pugna spiritu Prophetali, nuptiali cantico recensetur, suos tantum Virgo commemorat, exteriorum mentio non habetur. Filij, ait, matris meæ. Vt quid hoc, nisi quia recto iudicio plus molestat, qui cum deferre debuit, dehonestat: qui, cum in sinu eius speranda fuerit requies, vt amici, quem fouere debuerat, tradit manibus inimici.* Hinc Deiparæ charitas ineffabilis ostentatur, dum querelarum tam iustam causam obliuioni tradens, pro illorum salute anxia precatur. *Surge* ô Dilecte è sepulchro, & qui iustè exurgere poteras vt taurus, vt leo Iudæos Deicidas exitialiter vulneraturus veni, veni ad eorum salutem vincens super nouæ Ecclesiæ montem capreæ, hinnulique ceruorum velocitatem. Hisce precibus præstitit Virgo piissima, vt quidam bonæ notæ Auctor contemplatur, nè terra diduceretur, omnesque qui aderant Iesu mortis acclamatores (sicut in Dathan, & Abiron factum legimus) absolueret, ac deglutiret.

264. *Curabat Mariæ salutem Iudaici populi, à quo in Filio, & in se multis fuerat iniuriis affecta.*

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululùm cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum mediâ charitate constrauit propter filias Ierusalem. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Vers. I.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

1. *Virgo, si hic Deum clarè non vidit, fuit vt per fidei exercitamenta amplius mereretur.* Guillelm.

IN lectulo meo quæsiui.] Non sufficiebat Mariæ ineffabili dilectioni potiri Christi humana præsentia, vehementer exoptabat eius frui Diuinitatis aspectu, & id in suomet sponsi cœlestis lecto, dum videt, illum in proprio lecto suo non inuenisse. Pulchrè de more Guillelmus ait. Quærebat Maria verbum in lecto suo, seu in sinu Patris, quia in *meo* inquit, *non inueni. Nam alium lectum* Verbum *habet apud Patrem, alium apud Matrem. Ille est æterni Patris sinus: & est magnus lectus: hic est temporalis Matris vterus, & est præ illo paruulus lectulus. In hoc lectulo quæsiuit illum, quia ibi latebat in homine Deus. Sed quoniam altè latebat, quæsiuit, & non inuenit. Quæsiuit per fidem; sed non inuenit per speciem, seu per claram visionem; sic enim tantum in magno illo lecto inuenitur.* Profectò si adhæreas eis Doctoribus, qui asserunt nec Deiparæ fuisse hic concessam claram diuinæ essentiæ visionem, &c. id Deum gessisse, vt Virgo magis ac magis ex fidei exercitamento mereretur. Quod Guillelmus innuit: *Quæsiuit per fidem.* At qui sentio cum his, qui concessam fuisse virgini dum viueret illam beatissimam visionem, dixerim, Patrem in præsenti non negare, aliquando eam illi per breues morulas fuisse concessam; sed ea non fruitam fuisse per modum status, quæ solum conceditur beatis in patria cum Deo in magno illo lecto sine intermissione discumbentibus.

Deū hic Maria aliquando clarè aspexit.

2. *In lectulo meo*, id est in vtero, vbi Christus nouem mensibus requieuit. An *lectulus*, & non *lectus* absolutè vocitandus vterus Christum Deum, & Hominem capax excipere? Lectus immensus poterat appellari Mariæ vterus ob immēsitatem habitatoris immensi, Patris sinus æmulator. At ineffabilis Mariæ humilitas eum non *lectum*, sed *lectulum*, esse recognoscens sine fictione ait: *In lectulo meo.* Annotauit id Guillelmus. *Nota humilitatem beatissimæ Mariæ suum purissimum vterum lectulum,* non lectum *vocantis.*

Maria humilitas suum vterum Dei ea atem non lectum, sed lectulum vocantis. Guillelm.

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic.

3. *Ineffabilis Mariæ erga Deum amor; eum solum sua in mente, & voluntate admittentis.* Philip.

Philippus Abbas in *lectulo* angustiam mentis Mariæ contemplatur, quæ nunquam nisi Dei capax fuit, nullum vnquam recepit alienum. Lectulus, inquit, hic, vt arbitror, dici potest angustia quædam mentis, in qua se ipsam colligit, & adstringit voluntas diligentis: cum scilicet ei, quem diligit, summo desiderio vult placere, ei solùm colloqui, & arctis eius amplexibus cohærere. Quo æstuans propositio, dum ab his sensibilibus resilire volens, carnis velut nescia, amore sponsi ebria, quem prægustat, vnus cum illo Spiritus breui *tanquam lectulo se angustat Virgo.* Itaque in quadam mentis angustia se recludens, nec præter eum, cum quo vnus est Spiritus, quemquam pariter introducens, ipsum, quem diligebat, in hoc apud se lectulo requisiuit.

4. *Maria nesciuit aliū amorem, nisi Dei lecto cordis suscipere.* Isaiæ 57. Philip.

Dixerat Isaias c. 57. *Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum.* Hoc accidit sponsæ illi, quæ perfectioni studens, alium præter Deum animo fouet affectum; mentis lectulum pluribus amatoribus, vel amatis capacem efficiens. Aptè hæc Philippus Deiparæ accommodat. *Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum ait sermo Propheticus. Dilatauit cubile suum, qui mentem perditam foras fudit, suscipitque adulterum, cum peccati alicuius lenocinium introducit. Virgo verò fuit semper prædicta nescia latitudinis.* Consonat Gillibertus hîc serm. 2. *Bona quidem hæc breuitas lectuli, quæ nescit nisi dilectum* Gillibert.

dilectum suum, id est Christum suscipere. Cur enim non in bono coarctatio accipiatur, si dilatatio strati in opprobrium Isai. 57. *vertitur?* Anima ergò Deiparæ se solius Dei capacem recognouit, Dilectus meus mihi, & ego illi, nec capax est cordis lectulus, vt alium admittat.

5. *Ineffabilis amoris affectu Maria absentem esse dicit eum, qui præsentem semper habebat.* 1. Pet. 1.

Profectò Deipara nunquam-non dilecti præsentia fruebatur, at ardentissimi amoris affectu, ei videbatur illum non possidere. Audi Rupert. *Quantò vicinior hic dilectus habetur, tantò vehementius desideratur. Qui habent, habere desiderant: qui vident, desiderant videre. Nam Angeli vident, & tamen, scriptura teste, desiderant eum prospicere.* Pulchrè admodum id Mariæ accommodat profanti: *Ego eum non vtcumque habui, aut vidi eum; sed in vtero gestaui; & genui eum, & ei Mater lac præbui, & diligenter contemplata sum. Quid putatis quot noctes duxi, videndo, & audiendo eum? Non enim sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed totis noctibus in lectulo meo, in cubili meo, peruigil fruebar illo, & adorabam paruulum: audiebam, & adorabam iam adultum, cum intra dulcia colloquia per oculos suos, oculos corporis transfuderit mihi sua Diuinitatis aspectum. Ita tamen contemperans, vt tolerare possem, quem tremunt Angeli. Ita in lectulo meo habui eum; sed deinde contigit mihi, vt ibi non inuenirem eum. Dixit enim: Quid mihi & tibi mulier?* (Ioan. 2.) *Iam ex quo baptizatus est à Ioanne, in lectulo, siue cubili meo iam non inueniebam eum.* (Matth. 4.) *Nam statim ductus est in desertum ab spiritu. Itaque desiderio quærebam, & non inueniebam eum, vt solitaria possiderem solitarium.* De duplici igitur Deiparæ absentia conqueritur: vnam gerit Christi in desertum recessus, alteram ineffabilis dilectionis affectus efformat.

Conqueritur Maria, quod Iesum ad desertum recedentem non in cubili inueniat.

6. *Maria possidens semper Deum, intensè semper eum quasi absentè quærebat, vt copiosius eum velut de nouo obtineret.*

Quæsiui quem diligit anima mea. Maria quidem, qua cum dilectus semper commoratur, semper eum velut absentem quærit, vt semper miris profectibus, quasi de nouo obtineat. Dionysius Carthus. ait: *Cum sacratissima, & suauissima Virgo, quamvis maximè confirmata in gratia, tamen viatrix fuit, & incomparabili ardens dilectione excellentissimè quoque fuit proficiens omni die in vniuersis gratia charismatibus.* (Carthus.) *(Nec enim vnigenitus & liberalissimus Filius tot guttas virginei lactis ex Deificatis suæ Matris vberibus suxit, quot illustrationibus, & sacris ardoribus electissimam eius animam adimpleuit) certum est, quod ipsa diuinissima, & spiritualissima Virgo in lectulo suo non solum spirituali, videlicet tranquillissimi pectoris pace, sed etiam corporali dilectum suum præ cæteris cunctis ineffabiliter ardentius quæsiuit, intensissimè deprecando, sublimius contemplando, copiosius obtinendo.* Igitur quæ possidebat illum, intensius quærebat, vt quasi de nouo copiosius obtineret. Illa nomina in superlatiuo collocata attende quæso: *Sacratissima, suauissima, diuinissima, spiritualissima.* Nihil enim de Maria excogitari potest, quod in gradu superlatiuo collocari non debeat.

Tot Maria Iesu infundebat gratias, quot lactis guttulas ex eius vberibus sugebat.

Nihil de Maria potest excogitari, quod in gradu superlatiuo collocari non debeat. Carthus.

7. *Maria dolens Iesum in Templo remanentem quæsiuit.*

Idem Pater hæc verba: *Quæsiui, quem diligit anima mea*, triduo illi adaptat, quo Dei parens Filium apud Ierosolymam remanentem dolens requisiuit. *Hæc item* (ait ille) *superficialiter potest intelligi de triduo, in quo sanctissima Domina quæsiuit dilectum, cum ille duodecim existens annorum mansisset, ea ignorante, in Ierusalem, & in Templo, in quo post triduum reperit eum.* Cur si reperit eum, fatur: *Quæsiui, & non inueni?* Quæsiuit profectò, & quodammodo non inuenit eum. Quomodo namque inuentus, qui se Matrem agnoscere dissimulabat? Nonne dissimulauit primùm in ipso Templo, quando dixit: *Quid est, quòd me quærebatis?* & alium sibi Patrem, quam Mater dixerat, esse indicauit. Secundò in Galilææ nuptiis. Quando dixit: *Quid mihi & tibi est mulier?* Ioan. 2. Tertiò quando dixit in synagoga: *Quæ est Mater mea?* Matth. 12. An-non illud eum inuenire potiùs non inuenire fuit? Quæsiui eum, & non inueni.

8. *Triduo mortis Domini Maria illum quærens non inueniebat.* Alan.

Alium quærendi modum Alanus suggerit hisce verbis. *Lectus intelligitur sepulchrum in quo requieuit corpus Domini. Per noctes, id est, per multas tribulationes, quas de amarissima dilectissimi Filij passione sustinuerat, & potissimum in mortis Christi triduo, quæsiuit per desiderium quem diligebat anima sua. Quasi eum Propheta diceret: Quæsiui, qui simul contristaretur, & non fuit.* Psal. 68. *Hic igitur primò in lectulo quæsiuit, & non inuenit. Lectus est, in quo solent fessa diurna fatigatione corpora quiescere: per quem eleganter quies mentis designatur, in qua Deus est quærendus. Sed quia pro vita huius statu huiusmodi quies exigua est, & angusta: non in lecto, sed in lectulo dilectum quæsiuisse perhibetur.*

Psal. 68.

In mentis quiete Maria Deū requirit.

9. *Quærebat Maria Christum in domo, vbi in vltima cœna vidit cum Discipulorum pedes abluentem.* Alan.

Addit Auctor, *Per lectum etiam non absurdè domus illa in arce Sion sita, in qua Christus cum Discipulis supremam cœnam celebrauit, significatur; in quam post Filij passionem gloriosa Virgo sese recepisse perhibetur, quærens per crebra suspiria, & sancta desideria quem diligebat anima sua, vbique loca illa venerabatur, venerandoque cordis osculabatur ore, in quibus dilectum Filium vel cum Discipulis accubuisse, vel in eorum pedum lotione fuisse prostratum, aut alicubi resedisse imaginari poterat. Sed quid per huiusmodi piæ deuotionis obsequia, queis dilectum requirebat? Minimè inuenit, quia ex his consolationem non recepit.*

10. *Quærebat Maria hic Filij Diuinitatem.* Honor.

Vera hæc sunt, sed alia his magis conuenientia. Nempe sensus eorum, qui existimant, hæc de natura diuina Filij potius accipienda. Honor. *In requie sua contemplationis Maria in huius vitæ nocte dicit, quæsiuisse Filij Diuinitatem, sed non inuenisse, quia non potuit ad eius altitudinem pertingere.* Vberiùs Guillelmus, *Verba sunt piæ Matris adolescentulas adhuc carnaliter sapientes suo exemplo ad æmulationem spiritualium prouocantis. Neque enim ipsa contenta fuit Christum nosse secundum carnem, in Diuinitatem eius mente flagrabat: carnis eius faciem læta videbat, sed faciem Diuinitatis eius nihilominus cum hilaritate quærebat.*

Guillelm.

11. *Affectuosissimus Mariæ erga Deum amor.* Gillibert.

Quem diligit anima mea.] Hic Gillibertus Abbas hanc excitat quæstionem: *Quid sibi vult, quod Animam, non spiritum dicit? Et quidem nunquàm in toto hoc Cantico spiritum nominat, sed semper Animam. Anima mea liquefacta est: Anima mea conturbauit me: Quem diligit Anima mea.* Respondet. *Possumus conuenienter sicut in spiritu subtilem, & actualem intellectum, sic & in anima suauem, & tenerū affectum intelligere. Iure igitur optimo animam suam diligere*

gere

gere sponsa dicit, exprimere volens intimam quãdam viuidam, & animatam affectionem. Qua quidem Maria nos edocet Deum esse quærendum. Aliter autem huic quæstioni possumus satisfacere. Maria in hoc nuptiali Cantico Deum quærit sponsum, non solùm vt purè Deum subtilem, & incorporeum; sed vt hominem futurum. Anima vero in hoc vocabulo dependentiam à corpore dicit, cuius est anima. At spiritus quid omnino quasi independens à carne exprimit. Vnde Angeli dicuntur *spiritus*, animæ minimè. Ideo igitur sponsa corporea, Dei hominis mater futura, non se spiritum nominat, sed animam, vt vel sic agnoscamus eam Deum incarnandum requirere: vel futuram esse aliquando Filij sui animam per affectum compassionis iuxta illud Simeonis vaticinium. *Tuam ipsius animam*, id est, animam tuam, quæ est anima ipsius *gladius* doloris *pertransiuit* Luc. 2.

Maria Dei quærebat, & expectabat Incarnationem, vt quasi anima Christi efficeretur.

Luc. 2.

Vers. II.

Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

12. RVpertus hanc sententiam accommodat Deiparæ perpetuæ Filij vel corporeo gressu sectatrici. *Surgam, & circuibo ciuitatem, &c. Dixi & feci sic. Cum enim circuiret* Filius *per ciuitates, & Castella prædicans Euangelium Regni Dei, ego sequebar, & quærebam eum. Quæsiui illum, & non inueni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem suam cognoscere quodammodo dissimulauit. Quodam enim die cum loquente eo ad turbas dixisset ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? Hoc modo me matrem suam agnoscere dissimulauit. Post hæc iuxta crucem eius steti. At num hoc fuit inuenire dilectum? Imo fuit mihi inuenisse gladium, qui & pertransiuit animam meam.* En etiam cum adest dilecto eum minimè inuenit.

Perpetua Iesu fuit Maria corporeo gressu sectatrix. Rupert.

Etiam cum adesset illi, aliquando eum non inueniebat.

13. Honorius vero hinc meditatur Mariæ contemplationem circa perfectionem dilectissimi Filij, cui similis nullus Angelus ei meritò apparuit. *Surgam*, ait Maria, *corde ad cœlestia, & mente circuibo ciuitatem, id est, Angelorum agmina per vicos, & plateas, id est per Angelos, & Archangelos quæram Christum, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni vllum illorum similem illi.* Agnouit Virgo Angelos vicis, ac plateis assimilari, quia per Filij eius Incarnationem tam familiares sunt Angeli hominibus, quàm familiares & vsuales sunt vici, & plateæ inambulantibus. An non huiusmodi commercium Virgini illud *Fiat* proferenti debetur?

Maria contemplatio circa Christi perfectionem, cui nullus Angelus similis reperitur. Honor.

Mariæ debemus, Angelos nobis tam familiares esse.

14. Dionysius Carthus. persequens sensum Mariæ triduo illo quærentis Iesum apud Ierosolymam remanentem, adiicit: *Surgam mane de lecto, & circuibo ciuitatem Ierusalem; per vicos, & plateas eius quæram dilectum præsertim inter cognatos, & notos.* Sed inter eos eum *non inueni*, quia solum in iis, quæ ad Patris cœlestis præscriptum pertinent, occupatur.

Quærit Maria Iesum inter cognatos, nec inuenit. Luc. 2. Carthus.

15. Loco verborum illorum. *Per vicos, & plateas.* Pagninus legit: *Quæram per alta loca.* Chaldæus. *Ascendam super excelsos cœlos.* Profectò Maria non per loca infima Deum quærit, sed per eleuatissimos gratiarum, virtutumque vertices.

Maria per eleuatissimos gratiarũ, & virtutum vertices Deũ quærit.

16. Porrò Richardus Laurent. lib. 11. de laud. Virg. aliò diuertit. Ait enim, hæc verba *Surgam*, & circuibo ciuitatem proferri ab anima fideli expetente Deum inuenire. Vnde circuire ciuitatem intendit, vt proculdubio inueniat. Quænam ais hæc ciuitas? Respondet ille. Ciuitas est Maria, *de cuius plateis dicitur.* Apoc. 21. *Platea ciuitatis aurum mundum. Platea dicitur à Græco πλάτος, quod est latitudo*, & designat latitudinem charitatis Mariæ, qua præsto est illos omnes liberaliter recipere, qui prius ambulabant per latam viam, quæ ducit ad perditionem. Matt. 7. Qui ergo curat diuertens ab exitialibus illis plateis Deum requirere, & salutis viam inire, ad Mariæ plateam accedat, circuiêa Virginis ciuitatem, & Deum inueniet apud illam commorantem. *Dicat ergo* (Richardus addit) *qui huiusmodi est desiderio, & re illud Cantici: Surgam & circuibo ciuitatem, id est Mariam per vicos, & plateas quærens, quem diligit anima mea, qui in Maria, & per Mariam inuenitur.*

Maria est ciuitas in qua, & per quam Deus à se ateribus est inueniendus. Apoc. 21. Richard.

Matt. 7.

17. Qui ergò vult Deum, quem ob peccatum amisit iterum inuenire, non pergat cum Maria ad ciuitatem Ierosolymam, vt illum requirat post tres absentiæ dies, & molestiæ totidem. Luc. 2. ad ipsam ciuitatem Marianam accurrat; illam piis precibus circuiens, illicò Deum in ipsa & per ipsam inueniet. Nunquam enim Deus ab illa recedit. Ideo cum Maria clamaret Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes?* Respondit sponsus: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, abi, & egredere post vestigia gregum.* Ac si diceret, si te non agnoscis esse ciuitatem, in qua semper habito, & à qua nunquam recedo, sequere greges fidelium, quorum me profiteor esse pastorem. Sed cur gressus velut otiosè ad agros diriges, si in te nunquam non commorantem inuenies. Qui Christum quæris, circui Mariæ ciuitatem, & illum inuenies, quia (vt ait Richardus) *in Maria, & per Mariam inuenitur.* Te autem Maria non repellet, quia huius ciuitatis *plateæ charitatis Mariæ*, obiiciunt *latitudinem.*

Nunquam à Maria recedit Deus. Bernard. Cant. 1.

Vers. III.

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?

18. INuenerunt me vigiles.] Spiritus Angelici sunt, qui hîc vigiles appellantur. Dan. 4. *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit*, id est, Angelus. Et inibi vers. 14. *Decretum est in sententia vigilum*, id est Angelorum Ita Ambrosius, Nyssenus, Theodoretus, & alij.

Maria non inuenit Angelus sed ab eis inuenitur; anxie enim eum quære-

...bant, & vt desiderabant Christi Matrem. Ambros. Theodor. Nyssen. Dan 4. Guillelm.

alij. *Nam hi sunt* (inquit Guillelmus) *vigiles qui custodiunt ciuitatem, seu Ecclesiam electorum secundùm illud Apostoli: Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium; missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Hi sunt vigiles, de quorum sententia, vt in Daniele legimus, Rex superbus vltioni diuinæ subiacuit, quorum eadem, quæ Dei sententia est: Dei per auctoritatem, vigilum per ministerium executionis.* Addit Abbas appositè: *Ab his vigilibus Maria inuentam se dicit: non verò à se vigiles inuentos.* Et Philippus Abbas (Philip.) *signanter non vigiles à virgine: sed Virgo à vigilibus est inuenta.* Cur igitur Maria circumïens ciuitatem, vt dilectum quærat, dicitur ab Angelis inuenta, & non ipsam Angelos inuenisse? Mittens duorum Patrum solutiones, de quibus inferiùs dixerim, beatissimam Virginem inuentam fuisse ab Angelis, quia ipsa ab Angelis anxiè quærebatur. Inuentio enim rei alicuius & ipsius desiderium, & accuratam inquisitionem præcessisse. In hoc autem ineffabilis Mariæ dignitas emicat. Quamuis enim Virgo per humanam naturam sit creatura Angelis inferior: est tamen per gratiam, & Dei maternitatem adeò Deificata, vt iam possit simul cum Filio suo Deo & homine esse dignum desiderij Angelorum obiectum, & inquisitionis anxiæ omnium sublimium creaturarum: vt simul cum Christo Domino dici valeat *desiderium collium æternorum.* Methodius (Method.) homil. de Purific. inquit: *Benedicta tu, & prorsus benedicta, omnibusque* Angelis & hominibus *desiderabilis. O sponsa desiderata!*

19\. *Desiderium spirituũ cœlestium ac Mariæ aduentu ter vincta post lapsum Adæ sæcula.* Damasc.

Confirmo id ex Damasceno orat. 2. de Nat. Mar. *O desiderabilis, ac ter beatissima fœmina; Certabant inter se sæcula, quodnam ortu tuo gloriaretur! O desiderabilis Angelis!* Certum est enim cœlestes spiritus à primo suæ creationis instanti quæsiisse, & desiderasse Christum incarnandum, si gloriam obtinuerant, eò quòd eius humanitati sese submiserunt; quod rebelles Angeli gerere noluerunt; consequenter autem debebant illum quærere, & desiderare *ex muliere factum.* Mater enim & Filius sunt res ita connexæ, vt vnum sine altero quæri, ac desiderari non valeat, simul ergo cum Christo Deo & homine futuro matrem Mariam Deificandam quærebant, & dignam tanto muneri ciuitatis nouæ Ecclesiæ custodes futuri perfectionem inuestigabant. Angeli, qui custodiebant cœlos, quærebant Dei Matrem super omnes cœlos exaltandam, per quam portæ cœlorum hominibus tunc clausæ erant reserandæ. Angelus præses solis motibus, requirebat Mariam solis iustitiæ matrem, solis splendoribus induendam. Angelus Lunæ custos illam quærebat mulierem sole amictam, quæ omnium imperfectionum Lunam erat sub pedibus habitura. Sic mundialis *ciuitatis* tunc *custodes*, nunc Ecclesiæ per singula sæcula Mariam inuenire gestiebant, & tandem *me* (inquit illa) fœliciter *inuenerunt.*

20\. *Maria dum vixit in hoc sæculo frequentibus Angelorum visitationibus fruebatur.* Guillelm.

Guillelmus ex hisce verbis, *Inuenerunt me vigiles,* colligit Mariam, dum apud nos commoraretur, frequenter Angelorum visitationibus fuisse fruitam. *Non possumus Angelos inuenire, id est, ad eos ingredi intus in gaudio Domini custoditos, dum in corpore peregrinamur à Deo. Porrò ipsi imperio conditoris egrediuntur, vt nos quærant, & inueniant, id est, vt quæ ad nostram salutem pertinent, agant circa nos, etiam dum nos nescimus. Quis autem dubitet, eos Matrem Domini* specialissimè quæsiisse, & inuenisse, *dum in corpore peregrinaretur, id est, illam visitasse crebrò, & cum ea sæpiùs dulcia colloquia miscuisse?*

21\. *Maria inuenitur ab Angelis, non illos inuenit, quia ipsa solum Deum quærebat.* Philip.

Philippus Abbas sic dubio illi reddit solutionem. *Signanter non vigiles à Virgine, sed Virgo à vigilibus est inuenta. Virgo enim sicut non homines, sic nec Angelos requirebat: sed Dominum Angelorum inuenire summo satagebat studio.* Tota itaque Deo soli erat addicta. Vnde Angeli illam quærebant, vt tantum in virtute profectum admirarentur, & applauderent. Adiicit Abbas. *Quia super hanc ciuitatem* mundi *vigilum sollicitudo est intenta ad hoc, vt diligenter quærant, quis profectum accipiat sanctitatis, vt* Mariæ *congaudeant affectuosa beneuolentia charitatis,* eam curant inuenire.

Mariam quærunt Angeli, vt ineffabiles eius virtutes applaudant.

22\. *Mulcetur Maria ab Apostolis Ecclesiæ custodibus, esum resurrexisse.* Isai. 62. Rupert.

Aliter Rupertus. *Qui vigiles? & quam custodientes ciuitatem? Discipuli eius, quia ad hoc erant dispositi, vt custodirent, imò vt ædificarent ciuitatem veram Ierusalem, de qua, vel ad quam ipse dilectus per Isaiam dixit: Super muros Ierusalem constitui custodes: & tota die non* tacebunt, laudare nomen Domini. *Isti vigiles* (ait Virgo) *me inuenerunt, & mulieres, quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, inueneruntque me bonum afferentes nuncium, quia resurrexisset, & vidissent Dominum.*

23\. *Angeli Mariam consolabantur de morte Filij ineffabili dolore affectam.* Alan.

Porrò Alanus non Apostolis, non piis fœminis hoc nomen, & officium vigilum, sed Angelis vti Guillelmus, & Philippus adaptat. *Vigiles*, inquit, *id est, Angeli sancti quasi venerunt, & inuenerunt Virginem plorantem in morte dilectissimi Filij. Vt consolarentur eam, quæ ob absentiam Christi tristi premebatur dolore, & angustia, in quo statu est inuenta.* Quia scilicet cœlestes consolationes studiosè quærunt, & inueniunt hi, qui de Dominica passione cordis amaritudine tristem pium foueant affectum.

24\. *Rogat Maria Apostolos, an viderint dilectum, & ipsi de eius resurrectione dulce nuncium reddunt.* Haigr. Rupert.

Profectò Hailgrinus vult ciuitatem hanc esse ipsam terrestrem Ierosolymam: Custodes esse Pharisæos, *à quibus B. Virgo frustra de dilecto interrogauit passionis tempore, quem increduli nosse recusarunt.* Ruperto autem sunt Apostoli & discipuli, quia ad hoc erant constituti. Ab his ait Deiparam interrogasse: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* At illis respondisse: *Vidimus, apparuit Simoni, visus est euntibus in Emaus, & stetit in medio nostrûm.* Attamen tanti Patris venia hæc satis contorta esse asseruerim. Quia contextus indicat, potiùs vigiles contempsisse, quam ad cor sponsæ respondisse, quod ei satisfaciebat. Denique vidit Filium prima postquam resurrexit, ideò non nimis hæc decorè dicta, nisi vt piæ concionis cogitationi seruiant.

25\. *Maria Angelos interrogat de Christi diuinitate, et ipsi ei non respondent, quia ineffabile est quod interrogat.*

Num quem diligit anima mea vidistis? Guillelmus. *Credimus piam Matrem circa carnem Verbi materna pietate sollicitam: sed verbum apud Patrem pia, & flagranti fide quæritantem, hac ipsa de re Angelos amoris sui conscios non rarò interrogasse: Num quem diligit anima mea vidistis? Multa de illo noui,*

plura

plura nescio; si quid nostis, quod nesciam, nolite calare. Quid illi responderint omnino tacetur. An forte non responderunt? Dicit Guillelmus respondisse, *& talia de interna visionis gaudio respondisse, quæ humana locutione nequiuerint enarrari.* (Guillelm.)

26. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Verè humilis Virgo vult ab Angelis edoceri, quæ vt ipsorum Magistra, eos Angelos & homines erudire posset. Profectò non tam miror Mariam doceri ab Angelis voluisse: quam quod interrogati Angeli haud ei reddiderint responsum. Rogantur à Maria & tacent: obuiam ei procedunt, quam requirebant, quam desiderabant, & illam non salutant? & illi non respondent? An hæc taciturnitas fuit contemptus indicamentum? Absit. Fuit namque erga Maria ingentis venerationis indicium. Talis est Virgo, vt coram illa Angelorum sapientia obmutescat. Vnica Mariæ interrogatio, quasi omnium Angelorum sapientiam absorbet. Nec Cherubicus chorus se sufficientem reputat, ad interrogationibus Deiparæ satisfaciendum. Veréne Maria est quid diuinum? In sapientia communicata habet per gratiam, quod diuina sapientia per naturam? De Deo inquit Iobus cap. 9. *Si repente interroget, quis respondebit?* O quàm æmulatrix per gratiam sapientia Mariæ, cui interroganti nec Angeli audent respondere! Cherubini illi coram Arca fœderis adstantes alas habebant extensas quasi intendentes volare, sed omnino stupentes. Ezechiel. 10. Innuebant planè, quod coram animatæ Virgineæ arcæ conspectu Cherubicæ sapientiæ vis conticescit. Quod si Gabriël tam disertè loquutus fuit Mariæ. Luc. 1. non mirum; non enim suo, sed ipsius Verbi diuini ex nomine loquebatur.

(*Tanta Mariæ maiestas, vt coram illa nō audeant vel Cherubini sapientissimi loqui, vidētes eam Deitatis æmulatricem.* — Iob. 9. — Ezech. 10.)

27. Philippus Abbas hinc ineffabilis Mariæ erga Deum sponsum amoris præstantiam ponderans, scripsit. *Debuerat Virgo moderatior in silentio sustinere, dum priores Angeli loquerentur, quos dignitatis gradum superiorem secundum naturam nouerat obtinere: eisque primùm respondere loquentibus. Cæterùm vti modo, vel moderamine immoderatior amor nescit; non sexum, non ordinem, non prætergredi terminos pertimescit. Omnium iura legum quodam mentis fastu videtur obliuisci, iustum solummodo putans eius, quem diligit incessabiliter reminisci. Quapropter ab eisdem, qui supra curam ciuitatis vigilant, studiosè conueniri non sustinens, eos potius conuenit curiosè; & amor igne fortior sub fauilla cineris nesciens contineri, flammescit euidentius, & à circumstantibus vult videri.* Pulchrè planè.

(*Amoris Mariæ in Deum vis exprimitur.* Philip.)

28. Inferius, Pater Mariæ in Deum dilectionis præstantiam manifestat. *Ad requisita Virginis non inducuntur Angeli respondere: fortè quia respondendi moram Virgo sustinere noluit, cuius animum æstuantem omnis dilatio iam molestat; & ob hoc quod impatiens moræ fecerit, manifestat.*

(*Adhuc amoris erga Deum Mariæ præstantia ponderatur.* Philip.)

29. Ex Gisliberto autem suspicanti Angelos Mariæ interrogationi respondisse, colligo Virginis humilitatem, quæ profundissimi silentij velamine curauerit cœlestia specialissima dona obnubilare. Ait ille serm. 6. *Dulce puto susurrum, quod inter sponsam custodesque vertitur, & grata collatio, si tamen collatio; nulla enim eorum responsio memoratur. Secreta valde est, si qua est, quam alto tegendam silentio putat. Secretum suum sibi, secretum suum sibi. Nec audemus hinc aliquid coniicere, quod sponsa curauit retinere.* Edocet Deipara cœlestes illustrationes & reuelationes haud facilè euulgandas.

(*Mariæ humilitas curauit cœlestia dona, & illustrationes silentij velamine obtegere.* Gisliber.)

Vers. IV.

Paululùm cum pertransiissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Paululùm cum pertransiissem eos.] Guillelmus Angelos Mariæ sic loquentes inducit: *Tu etiam ô Domina, supra nos assumêris, vt inuenias Iesum tuum in diuinitate sua, in æqualitate Patris. Pertransibis nos, & inuenies quem nunc quæris. Transiisti nos* excellentia meritorum, *sed non pertransiisti. Illud tribuit tibi meritorum prærogatiua, istud pondus carnis denegauit. Verùm cum Iesus tuus in cælum ascenderit, & tu post illum assumpta fueris, pertransibis nos, vt quadam singularitate honoris, & gratia, atque gloria super omnes Angelorum Choros eleuêris. Cæteris autem sanctis æqualitas nostra permittitur, atque promittitur: tu autem sola inter puros homines gratia prolis tuæ etiam Angelicam humilitatem transcendis.* Cur non dixit, *Angelicam sublimitatem*, sed *humilitatem?* Certè quia facta mentione celsitudinis Mariæ, & in eius conspectu præcelsior Angelorum sublimitas, submissior humilitas apparet. *Pertransibis ergò nos, sed paululum. Nam Iesus tuus pertransibit nos longè & multum in dexteram Patris assumptus. Vt ab omni creatura intellectuali non tantum in diuinitate sua, sed etiam in humanitate adoretur: & in nomine eius omne genu flectatur.* An Angeli Mariæ quæritanti. *Num quem diligit anima vidistis?* responsionem dedêre: illa autem iam lætabunda clamat: *Paululum cum pertransiissem, inueni quem diligit anima mea. Nam assumpto Iesu meo in gloriam* (adhuc Abbas) *suam, assumpta & egò sum post eum, & sic pertransiens paululum Angelos, inueni eum, & aspexi facie ad faciem in æqualitate Patris considentem.* 30.

(*Maria assumpta in cœlum omnes Angelorum Choros pertransiit cunctis admodum superior.* Guillelm. — *In conspectu celsitudinis Mariæ præcelsior Angelorum sublimitas, sub missior humilitas apparet.*)

Dionysius Carthus. asserit, Mariam Deum sibi, & cunctis hominibus ex charitatis superfluentia: & demum suis meritis, precibus sibi, & illis eum inuenisse. *Deifera hac sponsa Filium suum quæsiuit in lectulo suo corporali, & spirituali non sibi ipsi duntaxat, sed omnibus hominibus; pro quorum salute fuit sollicita, assiduè preces fudit, vt eis gratiam conuersionis, reformationis, ac consolationis internæ acquireret. Nec tamen pro omnibus illis exaudiebatur ad votum propter eorum nimiam peruersitatem. Cumque esset humillima, non de suis meritis præsumpsit. Imò sanctorum, Patriarcharum, & Prophetarum virtutes, ac merita animo perlustrauit, & per ea petiit aliquando exaudiri. Sicque per vicos & plateas quæsiuit dilectum, quem illis transmigratis inuenit;* 31.

(*Nobis Maria Deum quærit, inuenit.* Carthus. — *Tanta Mariæ humilitas, vt aliorum sanctorum intercessione apud Deum vteretur, ad optata impetrandum.* Carthus.)

quoniam pro meritis ſuis potius, quam illorum pro plurimis exaudiebatur.

32\. *Tam acutus fidei Mariæ oculus, vt in exilio quodãmodo clare videat Deum veluti adeſſet in patria.* Philip.

Philippus autem Abbas appoſitè admodum locum expoſuit. *Videns* (ait Virgo) *Angelos meum mihi deſiderium non ſupplere: videns cuſtodes ciuitatis efficacem ſupplendi gratiam non habere: tranſiui conſiderans vtrum Cherubini ac Seraphini, & ſpiritus excellentiæ dignioris conferrent æſtuanti donum ſufficientiæ plenioris. Tranſiui ergò Angelos, cum adſcendi ad illos ſpiritus digniores: pertranſiui, cum attendi, neutros poſſe eſſe deſiderij mei ſuppletores.* Adiicit mox Doctor. *Cum vero dicat Virgo, ſe illum, quem diligit inueniſſe, quid eſt, quod præmittit, ſeſe paululum Angelos vigiles pertranſiiſſe, cum non paululum, ſed plurimum pertranſiiſſe omnia videatur?* Reſpondet, *ſed quia tenetur lege mortalium carnis vinculo grauiore, quantumcumque proficiat æſtu deſiderij purioris, non tamen ſponſum inuenit, niſi oculo tantum fidei, vel amoris:* rectè *dicit*, Paululum *reſpectu gratiæ plenioris: qua etſi ſtudio, & gratia ſuum prouehit intellectum; prouentuque mirabili ſupergrediens Angelos, peruenit ad dilectum; tamen quia hac peruentio, dum hîc viuitur, habet aliquid imperfectum: paruo quaſi tranſitu oculo fidei ſe tranſuehit.* Fidei namque Deiparæ oculus adeò erat perſpicax, vt ante claram Dei viſionem in patriâ futuram, Deum clarè quodammodò in exilio conſpiceret.

33\. *Probabile eſt, Mariæ Matri Filium reuelaſſe adhuc viuenti diuinam eſſentiã.* Honor.

Honorius ſpeciali interpretatione ſententiam illuſtrauit, particulam illam *Paululum* non adiungens cum verbis ſequentibus, *pertranſiiſſem*, &c. vt ſenſum efficiat. *Cum paululum pertranſiiſſem*; ſed eam ſeiungit, & præcedentibus annectit; quaſi ſit Angelorum reſponſio ad Mariæ interrogationem hanc. O Angeli, dicitote mihi, ſi Chriſti diuinitatem dignoſcatis? Qui dixerunt: *Paululum. Quamuis enim Angeli* (cum Honorio loquor) *de Deo intelligant multum; tamen ad comparationem ipſius veritatis, videtur paululum. Nullus enim Angelorum ita Deum cognoſcit, vt ſe ipſe cognoſcit. Nam nemo nouit Pater niſi Filius: nec Filium niſi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Addit opportunè. *Quod Filius creditur matri feciſſe.* Nam ſi voluntati Filij Mariæ datum à Patre eſt, vt eſſentiam diuinam cui placeat ei reuelare: Quis dubitet eum cum Matre dilectiſſima hanc poteſtatem aliquando hic non exeruiſſe?

34\. *Adeò Maria humilis, vt diuorum interceſſione vteretur, dum viueret, ad obtinendum, quod cupiebat.* Bernard. Victor.

At Richardus victor vt interceſſionis ſanctorum commendet efficaciam, ſic locum interpretatur: *Cum paululum pertranſiiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Id eſt, illico ac Angelos pertranſiui, dilectum inueni. Hos pertranſiui, vt venirem; & per hos tranſiui, vt inuenirem. Horum enim occurſu, & auxilio obtinui, quod concupiui.* Si Deus vult, vt Maria hominum & Angelorum Regina, dum in lachrymarum valle moratur, vt ſua expleat vota Diuorum interceſſione vti: quid mancipia ad veniam peccatorum obtinendam, agere debemus?

35\. *Maria aſſumpta ad ſummam gloriã, non quia Dei Mater præciſè; ſed quia præclara virtutum opera exeruit.* Richard.

Profectò alter Richardus, nempe Laurentinus ſe prædiuitem (de more) in huius verſus expoſitione oſtendit. Ait enim lib. 3. de laud. Virg. hic aſſumptionis Deiparæ gloriam ſignari. *Paululum, ait ipſa, cum pertranſiiſſem, inueni, quem diligit anima mea. Ibi enim dilectum inuenit, vbi poſitus eſt thronus Matri Regis iuxta Regem. Vbi iam ab eo audit cum gaudio, Maria, Ecce Filius tuus. Quaſi diceret, ecce quem genuiſti, quem in tanta vides fulgentem maieſtate. Nam aliquando ab eodem audiuit in ſtatu longe alio ſibi dici; Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. *Quis enim eſſet ibi gaudij locus, vbi non tantùm diſſimulabatur Mater, cum ei ſupponebatur alienus, & proprius Filius tollebatur: imò diſſimulabatur, cum non vocatur Maria, ſed mulier.* Itaque cum gaudio audit in cœlo, *Maria ecce Filius* verus tuus, *quem genuiſti*, quia iuxta crucem audiuit, *Mulier ecce Filius*, ſeu Ioannes, quem te in filium adoptare volo; vt hac commutatione tuæ patientiæ meritum augeatur. Maria enim ad tam ineffabilem gloriam Aſſumptionis die eleuata non fuit, qua Mater Dei præciſè, ſed quia ineffabilium virtutum actiones exeruit.

Cum pertranſiiſſem eos. In ſua Aſſumptione Deipara Angelos, & ſanctas animas pertranſiuit: nec dicit, quò aſcenderit, & ad quem cumulum gloriæ ſuper cunctos auolarit, quia ineffabile prorſus. Audi Richardum. *De Aſſumptione* (ait lib. 3.) *Matris poteſt exponi, quod de Aſcenſione Filij dicit Pſalmiſta* Pſalm. 17. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit. Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ. Quia nulla humana ſcientia poteſt attingere quantum Maria aſcenderit, vel ad quantam gloriam. Bis dicit Aſcendit, volauit. Nec determinat, quò aſcenderit; ſed vnde. Vſque eo enim eam proſequi potuit, qui hoc dixit; ex tunc quaſi euanuit ex oculis eius; vt quo aſcenderit, vel capere non potuerit, vel ei non licuerit dicere.* 36

Non poteſt verbis explicari gloriæ gradus, ad quem Maria fuit eleuata. Richard. Pſal. 17.

Cum pertranſiiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea. Nos edocet Virgo omnem creaturam eſſe viam ducentem ad creatorem, nec ſiſtendum in via ei, qui Deum expetit inuenire. Vnde Maria pertranſiuit Angelos, & homines imo Chriſtum, qui vt homo eſt, via quidem eſt ad Deum inueniendum. Pulchrè Richardus lib. 5. *Cum Maria dicit. Paululum cùm pertranſiiſſem eos, loquitur de vigilibus, id eſt, Angelis,* & omnibus creaturis. *Addit, inueni, quem diligit anima mea. Omnis ergo creatura pertranſeunda eſt, quaſi via, qua peruenitur ad ſponſum: Etiam ipſe ſponſus in quantum homo pertranſeundus eſt, quaſi via, non amplectendus vt finis, ſicut dicit B. Auguſtinus* lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 34. *Propter quod ipſe in quantum eſt homo, vocat ſe viam* Ioan. 14. *Ego ſum via.* 37

Omnis creatura, imo & Chriſtus vt homo Mariæ via fuerunt ad Deum, non finis, ſeu terminus. Richard.

Tenui eum, nec dimittam.] Tenuit Maria Deum, ſeu ita ei dum viueret, adhæſit, vt non potuerit ab eo ſeparari. Richardus lib. 1. ait Mariam maris eſſe ſtellam. *Omnium ſtellarum generalis eſt circumuolutio, quia ſtella quælibet mutans locum, tamen circulariter mouetur circa circuli centrum. Sola verò ſtella maris de loco neſcia moueri, circuit immobile punctum. Huius ſtellæ nomen conuenienter Virgini poteſt aptari. Punctum immobile eſt Deus, qui eſt omnium principium. Vnde ipſe dicit* Ioan. 8. *Ego principium, qui & loquor vobis. Vis audire quomodo ſtella noſtra Deum habet intra ſe? Angelus ait Ioſepho* Mat. 1. *Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Vis audire, quod non poſſit ab illo diſcedere? Audi ipſam in Canticis. Tenui eum, nec dimittam.* 38

Nunquam Maria potuit à Deo ſeparari. Richard.

Tenui

39. *Maria tenuit Deum irascentem, nè peccatores percuteret.* Deuter. 2. Richard.

Tenui quidem Deum irascentem in peccatores, nè eos exitialiter percuteret. Fatur Richard. lib. 2. *Sæpè quos Filij iustitia damnat, Matris misericordia liberat. Quæ scilicet iustitia Filij, & misericordia Matris videntur sic altercari. Quasi dicat iustitia Filij* Deut. 2. *Ego occidam, & percutiam: Matris misericordia respondeat: Ego viuere faciam, & sanabo. Fugias igitur ad protectionem manus eius, & nihil tibi timendum est. Ideo enim dicit de Filio irato, Tenui eum, ne percuteret peccatores; nec dimittam, sed continua precum instantia furorem illius detinebo.*

40. *Maria à Deo inseparabilitas.* Richard. Ierem 31. 2. Reg. 1. Rom. 8.

Redit lib. 4. idem Doctor inseparabilitatem Mariæ à Christo commendare. *De hac inseparabilitate dixit ipsa* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Vnde potuit verè dicere Filio* Ierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te. Item illud* 2. Reg. 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. Item illud* ad Rom. 8. *Quis me separabit à charitate Dei, tribulatio? an angustia? &c. & ponit vndecim adiectiua. Ergo si in tantum dilexit Regem suum miles Regis: quantum putas dilexisse Filium suum Regem Genitricem Regis? Vtique multo amplius.* Ego dixerim, Infinitè quodammodo.

41. *Tenet Maria Deum, nè nos vulneret, & simul eisdem manibus nostrorum delictorũ vulnera sanat, nè rursum illum ad iram prouocemus.*

Laudat idem Richardus lib. 4. Deiparæ tactum, & quia manibus tenet Deum, ne peccatores percutiat: & qui ipsos peccatores attactu earum sanat, nè Deum ad iram rursum audeant prouocare. *Attactu tenet* (ait ille) *Filium, nè statim feriat peccatores. Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Dulcis etiam est peccatoribus Mariæ tactus, quia Mater est misericordiæ: & matris est, suauiter, & dulciter tangere filium puerum. Pueri sunt peccatores, quibus ipsa nouit leui manu, suaui attactu tumorem premere, putredinem eiicere, vulnera circumligare, spem, & securitatem præstare misericordiæ.* Vulneribus enim conscientiæ sanitate donatis, non erit necessarium rursum Deum tenere, nè percutiat.

42. *Maria infantem Iesum fasciis illigabat, vt iam à cunabulis quasi disceret à Maria teneri posse.* Richard.

Addit bellè Doctor, *Tenui eum, nè peccatores percuteret. Hoc figurabatur, quando ligabat Filij manus, & brachia in cunabulis.* Quod à cunabulis discitur, diutius postmodùm retinetur. Infantis Iesu Maria assuescit ad Matris placitum teneri, & illigari: vt facilius postmodum Matri tenere eum, eiusque manus illigare volenti, nè feriat peccatores, morem gerat.

43. *Brachiis Mariæ tenet iræ diuinæ leonẽ, nè peccatores comminuat.* 2. Par. 9. Richard.

Profectò idem lib. 5. describens Mariæ brachia fatur: Nota, quod 2. Paral. 9. dicitur, solium Salomonis, quo Maria significatur, habuisse duo brachiola, & duos leones stantes iuxta brachiola. Habet gloriosa Virgo non solum brachiola, imo brachia *longa ad defensionem nostram*, cum diuinæ iræ leo rugierit. Ideò dicit, Tenui eum quasi duobus brachiis geminæ charitatis, & duplici manu bonæ operationis. Nec dimittam, id est, non finam, donec peccatores à leonis ira omninò valeam liberare.

44. *Facillimè Mariæ preces veluti brachiis leonem iræ Dei tenent.* Richard.

Porrò Mariæ preces vincula sunt, quibus leonis Iuda iracundia tenetur. Probat id Richard. lib. 2. *Maria facilè impetrat quidquid petit à filio leone.* Ideò non brachia fortissima gigantis, aut viri admodum robusti; sed Virginis tenerrimæ brachiola Throno Mariano suprà leones statuuntur. Ipsa enim detinet iram Dei, nè statim vindicet in nos. *Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Gratiositas autem eius ad impetrandum figurata est.* Esth. 5. *Dixit enim Assuerus ad Esther: Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi? & quid vis fieri? Conquerebatur Dominus, antequam Maria nasceretur, dicens* Isai. 64. *Non est, qui consurgat, & teneat me. Sed ipsa tenet eum facta aduocata nostra, & allegat pro nobis fideliter coram Filio ventrem, & vbera ei repræsentans. Et ipse velut piissimus infans ex leone effectus, ab vbere Matris ei repræsentato delectatur.* Isai. 11. Esth. 5. Isai. 11.

45. *Mariæ precibus, & rectis operibus peccatores ad Deum peccatores adducebat.* Richard.

Adhuc ille lib. 5. sic inducit Mariam clamantem: *Tenui dilectum, nec dimittam, id est, nec desinam amare eum, & bene operari: donec introducam illum in domum matris meæ, id est, donec notum dilectum fecero toti Ecclesiæ, quæ me spiritualiter genuit, & nutriuit.* Nihil enim Deo gratius, quam iustos veros Ecclesiæ filios procurare, vt dilectus, quem ipsi cognoscunt, ab aliis dignoscatur, & ametur. Hoc autem Deipara gerit non solum precibus, sed rectis operibus, quæ quidem efficacioris orationis vices agunt. *Nec desinam amare eum, & benè operari.*

46. *Perseuerantia vsque ad vitæ finè in deuotione Mariæ est prædestinationis signum.* Eccl. 15. Richard.

Denique Richardus flectens versiculi ex deuotionis in Deiparam affectu verba, hæc hominibus illam diligentibus accommodat, ac si dicat gaudio diffluens. *Inueni quam diligit anima mea, tenui eam, neque dimittam illam, id est, Mariam vt ei seruiam, eam collaudem, & operer ad honorem eius.* Ad cuius confirmationem vtitur verbis illis Eccli. 15. *Qui continens est iustitiæ, vel Mariam, in qua omnis iustitia continetur, dilexerit, apprehendet eam, seu firmiter tenebit affectu, & intellectu, & toto conamine mentis, & corporis: ita quidem vt vsque ad vitæ terminum non dimittat.* Persistentia enim huiusmodi in Deiparæ deuotione est perspicuum prædestinationis signum. Profectò (concludit ille) *non videtur iustus, vel de numero prædestinatorum, sed magis de reproborum numero, qui Mariæ specialiter non seruit.*

47. *Mariæ mirabilis charitas in ingratos Iudæos.* Rupert.

Donec introducam eum in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ.] Mariæ mater, & genitrix synagoga fuit, in cuius domum, atque cubiculum Christum piissima Filia introduxit, cum per ipsam multi Iudæorum conuersi fuêre, & in fine reliquiæ conuertentur. Huc flexit Rupert. hæc verba premens, & Virginem hæc fantem inducens: *Cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea, & non quocumque, sed in cœlum vidi ascendentem: & Apostolos eius misso de cœlo Spiritu sancto vidi prædicantes gloriam Domini. Hæc mihi inuentio fuit eius, quem diligit anima mea; & ex illa inuentione tenui eum, vt introducerem in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, scilicet synagogæ. Hoc ex parte iam factum est, quia multi Iudæorum crediderunt in eum. Alij quidem obclusis cordibus, ipsum & me repulerunt.* Sed non dimittam, donec illùc introducam eum. Sic enim ait scriptura Ose. 10. *Si fuerit populus Israël quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eis,* nempe mearum instantia precum. Tantum suo populo profuit Deiparæ ineffabilis charitas: & ab eo repulsa, & iniuriis acta tam grata extitit tam ingrato.

tam vber paradisus fuit, vt Christum deliciarum paradisum produxerit.

multo meliorem, & longè delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt: Paradisus noster Christus est. An-non in Dominico Paradiso omnes deliciæ vernant? Quam ergo deliciis affluens Paradisus Mariæ, è quo potuit non iam vitale lignum vnicum, sed integer Paradisus proferri?

56. *Christus Deus & homo positus fuit in Maria paradiso deliciarũ Dei, vt operaretur eius fœcunditatem, & virginitatem custodiret.* Gen. 2. Richard.

Tulit Dominus Deus (de terreno Paradiso legimus Genes. 2.) *hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Parum quidem esset operari, nisi & custodiret: & minus integra custodia esset, nisi cultus & operatio adiiceretur. Hoc perfectius in Paradiso deliciarum Dei Mariæ præstitum. Positus est homo in eo, qui simul Deus esset, qui operaretur in eo fœcunditatem, & simul virginitatem illæsam custodiret. Pulchrè Richard. de S. Laurent. lib. 8. de laud. Virg. *In Paradiso etiam, id est, in vtero Mariæ positus est Christus in Incarnatione, quando mulier circumdedit virum, vt operaretur in ea fœcunditatem, & virginitatem illæsam custodiret.*

57. *In paradiso Maria viuit homo, qui in alio paradiso perierat.*

In hoc denique virgineus Paradisus terrestri præstat, quod in terrestri sua culpa morti obnoxius factus est primus homo, & cum illo posteri omnes, & cœlos sibi, & illis delinquẽdo præclusit, ac mulierum opprobrium facta mulier est, dum serpentis verbis nimis leuiter credidit. Ast Maria Hortus conclusus deliciarum est, & simul vitæ reparatio, cœli ianua, mulierum, virginumque decus, & gloria. Audi D. Hildephons. serm. 1. de Assumpt. *Hæc est Hortus conclusus ille deliciarum, reparatio vitæ, ianua cœli, decus mulierum, fastigium omnium virginum.* Omnibus vtilis hic Paradisus, sed conditori suo deliciosus. Hic voluptates suas Christus habuit, in hunc post Angelorum tumultum fruiturus pace diuertit. O fœlix Maria, quæ in Christo quiescens, Christo requiem exhibuisti!

Hildeph.

Vers. VI.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?

58. *Maria magnum est miraculum Angelos cunctos in admirationem rapiens.*

QVæ est ista? Cap. 7. vers. 9. *Quæ est ista?* & cap. 8. vers. 5. *Quæ est ista?* Trina hæc inclamatio est Angelorum, qui admiratione afficiuntur, Mariam aspicientes tot à Deo dotibus ornatam: quasi naturæ, & gratiæ miraculum ostenteretur. Res enim, quæ cœlestes spiritus in admirationem rapit, magnum debet esse prodigium naturæ, & communes gratiæ leges admodum superans. *Quæ est ista?* Maria quidem. De qua D. Ignatius epist. ad Ioan. *Hæc omnia nos cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi Mariæ.* Et D. Epiphan. serm. de laud. Virg. *Cœli, terræque mysterium & stupendum* Virgo *est miraculum. Quæ est ista?* Maria planè, de qua D. Chrysostom. serm. de Virg. *Magnum re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper beatissima Virgo Maria.* Et D. Damasc. orat. 1. de Natiu. *Maria miraculorum omnium maximè nouum, imò & miraculorum abyssus. O quot miraculo-*

Ignat. Epiphan. Chrysost. Damasc.

pienæ qualis, seu cognata creatura? Audi Philippum Abbatem. *Angelici spiritus mirantur, vt ad id,* [...] *es sciscitantur quæ sit Maria, quam miraculorum* [...] *attendunt. Quæ est ista? Reuolui-* [...] *sterneretur. Quæ* [...] *seriem præsentium, vel præce-* [...] qua D. Bernardus le[...] *ex quo Eua, quæ primum* [...] *magnum. Abyssus lumin*[...]*buit inimico. Quarum* [...] *dixerim, quòd vel Angeli*[...] *charismata sunt* signi magni *fulgoris vehemen*[...]*species tam gratia,* Et D. Epiphanius citatus tantu[...]*a. At nullam* mirans exclamat: *O Virgo sanct*[...]*: sed hæc exercitus Angelorum in stuporem ad*[...]*. Quæ Stupendum enim miraculum est in cœlis mulier amicta sole. Stupendum miraculum, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus.* Igitur non mirum, si à trina spirituum cœlestium Hierarchia aspiciente Mariam, trina admiratio excitetur: *Quæ est ista? Quæ est ista? Quæ est ista?*

vel Angelica Maria in gratia similis: vnde sola seu in deserto dicitur incedere. Philip.

59. *Tanta fuit Mariæ humilitas, vt charitatis incendio flagrans, putaret se quodammodo frigidam: vnde charitatis desiderio æstuabat.*

Quæ ascendit per desertum.] D. Hieronym. verba hæc Deiparæ Assumptioni accommodat à spiritibus Angelicis admirationi affectis prolata. Ex persona supernorum ciuium in Mariæ ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, &c. Et benè quasi virgula fumi, quæ gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis est repleta virtutum odoribus. Ascendebat autem Dei genitrix, de deserto præsentis sæculi virga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur cœlites præ gaudio, quænam esset, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem.* Preme illa. *Concremata intus incendio pij amoris, & desiderio charitatis.* Si pij amoris Deipara flammis concrematur, quonammodo dicitur charitatis desiderio flagrare? Certè quia humilitatis prodigium Maria immensæ charitatis in Deum, & homines fouens incendium, putabat se quodammodo tepiditate laborare; ideoque cupiebat accendi. Ascendit itaque sicut virgula ex virtutum aromatibus, quia non Maternitas, sed meritum pennas ei indidit ad volatum.

Mariæ non Maternitas, sed meritum pennas indidit ad volatum.

60. *In Maria omnium virtutũ suffimenta spirante, nullum potuit esse fætoris maculæ indicium.* Euseb. Gal.

Eusebius Gallicanus serm. de Natali Dom. in aurora hinc colligit, in Maria nullam vnquam fuisse maculæ suspicionem. *Sed quid de Matre Domini dicam, cuius odoris fragrantiam Rex sapientissimus Salomon admirans, ait: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? Vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fætoris indicium esse non potest.* Quomodo in omnimoda sanctitate poterat esse vel vnius perleuis maculæ indicium?

61. *Admirabile est solam Mariã in deserto huius mundi ascendere, vbi cuncti descendere assolent.* Damian.

Petrus Damianus asserit, in deserto huius mundi, vbi omnes vel iusti cadunt, solam Deiparam semper ascendere. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Quasi admirabile, sit, vnam ascendere, vbi cuncti descendunt, seu cadunt. *Desertum, inquit, est vastitas huius mundi, in quo bestiæ agri frequentius ludunt. Desertum autem dicitur, quia derelictum à virtutum administratione, cum earum consensus; abũdáte iniquitate, ad proprios ortus auolauerit. Quæ ascendit, inquit. In huius sæculi vanitates omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur, rarusque*

quia ibi sunt duo in carne vna. 1. Cor. 6. *Secunda maior, quia sunt duo ex carne vna; caro enim matris & caro filij vna caro. Tertia maxima; quia qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6. *Et hoc per gratiam. Maria igitur dicta est gratia plena: & propter hanc tam vehementem vnionem sui ad Deum per gratiam, dicit ipsa; dilectus meus mihi, & ego illi: Meritò ergo societas B. Virginis ad Deum summa est, quæ omnes istas complectitur.*

1. Cor. 6.

233. Id magis idem Doctor roborat, quatuor inter Deum & Mariam vniones distinguens. *Quæ maximè*, inquit, *vnum faciunt. Prima est Dei ad animam, & est spiritualis. De qua.* 1. Cor. 6. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Secunda est personalis, & est Verbi, seu diuinæ sapientiæ ad corpus. Quamvis enim Maria non coniungeretur in vnitate personæ diuinæ sapientiæ, tamen portionem eius carnis in vnitatem personæ sibi diuina sapientia sociauit: Tertia vnio est naturalis, scilicet arboris ad fructum: matris ad filium; ipsa enim fuit arbor, Christus fructus. Quarta est sacramentalis, id est, per coniunctionem inter diuinam naturam & humanam: & hoc in vtero Virginis. Matrimonium enim consistit in duobus; in mutuo consensu, qui ibi fuit, quando Virgo respondit; Fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. *Et in coniunctione naturæ diuinæ, & humanæ, quæ ibi fuit. Et Verbum caro factum est.* Ioan. 1. *Et tunc fuerunt diuina sapientia & B. Virgo vnus spiritus, & vna caro. Vnde* Gen. 2. *Erunt duo (id est Christus & Maria) in carne vna.* Potest ne maior similitudo, maior societas inter Christum Deum & hominem & Mariam excogitari.

Quatuor inter Christum & Mariam vniones. Richard. Gen. 2.

234. *Dilectus mihi, & ego illi.* Ita Maria à Deo æstimatur, ac si nihil aliud ei æstimabile esset in creatis: & ita Deus æstimatur à Maria, vt ei soli sit addicta, nihilque ei vel in ordine ad ipsum illi esse possit amabile, *dilectus meus mihi* soli: *Ego* soli dilectæ. Ac si nihil sit amabile Deo, nisi Maria: nihil sit Mariæ amabile, nisi Deus. Scitis, quàm sit Angelorum numerus ingens, Archangelorum, Principatuum, Potestatum, Dominationum, Virtutum, Thronorum, Seraphinorum, Cherubinorum: eorum dona, gratias, merita, scientiam, charitatem ex eorum officiis colligitis. Agnoscitis, quàm magna sit sanctorum hominum multitudo, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum. Colligite in vnum omnium Angelorum & hominum merita. At respectu Mariæ sunt, ac si non essent, ita à Deo æstimantur, ac si Diuus alius non adesset in mundo. Quidni & Maria Deum æstimasset, ac si nihil aliud æstimabile in creatis adesset? D. Bernardus serm. de aquæductu: *An non lucta dilectus meus est mihi, & ego illi?* Ac si diceret: Genus quoddam luctæ & æmulationis hæc verba sapiunt. Decertamus (inquit Maria) *Deus & ego.* Ego in Deum diligendo, ac si nihil aliud in mundo esset amabile: & Deus in diligendo me, & honorando, ac si respectu mei nil esset ei in natura rerum amabile.

Sic Maria à Deo æstimatur, ac si nihil aliud æstimabile in creatis adesset.

Sic Maria Deum dilexit, ac si nihil amabile esset in creaturis. Bernard.

235. Aliter *dilectus meus mihi, & ego illi.* Ita sum tota Dei, & Deus mei totus, vt sub nulla alia relatione quodammodò Deus erga me debeat considerari; nisi vt dilecti à me, & me diligentis. Laurentius Iustin. serm. de Annunc. *Talis profectò erat Maria, vt nulli vsui seruaretur, nisi diuino.* Fulbertus Carnot. serm. 3. de Nat. Mar. *Fœlix talis partus, & ortus, qui vt censemus, ad nihil aliud extitit, nisi vt fieret domus, & susceptio Filij Altissimi. Ad hoc solum effecta, vt esset Mater Dei.* D. Antoninus p. 4. summ. tract. 25. c. 32. *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Taliter erat suum, quod non erat* quodammodo *alterius.*

Ita Deus Mariæ & Maria Dei, vt sub nulla alia relatione debeat considerari, nisi vt dilectus Mariæ, & Dei dilecta, quodammodo.

Miror quidem, quòd Maria dans hoc loco priorem locum sponso Deo vrbana, & humilis. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, inferius cap. 6. è conuerso loquatur: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Certum est, ea vocabula, quæ priori loco collocantur, dum duarum personarum mentio agitur, superioritatem innuere. Ideò Virgo dum Iesum inuenisset apud Ierosolymæ templum ei dixit: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2. priorem locum sponso cedens, vt capiti. Vnde Ambrosius probat Christi cum Patre æqualitatem ex illis verbis: *Ego & Pater vnum sumus. Nam si* (ait lib. 6. exam. cap. 7.) *Patrem præmisisset; Pater & ego: tu minorem Filium iudicares; sed præmisit Filium, quem non conuenit credi Patri inferiorem.* Cur igitur Maria se ante Deum illo cap. 6. nominat, quæ hic Deo locum priorem meritò adscripsit? Crediderim, quia hîc nondum se quasi actualem Dei Matrem introducit, & ideò priori loco sponsum nominauit. Postmodum verò se Dei Matrem agnoscens, priorem locum iure obtinens, dixit. *Ego dilecto meo*, quia vt homo voluit Matri subiici: *Et erat subditus illis.* Luc. 2.

Maria se priori loco nominat quando Christus, cum se eius matrē agnoscit, in gloriam huius maternitatis. Cant. 6. Luc. 2. Ambros. Luc. 2.

236. *Dilectus meus mihi.* Quantum ad humanam naturam meus dilectus solummodò fuit Filius meus; nec enim in terris Patrem habuit. Vnde teneor eum diligere vti Pater & Mater, & ipse me vt Patrem & Matrem me diligere dignatur. D. Anselmus lib. de excel. Virg. *Equidem omnes homines ex coniunctione maris & fœminæ procreantur & amorem suum vtrique personæ naturaliter debent, ipsumque similiter amorem suum parentes ambo, qui eos genuerunt. Cùm autem amorem, quem mater, & pater singuli debent filio suo, debet hac fidelissima Mater* Maria *soli Filio suo: amorem etiam, quem debet quilibet filius simul suo patri, & matri, ille Filius vera Virgini suæ Matri debet. Nam alij filij nascuntur ex patre & matre: at Filius eius ex sola est Matre natus.*

Maria Christum vt pater & mater dilexit. Anselm.

237. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Tam mutua aderat inter Deum & Mariam communicatio, vt Deus totus Mariæ esset, & Maria Dei tota, imò essent quidem anima vna. D. Bernardus serm. de laud. Virg. *Equidem postquam emisit spiritum suum Iesus, omnium quidem, sed specialiter tuus: tuam ipsius animam pertransiuit gladius*, seu lancea. Ipsius enim anima es ô Virgo, pertransiuit enim dolor *tuam animam*, quæ quidem est anima *ipsius.*

Deus & Maria quasi anima vna. Bernard.

238. *Et ego illi.* Maria tota verbo, opere, cogitatione in Deo diligendo, eius gloria requirenda semper fuit addicta. Apostolus ait 1. Cor. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue*

Semper Maria fuit in Deo diligendo, & eius

quid

gloria promouenda, addicta verbo, opere, & cogitatione.
1.Cor.10.
Antonin.

quidquam aliud agitis, *omnia in Dei gloriam facite.* An aliquis adeò est perfectione fulgens, vt id ad vnguem obseruet? Respondet D. Antoninus p.4. tract.15. cap.20. *Frustra quidem hoc præciperetur, consuleretur, vel moneretur* à Paulo, *si nullus obseruaret. Sed nullus viatorum hoc fecit.* Pulchrè autem infert: *Ergò Maria fecit. Vnde* (vti ex Odilone accepi.) *Pro certo scimus, quod omnis B. Mariæ actio, & cogitatio semper fuit Domino intenta.* Igitur & Deus vice versa totus erit in maiore Virginis gloria requirenda, ac promouenda intentus. Hinc Antoninus ibi cap.24. asserit, ex Christi affectu gratitudinis in Virginem processisse, vt ipso inspirante, octo solemnitates in eius honorem, & totidem in honorem Virginis ab Ecclesia instituerentur. *Processio,* ait, *annuatim in honorem saluatoris in ascensione, in die palmarum, &c. & similiter ad honorem Mariæ in die Purificationis, Assumptionis, &c. Octo solemnitates Christi, aliæ octo Mariæ.*

Odilo.

Deus totus intentus in Maria amanda & eius maiori gloria promouenda.
Antonin.

239.
Impossibile est, explicare, quid Deus sit Mariæ, & quid sit Maria Deo.
Richard.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Quid verò sit Deus Mariæ, & quid Maria Deo, non indicatur. Quare precor? Audi ex Richardo de S. Laurent. lib.5. de laud. Mar. *Dicit Maria: Dilectus meus mihi, & ego illi. Quid autem sit illi dilectus, quid illa dilecto, non dicit. Quia id tantum est, quòd ad illud explicandum, verba deficiunt, & illud inscrutabile est viatori; quia credere præcipimur, discutere prohibemur, vt dicit B. Ambrosius.* Quid illustrius?

240.
Magna est Mariæ ancillæ gloria Deum ei obtemperare.
Richard.

Aliter idem Richardus inibi locum exponit. *Dilectus meus mihi subditus, id est obtemperans, sicut Filius matri: & ego illi obediens, & obtemperans, sicut filia patri, sicut ancilla Domino, sicut creatura creatori.* Magna Mariæ humilitas, cum esset Dei Mater, Deo ancillæ instar obtemperare: sed ineffabilis est ancillæ gloria Deum ipsum subditum impetrare.

241.
Maria ex maternitate quasi Deificata ostenditur.
Richard.

Adhuc ille. *Dilectus meus mihi, & ego illi, id est, ille ex me sola, & ego illum solum genui.* Vt innuatur maximum inter Deum & Mariam vnionis vinculum intercedere, ex quo Maria quodammodo Deificata ostenditur. *Non solum iam* (addit ille) *luminosa est effecta, sed tota est Deificata. Si enim qui adhæret Deo, (quod fit per dilectionem) vnus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6. *vnitate scilicet amoris, & gratiæ, quomodo non magis anima Mariæ, à qua nunquam recessit: & corpus, in quo nouem mensibus habitauit incarnata sapientia, Deificata sunt, & à Filio, qui ignis est, tota facta sunt ignita?* Id pulchro expendit exemplo ex nuptiis Chana Ioan. 2. *Sicut enim aqua in nuptiis conuersa est in vinum, vbi nec accessit vinum, nec recessit aqua: sed alterum factum est aliud, non successionis vice, sed immutationis origine: nec rationis expositione, sed admirationis obtentu; sic & Maria prius quasi aqua purissima, in Spiritus sancti superuentione, & Filij Dei conceptione, quasi conuersa est in vinum veluti Deitatis, super omnia post Christum lætificans cor hominis.* Nihil enim hominum alumnorum Mariæ iucundius, quàm eam tam similem Filio, tam Deificatam contemplari.

1. Cor. 6.

Ioan.2.
Quasi tota Maria in Deum conuersa est in Christi conceptione.
Richard.

242.
Quia Maria Deo semper obediens vti ancilla, Deus mirificè eius humilitatem exaltauit.
Richard.

Idem lib. 4. *Dilectus meus mihi, vt meam humilitatem exaltaret, quia ego illi semper obediens instar ancillæ.* Talis enim humilitas talem infert exaltationem. *Paradisi porta per Euæ superbiam,* (quæ obtemperare noluit) *clausa est: & per Virginem iterum est patefacta. Eua superba, Maria humillima, illa cupida, hæc paupercula; Illa ergò humiliata: vnde sub viri potestate eris.* Genes. 3. *Hæc exaltata. Vnde* Cant. 2. *Dilectus meus mihi.*

242.
Maria omninò Deo dicata.
Richard.

Et ego illi. Richardus, *id est,* omninò addicta, seu *sancta.* Sanctum enim idem est, ac *Deo dicatum* iuxta illud: *Omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur.* Luc. 2. *Maria verò tota fuit Dei. Ideò dicitur, Dilectus meus mihi, & ego illi. Et ferè vbique in Canticis vocat eam Filius suam.* Itaque *Maria nullius nisi Dei. De huiusmodi sanctitate Virginis dicit B. Bernardus: Hæc est Ierusalem ciuitas sancta, quæ prærogatiua meritorum omnem transcendit creaturam ad euacuandam omnem potestatem inimici, quæ sola in vniuersa humana generationis linea dicere potest post Filium: Princeps huius mundi in me non habet quidquam* Ioan. 14. *Item* Ioel. 3. *Erit Ierusalem sancta, & alieni non intrabunt per eam.* Vnde verè inclamauit: *Et ego illi,* seu illius solummodo possessioni subiicior.

Bernard.

243.
Quidquid recta ratio poterit gloriosius, & augustius de Maria Dei matre excogitare, ei tribuendum.
Rupert.

Rupertus autem sic sententiam exposuit: *Beatam me dicent omnes generationes, quia dilectus meus mihi, & ego illi. Quomodo enim ille mihi, & ego illi, nisi sicut per Prophetam dictum est. Ecce concipiet Virgo, & pariet filium,* & vocabitur nomen eius *Emmanuel? Ita enim ille mihi, & ego illi. Nec opus est, dicere verbis, quia mente potest melius percipi. Imò nec verbis exprimi, nec mente percipi potest comprehendi, siue æstimari, quale vel quantum hoc sit.* Attamen licet gloria Virginis ex maternitate haud valeat verbis æquari, imò & intellectu comprehendi: rectam regulam illam esse affirmarim circa Mariæ elogia. Vt quidquid recta ratio indicarit melius, illustrius, & augustius, hoc præconiis Virginis tribuamus.

244.
Quid Deus dederit gratiæ & priuilegiorum Mariæ, nec ipsa quæ recepit potest explicare.
Philip.

Philippus Abbas. *Quid sibi vult, quod cum de dilecto loquitur hic dilecta, eius hæc locutio videtur aliquantulum imperfecta, nec in ea plenior inuenitur, si non ad inueniendum, foris aliquid addatur? Dilectus meus mihi. Non aliud adiunxit: & quò illud incertius, eò conceditur cuilibet liberius inuenire, quidquid præsenti loco licenter conuenire videbitur. Præterea amor intemperans sua ipsius vix sufferens incentiua verba, non inuenit affectuum suorum plenius expressiua; & ideò inuenitur nonnunquam eius locutio suspensiua. Dilectus meus mihi, & ego illi. Ille inquam, dat mihi quod suum est, illi do ego quod sum; vt & mea sua sint, & sua mea: & sic nostra pariter habeamus.*

Quæ Dei sunt, Mariæ sunt: quæ sunt Mariæ, sunt Dei.

245.
Maria à Deo accepit quod ipsa Deo dat. Sed ingens in eius possessione pretium acquisiuit: siquidem id quasi donum nunquam Deo reddit.
Guillelm.

Itaque Deus & Maria sibi inuicem dona largiuntur: sed Maria ab ipso Deo accipit, idem id, quod largitur. Audi Guillelmum Paruum. *Planè non ego prior dedi illi, sed ipse mihi; & ideò non dico. Ego dilecto meo, & ille mihi; sed dilectus meus mihi, & ego illi. Dedi quod prius acceperam. Quid enim habebam, quod ab eo non acceperim? Non ergò gloriabor, quasi non acceperim. Dilectus meus prior dedit mihi; & ego postea illi refudi. Accepit à me carnis substantiam, sed quam antea dederat.*

dederat. Pani eum lacte meo, sed quo ipse vbera mea implebat. Officiosa fui, & hoc ipse ancillæ præstabat. Profectò id, quod à Deo Maria accepit magnum pretium in sua possessione proculdubio acquisiuit, siquidem rursum potuit Deo quasi nouum munus offerri.

246. *Maria quodammodo ad æqualitatem Deo soluit, quod debet: reddit totum, quod accipit.* Carthus.

Dionysius Carthus. *Dilectus meus mihi, & ego illi, id est, sponsus iste ab omnibus sanctis dilectus, sed tanto specialius mihi charus, quanto præ cæteris me in Matrem, & sponsam singularem elegit.* Si ad mensuram beneficiorum, quæ Maria à Deo accepit vt digna esset eius Mater & sponsa singularis, fuit eius erga Deum dilectio, omnino ineffabilem esse quis dubitet, si beneficium plusquam est ineffabile? *Tantò specialius mihi charus, quantò præ cæteris me in Matrem, & sponsam singularem elegit.* Adiicit. *Hic inquam dilectus meus mihi familiarissimè est intentus, cohærens, & innixus: & ego similiter illi.* Ego *similiter*? An Maria ad æqualitatem Deo soluit, quod debet? reddit, quod accipit? O ineffabile priuilegium!

Ineffabilis Mariæ erga Deum dilectio.

247. *Summus Mariæ erga Deum dilectioni summus Dei erga eam, & quodammodo infinitus amor respondit.* Carthus.

Idem profatur cap. 7. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Locutiones vehementer amorosæ, aut dolorosæ solent esse truncatæ, quoniam vehementia affectionis abrumpit, & præscindit verba loquentis. Et ita est in his verbis. Ego dilecto meo totaliter sum intenta, deuotissimè ei vacans, affectuosissimè ei semper inhærens, ab eo excellentissimè sum electa, singulariter prædilecta, familiarissimè, & fructuosissimè ei coniuncta, & facta sum ei Mater, sponsa, filia & ancilla, & Domina, quia subditus fuit mihi.* Tam summæ Virginis charitati quantus Dei amor respondit? *Dilectus meus mihi, id est, vnicè & summè me dilexit.* Ergo quodammodo fuit infinitè amata. Quia sicut summus amor in creatura innuit omnem possibilem ei affectum æquare, ita summus amor in creatore quandam videtur infinitatem affectus arguere.

248. *Matris æstimationis apud Mariam quodammodo fuit, factam esse à Deo eius ancillam, quam Matrem, quam sponsam, quam filiam.* Carthus.

Preme quæso illam Dionysij particulam: *Facta sum ei Mater, sponsa, filia, & ancilla.* Inter beneficia ab sponso Deo accepta annumerat factam ab eo fuisse ancillam, imò post *Matrem, sponsam, filiam* hoc seruitutis vocabulum ancilla collocauit, vt innuat humillima Virgo maioris sibi pretij & æstimationis factam fuisse Dei ancillam, quam Matrem, quam sponsam, quam filiam.

249. *Vt Iesus à Maria pasci cuperet, & ei in coniugium hærescere, illectus fuit liliorum virginitatis eius fragrantia.* Cant. 2. Paulin.

Qui pascitur inter lilia.] Nec enim Iesus pasci à Deipara dignaretur, nec sponsus eius inniteretur brachiis, nisi in ea (concluso vtique horto) lilia virginitatis inueniret. Vnde vix dicat Maria hic vers. 6. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* cum addit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Ostendens sponsi sui amplexu virginitatem nutriri. D. Paulinus epist. 4. ad Seuer. *Ergò illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari, castitas est. Illi copulemur, cui nupsisse, virginitas est.* O pulchrè! ô verè! Maria has nuptias terrenis prætulit. Christus has nuptias amauit, immarcescibilibus virginitatis Mariæ liliis illectus.

250. *Deo placent preces, & xenia, quæ ei per Mariæ manus offeruntur, quia in eis virginitatis lilia contemplatur.* Richard. Bernard.

Ait Richardus de S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg. Preces, & sacrificia seruorum suorum, & maximè quæ ei exhibentur, Maria offert in conspectu diuinæ Maiestatis: An obtinet, quod precatur? Ita planè; nec enim potens habere repulsam. Quare precor? Certè quia in omnibus Mariæ actionibus & petitionibus virginitatis lilia Dominus contemplatur. Vnde ipsas Mariæ manus, per quas preces illæ Deo offeruntur, supponit beatissima Trinitas esse lilia virginitatis. Pulchram do D. Bernardi serm. de Aquæductu sententiam. Versans enim Pater hunc Canticorum versiculum. *Qui pascitur inter lilia,* inquit: Manus Mariæ quædam lilia candidissima sunt. Nec causabitur *liliorum amator inter lilia non inuentum, quidquid inter manus Mariæ inueneris.* Adiicit Richardus. *Non possunt igitur summæ Trinitati displicere xenia quæcumque manibus tam dignæ gerulæ committuntur.*

251. *Virgines aliæ sequuntur Agnum quocumque ierit: Mariam agnus sequitur liliorum virginitatis eius attractus.* Appoc. 14. Richard.

Idem lib. 1. asserit Christum sequutum esse Mariam, quocumque ierit ob odorem liliorum virginitatis eius voto obfirmatæ. *Dominus*, ait, *fuit cum Maria sicut sponsus cum sponsa, sicut filius cum matre, sicut sponsus, inquam cum sponsa. Si enim Virgines sponsæ sunt agni, quomodo non Virgo virginum, quæ primo consecrauit, & vouit virginitatem absque omni præcepto consilio, & exemplo? In laude aliarum virginum dicitur, quod sequuntur agnum, quocumque ierit.* Apoc. 14. de Maria autem potest securè dici, quod Agnus sequebatur eam, quocumque iuit. *Vnde* Cant. 2. *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Nam virginitatis Mariæ liliorum fragrantia eum vbicumque illa pergeret, attrahebat.

252. *Mariam virgines vti ducem virginitatis voto obfirmatæ sequuntur. At etiam se Christi velut ducem Maria ostendit.* Psal. 44. Richard.

Canebat de Maria Dauid. *Adducentur Regi virgines post eam.* Psalm. 44. Maria enim cunctis virginibus ducatum virginitatis voto obfirmatæ exhibuit. At dum video Agnum sine macula Mariam sequi, miror admodum. Videtur enim Christus Mariam sequi velle, vti Virginitatis ducem. Quid de liliis virgineis Deiparæ potuit illustrius excogitari? *De Maria potest securè dici, quod Agnus sequebatur eam, quocumque iuit.*

253. *Christus Mariæ vberibus pascebatur, sed inter virginitatis eius lilia.* Richard.

Qui pascitur Mariæ vberibus *inter* virginitatis eius lilia. Rursus audi Richard. lib. 3. *Christus ex Maria, & in Maria pascebatur. Ex ea* quidem, *quia* (vt ait *Ambrosius, & canit Ecclesia*) *Paruoque lacte pastus est. In ea autem,* siue inter lilia virginitatis, seu manus Mariæ ei vbera porrigentes. *Vnde* (adiicit ille) *ipsa* Cant. 2. *dicit: Qui pascitur inter lilia, id est, inter manus Mariæ, sicut D. Bernardus exposuit.*

254. *Ad virgineam Mariæ mensam Deus suum Filium monet vt descendat hospes.*

O ineffabiles huius virginalis mensæ delicias! De hac mensa (adhuc Richardus) videtur Pater dixisse Filio Eccli. 29. *Transi hospes, & orna mensam. Transi de sinu meo in vterum* (& postea in vbera) *Mariæ, & orna mensam istam. Mensa est virginitas, quæ significatur in liliis, inter quæ, seu in quibus Christus pastus est; quæ virginitatis ornauit fœcunditas, & mirabiliter decorauit.* An tam ineffabiles deliciæ in virginea Mariæ mensa liliorum, vt Dei Filius, vt eis frueretur peregrinationem inierit, & hospes ad illam accesserit?

Ineffabiles huius mensæ deliciæ.

255. *Maria Christo vt pasceretur duplicem offert virginitatem nam-*

Eodem lib. 3. hæc Richardus annectit: *Nouerat gloriosa Virgo diuinitus inspirata, Dei Filium desiderare virginitatem, in qua pasceretur. Vnde de ipso dicitur Cant. 2.* Qui pascitur inter lilia; & ideò vouit virginitatem,

te mentis & corporis. Richard.

tem; quasi hoc ipso diceret: Lilia desiderabat? Lilia ei exhibeo, id est duplicem virginitatem, scilicet, mentis, & corporis. *Quod notatur per hoc, quod dicitur: inter lilia.* Hoc quidem est, quod Apostolus dicit 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Nam cum dixisset, *Virginem*, subsistere noluit, sed *castam* subiunxit; vt innueret Christum sponsum duplicem virginitatem requirere mentis & corporis, nec vnam sine altera ei complacere.

256\. *Labore digitorum Mariæ Iesus pascitur inter virginitatis lilia.* Richard. Mat. 25.

Persequitur Richard. lib. 4. huius particulæ. *Qui pascitur inter lilia*, expositionem, asserens, Mariam sex misericordiæ opera Christo, qui fuit in vnum diues, & pauper, excellenter exhibuisse. *Vnde in iudicio* (ait ille) *poterit dicere ei Filius illud* Matth. 25. *Hospes eram & collegisti me, in virginalis vteri tui tabernaculo. Nudus fui, & cooperuisti me virginea carnis tuæ vestimento. Propterea comparatur Maria velleri Gedeonis, quæ lana sua, seu carne virginea Dei induit Agnum Filium: & dedisti mihi potum virginei lactis, quod ego solus bibi. In carcere eram, & venisti ad me. Tunc Christus fuit incarceratus, quando positus erat in sepulchro. Certum esse crediderim Virginem ad sepulchrum venisse, vt Filij sacerrimum corpus inuiseret. D. Hieronym. Quam impium erit sentire de Matre, vt quando cæteræ sanctæ mulieres tantam curam habuerunt de Dominica sepultura, ipsa se absentauerit. Absit. Infirmus eram, & visitasti me. Quod impletum est, quando Christus crucifigebatur, & ipsa stabat iuxta crucem.* Denique *Esuriui, & dedisti mihi manducare. Vnde Hieronymus dicit, quod cum acu, & colo acquirebat Maria, vnde se, & Filium pascebat. Ideo* Cant. 2. *dicitur, Qui pascitur inter lilia. Et hæc lilia interpretatur Bernardus B. Mariæ digitos.* Nec enim suauis esset Iesu digitis Deiparæ acquisitus, si in eis lilia virginitatis non contemplaretur. Colliges autem ex hoc discursu, Mariam non fuisse cœlesti gloria donatam, quia Deipara fuit, sed quia erga Iesum misericordiæ opera exercuit.

Maria gloria donatur, non quia Deipara, sed quia misericordiæ opera erga Christum exercuit. Richard. Hieron. Hieron.

257\. *Duplici virginitate carnis, & spiritus pascit Maria Agnum suũ.* Richard.

Diuitem planè se ostendit Richardus in huius versiculi expositione. Eodem enim lib. 4. scribit, *Maria prima absque omni humano præcepto, consilio, & exemplo, diuinitùs inspirata, votum emisit virginitatis, ad hoc vt Dei Filius in ea pasceretur, à tota Trinitate præparata. Vnde* Cant. 2. *dicit Maria de Filio: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Ac si diceret: Lilia desiderabat? Lilia ei exhibeo, id est, duplicem virginitatem carnis ac spiritus; quod notatur per hoc, quod dicit lilia in plurali, non vnicum tantum lilium.*

258\. *Christus à Virgine inuitatur, vt comedat eius virtutum lilia, & peccatorũ hædos sua manu virginea conditos.* Gen. 27. Richard.

Elegantem equidem lib. 4. subit ille excogitationem, asserens Deiparam suum inuitare Dilectum ad conuiuium, in quo ei duo suauissima fercula offert, nempe suam virginalem, ineffabilem quidem puritatem, & veram peccatorum sua intercessione pœnitentiam. Nec enim Mariæ charitas integra voluptate in conuiuio hoc potiretur, si hominum vtilitati simul non studeret. *Humilitas* (inquit) *Mariæ effudit orationem suam, vt vocaret, & adduceret sponsum ad conuiuium nobiscum in terris, qui cum Patre, & Angelis conuiuabatur in cœlis.* Duo fercula libentissimè comedit sponsus ille; quæ sunt omnino ea vitæ munditia. Hoc ferculum mensæ apponit Deipara. *Vnde illud*

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic.

Cant. 2. *Qui pascitur inter lilia*, vel *pascit lilia* (vti alij legunt) virtutum illius. Alterum ferculum est vera pœnitentia. *De quo dixit Rebecca filio suo Iacobo. Adfer mihi duos hædos optimos: de quibus libenter vescitur* pater tuus. Genes. 27. Vescitur quidem libenter hœdis, seu peccatoribus, quando immaculatis Mariæ veræ Rebeccæ manibus præparantur.

Pergit lib. 12. *Christus est apis mellis habens dulcedinem, & aculei punctionem.* Ad vallem nostram descendit è superis. *Et tanquam apis, pascitur inter lilia. Hoc est, Florigeram habitans patriam Angelorum, ad suaueolentem virginitatis florem in Incarnatione aduolauit: ibi insedit, ibi adhæsit.* Ergo Mariæ lilia fragrantiora, & dulciora Iesu api fuêre, siquidem Mariæ floribus adhæsit, quasi ad florigeram Angelorum patriam serò reuersurus. Quo autem fructu ad Mariæ flores descendit? Certè in superiora Angelorum florida prata, si melle iustos Angelos obtemperantes indulcauit, rebelles spiritus aculeo acri percussit. At ex florido Mariæ prato ad peccatores melleo quidem tota sine aculeo Diua apis aduenit. *Huius apis mel, & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei, & iudicium decantat, dulcis & rectus Dominus. Attamen ad nos veniens è dulcissimo liliorum Mariæ pasto, solùm mel attulit, & non aculeum, misericordiam non iudicium. Vnde persuadentibus quandoque Discipulis,* Luc. 9. *Vt ciuitatem, quæ eum suscipere noluit, præciperet igni consumi: respondit, se non venisse ad perdendum, sed ad saluandum.* Quod dulcissimo Mariæ pastui nos debere quis dubitet?

Christus apis è florigero Angelorum monte ad dulciores sibi Mariæ flores in nostram vallem aduolauit.

Apud Mariæ pratum Apis Christum nos melle indulcat, sed aculeo non vtitur.

Denique Guillelmus eleganter Mariæ lilia describit, quibus Christus fuit pastus. *Superius petiit Maria à Filio, sibi indicari, vbi pasceret: Indica mihi, vbi pascas.* Cant. 1. *Nunc eum dicit, pasci inter lilia; nimirum dilectus pascitur inter lia, & pascitur in liliis, & pascit ipsa lilia, & vestit etiam lilia. Si namque lilia agri sic vestit, vt nec Salomon in omni gloria sua coopertus sit sicut vnum ex istis.* Matth. 6. *quanto magis lilia cœli. S. Angeli lilia cœli sunt; iusti, dum hîc degunt, lilia agri. Vtrique propter fragrantiam, & nitorem. Vtrobique Maria fuit, & est lilium liliorum: hîc iusta iustorum, & casta castorum: illic Regina, & Domina Angelorum.* At Christus, *vt pascit lilia, sic pascitur inter lilia illa, cum liliis. Pascit diuinitas eius, pascitur humanitas. Se Deo pascit se hominem: & secum pascit Angelos, & Matrem.* 259.

Maria est lilium liliorũ, seu Angelorũ & Diuorum hominum, quæ pascit Christum, & quæ à Christo pascitur. Guillelm. Mat. 6.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.] Ad hæc verba Guillelm. *Donec aspiret, seu illucescat dies illa, de qua veritas Discipulis ait: Desiderabitis videre vnum diem Filij hominis.* Luc. 17. *& Propheta ad Dominum. Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* Psal. 83. *Super multa millia dierum nostrorum, qui apud nos fluunt, & in quibus defluimus, & sicut aqua dilabimur. Et quia hoc die aspirante, seu illucescente, mox tenebræ dissipabuntur, ideò subditur: & inclinentur vmbræ. Ecce tunc velum ab oculis multorum auferetur; tunc apparebunt, qui Deo grati sunt, qui iusti, qui fœlices: qui vero iniusti, & inuisi Deo. Mundi iudicia dumtaxat vmbram habent veritatis, sed hanc vmbram sol iustitiæ Christus luce sua coget euanescere, quando mundum iudicabit.* An-ne Deiparæ hæc conueniũt? Hæc planè. Dicit enim sponso: Pasce ô Domine lilia tua, Sanctos tuos, & pasci eorum virtutum 260.

Semper expetat Maria, vt vmbra mundi huius euanescente, sui alumni ad fœlicem æternitatem transferantur. Guillelm. Luc 17. Psal. 83. Del-Rio.

K floribus

floribus dignare, donec mundi huius vmbra euanescente, dies fœlicis æternitatis appareat. Pulchrè ad hæc Del-Rio noster. *Placet hac tribuere B. Virgini: Donec aspiret dies &c. vt ex commemoratione diei illius vltimæ in desiderium eius exardescenti (amor enim moræ est impatiens) & iustos, electosque ardentissimè Dei genitrix semper amauit, amatque incessanter: quare & eorum in cœlos transferri coloniam non cessat optare. Hoc desiderium verbis his indicatur, quibus orat Filium, vt aduentum hunc suum acceleret.*

Maria semper fuit lucu filia vmbraticu mundi vanitatibus recedens vera in hoc Christi æmulatrix.

261. Pascitur quidem sponsus, sed inter lilia, non insanientium mortalium vmbras sectatur, nec inanibus, & sola vanitate grauidis eius mens distenditur; lilia ab vmbris discriminat. Quem profectò illi imitantur, qui supera luce perfunduntur. Profectò Deipara dum liliis virtutum pascit sponsum, ipsa eius liliis simul pascitur. Vnde lilia illa dulcedinis cœlestis sponsi ab vmbraticis mundi gaudiis discriminauit perfecta illius æmulatrix. Vnde ei congruunt, quæ de perfecta Dei sponsa Greg. Nyssen. hom. 5. scribit: *Qui nutriuntur per lilia, hoc est, quorum puro, & benè olenti nutrimento impinguatur anima, cum ab omni fallaci, & vmbrosa visione eorum, in qua studium multorum in hac vita confertur, se abduxerint, ad rerum veram aspiciunt substantiam, effecti filij lucis, & diei.*

Nyssen.

Maria continuò orauit pro salute Iudæorum eius Gentis reliquiarum.

262. *Reuertere; similis esto dilecte mi capræ, hinnuloque ceruorum super montes Bether.*] Vbi Rupert. *Quid erat hoc dicere, nisi orare pro salute reliquiarum gentis meæ? Numquid enim ego erga gentem meam minorem compassionem haberem, & charitatem, quam Prophetæ, & Apostoli?* Magna fuit erga gentem suam Prophetarum pietas. *Vnde inquit Isaias c. 63. Quare errare nos fecisti Domine, de viis tuis indurasti cor nostrum, nè timeremus te? Conuertere propter seruos tuos Tribus hæreditatis tuæ.* Nec minor fuit Apostolorum charitas erga contribules. *Ait Paulus* Rom. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo.* Concludit Deipara. *Igitur & me non dubitetis, postulasse pro salute reliquiarum gentis meæ.*

Rupert. Isai. 63.

Compassio Mariæ de Iudæorum clade vicit Prophetarũ, & Apostolorum compassionem.

Superauit Maria tristitia ex Israelis excidio Ionæ tristem affectum.

263. Age, recognoscamus, num dolor Prophetæ Ionæ ex perditionis Iudæorum symbolo tristitiam, & compassionem Virginis ex eorundem excidio superarit? Iacebat olim ille sub hederæ vmbraculo tristitia & ira correptus, cui Deus: Putas-nè benè irasceris tu? Ioan. 4. Hebraicè pro *Iratus* est חרה לך. *Charah lach,* id est, *Tristatus es tu?* D. Hieronym. *Putas-nè benè contristatus es tu? Intelligens scilicet Israël esse periturum. Et rationabiliter ei dicit malè contristatus es, nè videretur reprehendere contristatum.* Maior profectò Virginis, quàm Ionæ erga populum suum amor fuit, maior sollicitudo. Nam & sub spiritus vmbra, & sub Christi in cruce pendentis vmbraculo populi sui excidium intelligebat, sicut exarescente hædera Ionas; dolebatque perire eum, à quo vitam hauserat; dumque doleret, Deo populum commendabat. Quonam, ait, fructu? Egit quidem, vt plurimi conuerterentur, ac tandem vt reliquiæ Israël saluæ fierent. B. Brigitta sic ad Mariam: *In hoc mundo,* ô Virgo, *Filius tuus multis annis te permanere permisit, vt tunc per tua verba prudentissima, & opera sanctissima innumerabiles Iudæos, & infideles Paganos ad Catholicam fidem conuerteret.*

Hieron. Ion. 4. Brigit.

Curabat Mariæ salutem Iudaici populi, à quo in Filio, & in se multis fuerat iniuriis affecta.

264. An Maria populi sui officiis erat obærata, vt tam anxiè dolens de illius clade, tam feruenter illius salutis negotium agere dignaretur? Minimè quidem: imò in Filio & in se innumeris erat iniuriis affecta; vnde eius ineffabilis charitas amplius elucescit. Virginis sunt illæ querulæ voces Cant. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* De Iudæis conqueritur, à quibus in Iesu passa est multa. Sed cur non de Gentilibus? An-non pugnauit contra eam Pilatus, qui Christum condemnauit? Num non pugnauerunt milites, qui eum cruci affixêre? Quare ergo de eis non conqueritur Virgo, sed rem ad synagogæ filios coërcet? Crediderim, quia maior offensa est, quæ à propinquo, à magis noto, ab amico, & a maioribus beneficiis donato recipitur. Pulchrè ait Philippus Abbas. *Attendendum quòd cum aduersus Virginem tam Gentiles sæuiant, quàm Iudæi, cum Pilatus agat, & milites, quod verbis expetunt Pharisæi; hic tamen vbi pugna spiritu Prophetali, nuptiali cantico recensetur, suos tantum Virgo commemorat, exteriorum mentio non habetur. Filij, ait, matris meæ. Vt quid hoc, nisi quia recto iudicio plus molestat, qui cum deferre debuit, dehonestat: qui, cum in sinu eius speranda fuerit requies, vt amici, quem fouere debuerat, tradit manibus inimici.* Hinc Deiparæ charitas ineffabilis ostentatur, dum querelarum tam iustam causam obliuioni tradens, pro illorum salute anxia precatur. *Surge* ô Dilecte è sepulchro, & qui iustè exurgere poteras vt taurus, vt leo Iudæos Deicidas exitialiter vulneraturus veni, veni ad eorum salutem vincens super nouæ Ecclesiæ montem capreæ, hinnulique ceruorum velocitatem. Hisce precibus præstitit Virgo piissima, vt quidam bonæ notæ Auctor contemplatur, nè terra diduceretur, omnesque qui aderant Iesu mortis acclamatores (sicut in Dathan, & Abiron factum legimus) absolueret, ac deglutiret.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululùm cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum mediâ charitate constrauit propter filias Ierusalem. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Vers. I.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.

1\. *Virgo, si hic Deum clarè non vidit, fuit vt per fidei exercitamenta amplius mereretur.* Guillelm.

IN *lectulo meo quæsiui.*] Non sufficiebat Mariæ ineffabili dilectioni potiri Christi humana præsentia, vehementer exoptabat eius frui Diuinitatis aspectu, & id in suomet sponsi cœlestis lecto, dum videt, illum in proprio lecto suo non inuenisse. Pulchrè de more Guillelmus ait. Quærebat Maria verbum in lecto suo, seu in sinu Patris, quia in *meo* inquit, *non inueni. Nam alium lectum* Verbum *habet apud Patrem, alium apud Matrem. Ille est æterni Patris sinus: & est magnus lectus: hic est temporalis Matris vterus, & est præ illo paruulus lectulus. In hoc lectulo quæsiuit illum, quia ibi latebat in homine Deus. Sed quoniam altè latebat, quæsiuit, & non inuenit. Quæsiuit per fidem; sed non inuenit per speciem, seu per claram visionem; sic enim tantum in magno illo lecto inuenitur.* Profectò si adhæreas eis Doctoribus, qui asserunt nec Deiparæ fuisse hic concessam claram diuinæ essentiæ visionem, &c. id Deum gessisse, vt Virgo magis ac magis ex fidei exercitamento mereretur. Quod Guillelmus innuit: *Quæsiuit per fidem.* At qui sentio cum his, qui concessam fuisse virgini dum viueret illam beatissimam visionem, dixerim, Patrem in præsenti non negare, aliquando eam illi per breues morulas fuisse concessam; sed ea non fruitam fuisse per modum status, quæ solum conceditur beatis in patria cum Deo in magno illo lecto sine intermissione discumbentibus.

Deũ hic Mariæ aliquando clarè aspexit.

2\. *In lectulo meo*, id est in vtero, vbi Christus nouem mensibus requieuit. An *lectulus*, & non *lectus* absolutè vocitandus vterus Christum Deum, & Hominem capax excipere? Lectus immensus poterat appellari Mariæ vterus ob immẽsitatem habitatoris immensi, Patris sinus æmulator. At ineffabilis Mariæ humilitas eum non *lectum*, sed *lectulum*, esse recognoscens sine fictione ait: *In lectulo meo.* Annotauit id Guillelmus. *Nota humilitatem beatissimæ Mariæ suum purissimum vterum lectulum,* non lectum *vocantis.*

Mariæ humilitas suum vterum Dei capacem non lectum, sed lectulum vocantis. Guillelm.

Philippus Abbas in *lectulo* angustiam mentis Mariæ contemplatur, quæ nunquam nisi Dei capax fuit, nullum vnquam recepit alienum. Lectulus, inquit, hic, vt arbitror, dici potest angustia quædam mentis, in qua se ipsam colligit, & adstringit voluntas diligentis: cum scilicet ei, quem diligit, summo desiderio vult placere, ei solùm colloqui, & arctis eius amplexibus cohærere. Quo æstuans proposito, dum ab his sensibilibus resilire volens, carnis velut nescia, amore sponsi ebria, quem prægustat, vnus cum illo Spiritus breui *tanquam lectulo se angustat Virgo.* Itaque in quadam mentis angustia se recludens, nec præter eum, cum quo vnus est Spiritus, quemquam pariter introducẽns, ipsum, quem diligebat, in hoc apud se lectulo requisiuit.

3\. *Ineffabilis Mariæ erga Deum amor; eum solum sua in mente, & voluntate admittentis.* Philip.

Dixerat Isaias c. 57. *Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum.* Hoc accidit sponsæ illi, quæ perfectioni studens, alium præter Deum animo fouet affectum; mentis lectulum pluribus amatoribus, vel amatis capacem efficiens. Aptè hæc Philippus Deiparæ accommodat. *Suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum ait sermo Propheticus. Dilatauit cubile suum, qui mentem perditam foras fudit, suscipitque adulterum, cum peccati alicuius lenocinium introducit. Virgo verò fuit semper prædicta nescia latitudinis.* Consonat Gillibertus hîc serm. 2. *Bona quidem hæc breuitas lectuli, quæ nescit nisi dilectum*

4\. *Maria nesciuit aliũ amorem, nisi Dei lecto cordis suscipere.* Isaiæ 57. Philip.

Gillibert.

dilectum ſuum, id eſt Chriſtum ſuſcipere. Cur enim non in bono coarctatio accipiatur, ſi dilatatio ſtrati in opprobrium Iſai. 57. *vertitur?* Anima ergò Deiparæ ſe ſolius Dei capacem recognouit, Dilectus meus mihi, & ego illi, nec capax eſt cordis lectulus, vt alium admittat.

Ineffabilis amoris affectu Maria abſentem eſſe dicit eum, quē præſentem ſemper habebat.

5. Profectò Deipara nunquam-non dilecti præſentia fruebatur, at ardentiſſimi amoris affectu, ei videbatur illum non poſſidere. Audi Rupert. *Quantò vicinior hic dilectus habetur, tantò vehementius deſideratur. Qui habent, habere deſiderant: qui vident, deſiderant videre. Nam Angeli vident, & tamen, ſcriptura teſte, deſiderant eum proſpicere.* (1. Pet. 1.) Pulchrè admodum id Mariæ accommodat proſanti: *Ego eum non vtcumque habui, aut vidi eum; ſed in vtero geſtaui; & genui eum, & ei Mater lac præbui, & diligenter contemplata ſum. Quid putatis quot noctes duxi, videndo, & audiendo eum? Non enim ſufficiebat dies ad tantum deſiderium, ſed totis noctibus in lectulo meo, in cubili meo, peruigil fruebar illo, & adorabam paruulum: audiebam, & adorabam iam adultum, cum intra dulcia colloquia per oculos ſuos, oculos corporis transfuderit mihi ſua Diuinitatis aſpectum. Ita tamen contemperans, vt tolerare poſſem, quem tremunt Angeli. Ita in lectulo meo habui eum; ſed deinde contigit mihi, vt ibi non inuenirem eum. Dixit enim: Quid mihi & tibi mulier?* (Ioan. 2.) *Iam ex quo baptizatus eſt à Ioanne, in lectulo, ſiue cubili meo iam non inueniebam eum.* (Math. 4.) *Nam ſtatim ductus eſt in deſertum ab ſpiritu. Itaque deſiderio quærebam, & non inueniebam eum, vt ſolitaria poſſiderem ſolitarium.* De duplici igitur Deiparæ abſentia conqueritur: vnam gerit Chriſti in deſertum receſſus, alteram ineffabilis dilectionis affectus efformat.

Conqueritur Maria, quod Ieſum ad deſertum reducentem non in cubili inueniat.

Maria poſſidens ſemper Deum, intensè ſemper eum quaſi abſentē quærebat, vt copioſius eum velut de nouo obtineret.

6. *Quæſiui quem diligit anima mea.* Maria quidem, qua cum dilectus ſemper commoratur, ſemper eum velut abſentem quærit, vt ſemper miris profectibus, quaſi de nono obtineat. Dionyſius Carthuſ. ait: *Cum ſacratiſſima, & ſuauiſſima Virgo, quamuis maximè confirmata in gratia, tamen viatrix fuit; & incomparabili ardens dilectione excellentiſſimè quoque fuit proficiens omni die in vniuerſis gratiæ chariſmatibus.* (Carthuſ.) *(Nec enim vnigenitus & liberaliſſimus Filius tot guttas virginei lactis ex Deificatis ſuæ Matris vberibus ſuxit, quot illuſtrationibus, & ſacris ardoribus electiſſimam eius animam adimpleuit) certum eſt, quod ipſa diuiniſſima, & ſpiritualiſſima Virgo in lectulo ſuo non ſolùm ſpirituali, videlicet tranquilliſſimi pectoris pace, ſed etiam corporali dilectum ſuum præ cæteris cunctis ineffabiliter ardentius quæſiuit, intenſiſſimè deprecando, ſublimius contemplando, copioſius obtinendo.* Igitur quæ poſſidebat illum, intenſius quærebat, vt quaſi de nouo copioſius obtineret. Illa nomina in ſuperlatiuo collocata attende quæſo: *Sacratiſſima, ſuauiſſima, diuiniſſima, ſpiritualiſſima.* Nihil enim de Maria excogitari poteſt, quod in gradu ſuperlatino collocari non debeat. (Carthuſ.)

Tot Mariæ Ieſus infundebat gratias, quot lactis guttulas ex eius vberibus fugebat.

Nihil de Maria poteſt excogitari, quod in gradu ſuperlatiuo collocari non debeat.

Maria dolens Ieſum in Templo remanentem quæſiuit.

7. Idem Pater hæc verba: *Quæſiui, quem diligit anima mea,* triduo illi adaptat, quo Dei parens Filium apud Ieroſolymam remanentem dolens requiſiuit. *Hoc item* (ait ille) *ſuperficialiter poteſt intelligi de triduo, in quo ſanctiſſima Domina quæſiuit dilectum, cum ille duodecim exiſtens annorum manſiſſet, ea ignorante, in Ieruſalem, & in Templo, in quo poſt triduum reperit eum.* Cur ſi reperit eum, fatur: *Quæſiui, & non inueni?* Quæſiuit profectò, & quodammodo non inuenit eum. Quomodo namque inuentus, qui ſe Matrem agnoſcere diſſimulabat? Nonne diſſimulauit primùm in ipſo Templo, quando dixit: *Quid eſt, quòd me quærebatis?* & alium ſibi Patrem, quam Mater dixerat, eſſe indicauit. Secundò in Galilææ nuptiis. Quando dixit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Ioan. 2. Tertiò quando dixit in ſynagoga: *Quæ eſt Mater mea?* Matth. 12. An-non illud eum inuenire potiùs non inuenire fuit? Quæſiui eum, & non inueni.

8. Alium quærendi modum Alanus ſuggerit hiſce verbis. *Lectus intelligitur ſepulchrum in quo requieuit corpus Domini. Per noctes, id eſt, per multas tribulationes, quas de amariſſima dilectiſſimi Filij paſſione ſuſtinuerat, & potiſſimum in mortis Chriſti triduo, quæſiuit per deſiderium quem diligebat anima ſua. Quaſi eum Propheta diceret: Quæſiui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit.* Pſal. 68. *Hic igitur primò in lectulo quæſiuit, & non inuenit. Lectus eſt, in quo ſolent feſſa diurna fatigatione corpora quieſcere: per quem eleganter quies mentis deſignatur, in qua Deus eſt quærendus. Sed quia pro vita huius ſtatu huiuſmodi quies exigua eſt, & anguſta: non in lecto, ſed in lectulo dilectum quæſiuiſſe perhibetur.*

Triduo mortis Domini Maria illum quærens non inueniebat. Alan.

Pſal. 68.

In mētis quiete Maria Deū requirit.

9. Addit Auctor, *Per lectum etiam non abſurdè domus illa in arce Sion ſita, in qua Chriſtus cum Diſcipulis ſupremam cœnam celebrauit, ſignificatur; in quam poſt Filij paſſionem glorioſa Virgo ſeſe recepiſſe perhibetur, quærens per crebra ſuſpiria, & ſancta deſideria quem diligebat anima ſua, vbique loca illa venerabatur, venerandoque cordis oſculabatur ore, in quibus dilectum Filium vel cum Diſcipulis accubuiſſe, vel in eorum pedum lotione fuiſſe proſtratum, aut alicubi reſediſſe imaginari poterat. Sed quid per huiuſmodi piæ deuotionis obſequia, queis dilectum requirebat? Minimè inuenit, quia ex his conſolationem non recepit.*

Quærebat Maria Chriſtum in domo, vbi in vltima cœna vidit eum Diſcipulorum pedes abluentem. Alan.

10. Vera hæc ſunt, ſed alia his magis conuenientia. Nempe ſenſus eorum, qui exiſtimant, hæc de natura diuina Filij potius accipienda. Honor. *In requie ſua contemplationis Maria in huius vitæ nocte dicit, quæſiuiſſe Filij Diuinitatem, ſed non inueniſſe, quia non potuit ad eius altitudinem pertingere.* Vberiùs Guillelmus, *Verba ſunt piæ Matris adoleſcentulas adhuc carnaliter ſapientes ſuo exemplo ad æmulationem ſpiritualium prouocantis. Neque enim ipſa contenta fuit Chriſtum noſſe ſecundum carnem, in Diuinitatem eius mente flagrabat: carnis eius faciem læta videbat, ſed faciem Diuinitatis eius nihilominus cum hilaritate quærebat.*

Quærebat Maria hic Filij Diuinitatem. Honor. Guillelm.

11. *Quem diligit anima mea.*] Hic Gillibertus Abbas hanc excitat quæſtionem: *Quid ſibi vult, quod Animam, non ſpiritum dicit? Et quidem nunquàm in toto hoc Cantico ſpiritum nominat, ſed ſemper Animam. Anima mea liquefacta eſt: Anima mea conturbauit me: Quem diligit Anima mea.* Reſpondet. *Poſſumus conuenienter ſicut in ſpiritu ſubtilem, & actualem intellectum, ſic & in anima ſuauem, & tenerū affectum intelligere. Iure igitur optimo animam ſuam diligere*

Affectuoſiſſimus Mariæ erga Deum amor. Gillibert.

gere sponsa dicit, exprimere volens intimam quãdam viuidam, & animatam affectionem. Quâ quidem Maria nos edocet Deum esse quærendum. Aliter autem huic quæstioni possumus satisfacere. Maria in hoc nuptiali Cantico Deum quærit sponsum, non solùm vt purè Deum subtilem, & incorporeum; sed vt hominem futurum. Anima vero in hoc vocabulo dependentiam à corpore dicit, cuius est anima. At spiritus quid omnino quasi independens à carne exprimit. Vnde Angeli dicuntur *spiritus*, animæ minimè. Ideo igitur sponsa corporea, Dei hominis mater futura, non se spiritum nominat, sed animam, vt vel sic agnoscamus eam Deum incarnandum requirere: vel futuram esse aliquando Filij sui animam per affectum compassionis iuxta illud Simeonis vaticinium. *Tuam ipsius animam*, id est, animam tuam, quæ est anima ipsius *gladius* doloris *pertransiuit* Luc. 2.

Maria Dei quærebat, & expectabat Incarnationem, vt quasi anima Christi efficeretur.

Luc. 2.

Vers. II.

Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni.

12\. RVpertus hanc sententiam accommodat Deiparæ perpetuæ Filij vel corporeo gressu sectatrici. *Surgam, & circuibo ciuitatem, &c. Dixi & feci sic. Cum enim circuiret Filius per ciuitates, & Castella prædicans Euangelium Regni Dei, ego sequebar, & quærebam eum. Quæsiui illum, & non inueni. Ille enim tanto intentus negotio, me matrem suam cognoscere quodammodo dissimulauit. Quodam enim die cum loquente eo ad turbas dixisset ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei? Hoc modo me matrem suam agnoscere dissimulauit. Post hæc iuxta crucem eius steti. At num hoc fuit inuenire dilectum? Imo fuit mihi inuenisse gladium, qui & pertransiuit animam meam.* En etiam cum adest dilecto eum minimè inuenit.

Perpetua Iesu fuit Maria corporeo gressu sectatrix. Rupert.

Etiam cum adesset illi, aliquando eum non inueniebat.

13\. Honorius vero hinc meditatur Mariæ contemplationem circa perfectionem dilectissimi Filij, cui similis nullus Angelus ei meritò apparuit. *Surgam*, ait Maria, *corde ad cœlestia, & mente circuibo ciuitatem, id est, Angelorum agmina per vicos, & plateas, id est per Angelos, & Archangelos quæram Christum, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni vllum illorum similem illi.* Agnouit Virgo Angelos vicis, ac plateis assimilari, quia per Filij eius Incarnationem tam familiares sunt Angeli hominibus, quàm familiares & vsuales sunt vici, & plateæ inambulantibus. An non huiusmodi commercium Virgini illud *Fiat* proferenti debetur?

Maria contemplatio circa Christi perfectionem, cui nullus Angelus similis reperitur. Honor.

Mariæ debemus, Angelos nobis tam familiares esse.

14\. Dionysius Carthus. persequens sensum Mariæ triduo illo quærentis Iesum apud Ierosolymam remanentem, adiicit: *Surgam manè de lecto, & circuibo ciuitatem Ierusalem; per vicos, & plateas eius quæram dilectum præsertim inter cognatos, & notos.* Sed inter eos eum *non inueni*, quia solum in iis, quæ ad Patris cœlestis præscriptum pertinent, occupatur.

Quærit Maria Iesum inter cognatos, nec inuenit. Luc. 2. Carthus.

Loco verborum illorum. *Per vicos, & plateas.* Pagninus legit: *Quæram per alta loca.* Chaldæus. *Ascendam super excelsos cœlos.* Profectò Maria non per loca infima Deum quærit, sed per eleuatissimos gratiarum, virtutumque vertices. 15.

Maria per eleuatissimos gratiarū, & virtutum vertices Deū quærit.

Porrò Richardus Laurent. lib. 11. de laud. Virg. aliò diuertit. Ait enim, hæc verba *Surgam*, & circuibo ciuitatem proferri ab anima fideli expetente Deum inuenire. Vnde circuite ciuitatem intendit, vt proculdubio inueniat. Quænam ais hæc ciuitas? Respondet ille. Ciuitas est Maria, *de cuius plateis dicitur.* Apoc. 21. *Platea ciuitatis aurum mundum. Platea dicitur à Græco πλάτος, quod est latitudo*, & designat latitudinem charitatis Mariæ, qua præsto est illos omnes liberaliter recipere, qui prius ambulabant per latam viam, quæ ducit ad perditionem. Mat. 7. Qui ergo curat diuertens ab exitialibus illis plateis Deum requirere, & salutis viam inire, ad Mariæ plateam accedat, circuiens Virginis ciuitatem, & Deum inueniet apud illam commorantem. *Dicat ergo* (Richardus addit) *qui huiusmodi est desiderio, & re illud Cantici: Surgam & circuibo ciuitatem, id est Mariam per vicos, & plateas quærens, quem diligit anima mea, qui in Maria, & per Mariam inuenitur.* 16.

Maria est ciuitas in qua, & per quam Deus à peccatoribus est inueniendus. Apoc. 21. Richard.

Mat. 7.

Qui ergò vult Deum, quem ob peccatum amisit iterum inuenire, non pergat cum Maria ad ciuitatem Ierosolymam, vt illum requirat post tres absentiæ dies, & molestiæ totidem. Luc. 2. ad ipsam ciuitatem Marianam accurrat; illam piis precibus circuiens, illicò Deum in ipsa & per ipsam inueniet. Nunquam enim Deus ab illa recedit. Ideo cum Maria clamaret Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea vbi pascas, vbi cubes?* Respondit sponsus: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, abi, & egredere post vestigia gregum.* Ac si diceret, si te non agnoscis esse ciuitatem, in qua semper habito, & à qua nunquam recedo, sequere greges fidelium, quorum me profiteor esse pastorem. Sed cur gressus velut otiosè ad agros diriges, si in te nunquam non commorantem inuenies. Qui Christum quæris, circui Mariæ ciuitatem, & illum inuenies, quia (vt ait Richardus) *in Maria, & per Mariam inuenitur.* Te autem Maria non repellet, quia huius ciuitatis *plateæ charitatis Mariæ*, obiiciunt *latitudinem.* 17.

Nunquam à Maria recedit Deus. Bernard. Cant. 1.

Vers. III.

Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?

INuenerunt me vigiles.] Spiritus Angelici sunt, qui hîc vigiles appellantur. Dan. 4. *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit*, id est, Angelus. Et inibi vers. 14. *Decretum est in sententia vigilum*, id est Angelorum. Ita Ambrosius, Nyssenus, Theodoretus, & alij. 18.

Maria non inuenit Angelos sed ab eis inuenitur; anxie enim eum quærebat.

tam, & vt desiderabant Christi Matrem. Ambros. Theodor. Nyssen. Dan. 4. Guillelm.

alij. *Nam hi sunt* (inquit Guillelmus) *vigiles qui custodiunt ciuitatem, seu Ecclesiam electorum secundùm illud Apostoli: Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium; missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Hi sunt vigiles, de quorum sententia, vt in Daniele legimus, Rex superbus vltioni diuinæ subiacuit, quorum eadem, quæ Dei sententia est: Dei per auctoritatem, vigilum per ministerium executionis.* Addit Abbas appositè: *Ab his vigilibus Maria inuentam se dicit: non verò à se vigiles inuentos.* Et Philippus Abbas (Philip.) *signanter non vigiles à virgine: sed Virgo à vigilibus est inuenta.* Cur igitur Maria circumiens ciuitatem, vt dilectum quærat, dicitur ab Angelis inuenta, & non ipsam Angelos inuenisse? Mittens duorum Patrum solutiones, de quibus inferiùs dixerim, beatissimam Virginem inuentam fuisse ab Angelis, quia ipsa ab Angelis anxiè quærebatur. Inuentio enim rei alicuius & ipsius desiderium, & accuratam inquisitionem præcessisse. In hoc autem ineffabilis Mariæ dignitas emicat. Quamvis enim Virgo per humanam naturam sit creatura Angelis inferior: est tamen per gratiam, & Dei maternitatem adeò Deificata, vt iam possit simul cum Filio suo Deo & homine esse dignum desiderij Angelorum obiectum, & inquisitionis anxiæ omnium sublimium creaturarum: vt simul cum Christo Domino dici valeat *desiderium collium æternorum.* Methodius (Method.) homil. de Purific. inquit: *Benedicta tu, & prorsus benedicta, omnibusque* Angelis & hominibus *desiderabilis. O sponsa desiderata!*

19\. *Desiderium spirituũ cœlestium ac Mariæ aduentu, & cunctis post lapsum Adæ sæculis.* Damasc.

Confirmo id ex Damasceno orat. 2. de Nat. Mar. *O desiderabilis, ac ter beatissima fœmina; Certabant inter se sæcula, quodnam ortu tuo gloriaretur! O desiderabilis Angelis!* Certum est enim cœlestes spiritus à primo suæ creationis instanti quæsiisse, & desiderasse Christum incarnandum, si gloriam obtinuerant, eò quòd eius humanitati sese submiserunt; quod rebelles Angeli gerere noluerunt; consequenter autem debebant illum quærere, & desiderare *ex muliere factum.* Mater enim & Filius sunt res ita connexæ, vt vnum sine altero quæri, ac desiderari non valeat, simul ergo cum Christo Deo & homine futuro matrem Mariam Deificandam quærebant, & dignam tanto muneri ciuitatis nouæ Ecclesiæ custodes futuri perfectionem inuestigabant. Angeli, qui custodiebant cœlos, quærebant Dei Matrem super omnes cœlos exaltandam, per quam portæ cœlorum hominibus tunc clausæ erant reserandæ. Angelus præses solis motibus, requirebat Mariam solis institiæ matrem, solis splendoribus induendam. Angelus Lunæ custos illam quærebat mulierem sole amictam, quæ omnium imperfectionum Lunam erat sub pedibus habitura. Sic mundialis *ciuitatis* tunc *custodes,* nunc Ecclesiæ per singula sæcula Mariam inuenire gestiebant, & tandem *me* (inquit illa) fœliciter *inuenerunt.*

20\. *Maria dum vixi in hoc sæculo frequentibus Angelorum visitationibus fruebatur.* Guillelm.

Guillelmus ex hisce verbis, *Inuenerunt me vigiles,* colligit Mariam, dum apud nos commoraretur, frequenter Angelorum visitationibus fuisse fruitam. *Non possumus Angelos inuenire, id est, ad eos ingredi intùs in gaudio Domini custoditos, dum in corpore peregrinamur à Deo. Porrò ipsi imperio conditoris egrediuntur, vt nos quærant, & inueniant, id est, vt quæ ad nostram salutem pertinent, agant circa nos, etiam dum nos nescimus. Quis autem dubitet, eos Matrem Domini* specialissimè quæsiisse, & inuenisse, *dum in corpore peregrinaretur, id est, illam visitasse crebrò, & cum ea sæpiùs dulcia colloquia miscuisse?*

21\. *Maria inuenitur ab Angelis, non illos inuenit, quia ipsa solum Deum quærebat.* Philip.

Philippus Abbas sic dubio illi reddit solutionem. *Signanter non vigiles à Virgine, sed Virgo à vigilibus est inuenta. Virgo enim sicut non homines, sic nec Angelos requirebat: sed Dominum Angelorum inuenire summo satagebat studio.* Tota itaque Deo soli erat addicta. Vnde Angeli illam quærebant, vt tantum in virtute profectum admirarentur, & applauderent. Adiicit Abbas. *Quia super hanc ciuitatem* mundi *vigilum sollicitudo est intenta ad hoc, vt diligenter quærant, quis profectum accipiat sanctitatis, vt Mariæ congaudeant affectuosa beneuolentia charitatis,* eam curant inuenire.

Mariam quærunt Angeli, vt ineffabiles eius virtutes applaudant.

22\. *Mitteitur Maria ab Apostolis Ecclesiæ custodibus, eſum resurrexisse.* Isai. 62. Rupert.

Aliter Rupertus. *Qui vigiles? & quam custodientes ciuitatem? Discipuli eius, quia ad hoc erant dispositi, vt custodirent, imò vt ædificarent ciuitatem veram Ierusalem, de qua, vel ad quam ipse dilectus per Isaiam dixit: Super muros Ierusalem constitui custodes: & tota die non* tacebunt, laudare nomen Domini. *Isti vigiles* (ait Virgo) *me inuenerunt, & mulieres, quæ tota nocte vigilantes venerunt ad monumentum, inueneruntque me bonum afferentes nuncium, quia resurrexisset, & vidissent Dominum.*

23\. *Angeli Mariam consolabantur de morte Filij ineffabili dolore affectam.* Alan.

Porrò Alanus non Apostolis, non piis fœminis hoc nomen, & officium vigilum, sed Angelis vti Guillelmus, & Philippus adaptat. *Vigiles,* inquit, *id est, Angeli sancti quasi venerunt, & inuenerunt Virginem plorantem in morte dilectissimi Filij. Vt consolarentur eam, quæ ob absentiam Christi tristi premebatur dolore, & angustia, in quo statu est inuenta.* Quia scilicet cœlestes consolationes studiosè quærunt, & inueniunt hi, qui de Dominica passione cordis amaritudine tristem pium fouent affectum.

24\. *Rogat Maria Apostolos, an viderint dilectum, & ipsi de eius resurrectione dulce nuncium reddunt.* Hailgr. Rupert.

Profectò Hailgrinus vult ciuitatem hanc esse ipsam terrestrem Ierosolymam: Custodes esse Pharisæos, à quibus *B. Virgo frustra de dilecto interrogauit passionis tempore, quem increduli nosse recusarant.* Ruperto autem sunt Apostoli & discipuli, quia ad hoc erant constituti. Ab his ait Deiparam interrogasse: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* At illis respondisse: *Vidimus, apparuit Simoni, visus est euntibus in Emaus, & stetit in medio nostrùm.* Attamen tanti Patris venia hæc satis contorta esse asseruerim. Quia contextus indicat, potiùs vigiles contempsisse, quam ad cor sponsæ respondisse, quod ei satisfaciebat. Denique vidit Filium prima postquam resurrexit, ideò non nimis hæc decorè dicta, nisi vt piæ concionis cogitationi seruiant.

25\. *Maria Angelos interrogat de Christi diuinitate, & ipsi ei non respondent, quia ineffabile est quod interrogat.*

Num quem diligit anima mea vidistis? Guillelmus. *Credimus piam Matrem circa carnem Verbi materna pietate sollicitam: sed verbum apud Patrem pia, & flagranti fide quæritantem, hac ipsa de re Angelos amoris sui conscios non rarò interrogasse: Num quem diligit anima mea vidistis? Multa de illo noui,*

plura

plura nescio; si quid nostis, quod nesciam, nolite celare. Quid illi responderint omnino tacetur. An fortè non responderunt? Dicit Guillelmus respondisse, *& talia de interna visionis gaudio respondisse, quæ humana locutione nequiuerint enarrari.*

Guillelm.

26. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Verè humilis Virgo vult ab Angelis edoceri, quæ vt ipsorum Magistra, eos Angelos & homines erudire posset. Profectò non tam miror Mariam doceri ab Angelis voluisse: quam quod interrogati Angeli haud ei reddiderint responsum. Rogantur à Maria & tacent: obuiam ei procedunt, quam requirebant, quam desiderabant, & illam non salutant? & illi non respondent? An hæc taciturnitas fuit contemptus indicamentum? Absit. Fuit namque erga Maria ingentis venerationis indicium. Talis est Virgo, vt coram illa Angelorum sapientia obmutescat. Vnica Mariæ interrogatio, quasi omnium Angelorum sapientiam absorbet. Nec Cherubicus chorus se sufficientem reputat, ad interrogationibus Deiparæ satisfaciendum. Verène Maria est quid diuinum? In sapientia communicata habet per gratiam, quod diuina sapientia per naturam? De Deo inquit Iobus cap. 9. *Si repente interroget, quis respondebit?* O quàm æmulatrix per gratiam sapientia Mariæ, cui interroganti nec Angeli audent respondere! Cherubini illi coram Arca fœderis adstantes alas habebant extensas quasi intendentes volare, sed omnino stupentes. Ezechiel. 10. Innuebant planè, quod coram animatæ Virgineæ arcæ conspectu Cherubicæ sapientiæ vis conticescit. Quod si Gabriël tam disertè loquutus fuit Mariæ. Luc. 1. non mirum; non enim suo, sed ipsius Verbi diuini ex nomine loquebatur.

Tanta Mariæ maiestas, vt coram illa nõ audeant vel Cherubini sapientissimi loqui, videntes eam Deitatis æmulatricem.

Iob. 9.

Ezech. 10.

27. Philippus Abbas hinc ineffabilis Mariæ erga Deum sponsum amoris præstantiam ponderans, scripsit. *Debuerat Virgo moderatior in silentio sustinere, dum priores Angeli loquerentur, quos dignitatis gradum superiorem secundum naturam nouerat obtinere: eisque primùm respondere loquentibus. Caterùm vti modo, vel moderamine immoderatior amor nescit; non sexum, non ordinem, non prætergredi terminos pertimescit. Omnium iura legum quodam mentis fastu videtur obliuisci, iustum solummodo putans eius, quem diligit incessabiliter reminisci. Quapropter ab eisdem, qui supra curam ciuitatis vigilant, studiosè conueniri non sustinens, eos potius conuenit curiosè; & amor igne fortior sub fauilla cineris nesciens contineri, flammescit euidentius, & à circumstantibus vult videri.* Pulchrè planè.

Amoris Mariæ in Deum vis exprimitur.
Philip.

28. Inferius, Pater Mariæ in Deum dilectionis præstantiam manifestat. *Ad requisita Virginis non inducuntur Angeli respondere: fortè quia respondendi moram Virgo sustinere noluit, cuius animum æstuantem omnis dilatio iam molestat; & ob hoc quod impatiens moræ fecerit, manifestat.*

Adhuc amoris erga Deum Mariæ præstantia ponderatur.
Philip.

29. Ex Gislliberto autem suspicanti Angelos Mariæ interrogationi respondisse, colligo Virginis humilitatem, quæ profundissimi silentij velamine curauerit cœlestia specialissima dona obnubilare. Ait ille serm. 6. *Dulce puto susurrum, quod inter sponsam custodesque vertitur, & grata collatio, si tamen collatio; nulla enim eorum responsio memoratur. Secreta valde est, si qua est, quam alto tegendam silentio putat. Secretum suum sibi, secretum suum sibi. Nec audemus hinc aliquid coniicere, quod sponsa curauit retinere.* Edocet Deipara cœlestes illustrationes & reuelationes haud facilè euulgandas.

Mariæ humilitas curauit cœlestia dona, & illustrationes silentij velamine obtegere.
Gisliber.

Vers. IV.

Paululùm cum pertransiissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Paululùm cum pertransiissem eos.] Guillelmus Angelos Mariæ sic loquentes inducit: *Tu etiam ò Domina, supra nos assumêris, vt inuenias Iesum tuum in diuinitate sua, in æqualitate Patris. Pertransibis nos, & inuenies quem nunc quæris. Transiisti nos* excellentia meritorum, *sed non pertransiisti. Illud tribuit tibi meritorum prærogatiua, istud pondus carnis denegauit. Verùm cum Iesus tuus in cœlum ascenderit, & tu post illum assumpta fueris, pertransibis nos, vt quadam singularitate honoris, & gratia, atque gloria super omnes Angelorum Choros eleuêris. Cæteris autem sanctis æqualitas nostra permittitur, atque promittitur: tu autem sola inter puros homines gratia prolis tuæ etiam Angelicam humilitatem transcendis.* Cur non dixit, *Angelicam sublimitatem*, sed *humilitatem?* Certè quia facta mentione celsitudinis Mariæ, & in eius conspectu præcelsior Angelorum sublimitas, submissior humilitas apparet. *Pertransibis ergò nos, sed paululum. Nam Iesus tuus pertransibit nos longè & multum in dexteram Patris assumptus. Vt ab omni creatura intellectuali non tantum in diuinitate sua, sed etiam in humanitate adoretur: & in nomine eius omne genu flectatur.* An Angeli Mariæ quæritanti. *Num quem diligit anima vidistis?* responsionem dedêre: illa autem iam lætabunda clamat: *Paululum cum pertransiissem, inueni quem diligit anima mea. Nam assumpto Iesu meo in gloriam* (adhuc Abbas) *suam, assumpta & ego sum post eum, & sic pertransiens paululum Angelos, inueni eum, & aspexi facie ad faciem in æqualitate Patris considentem.* 30.

Maria assumpta in cœlum omnes Angelorum Choros pertransiit cunctis admodum superior.
Guillelm.

In conspectu celsitudinis Mariæ præcelsior Angelorum sublimitas, submissior humilitas apparet.

Dionysius Carthus. asserit, Mariam Deum sibi, & cunctis hominibus ex charitatis superfluentia: & demum suis meritis, precibus sibi, & illis eum inuenisse. *Deifera hæc sponsa Filium suum quæsiuit in lectulo suo corporali, & spirituali non sibi ipsi duntaxat, sed omnibus hominibus, pro quorum salute fuit sollicita, assiduè preces fudit, vt eis gratiam conuersionis, reformationis, ac consolationis internæ acquireret. Nec tamen pro omnibus illis exaudiebatur ad votum propter eorum nimiam peruersitatem. Cumque esset humillima, non de suis meritis præsumpsit. Imò sanctorum, Patriarcharum, & Prophetarum virtutes, ac merita animo perlustrauit, & per ea petiit aliquando, exaudiri. Sicque per vicos & plateas quæsiuit dilectum, quem illis transmigratis inuenit; quoniam* 31.

Nobis Mariæ Deum quærit, inuenit.
Carthus.

Tanta Mariæ humilitas, vt aliorum sanctorum intercessione apud Deum vteretur, ad optata impetrandum.
Carthus.

quoniam pro meritis suis potius, quam illorum pro plurimis exaudiebatur.

32.

Tam acutus fidei Mariæ oculus, vt in exilio quodammodo clare videat Deum veluti adesset in patria. Philip.

Philippus autem Abbas appositè admodum locum exposuit. *Videns* (ait Virgo) *Angelos meum mihi desiderium non supplere: videns custodes ciuitatis efficacem supplendi gratiam non habere: transiui considerans virtum Cherubini ac Seraphini, & spiritus excellentiæ dignioris conferrent æstuanti donum sufficientiæ plenioris. Transiui ergò Angelos, cum adscendi ad illos spiritus digniores: pertransiui, cum attendi, neutros posse esse desiderij mei suppletores.* Adiicit mox Doctor. *Cum vero dicat Virgo, se illum, quem diligit inuenisse, quid est, quod præmittit, sese paululum Angelos vigiles pertransiisse, cum non paululum, sed plurimum pertransiisse omnia videatur?* Respondet, *sed quia tenetur lege mortalium carnis vinculo grauiore, quantumcumque proficiat æstu desiderij purioris, non tamen sponsum inuenit, nisi oculo tantum fidei, vel amoris: rectè dicit,* Paululum *respectu gratiæ plenioris: qua etsi studio, & gratia suum prouehit intellectum, prouentuque mirabili supergrediens Angelos, peruenit ad dilectum; tamen quia hæc peruentio, dum hîc viuitur, habet aliquid imperfectum: paruo quasi transitu oculo fidei se transuehit.* Fidei namque Deiparæ oculus adeò erat perspicax, vt ante claram Dei visionem in patriâ futuram, Deum clarè quodammodò in exilio conspiceret.

33.

Probabile est, Mariæ Matri Filium reuelasse adhuc viuenti diuinam essentiã. Honor.

Honorius speciali interpretatione sententiam illustrauit, particulam illam *Paululum* non adiungens cum verbis sequentibus, *pertransiissem*, &c. vt sensum efficiat. *Cum paululum pertransiissem*; sed eam seiungit, & præcedentibus annectit; quasi sit Angelorum responsio ad Mariæ interrogationem hanc. O Angeli, dicitote mihi, si Christi diuinitatem dignoscatis? Qui dixerunt: *Paululum. Quamvis enim Angeli* (cum Honorio loquor) *de Deo intelligant multum; tamen ad comparationem ipsius veritatis, videtur paululum. Nullus enim Angelorum ita Deum cognoscit, vt se ipse cognoscit. Nam nemo nouit Pater nisi Filius: nec Filium nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Addit opportunè. *Quod Filius creditur matri fecisse.* Nam si voluntati Filij Mariæ datum à Patre est, vt essentiam diuinam cui placeat ei reuelare: Quis dubitet eum cum Matre dilectissima hanc potestatem aliquando hic non exercuisse?

34.

Adeò Maria humilis, vt diuorum intercessione vteretur, dum viueret, ad obtinendum quod cupiebat. Bernard. Victor.

At Richardus victor vt intercessionis sanctorum commendet efficaciam, sic locum interpretatur: *Cum paululum pertransiissem eos, inueni quem diligit anima mea. Id est, illico ac Angelos pertransiui, dilectum inueni. Hos pertransiui, vt venirem; & per hos transiui, vt inuenirem. Horum enim occursu, & auxilio obtinui, quod concupiui.* Si Deus vult, vt Maria hominum & Angelorum Regina, dum in lachrymarum valle moratur, vt sua expleat vota Diuorum intercessione vti: quid mancipia ad veniam peccatorum obtinendam, agere debemus?

35.

Maria assumpta ad summam gloriã, non quia Dei Mater præcisè; sed quia præclara virtutum opera exercuit. Richard.

Profectò alter Richardus, nempe Laurentinus se prædiuitem (de more) in huius versus expositione ostendit. Ait enim lib. 3. de laud. Virg. hic assumptionis Deiparæ gloriam signari. *Paululum, ait ipsa, cum pertransiissem, inueni, quem diligit anima mea, Ibi enim dilectum inuenit, vbi positus est thronus Matri Regis iuxta Regem. Vbi iam ab eo audit cum gaudio, Maria, Ecce Filius tuus. Quasi diceret, ecce quem genuisti, quem in tanta vides fulgentem maiestate. Nam aliquando ab eodem audiuit in statu longe alio sibi dici: Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. *Quis enim esset ibi gaudij locus, vbi non tantum dissimulabatur Mater, cum ei supponebatur alienus, & proprius Filius tollebatur: imò dissimulabatur, cum non vocatur Maria, sed mulier.* Itaque cum gaudio audit in cœlo, *Maria ecce Filius* verus tuus, *quem genuisti*, quia iuxta crucem audiuit, *Mulier ecce Filius*, seu Ioannes, quem te in filium adoptare volo; vt hac commutatione tuæ patientiæ meritum augeatur. Maria enim ad tam ineffabilem gloriam Assumptionis die eleuata non fuit, qua Mater Dei præcisè, sed quia ineffabilium virtutum actiones exercuit.

36.

Non potest verbis explicari gloriæ gradus, ad quem Maria fuit eleuata. Richard. Psal. 17.

Cum pertransiissem eos. In sua Assumptione Deipara Angelos, & sanctas animas pertransiuit: nec dicit, quò ascenderit, & ad quem cumulum gloriæ super cunctos auolarit, quia ineffabile prorsus. Audi Richardum. *De Assumptione* (ait lib. 3.) *Matris potest exponi, quod de Ascensione Filij dicit Psalmista* Psalm. 17. *Ascendit super Cherubim, & volauit. Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ. Quia nulla humana scientia potest attingere quantum Maria ascenderit, vel ad quantam gloriam. Bis dicit Ascendit, volauit. Nec determinat, quò ascenderit; sed vnde. Vsque eo enim eam prosequi potuit, qui hoc dixit; ex tunc quasi euanuit ex oculis eius; vt quo ascenderit, vel capere non potuerit, vel ei non licuerit dicere.*

37.

Omnis creatura, imo & Christus vt homo Mariæ via fuerunt ad Deum, non finis, seu terminus. Richard.

Cum pertransiissem eos, inueni, quem diligit anima mea. Nos edocet Virgo omnem creaturam esse viam ducentem ad creatorem, nec sistendum in via ei, qui Deum expetit inuenire. Vnde Maria pertransiuit Angelos, & homines imo Christum, qui vt homo est, via quidem est ad Deum inueniendum. Pulchrè Richardus lib. 5. *Cum Maria dicit. Paululum cum pertransiissem eos, loquitur de vigilibus, id est, Angelis,* & omnibus creaturis. *Addit, inueni, quem diligit anima mea. Omnis ergo creatura pertranseunda est, quasi via, qua peruenitur ad sponsum: Etiam ipse sponsus in quantum homo pertranseundus est, quasi via, non amplectendus vt finis, sicut dicit B. Augustinus* lib. 1. de doctr. Christ. cap. 34. *Propter quod ipse in quantum est homo, vocat se viam* Ioan. 14. *Ego sum via.*

38.

Nunquam Maria potuit à Deo separari. Richard.

Tenui eum, nec dimittam.] Tenuit Maria Deum, seu ita ei dum viueret, adhæsit, vt non potuerit ab eo separari. Richardus lib. 1. ait Mariam maris esse stellam. *Omnium stellarum generalis est circumuolutio, quia stella quælibet mutans locum, tamen circulariter mouetur circa circuli centrum. Sola verò stella maris de loco nescia moueri, circuit immobile punctum. Huius stellæ nomen conuenienter Virgini potest aptari. Punctum immobile est Deus, qui est omnium principium. Vnde ipse dicit* Ioan. 8. *Ego principium, qui & loquor vobis. Vis audire quomodo stella nostra Deum habet intra se? Angelus ait Iosepho* Mat. 1. *Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Vis audire, quod non possit ab illo discedere? Audi ipsam in Canticis. Tenui eum, nec dimittam.*

Tenui

39. *Maria tenuit Deum irascentem, nè peccatores percuteret.* Deuter. 2. Richard.

Tenui quidem Deum irascentem in peccatores, nè eos exitialiter percuteret. Fatur Richard. lib. 2. *Sæpè quos Filij iustitia damnat, Matris misericordia liberat. Quæ scilicet iustitia Filij, & misericordia Matris videntur sic altercari. Quasi dicat iustitia Filij* Deut. 2. *Ego occidam, & percutiam: Matris misericordia respondeat: Ego viuere faciam, & sanabo. Fugias igitur ad protectionem manus eius, & nihil tibi timendum est. Ideo enim dicit de Filio irato, Tenui eum, ne percuteret peccatores; nec dimittam, sed continua precum instantia furorem illius detinebo.*

40. *Mariæ à Deo inseparabilitas.* Richard. Ierem 31. 2. Reg. 1. Rom. 8.

Redit lib. 4. idem Doctor inseparabilitatem Mariæ à Christo commendare. *De hac inseparabilitate dixit ipsa* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Vnde potuit verè dicere Filio* Ierem. 31. *In charitate perpetua dilexi te. Item illud* 2. Reg. 1. *Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. Item illud* ad Rom. 8. *Quis me separabit à charitate Dei, tribulatio? an angustia? &c. & ponit vndecim adiectiua. Ergo si in tantum dilexit Regem suum miles Regis: quantum putas dilexisse Filium suum Regem Genitricem Regis? Vtique multo amplius.* Ego dixerim, Infinitè quodammodo.

41. *Tenet Maria Deum, nè nos vulneret, & simul eisdem manibus nostrorum delictorũ vulnera sanat, nè rursum illum ad iram prouocemus.*

Laudat idem Richardus lib. 4. Deiparæ tactum, & quia manibus tenet Deum, nè peccatores percutiat: & qui ipsos peccatores attactu earum sanat, nè Deum ad iram rursum audeant prouocare. *Attactu tenet* (ait ille) *Filium, nè statim feriat peccatores. Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Dulcis etiam est peccatoribus Mariæ tactus, quia Mater est misericordiæ: & matris est, suauiter, & dulciter tangere filium puerum. Pueri sunt peccatores, quibus ipsa nouit leui manu, suaui attactu tumorem premere, putredinem eiicere, vulnera circumligare, spem, & securitatem præstare misericordiæ.* Vulneribus enim conscientiæ sanitate donatis, non erit necessarium rursum Deum tenere, nè percutiat.

42. *Maria infantem Iesum fasciis illigabat, vt iam à cunabulis quasi disceret à Maria teneri posse.* Richard.

Addit bellè Doctor. *Tenui eum, nè peccatores percuteret. Hoc figurabatur, quando ligabat Filij manus, & brachia in cunabulis.* Quod à cunabulis discitur, diutius postmodum retinetur. Infantis Iesu Maria assuescit ad Matris placitum teneri, & illigari: vt facilius postmodum Matri tenere eum, eiusque manus illigare volenti, nè feriat peccatores, morem gerat.

43. *Brachiis Mariæ tenet iræ diuinæ leonẽ, nè peccatores comminuat.* 2. Par. 9. Richard.

Profectò idem lib. 5. describens Mariæ brachia fatur: Nota, quod 2. Paral. 9. dicitur, solium Salomonis, quo Maria significatur, habuisse duo brachiola, & duos leones stantes iuxta brachiola. Habet gloriosa Virgo non solum brachiola, imo brachia *longa ad defensionem nostram*, cum diuinæ iræ leo rugierit. Ideò dicit, Tenui eum quasi duobus brachiis geminæ charitatis, & duplici manu bonæ operationis. Nec dimittam, id est, non sinam, donec peccatores à leonis ira omninò valeam liberare.

44. *Facillimè Mariæ preces velut brachioli leonem iræ Dei tenent.* Richard.

Porrò Mariæ preces vincula sunt, quibus leonis Iuda iracundia tenetur. Probat id Richard. lib. 2. *Maria facilè impetrat quidquid petit à filio leone.* Ideò non brachia fortissima gigantis, aut viri admodum robusti; sed Virginis tenerrimæ brachiola Throno Mariano suprà leones statuuntur. Ipsa enim detinet iram Dei, nè statim vindicet in nos. *Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Gratiositas autem eius ad impetrandum figurata est.* Esth. 5. *Dixit enim Assuerus ad Esther: Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi? & quid vis fieri? Conquerebatur Dominus, antequam Maria nasceretur, dicens* Isai. 64. *Non est, qui consurgat, & teneat me. Sed ipsa tenet eum facta aduocata nostra, & allegat pro nobis fideliter coram Filio ventrem, & vbera ei repræsentans. Et ipse velut piissimus infans ex leone effectus, ab vbere Matris ei repræsentato delectatur.* Isai. 11. — Esth. 5. Isai. 11.

45. *Maria precibus, & rectis operibus peccatores ad Deum peccatores adducebat.* Richard.

Adhuc ille lib. 5. sic inducit Mariam clamantem: *Tenui dilectum, nec dimittam, id est, nec desinam amare eum, & bene operari: donec introducam illum in domum matris meæ, id est, donec notum dilectum fecero toti Ecclesiæ, quæ me spiritualiter genuit, & nutriuit.* Nihil enim Deo gratius, quam iustos veros Ecclesiæ filios procurare, vt dilectus, quem ipsi cognoscunt, ab aliis dignoscatur, & ametur. Hoc autem Deipara gerit non solum precibus, sed rectis operibus, quæ quidem efficacioris orationis vices agunt. *Nec desinam amare eum, & benè operari.*

46. *Perseuerantia vsque ad vitæ finẽ in deuotione Mariæ est prædestinationis signum.* Eccl. 15. Richard.

Denique Richardus flectens versiculi ex deuotionis in Deiparam affectu verba, hæc hominibus illam diligentibus accommodat, ac si dicat gaudio diffluens. *Inueni quam diligit anima mea, tenui eam, neque dimittam illam, id est, Mariam vt ei seruiam, eam collaudem, & operer ad honorem eius.* Ad cuius confirmationem vtitur verbis illis Eccli. 15. *Qui continens est iustitiæ, vel Mariam, in qua omnis iustitia continetur, dilexerit, apprehendet eam, seu firmiter tenebit affectu, & intellectu, & toto conamine mentis, & corporis: ita quidem vt vsque ad vitæ terminum non dimittat.* Persistentia enim huiusmodi in Deiparæ deuotione est perspicuum prædestinationis signum. Profectò (concludit ille) *non videtur iustus, vel de numero prædestinatorum, sed magis de reproborum numero, qui Mariæ specialiter non seruit.*

47. *Mariæ mirabilis charitas in ingratos Iudæos.* Rupert.

Donec introducam eum in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ.] Mariæ mater, & genitrix synagoga fuit, in cuius domum, atque cubiculum Christum piissima Filia introduxit, cum per ipsam multi Iudæorum conuersi fuêre, & in fine reliquiæ conuertentur. Huc flexit Rupert. hæc verba premens, & Virginem hæc fantem inducens: *Cum pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea, & non quocumque, sed in cœlum vidi ascendentem: & Apostolos eius misso de cœlo Spiritu sancto vidi prædicantes gloriam Domini. Hæc mihi inuentio fuit eius, quem diligit anima mea; & ex illa inuentione tenui eum, vt introducerem in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, scilicet synagogæ. Hoc ex parte iam factum est, quia multi Iudæorum crediderunt in eum. Alij quidem obclusis cordibus, ipsum & me repulerunt.* Sed non dimittam, donec illùc introducam eum. Sic enim ait scriptura Osе. 10. *Si fuerit populus Israël quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eis*, nempe mearum instantia precum. Tantum suo populo profuit Deiparæ ineffabilis charitas: & ab eo repulsa, & iniuriis acta tam grata extitit tam ingrato.

Verſ. V.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

48. *Maria nos docet, quonam pacto ei ſint noſtræ precationes offerenda.* Guillelm.

RVpertus hunc verſiculum tranſilit, quia ſuperius fuerat interpretatus. Honorius ſuperiorem intelligit de conuitiis in Deiparam; hunc de falſa prædicatione Hailgrinus, & Alanus aliò diuertunt. Crediderim ſolum hæc optimè cum præcedentibus Guillelmum connexiſſe: nos monentem, quonam pacto Mariæ preces ſint offerendæ. Proximo verſiculo eximia Virginis charitas erga Iudæos ſui Filij interemptores exprimitur. Inde Abbas ſic ratiocinatur: *Si pia Mater tantum poteſt apud Filium pro his, qui ſanguinem eius tam impiè fuderunt: quantum credenda eſt poſſe pro his, qui ſecundum Apoſtolum* (Gal. 3.) *in Chriſto baptizati Chriſtum induerunt? Inde nimirum accidit, vt omnes Chriſtiani ſuis in neceſſitatibus tanta fiducia ad eam recurrant, ſuaſque illi petitiones per eam Fdio offerendas commendent. Multi tamen minus honeſtè, vel ordinatè petunt, quam oportet, quam decet. Fœdas autem petitiones Mater Filio non offert, nec ſuſcipit offerendas. Nonnulli honeſtè quidem petunt, & ea quæ ad ſalutem; ſed tamen vel fratres non diligunt, vel ſuos mores non corrigunt; nec horum petitiones pia Mater dignatur admittere. Itaque non tantum petitionis honeſtas, ſed etiam petentis exigitur. Nam inhoneſta improbantur, inhoneſtas pia Matri diſplicet. Prohibet ergo ſponſus cœleſtis nunc tales poſtulare, & talia poſtulari. Ne ſuſcitetis dilectam.* Adiurantur itaque filiæ Ieruſalem, Chriſticolæ fideles, ſed infirmi, vt caprearum, ac ceruorum (quibus perfecti deſignantur) imitatores, admonenturque Mariæ iam in cœlis quiete æterna fruenti non obſtrepere indecora, vel inutilia petendo; vel non ea, qua decet fide, intentione, & deuotione poſtulando; ſed dumtaxat eam orare tali modo, vt pro orantibus ſurgere, & ſuffragari eis poſcentibus opem non aſpernetur.

49. *Excubias agit Spiritus ſanctus ad Mariæ cuſtodiã, dum dormit.* Anonym.

Inducitur hîc Deiparæ ſponſus Spiritus ſanctus excubans ad eius cor puriſſimum, ad hoſtium inſidias repellendas: ne ab iis infeſtetur, qui eius inuident ſanctitati, eius paci, eius quieti. O fœlix quæ ita dormit, vt Deum ſuum cuſtodem habeat, qui ad dilectæ cor agat excubias! Cecinit Anonymus Auctor valde pius Virginis commendator Rythmo *de Virginit.* apud Patrum Bibliot.

Ne nocturni timores irruant,
Et ſopore depreſſas obruant
Peccati nebulæ.
Quas immittunt feruores noctium
Grauis ſopor, hoſtis ludibrium
In carne fragili.
Sed non habent ſuos introitus
Vbi cubat ſanctus Paraclytus
Cum tuba vigili.

Quam libera fuit Maria ab eiuſmodi hoſtis ludibriis, quæ ſub tam vigili cuſtode vel ſomno indulgens nunquam-non vigilabat, vti aſſerunt nonnulli! (de quo inferius.) Indicant id illa verba, Ne ſuſcitetis dilectam, donec ipſa velit ſuſcitari. Ergo dormiens vult, & non vult: ergo dum dormit, vigilat, ſiquidem voluntas eius vti inſomnis operatur.

Quæſtionem excitat Caſſiodorus ſic: *Si requirebat ſponſum, quomodo quieſcebat, dormiebatque?* Paulo ante Maria ſe vigilantem exprimit per vicos, & plateas dilectum quærentem; mox autem ab ſponſo inducitur tam profundè dormiens: *Ne ſuſcitetis dilectam.* Reſpondet Doctor, *Amori meritò datur nomen ſomnij. Quia ſicut dormiens à viſibilibus oculos claudit: ita is, qui diuinæ contemplationi inſiſtit, quaſi alienus ab exterioribus dormit, & ſola ſpiritualia, ac cœleſtia videt.* Somnium Deiparæ vigilans profectò contemplatio cœleſtium fuit, quia omnibus Deum plus amauit. 50. *Somnus Mariæ contemplatio cæleſtiũ fuit.* Caſſiodor.

Ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectam. Neſcio, ſi dormire poterat, quæ clamabat: *Surgam, & circuibo ciuitatem, quæram, quem diligit anima mea.* Statim-ne mox fuit ſomno correpta? Poſt Caſſiodorum ſic pulchrius Angelicus Doctor quæſtioni ſatisfacit. *Adiurat filias Ieruſalem, ne eam ſuſcitent, cum paulo ſuperius non dormientem, vel quieſcentem, ſed ſtudio laborioſiſſimæ inquiſitionis inſiſtentem, qua ſponſum inquirebat, introducat. Si ergo requirebat ſponſum, quomodo requieſcebat? Sed dulciſſimus, & ſuauiſſimus eſt ſomnus Chriſtum quærere.* Huiuſmodi itaque ſomno Deipara ſemper fruebatur, quia ſemper dilectum, vel inueniens illum requirebat ex ineffabili dilectionis affectu, quaſi non inueniſſet. 51. *Suauiſſimus ſomnus Mariæ fuit Deum quærere.* D. Thom.

Iam verò ex hiſce verbis: *Ne ſuſcitetis dilectam*, oſtendam, ſomno parciſſimo vſam eſſe Deiparam, totamque ferè noctem in diuinarum rerum meditatione tranſegiſſe. D. Ambroſius lib. 2. de Virginib. ait de Maria, *Dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit.* Neceſſitati verò aiunt bonæ notæ Auctores vnius horæ ſomnio ſolitam Virginem ſatisfacere: & poſt tam breue quietis ſpatium corpore ad ſpiritualia exercitamenta vigilare. Cur ergo ſponſus ſomnij illius cuſtodem tam vigilem ſe præſtat: *Non ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam?* Certè quia excitari non indigebat, quæ vix ſopori membra dederat, quæ ad Deum laudandum exurgebat: non erat à ſomno auocanda, quæ tam ſollicitè deſerebat ſomnus, & quæ vel dormiens de dilecto cogitabat. 52. *Somno parciſſimo vſa Maria fuit, cõtemplationi tota ferè nocte intenta.* Ambroſ.

Non eſt abs re quòd hinc Maria *deliciæ* dicatur non ſolùm hominum, & Angelorum, ſed etiam Dei Filij ſui. Vnde hæc verba: *Ne ſuſcitetis dilectam:* nonnulli ex Hebræo vertunt: *Ne ſuſcitetis delicias*, Maria enim verè hominum, Angelorum, Deique deliciæ extitit. 53. *Maria hominum, Angelorum, imo Dei de iciæ.*

Non itaque aberrarim, ſi voluptatis Paradiſum Virginem dixero, quem ſecundo Adamo Deus præparauit, ſicut primo terreſtrem illum, in quo delicias omnes congeſſerat. Vnde Proclus de Maria loquens. *Hæc*, inquit, *eſt ſecundi Adami Paradiſus.* Quantum Adamo præſtat Chriſtus, tantum & virgineus Paradiſus terreno præſtat. 54. *Maria Adami ſecũdi deliciarum paradiſus.* Proclus.

Quàm deliciarum prædiues Mariæ Paradiſus, ex quo Chriſtus Paradiſus prodiit! Bernardus ſerm. 1. de Natiu. *Paradiſum habemus multo* 55. *Ex Maria deliciarum*

tam vber paradisus fuit, vt Christum deliciarum paradisum produxerit.

multo meliorem, & longè delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt : Paradisus noster Christus est. An-non in Dominico Paradiso omnes deliciæ vernant ? Quam ergo deliciis affluens Paradisus Mariæ, è quo potuit non iam vitale lignum vnicum, sed integer Paradisus proferri ?

56. *Christus Deus & homo positus fuit in Maria paradiso deliciarū Dei, vt operaretur eius fœcunditatem, & virginitatem custodiret.* Gen. 2.

Tulit Dominus Deus (de terreno Paradiso legimus Genes. 2.) *hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Parum quidem esset operari, nisi & custodiret : & minus integra custodia esset, nisi cultus & operatio adiiceretur. Hoc perfectius in Paradiso deliciarum Dei Mariæ præstitum. Positus est homo in eo, qui simul Deus esset, qui operaretur in eo fœcunditatem, & simul virginitatem illæsam custodiret. Pulchrè Richard. de S. Laurent. lib. 8. de laud. Virg. *In Paradiso etiam, id est, in vtero Mariæ positus est Christus in Incarnatione, quando mulier circumdedit virum, vt operaretur in ea fœcunditatem, & virginitatem illæsam custodiret.* (Richard.)

57. *In paradiso Maria viuit homo, qui in alio paradiso perierat.*

In hoc denique virgineus Paradisus terrestri præstat, quod in terrestri sua culpa morti obnoxius factus est primus homo, & cum illo posteri omnes, & cœlos sibi, & illis delinquẽdo præclusit, ac mulierum opprobrium facta mulier est, dum serpentis verbis nimis leuiter credidit. Ast Maria Hortus conclusus deliciarum est, & simul vitæ reparatio, cœli ianua, mulierum, virginumque decus, & gloria. Audi D. Hildephons. serm. 1. de Assumpt. *Hæc est Hortus conclusus ille deliciarum, reparatio vitæ, ianua cœli, decus mulierum, fastigium omnium virginum.* Omnibus vtilis hic Paradisus, sed conditori suo deliciosus. Hic voluptates suas Christus habuit, in hunc post Angelorum tumultum fruiturus pace diuertit. O fœlix Maria, quæ in Christo quiescens, Christo requiem exhibuisti ! (Hildeph.)

Vers. VI.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij ?

58. *Maria magnum est miraculum Angelos cunctos in admirationem rapiens.*

QVæ *est ista ?* Cap. 7. vers. 9. *Quæ est ista ?* & cap. 8. vers. 5. *Quæ est ista ?* Trina hæc inclamatio est Angelorum, qui admiratione afficiuntur, Mariam aspicientes tot à Deo dotibus ornatam : quasi naturæ, & gratiæ miraculum ostentetur. Res enim, quæ cœlestes spiritus in admirationem rapit, magnum debet esse prodigium naturæ, & communes gratiæ leges admodum superans. *Quæ est ista ?* Maria quidem. De qua D. Ignatius epist. ad Ioan. *Hæc omnia nos cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas est fari, cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi Mariæ.* Et D. Epiphan. serm. de laud. Virg. *Cœli, terræque mysterium & stupendum* Virgo *est miraculum. Quæ est ista ?* Maria planè, de qua D. Chrysostom. serm. de Virg. *Magnum re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper beatissima Virgo Maria.* Et D. Damasc. orat. 1. de Natiu. *Maria miraculorum omnium maximè nouum, imò & miraculorum abyssus. O quot miraculorum hæc Filiola officina extitit ! Sileat iam sapientissimus Salomon, nec iam nihil sub cœlo nouum esse affirmet. Quoniam scilicet oportebat, vt ad id, quod solum sub sole nouum erat, & miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur. Quæ est ista ?* Maria profectò, de qua D. Bernardus serm. de Deip. super *signum magnum. Abyssus luminis est Maria, nec facile dixerim, quòd vel Angelicus oculus ad huius signi magni fulgoris vehementiam non caliget.* Et D. Epiphanius citatus tantum signum admirans exclamat : *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem adduxisti ! Stupendum enim miraculum est in cœlis mulier amicta sole. Stupendum miraculum, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus.* Igitur non mirum, si à trina spirituum cœlestium Hierarchia aspiciente Mariam, trina admiratio excitetur : *Quæ est ista ? Quæ est ista ? Quæ est ista ?* (Ignat. Epiphan. Chrysost. Damasc. Bernard. Epiphan.)

Quæ ascendit per desertum.] D. Hieronym. verba hæc Deiparæ Assumptioni accommodat à spiritibus Angelicis admirationi affectis prolata. Ex persona supernorum ciuium in Mariæ ascensione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, &c. Et benè quasi virgula fumi, quæ gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis est repleta virtutum odoribus. Ascendebat autem Dei genitrix, de deserto præsentis sæculi virga de radice Iesse olim exorta : sed mirabantur cœlites præ gaudio, quænam esset, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem.* Preme illa. *Concremata intus incendio pij amoris, & desiderio charitatis.* Si pij amoris Deipara flammis concrematur, quonammodo dicitur charitatis desiderio flagrare ? Certè quia humilitatis prodigium Maria immensæ charitatis in Deum, & homines fouens incendium, putabat se quodammodo tepiditate laborare ; ideóque cupiebat accendi. Ascendit itaque sicut virgula ex virtutum aromatibus, quia non Maternitas, sed meritum pennas ei indidit ad volatum. 59.

Tantá fuit Mariæ humilitas, vt charitatis incendio flagrans, putaret se quodammodo frigidam : vnde charitatis desiderio æstuabat.

Mariæ non Maternitas, sed meritum pennas indidit ad volatum.

Eusebius Gallicanus serm. de Natali Dom. in aurora hinc colligit, in Maria nullam vnquam fuisse maculæ suspicionem. *Sed quid de Matre Domini dicam, cuius odoris fragrantiam Rex sapientissimus Salomon admirans, ait : Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus ? Vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fœtoris indicium esse non potest.* Quomodo in omnimoda sanctitate poterat esse vel vnius perleuis maculæ indicium ? 60.

In Maria omnium virtutū suffimēta spirante, nullum potuit esse fœtoris maculæ indicium. Euseb. Gal.

Petrus Damianus asserit, in deserto huius mundi, vbi omnes vel iusti cadunt, solam Deiparam semper ascendere. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum ?* Quasi admirabile, sit, vnam ascendere, vbi cuncti descendunt, seu cadunt. *Desertum, inquit, est vastitas huius mundi, in quo bestiæ agri frequentius ludunt. Desertum autem dicitur, quia derelictum à virtutum administratione, cum earum conuentus, abũdãte iniquitate, ad proprios ortus auolauerit. Quæ ascendit, inquit. In huius sæculi vanitates omnes vel descendere, vel cadere cognoscuntur; rursusque est* 61.

Admirabile est solam Mariā in deserto huius mundi ascendere, vbi cuncti descendere assolent. Damian.

eſt, qui non deſcendat, vel cadat in huius turbulentiſſimæ profunditatis oceanum. Sola illa Mater, & filia creatoris nec deſcendit, nec cecidit; ſed de virtute in virtutem aſcendens conſummatione virtutum veſtita eſt. Qualiter autem aſcendit? Sicut virgula, inquit, fumi. Virga fumi recta eſt, ſubtilis, & odorifera: & quanto magis in aëra extenditur, tanto magis dilatatur. Sic & Angelorum Regina recta eſt in ſublimitate conuerſationis; quia virga directionis, virga Regni tui. Subtilis in Deitatis contemplatione; quia ipſa eſt, quæ conſeruabat omnia verba conferens in corde ſuo. Odorifera in opinione virtutum, quæ currimus in odorem vnguentorum ſuorum. Anguſta in temporalibus; quia non erat ei locus in diuerſorio; & in ſpiritualibus dilatata; quia aſtitit Regina à dextris Domini. Si autem Maria *virga* *dilectionis* appellatur: quomodo quæ à Deo ad alios dirigendos immittitur, à rectitudine vnquam deuiaret?

Maria virga fumi recta, ſubtilis, odorifera, dilatata.

Maria virga erroneos dirigens.

62\. Ponderans autem Cardinalis illa verba: *Ex aromatibus myrrhæ & thuris*, adiicit. *Nominantur ſpecies, de quibus aromatica virgula ſubleuatur myrrhæ & thuris. Myrrha corpora diſſoluta conſolidat, & cadauer exanime ſibi vindicat, nè putreſcat. Thus autem Deo in oratione accenditur. In myrrha continentiam, in thure intellige deuotionem: caro enim Virginis ex Adam aſſumpta maculas Adæ non admiſit; ſed ſingularis continentiæ puritas in lucis æternæ eſt conuerſa candorem. Hæc ſunt duo, quæ virginalem ſubſtantiam totam circumdedêre virtute, continentia ſcilicet, & deuotio; quarum altera carnem, altera mentem ita poſſedit, vt caro mundiſſima, mens puriſſima genitricem Domini ſingularius conſecrarent.*

Continentia, & deuotio admirabilis in Maria. Damian.

63\. Parùm eſſet tam immenſam meritorum molem vna & altera penna aſcendere: multæ aliæ ei virtutum ac meritorum alæ adiiciuntur. Quod illa verba. *Et vniuerſi pulueris pigmentarij*, vel ſuffitu conclamant. *Sed ne putares* (addit Damianus) *his duabus ſolis virtutibus inſignitam dominam orbis, & Reginam cœlorum, ſubſequitur ſcripturarum auctoritas: Et vniuerſi pulueris pigmentarij. Hic expreſſum eſt, quidquid exprimi potuit. Species quidem integræ odorem reddunt; ſed non in tantum, quantum confracta. Crebris enim tuniſionibus ſupertrita remotiorem etiam locum odorifera conſperſione refundunt. Sic & virtutes in pace quidem fortiter redolent; ſed fortiùs in tribulatione; quia virtus in pace acquiritur, in tribulatione probatur, approbatur in victoria. Vniuerſus ergò puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt; quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit. Et ſi cæteris per partes ſpiritus affuit, Mariæ tota plenitudo gratiæ ſuperuenit. Nec integræ fuerunt in ea ſpecies, ſed in ſubtiliſſimum puluerem comminutæ. Quia ipſa eſt, quæ fortioribus tribulationum malleis ſuperpreſſa, vidit ſuum & Dei Filium affigi cruci, militari lancea vulnerari, & inter duos latrones poſitum expirare.*

Omnium virtutum pennis cœlos aſcendit. Damian.

Virtutes Mariæ tribulationum igne probatæ, & approbatæ.

64\. Idem demùm Pater ſerm. de Epiph. hiſce verbis: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, vſus ſic Deiparæ accommodanit: Obtulêre Magi Infanti *aurum, thus, & myrrham? Hæc eadem obtulit Virgo Maria ſtellæ ſoli nato ſuo in perſona ſua. Obtulit enim aurum Regiæ dignitatis, quia fuit ipſa de Regia tribu. Obtulit thus, & myrrham; vnde in Cantico amoris hæc duo in ipſa iunguntur, vbi dicitur. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Myrrha arcet vermes à corporibus mortuorum, & ipſa corpora conſeruat à corruptione. Per myrrham ergo carnis integritas deſignatur: thus vero mentis exprimit deuotionem. Bene igitur hæ duæ ſpecies in ſtella & virga noſtra iunguntur; quia in Virgine Maria deuotio mentis & carnis integritas indiuiſa manſerunt.*

Maria Ieſu pretioſiora dona, quàm Magi Reges obtulit. Damian. Matth. 2.

In Maria corpore integritas, in animo deuotio ſemper manſit.

65\. D. Bonauentura in ſpecul. lect. 12. hic contemplatur Mariæ pietatem erga peccatores à diuina gratia alienos, quos quidem ad veniæ ſpem alliciens ad pœnitentiam adducit. *Eſt Maria virga fumea, virga lignea, virga aurea, virga ferrea. Virga fumea eſt incipientibus, virga lignea proficientibus, virga aurea conſummantibus, virga ferrea incorrigibilibus, & dæmonibus.* Oſtendens autem, quonammodo Virgo ſit virga fumea, de qua in præſenti, adiicit. *Dico, quod Maria ſit virga fumea incipientibus, & pœnitentibus. De hac virga dicitur in Canticis. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Deſertum eſt cor peccatoris, quod vtique deſertum eſt à gratia, & virtutibus. Fumus aromaticus, fumus ſuauis animæ aſpiratio ſpei veniæ. Beata itaque Virgo Maria per deſertum quaſi virga fumi aſcendit; quando ipſa ſuffragante, cor peccatoris fumum aromaticum ſpei veniæ ſuſcipit. Hic autem fumus generatur ex aromatibus myrrhæ in contritione, & thuris in confeſſione, & vniuerſi pulueris pigmentarij in multimoda ſatisfactione. Nullum Deipara Virgo deſertum abhorret, nullum deſpicit peccatorem; ſed quocumque pertranſierit, ſuauiſſimum ſpei veniæ odorem reſpergit.* Nullus peccator, quem Virgo aſpicere dignabitur deperibit. Nam cum Maria in fumi ſpecie ſe offert, fumus hic peccatoris lachrymas excitat contritionis, queis cuncta crimina obruantur.

Interceſſione Virginis indurati peccatores ad pœnitentiam alliciuntur. Bonauent.

66\. D. Innocentius encom. de Maria, particulæ huius, *ſicut virgula fumi* memor, aſſerit Deiparam multipliciter eſſe virgam. *Hæc*, ait, *eſt virga recta, erecta, procera, fragilis, gracilis, flexibilis, frondoſa, florigera, fructifera. Recta per iuſtitiam, erecta per deuotionem, procera per longanimitatem, fragilis per abiectionem ſui, gracilis per humilitatem, flexibilis per manſuetudinem, frondoſa per ſanctiſſimam conuerſationem, florigera per virginalem conceptionem, fructifera per partum vitæ æternæ.* Rurſum: *Recta per fidem, erecta per ſpem, procera per charitatem, fragilis per pudorem, gracilis per deſpectionem mundi, flexibilis per compaſſionem proximi, frondoſa per bonorum operum conſequutionem, florigera per gloriam virginitatis, fructifera per prærogatiuam fœcunditatis.*

Ob multiplices virtutes Maria virga vocitatur. Innoc.

67\. *Sicut virgula.* Cur non dicitur abſolutè virga, ſed *virgula?* Planè vt Virginis profundiſſima humilitas prædicetur. Rupertus profatur. *Cuius quæſo eſt hæc admiratio* de virgula? *Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut virgula fumi? Vel quid nobis admirandum Spiritus ſanctus inſinuat per verba huiuſmodi? O fœlicem mentis habitum, qui tam magnum habuit*

Mariæ humilitas Deum ipſum in admirationem ahripit. Rupert.

habuit præconium! Humilitas tua est, ô Ancilla Domini, quam tali admiratione Spiritus sanctus collaudat. Odor tuus odor humilitatis tuæ præcipuus ascendit ad eum, vt verè sacrificium spiritus contribulati. Quid enim est fumus? quid puluis? nisi spiritus lachrymarum, & conscientia valde humilis? Et sua quidem æstimatione vera humilitas est fumus innoxius, & puluis terræ, vt Dauid dicebat, defecerunt sicut fumus dies mei: & Abraham, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis. Igitur Maria auolat, seu ascendit sicut *virgula*, sicut *fumus*, sicut *puluis*, & Deum ipsum tanta humilitas in admirationem videtur abripere: *Quam tali admiratione*, Spiritus sanctus collaudat.

68. *A Deo Mariæ humilitas exaltatur.* Rupert.

Attamen & virgula, & fumus, & puluis *ascendit*, quia Mariæ humilitas à Deo mirum in modum exaltatur in ipso demissionis affectu. Addit pulchrè Rupertus. *Sed* (licet in æstimatione Mariæ sit virgula, fumus, & puluis; quidquid est ipsa) *non ita in æstimatione Dei. Aliter & melius te discernit Deus ô Maria! Tu dicis, puluis sum terræ, ille dicit, non, sed puluis pigmentarius, qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suauitas mentis: & ex myrrha probatissima, quæ est carnis incorruptio. Tu dicis, fumus ego sum, qualis de camino, seu de fumario deficiens ascendit, & ascendens deficit; ille dicit, non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ, & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum vsque ad os, & olfactum Domini. Talis fumus, imò talis fumi virgula tu ô Maria suauem odorem spirasti Altissimo cœlestibus disciplinis erudita*, & per humilitatis affectum *extenuata*.

69. *Maria viuēs, semper in deserto fuit; & desponsata viro verè solitaria.* Rupert. Esth. 14. Luc. 1.

Per desertum. Maria quidem semper in deserto vixit, quia vel inter turbas solitaria Deo soli addicta ostenditur. Vnde ei est *sola ciuitas plena populo.* Idem Rupertus ait: *Talis ô Virgo ascendisti de deserto, seu per desertum, id est, habens animam solitariam etiam inter turbas, in nullo alio præter, quam in Deo spem habens. Quemadmodum Esther cum esset Regina, veraciter tunc dicebat: Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus auxiliator est alius.* Esth. 14. *Quanto magis tu vera solitaria, exul quasi in deserto eras, quæ virum non cognoscebas* Luc. 1. *nec cognoscere cupiebas: & ab illo, cui desponsata fueras pene fuisti deserta? Nonne sanctus Angelus, qui te solitariam inuenit, solitariam salutauerat, te commendat? Digna ergo exclamatio, digna admiratio: Quæ est ista, quæ talis ascendit per desertum, siue de deserto? Verè admirabilis.* Quæ quidem vel sancto ac pio admodum desponsata viro, vere in deserto aderat, & soli Deo hærere gestiebat.

Maria aptè ascēdens prædicatur, quæ semper nitebatur per humilitatē descendere. Rupert.

Quæ ascendit. Aptè ascendens prædicatur, quæ semper per humilitatem descendere nititur. Ponderat id Rupertus adiiciens. Quæ est ista, quæ ascendit? Porrò est Maria, multum illi dissimilis, quæ descendit per *paradisum*, *cecidit de paradiso*; quia *non gracilis* virgula *per humilitatem*, vt Maria; *sed nimis grossa, & rigida per tumorem.*

70. *[N]ulla creatu[ra] humana,* *vel Angelica Mariæ in gratia similis: vnde sola, seu in deserto dicitur incedere.* Philip.

An-non appositè dixerim Mariam in deserto, & solitudine commorari, quia nulla ei æqualis, seu cognata creatura? Audi Philippum Abbatem. *Angelici spiritus mirantur, & mirantes sciscitantur quæ sit Maria, quam mirabilem sic attendunt. Quæ est ista? Reuoluimus mulierum seriem præsentium, vel præcedentium ab antiquo, ex quo Eua, quæ primum facta est, consensum præbuit inimico. Quarum multis diuersorum donorum charismata sunt indulta, & interna mentis species tam gratiæ, quam industriæ manibus est sculpta. At nullam harum huic similem possumus inuenire: sed hæc omnes inuenitur ineffabili gratia præuenire. Quæ igitur est ista, cui soli datur excellentia specialis, vt mulier nulla prior, nulla ei posterior sit æqualis?*

71. *Mirabilis Maria de virtute in virtutem ascensus.* Philip. Gen. 28.

Quæ ascendit. Virginis ascensum sic Abbas descripsit: *Quæ est ista, quæ nostro patrocinio non videatur egere ad ascendendum, imò vt hominibus, ita & Angelis non natura, sed gratia præeminere? Quæ est ista, quæ deflexo poplite, instar delicatæ mulieris, non incedit: sed robusto, & indefesso gradu viriliter ambulat, & procedit? Arduum agit iter, fœmineis passibus inexpertum: & apprehensa scala, quam vix videre Iacob promeruit, ascendit fortiter per desertum. Desertum, vt video, via est, conuersatioque singularis, quam nescit multitudo, neque terit vngula popularis: quæ luto non tangitur, nec respergitur puluere platearum: quam culpa non attaminat, non operit quavis superfluitas palearum.*

72. *Angeli ineffabilem Mariæ profectum in virtutibus concelebrant.* Philip. Gen. 28.

Dum igitur Maria per mysticam Iacobi scalam cœlos ascendit, Angeli descendentes & ascendentes per scalam eius ineffabilem profectum concelebrant. Ait Philippus. *Iacob, cum caput eius lapis appositus visus est sustinere, somno sopitus mystico, huiusmodi scalam meruit vix videre: quæ, vt illi visum est, humano more viuentibus interdicta, solis Angelis ascendentibus, & descendentibus est relicta.* Gen. 28. *Descendunt quippe Angeli fauorabili gaudio profectibus Virginis occurrentes. Ascendunt verò proficientem festiuis laudibus præcurrentes: eum, qui scalæ innititur festinantes Dominum conuenire, sciscitantes: Quæ est ista, quæ Angelos natura potiores festinat meritis præuenire?*

73. *Mariæ profectus in virtute speciatim Angeli laudibus efferunt.* Philip.

Speciatim verò profectum, seu ascensum Mariæ de virtute in virtutem ponderans, hæc adiecit. *Quæ est ista* (Angeli inquiunt) *cui virginalis fœcunditas, seu fœcunda virginitas est concessa? Quæ retro sæculis tam Angelis, quam hominibus inaccessa ostenditur? Quæ viuens in corpore mortis necessitatibus inuoluto, vt tam vitiis obnoxiam cursu peregit impolluta? Ascendit enim sicut virgula fumi, quæ cum subtilis, & gracilis ab inferioribus oriatur, attollens se in auras tenues, & ipsa attenuatur: sic in altum proficiens, vt secreto nubium se committat, & velut se exinaniens oculos intuentium non admittat: Virgo nimirum quamuis de terrenis parentibus procreata, terrenis tamen ablatis fæcibus; disciplinæ studio attenuata ad tantam meritorum altitudinem supra homines est progressa, vt rectè asseratur, capacitate admirantium supergressa. Quæ sic proficiens, longè, latéque suauissimum dat odorem, doctrinam iustitiæ, disciplinæ formulam gratiorem, largitur suffragia, gaudet beneuolentiam exhibere; quæ dignè considerantibus tanquam aromata redolere videntur. Ideo fortè*

fumus, cuius virgula Virgo comparatur proficiens, non de abyssi puteo, sed ex aromatibus prodire memoratur, ad quorum confectionem specierum multiplicitas est collecta, & ex myrrha, & thure, & vniuerso pigmentarij puluere sint confecta. Quæ est virgo ista, apud quam velut spicarum multiplicitas in manipulum se redegit?

74\. *Maria cunctis sanctis, & iustis fuit virtutum Magistra.* Honor.

Honorius verò Augustodun. hîc in virgula fumi Virginis Magisterium contemplatur. Asserit enim Virginem esse virgam *directionis*, quæ nos edocet Regnum cœleste scandere, fumi auolantis rectitudine. Pulchrè inquit: *Sequitur laus Angelorum, cum Mariæ occurrerent petenti ad Regna cælorum. Quæ, id est, quam gloriosa est ista, quæ ascendit ad cæli palatia per desertum? id est, deserens periculosum mundum. Ipsa virgula, id est, virga, seu recta norma: fumi ex aromatibus, scilicet compunctionis, & diuersarum virtutum. Myrrhæ, id est Martyribus; & thuris, id est, confessoribus, & vniuersi pulueris pigmentarij, id est, vniuersis fidelibus Christi. Ipse est enim verus pigmentarius, id est, animarum Medicus. Congregatio iustorum, est collectio eius herbarum. Quibus omnibus Virgo fuit condimentum virtutum, vt pretiosus puluis aromatum.*

75\. *Maria Phœnici inter virtutū aromata & igne amoris incensa comparatur* Amadæ.

Amadæus verò videns Mariam virgulæ instar fumi, ex tot speciebus aromaticis auolantem, eam Phœnici pulchrè comparat hom. de laud. Virg. *Ergo ô Maria, diuinitatis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, teque Deo holocaustum suauissimum obtulisti, ô Phœnix aromatizans gratias cinnamomo, & balsamo, & nardo Regem in aspectu tuo delectans! O Phœnix congregans omnes species, & igne circumfusa superessentiali, cœlum cœlorum, & cœli Potestates Angelicas mirifico reples suauitatis incenso. Hoc incensum suauissimum est, hoc thymiama bene compositum procedit de thuribulo cordis Mariæ: & omnia suauissimè olentia excedit. Porrò thuribulum sequens incensum, & eleuatum manu Domini, ascendit vsque ad thronum præsidentis. Ascendit stipatum frequentatione Angelorum clamantium in cælis, atque dicentium: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, &c.*

Mariæ gloriosa in cælum assumptio.

76\. *Maria voto offerens prima Deo virginitatem, virginitatis desertum ciuium innumerabilium mutauit in vrbem.* Guillelm. Iud. 11.

Porrò Guillelmus asserit ex illis verbis. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum,* virginitatem olim esse desertum, per quod postmodum Maria virginitatis Magistra ascendit. *Nihil aliud,* ait, *aptius per desertum, quam virginitas designatur. Quid enim illis diebus tam neglectum ac desertum, quam virginitas? Da mihi vnum, vel vnam illius temporis, quæ titulo virginitatis effulserit. Aliqui sanctorum, paucissimi tamen virginitatem eo tempore seruasse creduntur; sed iussam magis, quam spontè oblatam. Denique Ieremias de seruanda virginitate præceptum Domini habuit dicentis: Non accipies tibi vxorem. Certè virginitas illo tempore non solum non erat res consilij, sed erat res maledicti. Vnde filia Iephte in ætate nubili sine filiis moritura in Israël, virginitatem suam per duos menses fleuit in montibus.* Iud. 11. *Expians scilicet hoc modo maledictionem suam. Per hoc itaque desertum Maria princeps ascendit, quia ad singularem inter omnes fœminas* (imò & viros) *exercuit excellentiam, quæ prima omnium omnipotentia Deo immaculati cordis, & corporis,* voto expresso, *sacrificium studuit offerre: malens vtique subiacere maledictioni, quàm corruptioni.*

77\. *Ob voti virginitatis magisteriū Maria Dei fuit Mater effecta omniū plena benedictionibus.* Guillelm.

O quàm ineffabile præmium hoc virginitatis votum Mariæ à Domino accepit! Nam se à communi fœtu studuit ablegare, maledictionem vulgarem incurrere prona: à Deo accepit, vt ipsius Dei Mater effecta omnium benedictionibus efferretur, & virginitatis desertum mulierum, virorumque virginum immensum his ciuibus mutaret in vrbem. Adiicit Guillelmus. *Deus verò primam, ac præcipuam integritatis æmulatricem insigniter subduxit à maledictione, dando illi salua virginitate, semen in Israël, & benedictionem amplissimam: Benedictionem omnium gentium dedit illi, quando eam singulari miraculo fecit matrem Dei. Amore incorruptionis parata erat; à sua gente maledictionis elogium incurrere, & ecce salua incorruptionis gloria, totus ei mundus proclamat: Benedicta tu in mulieribus. Sic ergo ascendit de deserto.*

78\. *Virginitatem Mariæ voto obfirmatam omnes virtutes comitantur.* Guillelm.

Nec quidem Maria virginitatis voto obfirmatæ Magistra hac sola virtute effulgens ascendit; omnium enim virtutum aromata huius virgineæ virgulæ comitantia simul auolarunt. Ideo additur. *Ex aromatibus myrrhæ, & thuris, &c.* Id illustrat Guillelmus. *Sed numquid virginalis fœcunditas destituta fuit aliarum virtutum comitatu? Non potuit esse sterilis virtutum Domini virtutum Mater. Audis hîc virgulam fumi ex aromatibus? Fuit Dei genitrix recta per actionem, fragrans per bonam existimationis famam, sursum recta per mentis sinceram intentionem; quid prodest rectitudo actionis cum fragrantia boni nominis, si tibi id facias ô homo, non Deo, sed tibi, fragras? id est gloriam propriam, non Dei quæris. Iunge tertium, & ascendes similis Mariæ. Denique quia nihil potuit deesse spiritualium aromatum illi, quæ fontem charismatum genuit, sequitur. Vniuersi pulueris pigmentarij. Pigmentarius iste est ipse Deus.*

79\. *Mariæ virtutes fuére tribulationibus probatæ.* Guillelm.

Id autem in Mariæ virtutibus apprimè gloriosum, quod fuerunt laborum, & tribulationum igne probatæ, vt plus aromata redolerent. *Magnus iste pigmentarius* (addit Guillelmus) *pigmenta, quæ largitur, plerumque contundit in pulueres, ad maiorem vsum, & suauiorem fragrantiam. Pressuris namque tribulationum virtutes suorum exercet, vt neque in se ipsis deficiant, & bonum Christi odorem latius spargant. In Deipara omnium virtutum aromata pilo tribulationis ad præclaram redolentiam in puluerem erant contusa. Quia cunctis Filij perpessionibus materno affectu communicabat. Horum aromatum duo præcipuè nominantur, myrrha sacri doloris, & thus pij amoris. Nam quantum amabat, tantum in Filij passione dolebat; atque ita myrrham & thus æqualiter spirabat.*

Tantum dolebat in Filij passione Maria, quantum amabat.

Cardinalis Hailgrinus in virgula fumi ascendente per desertum, Mariam *cum festinatione* ad montana Iudeæ ascendentem contemplatur. *Maria virga fumi, quia fumus agilis ex calore ignis nascitur, & in sublime euectus humano sese aspectui subtrahit. Beata Virgo obsequio, & officiis* charitatis *agilis fuit. Ascendit enim in montana Iudeæ cum festinatione, vt cognata, & filio de ea nascituro ministra*

ministraret. Luc. 2. Ad opera enim pietatis Mariæ cursum velocissimum nullus vnquam superauit.

80. *Omnis humana cognitio hebetatur, si velit gratia & gloria Virginis vim meditari.* Hailgrin.

Si autem Mariæ cursum ad gratiam & gloriam meditari velis, omnis humana cognitio hebetem se esse profitebitur. Tam velox enim virgula hæc aromatum ad superos eleuatur. Vnde addit Hailgrinus. *Agilis etiam fuit Maria, quia leui cursu, agili saltu omnes vitiorum spinas, & foueas transiliuit. Hac ardore Spiritus sancti accensa, sic ascendendo profecit in gratia, sic proficiendo ascendit in gloria: vt velut disparens, omnem humanam cognitionem, & laudem excedat.*

81. *Mirabilis, vel Angelis fuit ineffabilis Mariæ in virtutibus profectus.* Carthus.

Dionysius Carthus. profectum Virginis in cunctis virtutibus Angelis etiam admirabilem hinc colligit. *Quæ est ista? De ascensu,* ait, *quotidiani profectus in omni virtute honorabilissimæ Virginis omnes ciues triumphantis Ecclesiæ non immeritò admirantur. Inæstimabiliter enim profecit singulis horis, cum haberet purissimum corpus animæ suæ omninò potentissimè subiectum, atque obtemperans, fomitemque prorsus extinctum: ac diligentiam animi summam, stans indesinenter sub contactu solis iustitiæ, qui radios sapientiæ, flumina gratiæ assiduè, ac abundantissimè influxit in eam. Sed & superdulcissimus Spiritus sanctus Matrem eius, à quo ipse verè & æternaliter procedit continuò incitauit, mouit, accendit ad profectuum incrementa. Quid verò Pater æternus comparentali suæ non largiretur? Ipsa quoque optime fertur ascendisse, vt fumi virgula, quia eius spirituali profectui non fuit admixta aliqua curuitas culpæ, nec negligentia vlla; sed potius rectissimè progrediebatur in omni bono, similis vapori resoluto ex incenso thymiamatis optimi ex omni aromatica specie confecti. Ascendit autem per desertum, per terram peregrinationis præsentis.*

Tota Trinitas ad Mariæ in virtutibus profectum specialissimè fuit operata.

82. *Velocitas virtutum Mariæ ascendendi ad superos fecit Deum velocius ad terrā descendere.* Richard.

Richardus de S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virg. asserit, ob velocitatem virgulæ Mariæ tot virtutum aromata spargentis ascensum ad cœlum, Dei Filium velocissimè ad terram descendisse. *Ascendente*, inquit, *fumo aromatum*, id est, virtutum eius in conspectu gloriæ magni Dei inuenit gratiam coram oculis Domini, clamantibus, qui circumstabant: *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus? Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, & de excelso cœlorum habitaculo prosiliens, exultauit vt gigas ad currendam viam: & nimio peruolans desiderio, præuenit nuncium suum ad Virginem, quam elegerat, quam amauerat, cuius decorem concupierat; & quasi vnicornis mansuetissimus in sinum Virginis se recepit, deposita iracundiæ feritate, quam propter peccatum primorum parentum ad genus humanum vsque tunc habuerat.*

83. *In Mariæ Assumptione genus humanū, qui descenderat, ad cœlum ascendit.* Richard.

Idem Richardus lib. 12. profatur. *De aromaticis speciebus huius* virgulæ, seu Deiparæ Virginis *dicitur in Canticis. Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus? Verba sunt Salomonis in persona vniuersitatis Angelorum & hominum beatorum, stupentium de tam solemni, & admirabili Assumptione generis humani in beata Virgine; cum totum genus humanum descenderat. Dicunt ergo admiratiuè. Quæ est ista, &c.? Nota quod ter fit hæc quæstio in Canticis. Primò in præsenti. Et ponitur hic quæstio admiratiua de sua natiuitate tot priuilegiis exundante. Vnde sequitur, ex aromaticis myrrhæ, & thuris. Secunda fuit de conuersatione in progressu vitæ. Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens in natiuitate, pulchra vt Luna in vita progressu. Tertia fuit* Cant. 8. *De eius glorificatione, ubi dicunt Angeli admirantes. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Prima itaque admiratio fuit de magnificentia gratiæ: secunda de magnificentia meriti: tertia de magnificentia gloriæ.*

Tres Virginis ascentiones admirabiles Angelis. Magnificentia gratiæ, magnificentia meriti, magnificētia gloriæ.

Vers. VII. & VIII.

En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos.

84. *Lectulus Dei Maria propter obedientiam.* Appon.. *Si Deus sibi fabricauit in Maria lectulum, perfectissimum eum esse dignoscitur.* Honor.

EN *lectulum Salomonis.*] Hìc Mariæ singularis obedientia prædicatur, quæ quidem pacifico Salomoni Deo post inobedientium Angelorum certamina, suauem lectum ad requiem præparauit. Fatur Apponius. *Salomon pacificus interpretatur. Et qualis alius pacificus nisi Christus? Hic sibi lectulum fabricauit in Virgine Maria; quia super animam obedientem requiescere comprobatur.* Si ipse Deus sibi fabricauit hunc lectulum, quanta sit eius perfectio euidenter arguitur.

85. *Regalis custodia honor Mariæ datur, quia Dei Regis mater Regina.* Honor.

Honorius verò totam sententiam sic pulchrè interpretatur: *Beatæ Virginis corpus veri pacifici, id est, Christi lectulus, quem sexaginta fortes; id est, multa millia ex fortissimis Israël, id est, ex summis Angelorum Deum verè videntium ambiunt, & ad æthera perducunt. Omnes tenentes gladios, id est, contra dæmones, custodes: & ad bella doctissimi, id est, contra aëreas potestates potentissimi. Vniuscuiusque ensis, id est, tutela super fœmur suum, id est, corpus; cuius fœmur genuit Christum. Propter timores nocturnos, id est, ne timores ei dæmones incutiant.* Id speciale adnoto in Honorij expositione, quod fœmur accipit pro fœmore Mariæ, non pro custodum. Torus namque regalis custodiæ honor Mariæ adiicitur, quia Regis Dei Mater.

86. *Maria lectulus, seu thalamus, ex quo sponsus humana natura Deus processit.* Rupert.

Rupertus verò. *Quis*, ait, *est lectus verè, & veri pacifici Salomonis, qui inter nos & Dominum pacem composuit, nisi illa, in qua diuina persona humanam sibi naturam coniunxit? Et quis ille est nisi vterus tuus dilecta dilecti, vterus virginalis? Ibi namque diuinitas Verbi Dei Verbum Deus sese conclusit, & humanam naturam de tua carne formatam sibimet in vnitate personæ inseparabiliter coniunxit. Et ecce sponsus, id est, carnem nostram cum anima rationali habens: Deus sponsus inquam, Deus & homo Christus, sicut canimus in Psalmo: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* In vtero ergo Mariæ hæ diuinæ nuptiæ fuere celebratæ.

87. *Ante Mariæ aduentū antiqui patres*

Mox quæstioni dat Abbas. *Quomodo autem talem tanti Salomonis lectulum, siue thalamum sexaginta fortes ambiunt? Vel qui illi sexaginta fortes sint? Magnum & mirum my-*

sterium

pugnauerunt, vt defenderet progeniem Dauid ex qua illa erat naſcitura. Rupert.

ſterium auditu, ſcituque dignum. Aſſerit Doctor, vt vidimus lectulum Salomonis veri eſſe Mariam antequam ad terras aduentaret; fortes verò eſſe patres eius progenitores, qui mater talibus gladiis cum diuerſis hoſtibus dimicauerunt in progeniei Abrahæ & Dauidis protectionem, quam diabolus delere cupiebat, ne Maria naſceretur *Virgo*, de quâ dixerat Propheta: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Quod *nobiſcum Deus* interpretatur. *Quam ob cauſam* (inquit Rupertus) *tunc*, id eſt, ante Mariæ aduentum, fuit antiquis illis patribus *tempus belli*; *& nunc*, id eſt, poſt aduentum Mariæ eſt *tempus pacis*? Nec enim gladios fulgentes pugnaci manu oſtentant, ſed pacificè illos ſuper fœmora geſtant ad ornatum. *Omnes habentes gladios ſuper fœmur ſuum. Videlicet, quia radicem ſiue arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primùm beati ſeminis facta fuerat repromiſſio, diabolus per barbaricos gentium vel Regum impiorum gladios excindere, atque ſtirpare volebat. Idcirco tempus belli tunc erat, idcirco materialibus gladiis tunc opus erat, vt defenderetur radix Ieſſe: defenſaretur, inquam, & protegeretur genus Dauid. Donec tu ô Virgo, naſceceris lectulus veri Salomonis. Nondum enim proceſſerat ſponſus de thalamo ſuo, & adhuc laborabat diabolus per ſatellites, & commiſtros ſuos Reges Ægyptios, Reges Iſraëlitas ſciſſos à domo Dauid, Reges Aſſyrios, ſiue Babylonicos, Reges Perſas, & Medos, Reges Græcos, ſiue Macedonicos: laborabat, inquam, ſiue laborauerat, atque contenderat diabolus ſerpens antiquus obſiſtere volens Dei propoſito, ne Dei promiſſio impleretur: ne collocaretur hic lectulus, ſiue thalamus: ne eſſet, vnde naſceretur hæc beata, & dilecta Virgo, de cuius vtero procedere oportebat dilectum tanquam ſponſum de thalamo ſuo. Iſti fuerant timores nocturni: illique ad bella doctiſſimi, quia cur bellarent cauſam huiuſmodi præ oculis habebant.* Hoc quidem tempore illo ante Mariæ aduentum; at poſtquam oſtendunt, Mariam in terris commorantem, & Matrem Chriſti effectam; poſſunt Angeli dicere: *En lectulum Salomonis*; fortiſſimè illi milites Regis ſui pacem celebrantes ſtrictos olim gladios iam recondunt, eoſque ad pacificam thalami honoris cuſtodiam ſuper fœmur oſtentant.

Per Mariæ aduentum pax, nullus gladius à ſexaginta fortibus ſtringitur ſed fœmori ad honorem cuſtodiæ Virginis hærent.

88\. Philippus Abbas poſt ea; quæ verſ. 1. dixerat; rurſum requirit, cur *lectulus*, & non *lectus* vocitatur? & reſpondet, Mariam lectum eſſe Dei immenſi capacem, appellari autem lectulum, vt oſtendatur ſimul eſſe adeò breuem, vt præter Deum nullum alium, imò nihil aliud capere valeat. *Quem pigmentarium dixeram, cum Salomonem videtur nominare, qui Auctor, & amator pacis lectulum ſibi voluit præparare, in quo à conturbatione hominum abſconditus, caput ſuum quietis gratia reclinaret: & ſe non ſolum nomine, ſed re pacificum veraciter demonſtraret. Lectulum autem eius ipſam Virginem æſtimo poſſe dici, quæ amoris gratia inuenitur Salomonis obſequio ſic addici, vt in ſe quempiam alium quietem capere non permittat: & intra mentis anguſta continentiam hoſtem ſubdolum vel ad modicum non admittat. Propter quod ipſa non lectus, ſed lectulus meruit appellari: vt hoc diminutiuo quadam videatur ipſius anguſtia deſignari, quæ ad capiendum pariter alienum non extenta, ſoli ſponſo placere nititur, ſolo quem legitimè diligit eſt contenta.*

Maria in animo ſuo nullum vnquam habitaſſe præter Deum admiſit. Philip.

89\. Idem poſtmodum contemplatur, cuſtodes huiuſce Regij lectuli non eſſe Angelos (vti alij aſſerunt) ſed ipſius Deiparæ virtutes, quibus circumdantibus Virginem, ne vllus hoſtis valeat ad eam aditum inuenire. *Cuſtodes,* inquit, *verò, ne hoſtes inferant quid læſionis noxiæ, qui non niſi fortes merentur appellari, virtutes ſunt, quibus conſtat Virginem roborari: quæ illi ex vna tantum, ſeu altera parte non aſſiſtunt, ſed prudenter diſpoſita ordinato ambitu circumſiſtunt. Quarum* virtutum *perfectio in numero ſexagenario figuratur, qui ex denario & ſenario multiplicatis per inuicem conſummatur. Quorum ſenarius perfectionem indicat operum, vel laborum; denarius verò perfectam conſequutionem præmiorum. Quia enim ſex diebus opera ſua Deus creator omnium adimpleuit: Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Gen. 2. *Rectè per ſenarium operandi perfectio deſignatur. Per denarium autem ideo perfectio præmij rectè dicitur deſignari, quia ipſum Pater-familias laborantibus in vinea iubet dari. Senarius igitur decies, vel denarius ſexies ducitur, & fiunt ſexaginta, cum Virgo & labore diurni operis, & ſpe certa futuri muneris, fortiter, & præcincta cum perfectis operibus dare gaudet operam in præſenti, & omnino,* virtutum harum fortiſſimis militibus circumſepta, *nihil timet hic, nihil dubitat de ſequenti* cœleſti præmio conſequendo.

Virtutes ſunt cuſtodes veri Mariæ, veri Salomonis lectuli. Philip.

Gen. 2.

Mariæ virtutum operatio diurna & eis præmium reſpondens.

90\. Guillelmus quidem *lectulum* eſſe dicit: *Mariæ vterum.* Cur autem diminutiuo vocabulo appellat *lectulum*, ſi Chriſti Dei & hominis capax extitit. Reſpondet Doctor. *Lectulum nominat in comparatione ſinus paterni, qui infinitus, & ideo lectus. Maria autem, quia paruus, & humilis, ideò lectulus nominatur.* Paruus inquam ob humilitatis Mariæ affectum, ſed adeo immenſus, vt ſolùs Dei ſinus eum valeat amplitudine ſuperare. Profectò hîc in vtero Virginis eius maternitas deſignatur. Quæ quidem ſic Deiparam eleuat, vt omnes ſuperet creaturas, à Deo ſolummodo ſuperetur.

Mariæ vterus à leo immenſus, vt eũ ſolius Dei infinitus ſinus valeat ſuperare. Hoc eſt, Mariam vt Dei Mater eſt, omnes ſuperare creaturas, à Deo ſolo ſuperari. Guillelm.

91\. Loquens autem de lectuli cuſtodibus adiicit Abbas. *Sanè ex quo in lectulo virginalis vteri per Incarnationis myſterium accumbere dignatus fuit* Dominus, *eundem lectulum ſanctiſſimi Angeli plurimi ambire cœperunt: & circa quieſcentem in vtero Virginis Deum ſacras excubias agere. Non enim ipſum lectulum contingere, hoc eſt, ad diuinum myſterium, quod in vtero virgineo peragebatur, accedere præſumebant; ſed venerationis, & obſequij gratia circa illum excubabant.* Tanta enim huius lectuli, ſeu Matris Mariæ ſanctitas ex Incarnationis myſterio fulgurat, vt non iam moſes accedere ſolum prohibeatur ad rubum eiuſdem myſterij ſymbolum. Exod. 3. Sed Angeli ipſi haud iuſſi ex reuerentiæ affectu arceantur. *Sexaginta hi ex fortiſſimis erant. Nam hæc commixtio numerorum perfectorum denarij & ſenarij indicat, nobiliores quoque & excelſiores ad hoc munus electos.*

Angeli plurimi excubias agebant circa Mariam prægnantem. Guillelm.

Exod 3. *Sicut moſes ad rubum flagrantem prohibetur accedere: ſic Angeli non prohibiti quidem, ſed præ reuerentia ad Mariam accedere prægnantem non audent.*

Præelſiores Angeli electi ſunt in Mariæ prægnantis cuſtodiam honoris.

An poſtquam Virgo peperit, hæc honoris Regia cuſtodia ab illa receſſit. Abſit. Nec 92.

enim

Postquam Maria peperit adhuc vti Angelorum Regina Angelorum custodia cingebatur. 4.Reg.6. Guillelm.

enim solùm quia Deum habebat in vtero Regia Angelorum custodia stipatur; sed quia & ipsa Regina est Angelorum. Vnde postquàm enixa fuit Regem, adhuc Regia custodia ei nunquam non egit excubias. Audi Guillelm. *Egressus postea dilectus ex hoc Thalamo suo, lectulum sine excubiis non dereliquit. Sanctus ille & sanctificatus Iesu locus omnium aliorum vsui, & dominio eximebatur. Si Angelica custodia circa Elizæum Prophetam excubabat: quanto magis circa Matrem luminis? Si mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi*; 4. Reg. 6. *Quantò magis in circuitu Virginis Dei Genitricis? Quod nimirum ipsam non latebat, quæ cum Sanctis his custodibus familiariter versabatur. Est igitur hæc vox eius inter omnia vitæ mortalis discrimina, & hostium molitionum nequitias exultantis de cœlica protectione: En me Salomonis* Christi *lectulum.*

93. *Maria omnimoda securitate fruitur, cum Herode, & alij hostes irruunt, angelico satellitio circumuallata.* Guillelm.

Mox Doctor Mariæ securitatem tam forti circumdatæ satellitio sic describit: *Quid me* (Virgo ait) *frustrà cruentus Herodes persequitur? Quid inani rugitu me superbiæ leo conatur deterrere? & otiosè circuit quærens, vt deuoret? Scio, quod gloria mea vehementer vrit leonem, & draconem. Scio, quod odio Filij quem exhorrescit, concitus fertur in Matrem. Ideo mihi timendus hic vterus foret, nisi tam fido satellitio stiparetur. Hunc hostem despicio; stipatorum tot, ac talium gladios, si sapit, timebit. Non tantum in manibus eorum gladij; sed & vniuscuiusque ensis super fœmur suum. Nec manus habent corporales, nec fœmora; spiritus enim sunt. Sed gladios tenere dicuntur, qui potestatem vlciscendi in promptu & palam habent, gladij instar, ad feriendum euaginati; sed quia hanc potestatem non exerentes pro tempore occultant: circa fœmur vagina clausi gladij describuntur.* Clausos itaque Angeli fortissimi gladios vagina gestant, quia pro tempore hoc nullus in Mariam Dei lectulum hostis exsurgit. Nam si quis hæreticus contra auderet inutilem gladium stringere, fortes sexaginta illi è fœmore ad manus gladios transferrent, illosque exitialibus vulneribus commminerent.

94. *Mariam defendens satellitium sunt præceptorum obseruatio, & misericordiæ opera.* Alan.

Profectò Alanus sexaginta hos fortes significare asseruit decem legis præcepta, & sex misericordiæ opera, quorum obseruatione, quarumque exercitio fortissimum Deipara habuit, dum viueret ad sui custodiam satellitium. *Per hos fortes* (ait ille) *intelligitur bonorum operum vniuersitas, quæ sunt fortia contra dæmones, & vitia. Decies sex sunt sexaginta. Per senarium opera misericordiæ, quæ in Euangelio leguntur, intelliguntur. Per denarium verò decem præcepta legis significantur. Et ideo per sexaginta perfectissima opera exprimuntur, quæ vndique Beatissimam Virginem munierunt, sui exercitatione, & intentione, quæ per fortes, & electos ex fortissimis Israël figurantur. Quia semper Maria meliora, & fortiora opera habuit, quæ ad sui custodiam deputauit. Tenere autem gladios dicuntur propter defensionem, & munitionem, quibus Virginem defendunt, & muniunt. Propterea dicitur: Vniuscuiusque ensis super fœmur suum, id est, contra opera noxia erat vniuscuiusque boni operis defensio. Quia ipsa Virgo, ita bonis operibus, & cogitationibus confirmauerat animum, vt nulli nocturno timori esset obnoxius.*

Dionysius Carthusianus hinc asserit, Mariam illicò ac concepta fuit, stipatam fuisse ad Regiam custodiam Angelorum millibus hisce sexaginta fortibus designatis. *Nulli, ait, puræ creaturæ tam eminenter ac verè competit esse lectulum, id est, humilem lectum Salomonis, seu Christi, vt glorificandæ Virgini, in qua summus ille Pacificus elegit concipi, incarnari, atque habitare in medio vteri eius: spiritualiter quoque gratiosissimè in mente ipsius. Hanc igitur electissimam omnium creaturarum statim vt in vtero matris suæ concepta est, Deus Trinitas Angelis sanctis custodiendam commisit, eamque frequenter vallauit, & honorauit multitudine cœlestis militiæ non tam ob indigentiam, quam ob reuerentiam eius.* Illam adnota particulam: *Eam honorauit multitudo cœlestis.* Nam cum Maria Regina oriatur, ei Deus custodiam Regiam non tam ad necessitatem, quam ad honorem assignat. 95. *Mox vt concepta fuit Maria Deus vti Reginæ ei Angelorum satellitium assignauit, nō ad indigentiam, sed ad Regium honorem.*

Episcopus verò Chrisopolytanus: *Per hos, inquit, sexaginta fortes possunt intelligi sexaginta generationes, quæ præcesserunt ab Abraham vsque ad Christum, vt patet in libro generationis Christi. Ab Adam vsque ad Abraham fuerant generationes viginti: & ab Abraham vsque ad Christum generationes quadraginta.* Quorsum verò hæ generationes satellitio Mariæ designantur? Planè vt inde ab initio Reginæ Mariæ cunctæ generationes præstarent obsequium, quam beatam erant aliquando dicturæ: *Beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. 96. *Omnes generationes ab initio in Maria præparantur obsequiū.* Valent.

At Diuus Bernardus serm. super *Salue* asserit, in hisce sexaginta fortibus signari Mariæ priuilegia, quæ in cunctis illis erant dispersa, & in vna Maria colligata. *Nihil est, ait, virtutis, & gratiæ, quod in te, ô Virgo, non resplendeat; & quidquid habuerunt sancti, tu sola possedisti. Lectulus enim es Salomonis, sexaginta fortes te ambiunt,* quibus scilicet omnium Sanctorum merita, ac priuilegia designantur. Bernard.

Idem Pater serm. de laud. Mariæ asserit hos sexaginta fortes esse vel Virgines virtutes, vel Angelorum satellitium. *In circuitu eius acies valida spiritualium virtutum sua sese inuicem ordinatione tuentium. Siquidem ordinatione perseuerat dies. Sed & innumerabiles spirituum beatorum milites ad ministerium tantæ Principis designatos fuisse nullatenus ambigimus: vtpotè qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum; ac prouiderent, nè præparatum æterno Regi hospitium alienus hospes intraret.* Profectò ne alienus intraret hostis spiritales Mariæ virtutes affatim sufficiebant. Vnde dixerim, innumerabiles illos militiæ cœlestis custodes ad Principis Virginis Regium apparatum honoris, non ad custodiæ fuisse indigentiam addictos. 97. *Maria virtutes ipsius erāt custodia, Angelica militia non custodia, sed Regius Principis Virginis ad honorem apparatus.* Bernard.

98. *Diuina pulchritudinis æmula pulchritudo Mariæ lasciuas eam aspicientium cogitationes deterrebat, illorúmque cordibus castitatem influebat.* Nyssen.

Mirum equidem mihi, quòd cum necessarium fuerit lectulum cœlesti Salomoni apparatum esse pulcherrimum; nihil tamen de eo referatur, nisi quod fuerit terrorem incutiens, armatus, atque horribilis. Cur lectuli fabrefactura perfectissima non memoratur? Cur nihil de mollissima culcitra, de linteis subtilissimis, de plumeis ceruicalibus, de stragulis acu pictis, ac variegatis annotatur? Hæc omnia silentio obnoluuntur, & solummodo de terrore, de horribilitate, de fortibus, de ensibus, de gladiis sermo habetur. Respondet Gregorius Nyssenus: *Est consentaneum ostendi diuinam pulchritudinem in terrore: habere aliquid amabile ex iis, quæ sunt contraria corporeæ pulchritudini. Nam hic quidem attrahit ad cupiditatem, quod est visui iucundum, quod blandum, & ab omni terribili, iratique animi affectione separatum. Pulchritudo autem illa, in quam non cadit interitus, est magni, & excelsi animi virtus terribilis.* Iam id Mariæ Christi Thalaina accommodat. *Necessario igitur nuptialis Regis lectus* MARIA *ab armatis circumdatur, quorum belli peritia, eo quod super fœmur paratum habeant ensem, terrorem affert, & stuporem tenebrosis cogitationibus.* Igitur pulchritudo Mariæ diuinitatis æmula amabilis tota conspicientibus; sed tanto simul horrore libidini circumsepta, vt minus modestas cogitationes aspectantium non solum ablegaret, sed eorum cordibus castitatem influeret.

99. *Omnium Angelorũ & hominum virtutes, & priuilegia Deus in Maria collegit, vt illius essent custodes.* Nyssen.

Idem Nyssenus existimat ex duodecim Tribubus Israël electos fuisse hos sexaginta fortes hoc modo singulari. *Quoniam cuiuslibet Tribus primitiæ sunt quinque, quorum numerus duodecies multiplicatus summam efficit sexaginta. Oportet ergo ex vnaquaque Tribu quinque armatos milites esse custodes lecti Regis.* An-non id Mariæ denotat maiestatem? Profectò Deus ex omnibus Angelis & Diuis hominibus omnes gratias, & priuilegia aspiciens, *quinque* elegit velut lecti Mariani custodes: hoc est vt vulgariter explicem. *Olas quinto para soldados de Maria, o saco la quinta essencia de todas sus virtudes, y priuilegios para epilogarlas en ella.* Hæ quidem virtute sunt Regij lecti custodes.

100. *Maria lectulus Christi sine tenebris, sine luctu, sine lachrymis, sine langore.* Gillebert. Iob 17. Psal. 6. Mat. 5. 4. Reg. 4.

Gillibertus serm. 16. in Cant. profatur: *Magnum, & multiplex mysterium reperies in lectulis per omnem scripturarum textum, sed non est comparatio ad lectulum Salomonis. Est lectulus, quem sibi Iob sternit in tenebris.* Iob. 17. *Est lectulus quem Dauid rigat cum lachrymis.* Psalm. 6. *Est lectulus, in quo languens decumbit.* Mat. 5. *Est lectulus, in quo defunctus resurgit.* 4. Reg. 4. *Sed priuata quadam lectuli Salomonis gratia, & solius sponsæ. Bonus ergo lectulus est, in quo nullus est languor, nisi languor amoris. Qui non versatur in infirmitate, sed in iucunditate. Bonus lectulus, qui non rigatur lachrymis. Bonus lectulus, qui non sternitur in tenebris, qui nihil habet in se triste, nihil tenebrosum; sed totum lux, & lætitia est. Magnum, & varium Sacramentum, in Sanctorum lectulis est; sed supergressus est vniuersos lectulus Salomonis.* Hæc planè de nullo alio possunt intelligi, nisi de Maria cœlestis lectulo Salomonis. Ipsa lectulus & sponsa, in qua nullus languor, nulla vera tristitia, nullæ tristes lachrymæ reperiuntur. Volum. 2. locum Immaculatæ Virginis Conceptioni accommodabo.

Adiicit inibi Gillebertus: *Quid est, quod de tanti lectuli apparatu nihil nobis dicit? Cur non eius vel in modico depromit delicias? Fortè verbum hoc verbum ineffabile est, quod non licet homini loqui.* Planè ineffabilia sunt Virginis priuilegia. 101. *Ineffabilia sunt Mariæ priuilegia.* Gillebert.

Pergit Abbas. At, *Quod potuit scriptura, expressit. Lectulum dixit, en lectulum Salomonis. Satis dictum est, sed sapienti.* Dum Euangelium legis, & pauca de Mariæ elogiis annotari reperis, solam illam Mat. 1. particulam annota: *De qua natus est Iesus. En lectulum Salomonis.* Lectulus, Mater veri Salomonis Christi Maria? Ad eius elogia innumera celebranda & exprimenda, *quod potuit scriptura, expressit, satis dictum est, sed sapienti.* 102. *Vt sapiens intelligat innumera esse Mariæ priuilegia, satis est, scire, esse Matrem Dei* Gillebert.

Adhuc Doctor, *Et Thronum lego Salomonis, & ferculum; sed vtrumque ambitioso extructum apparatu, & sicut Regias decet delicias. Numquid ergo lectulum legimus neglectum? Absit. Sed sufficit scribenti, vt lectulum diceret Salomonis.* Profectò Throni descriptionem suum in locum remittens, duo à Salomone opera hoc cap. 3. lego perfecta, lectulum, & ferculum. De ferculo specialissimè exprimitur omnis ornatus, materia cedri, argenteæ columnæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, media carbunculis & aliis lapidibus pretiosis ornata. At de lectulo nihil aliud dicit ad ornatum attinens, nisi, *En lectulum Salomonis.* Fateor quidem, sufficere ad Mariæ elogia cuncta prædicanda dixisse: *En lectulum, en Matrem Dei.* Sed obiicio, etiam in ferculo signari Mariam, & dici esse ferculum Salomonis, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Cur ergo in ferculi ornatu Virginis priuilegia recensentur, & in lectulo silentio prætereuntur? Respondeo & lectulum & ferculum Salomonis esse supellectilem; Lectulo vsus est in abscondito, Ferculo in publico. Ornatus ferculi denotat Virginis priuilegia, quæ nullus ignorat, nempè Virginitatem cum fœcunditate colligatam, admirabilem eius toto orbe terrarum cultum, ineffabilem apud Filium ad fauendum peccatoribus potentiam, super cœlicolas, & terricolas Principatum, triumphalem ad superos assumptionem, &c. Ad quorum credulitatem cum iam publica sint non esset opus adiicere, quod ferculum Salomonis esset. Admonemur autem, quòd Salomonis esset opus, vt aspiceremus fabricam illam sui Actoris sapientiæ respondere. Cæterum cum de lectulo, quem in abscondito veneramur, fit sermo, solum dicitur, quòd sit *Salomonis*, seu quod Maria sit *Dei Mater*, vt constet, in Matre Dei innumera priuilegia abscondi, quæ nostram adhuc fugerunt cognitionem.

103. *Ad dignoscenda priuilegia, quibus Deus Mariam in occulto ornauit, sufficit dixisse Matthæum: De qua natus est Iesus.* Gillebert. Mat. 1.

Sunt egregia Mariæ priuilegia publico, sed maiora in occulto.

Demùm Richard. de S. Laur. De lectulo, de fortibus, de gladiis plura sparsit annotans Deiparæ conuenientia. Quorum vnicam eligo sententiam 104. *Dei Filius inclinato Deitatis capite*

Ab reuerentia quodammodo in Mariæ Tabernaculo requieuit Angelis famulantibus Dei genitrici. Richard. Eccl 24.

tentiam ex lib. 10. ait itaque: *En lectulum Salomonis, &c. Hæc possunt esse verba Angelorum describentium, quando studio famulabantur Angeli in terris Virgini gloriosæ. Lectulus Salomonis, id est, veri pacifici B. Virgo dicitur, in qua Deitatis inclinato capite, Dei Filius velut in lectulo requieuit. Vnde & ipsa dicit: Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo* Eccli. 24. *Hunc lectulum ambiunt sexaginta fortes de fortissimis Israël. Nam Virginem ambiebant diligenti custodia, & obsequiosa reuerentia Angelici spiritus fortes inter fortissimos spirituum, qui quidem pro eo, quod assidua contemplatione Deum conspiciunt Israël nomine designantur. Et isti fortes sexaginta dicuntur non propter numerum, sed propter numeri mysterium. Numerus ex senario, & denario constat: senarius autem perfectionem significat; denarius quoque, qui Regis habet imaginem, & decem nummorum continet pretium, Angelicam designat naturam, quæ ad Dei imaginem est expressius creata.* Quid autem mirum, perfectissimos omnium cœlicolarum Principes in Deiparæ obsequium assignari, si ipse *Dei Filius* Angelorum Dominus (Richardus ait) *Deitatis inclinato capite* (ob reuerentiam quodammodo) in Maria requiem inuenerit?

Vers. IX. & X.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas: reclinatorium aureum: ascensum purpureum: media charitate constrauit, propter filias Ierusalem.

105. *Maria vera Testamenti arca hominū humeris velut Salomon Filius deportatur, quia Deum Israël non neglexit.* Del-Rio. Hieron.

F*Erculum fecit sibi Rex Salomon.*] Suppono cum nostro Martino Del-Rio citante Arboræum, hoc ferculum fuisse non currum, non lecticam brutorum vi apportatam; sed *sellam Regiam gestatoriam, quæ per solemnem pompam, quasi in curru triumphali, Regum Orientalium more, à lecticariis humeris Salomon vectabatur.* Triumphus huiusmodi vero Salomoni Christo & Deiparæ sponsæ & Matri debetur. Vnde olim Testamenti Arca Mariæ typus Leuitarum humeris ferebatur. D. Hieronymus lib. tradit. Hebraic. memorans Amasiam Regem Iuda à seruis occisum in Lachis, asportatum fuisse *super equos* in Ierusalem 4. Reg. 14. *Non sine causa dicit scriptura, eum super equos portatum, quia deos Edon, qui in equis portabantur, adorauit. Et idcirco non portatum super humeros, quia neglexerat seruire Deo Israël, cuius mysteria in fœderis arca super humeros Caatitharum portari iusserat.* Igitur ex Hieronymo arca fœderis humeris hominum vt Salomonis sella vectabatur. Typum autem esse Mariæ arcam illam, ex illis verbis Doctoris colligo: *Quia seruire neglexerat Deo Israël, cuius mysteria in fœderis arca portari iusserat.* An non Maria Christi Mater Dei mysteriorum collectio fuit? Quis dubitet? Deipara igitur quæ nunquam neglexerat Deo Israël deseruire, sed tota semper fuit eius obsequio addicta humeris hominum in arca fœderis, vt Filius, verus Salomon, deportatur: & si dixerim Angelorum pennis, eius Assumptionis memor, non aberrarim.

106. *Deus Mariam sibi efformans in Matrem, Diuinæ artis in ea omnem possibilem ad tantum munus perfectionem contulit.* Cantacuz.

Totum versiculum de Deipara Cantacuzenus Imperator eleganter exposuit. *Sellam fecit sibi Rex Salomon Deus ex radice David sibi genitam puellam. Paulo quidem ante lectum, & domum nominauit, hic autem sellam. Ipsa enim nouem mensium spatio Deum omnium portauit in vtero hominem pro nobis factum, ex ea carnem sumere non dedignatur.* Cur Deus non dedignatur ex creatura carnem sumere? *Profectò quia ipse sibi hanc sellam fecit, seu sibi genitam puellam.* Si infinitè potens Deus sibi Mariam dignam sellam fecit; infinitæ quidem dexteritatis artifex, quonammodò ei si non infinitam, saltem omnem possibilem perfectionem non adiiceret?

107. *Ita vult Christus Mariam à cunctis honorari, vt ei liceat in conspectu montis Mariæ exiguum lapidē tendi.* Cantacuz.

Pergit Doctor: *Ex lignis Libani.*] *Hoc est, de monte Dei, ex quo angularis ille lapis excisus est Christus. De quo Mariano monte David dixerat* Psal. 67. *Ecce mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Maria hic designatur in *Monte*, Deus Filius in *Lapide.* An lapidem Filium Deum mons Mater magnitudine excedit? Absit. At cum Deo Filio beneplacitum fuerit in Maria habitare; sic illam priuilegiis implet, vt in conspectu eius ipsa mons, ipse lapis appareat.

108. *Incorruptibilitas, & puritas carnis Mariæ cedris Libani comparatur.* Cantacuz.

De lignis Libani.] Salomon ille Rex Israëlitarum de ligno sellam sibi præparauit; verus autem Salomon Dei Filius de immaculata carne Mariæ. Quod Imperator annotauit. *Reges quidem gentium ligneis in sellis requiescunt; cœlorum autem Rex Iesus non in sella lignea, sed carnea; ea autem erat Filia David Maria.* Cur ergo Maria dicitur sella de lignis Libani fabricata? Certè vt in Cedri incorruptibilitate, in Libani, qui idem est, ac *Candidatio*, nomine carnis Mariæ incorruptibilitas, ac puritas innueretur.

109. *Fœcunda Mariæ virginitas.* Exod 3. Cantacuz.

Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum.] Adhuc Cantacuzen. *Ignem declarat Diuinitatis eius. Per argentum splendor est significatus, per aurum verò ignis ardor, qui nequaquam Mariam offendit, quamvis habitauerit in ea. Idque Moyses per figuram vidit in monte Sina, ardentem quidem rubum, non tamen deflagrantem.* Exod. 3. Quo planè Mariæ fœcunda virginitas fulgurabat.

110. *In Maria voluit Iesus infans vili indumento apparens vti Rex cœlestis à Regibus adoratur, purpuram eā Maria exhibente.* Matth. 2. Cantacuz.

Ascensum purpureum.] Quare purpureus erat ascensus? Respondet idem Auctor, *Quia Christus tanquam Rex sedit in ea.* Infans apparet vilibus pannis obuolutus incola speluncæ iuxta præsepium, & à Regibus adoratur; *Procidentes adorauerunt eum*, & obtulere vti homini, Regi, Deo munera *aurum, thus, & myrrham.* Mat. 2. Vndenam collegerunt, illum infantulum Deum Regem esse in tanta iuuentum externa vilitate? E præsepio ascendit in purpuram. Maria enim Iesum gremio ostentans purpureus erat ascensus, quo infantuli regalis Deifica dignitas exprimebatur. Pulchrè Cantacuzenus, Maria erat ascensus purpureus, quia infantulus *tanquam Rex* purpura ornatus *sedit in ea.* Idcircò Persarum tres illi *Reges ei, vtpotè Regi potentissimo munera obtulerunt.*

Ant. de Escob. & Mendoz. in Cantic. M 2 *Media*

111\. *Maria animus cunctarum virtutum gēmis ornatur.* Cantacuz.

Media charitate constrauit.] Adiicit idem Doctor, *intimum eius*, seu Mariæ animam charitatis virtute, quam reliquæ omnes virtutes vt Reginam ſequuntur, exornauit. *Per intimum* itaque *eius lapidibus constratum clarè illuxiſſe puritatem, & ſplendorem omnium virtutum interioris in Virgine habitationis declarauit.*

112\. *Maria charitas omnes ad ſe attrahit.* Cantacuz.

Denique: *Propter filias Ieruſalem.*] Nempe vt animæ fidelium tot in Maria priuilegia annotantes, ac ſpeciatim illius flagrantiſſimam erga eas charitatem expertæ, magis ac magis illam amare geſtiant: eique ſemper hæreſcere procurent. *Amorem* (inquit Imperator) hac Mariæ deſcriptione virtutum *à filiabus Ieruſalem*, ſeu à fidelibus *erga illam accendit. Multæ enim ex Ieruſalem mulieres miniſtrabant Ieſu & matri eius*: & innumerabiles viri, ac mulieres toto vrbe terrarum ad pedes Deiparæ odore illius ineffabilis charitatis piè admodum pronoluuntur. Hucuſque ex Imperatore Cantacuzeno.

113\. *Maria menſa conuiuali est, in qua eibi inſulſi & amari ad Dei guſtum condiuntur.* Philip. Vuiller.

Illi Philippus Abbas non minori præditus ingenio ſuccedat. *Ferculum* hoc eſſe dicit non ſellam geſtatoriam, ſed menſam conuiualem. Ita apud Del-Rio noſtrum nonnulli cum Vuilleramo. *Ferculum* itaque (ait ille) *Virgo eſt, per quam inueniuntur Deo ſanctorum animæ commendari, eiuſque precibus & meritis ad ſponſi ſublimari conuiuium. Quaſi ſibi ad hoc idem ſponſus voluit præparari, vt per eam mererentur, quæ per ſe non poterant præſentari. Etſi enim animæ ſanctorum variis virtutibus inſignitæ, & inſtar epularum, ſapore gratiarum multimodè ſunt conditæ; longe tamen à conuiuio iacent deſtitutæ, niſi Virginis interuentu velut menſa offertoria ſint adiutæ. Non incongruè ipſa Mater dicitur Imperatrix, quia ſponſum rogans, imperans Filio, furorem eius in gratiam, in amorem ſuauiſſimum iram auertit: amaros nos in dulcorem precis ſuæ farinulà conuertit. Qui ergo ſylueſtri prius amaritudine fuerant odioſi, ſuſcepti à Mariano ferculo, ſiue menſa, fiunt ſuſcipientis merito gratioſi. Nec eſt, qui Salomonis conuiuio placere mereatur, niſi quem offerri ſibi à Virgine, velut à menſa propitiatoria gratulatur.* Mihi quidem non mirum quod animæ peccatorum, cibus planè amariſſimus, in mēſa interceſſionis Mariæ indulcari indigeant, vt Dei guſtui ſint gratæ. At valde mirandum eſt, quod dulciſſimæ animæ ſanctorum à Regio, ſeu Deifico conuiuio repellantur, *niſi Virginis interuentu velut menſa offertoria ſint adiutæ*. An colligam hinc ineffabilem Mariæ apud Deum potentiam: an ineffabilem Dei erga Mariam amorem: Prorſus vtrumque.

Nec ſanctiſſimi quique, qui cibi ſunt dulces, grati eſſe Deo guſtui videntur, niſi in menſa hac, id eſt, in Mariæ ei manibus offerantur.

114\. *Virginis ſanctitas quaſi compacta eſt ex Chriſti virtutibus.* Philip.

De lignis Libani. Libanus eſt (inquit Abbas) *mons, quem attollit conſpicabilis altitudo, & nemorum pulchritudo veſtit. Libanus item interpretatur candidatio, Chriſtum ſignificans, qui candor eſt lucis æternæ, cuius Arbor bona non niſi fructus bonos facere comprobatur: cuius ligna non areſcunt, frondibus non nudantur, & imputribili fortitudine iuueneſcunt. Ex his lignis ſodales aſſerunt ferculum, ſeu Mariam fabricari: vt rectè opus velut à materia commendari videatur.* Quonammodo hic opus potuit à materia commendari, ſi materia ſunt ligna, quibus Chriſti virtutes deſignantur? Pulchrè reſpondet. *Quia ſanctitas Virginis ex Chriſti virtutibus eſt compacta, & ad noſtros profectus omnium in menſam, & ferculum eſt redacta.* Si Maria Chriſtum enixa eſt, Chriſto homine priùs extitit. Quomodo igitur ex Chriſti fuit compacta virtutibus illius ſanctitas? Planè quia Deus ſuam futuram Matrem iis ornauit virtutibus, quibus tanti Filij ſanctitatis referret imaginem. Vnde Philippus ad lignorum, ſeu virtutum Chriſti ſimilitudinem compactum ſic ferculum Marianum deſcribit: *Quam* Mariam *quia potens Salomon* Deus *ex forti, & imputribili materia ſic compegit: non ſenſit vermiculum, non admiſit illa cariem; ſed abegit. Non eſt læſa malleo, vetuſtate temporis non diſrupta: ſed permanſit integritas eius fortitudinis incorrupta.*

Deus Mariā Matrem futuram Filij ſui ad ſimilitudinem futurarū illius virtutū Mariæ ſanctitatem diſpoſuit.

Corporis & animæ Virginis incorruptibilitas.

115\. *Mariæ ſanctitatis perſiſtentia.* Philip.

De columnis autem argenteis ita Doctor: *Vt autem menſa, ſeu ferculum à præſentia, ſeu ſimilitudine Salomonis Filij non declinet; vt nunquam ex parte aliqua ſe inclinet, eam idem Salomon inniti voluit nobili fundamento, ſupponens ei* (huic Menſæ) *non tripodes inſtabiles, ſed columnas immobiles ex argento.* In quo quidem ſanctitatis Mariæ perſiſtentia ſignatur. *Menſam quippe Virgineam præſentauit Salomonis eminens altitudo: immotámque tenuit columnarum argentea, & inflexibilis rectitudo. Cuius mores lucidos, opinionem tinnulam, oris temperantiam, vim ſermonis acceptauit, & firmauit beneuolentia Salomonis.* Omnia profectò quæ ad Virginem ſpectant Dei beneuolentia firmauit; vnde colligitur ea fuiſſe ſupremæ perfectionis. Quid enim non ageret omnipotentia beneuolentiæ ineffabilis ſtimulis affecta? Ideo dixit Maria. *Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius*, quod totum eſt amor. Luc. 2.

Diuina omnipotentia, & amor Mariæ ſanctitatē delinearunt. Ergo ſanctitas ineffabilis.

116\. *Dilectio Mariæ erga Deū in cæteris pretioſo, ponderoſo, ac fortiſſimo deſignatur.* Philip.

Quid de aureo reclinatorio? *In qua* (addit ille) *reclinatorium aureum dicitur inueniri, quia nuſquam noſter Salomon gratiorem ſibi requiem viſus eſt experiri. Quod & ſatis congruè non plumbeum, ſed aureum perhibetur. Quia in omnibus metallis auro melius nihil habetur, quod & pretio carius, & pondere grauius, & ſub malleo fortius eſſe conſtat. Vt ex eo reclinatorium dicatur meritò factum eſſe. Auro dilectionem Virginis æſtimo figurari, quam cæteris certum eſt virtutibus principari. Quæ & ſuo librata pondere, ſic grauatur, vt non flexa mobilitate à dextero vel ſiniſtro latere dilabatur, non diſcurrat, non fluctuet, ad amandum quemlibet alium non prorumpat. Denique ſponſo adhærere tam forti deſiderio, tam ſolida fortitudine concupiſcit, quod aduerſis non frangitur, tribulationis malleo non fatiſcit.* Vis hanc fortitudinem oculis obiiciam? *Cum petrus crepuit, cum fugerunt omnes, malleum furentem non ferentes, ſola Virgo perſtitit, nec deſtitit ſponſum ſponſæ intuitu morientem. Tale ergo reclinatorium in Virgine ſic Salomō fabricauit.* Vſque ad aras profectò ſuam dilectio Virginis oſtendit fortitudinem.

Dilectio Mariæ in Deum ſolum tendit.

Perſecutionū malleo Mariæ amor non cedit.

117\. *Mariæ è virtutein virtutem aſcenſus.* Philip.

Ad *aſcenſum purpureum* pergit Abbas. *Sunt gradus, ſiue ſcalæ per quas ad reclinatorium eſt aſcenſus; in quibus à Virgine labor non mediocris eſt impenſus. Quas quoniam rectè conſiderans, non obſcuras fuligine, ſed purpureas eſſe nouit, per eas vſque ad ſummum honeſta ſimilitudine ſe promouit. Antiquorum temporibus purpura ſolis Regibus competebat, quæ forma*

& colore Regiam ostendebat dignitatem. Virgo igitur prudentissima, cum ad tantum venire meritum concupierit, vt Regina monstraretur, regali purpura se vestiuit. Monstrauit autem indiciis competentibus se Reginam, cum sibi superinduit purpuram virginalis continentiæ, cunctis retrò sæculis intentata. Quæ quidem pulchra Philippi sententia vnam, vel alteram clausulam in commendationem Mariæ expendendam apponit. Premo itaque illam: *Sunt gradus siue scalæ, per quas ad reclinatorium aureum est ascensus. In quibus à virgine non mediocris labor est impensus.* Maria enim non ascendit ad cœleste reclinatorium gloriæ, quia Deipara præcisè; sed quia egregiarum virtutum exercitamentis impensè è gradu in gradum ascendendo laborauit. Deinde illud annoto: *Monstrauit* Maria *indiciis competentibus se Reginam, cum sibi superinduit purpuram virginalis continentiæ, cunctis retro sæculis intentata.* Intentans enim Maria, & perficiens virginalem statum, voto obfirmatum, se Virginum Reginam ostendit, & Angelorum & hominum Imperio potitur. Miror denique virginitatem in purpura designari. *Cum sibi purpuram virginalis continentiæ superinduit.* Candido semper vidi colore virginitatem ornari: vndenam ergò virginitati purpureum indumentum? Scio in cunctis viris, ac fœminis tentaminibus obnoxiis virginitatem genus quoddam esse Martyrij, quod aptè purpura designatur. At in Maria, quam concupiscentiæ fomes nunquam vel leuiter punxit, vndenam virginitas agnatam albedinem in purpuram potuit commutare? Planè Mariæ virginitas toties ab hæreticis eam negantibus impugnata quodammodò fuit in Martyrium conuersa.

Maria ad cœlū assūpta non præcisè quia Dei Mater; sed quia per virtutū gradus impenso labore ascendit.

Maria magistra virginitatis voto obfirmatæ, se hominum & Angelorum Reginā ostendit.

Maria Martyr quodammodo virginitatis fuit.

118. Iam exponit Philippus illa verba: *Media charitate constrauit. Huius autem ferculi media non tapetibus ex Ægypto, non florum transitoria nouitate; sed meliori longè consilio Salomon constrauit charitate. Vt in eo aliquid nunquam appareret, quod honestatis auidus discumbentis oculus abhorreret. Cunctis quippe virtutibus, quibus Virgo præcipua redditur, & insignis supradicto congruis ferculo, meritis excellentibus, & condignis inserta charitatis, necessario superadditur ornamentum, sine quo omnes reliquæ sunt sicut inutile purgamentum.* Profectò Deiparæ erga Deum charitas ita in medio ferculi, siue in corde virgineo adeò fuit flagrans, vt in ipsam charitatem se conuersam Dei Mater ostendat. Vnde loco illius particulæ Cant. 2. *Ne suscitetis dilectam*, alij legunt, *Ne suscitetis charitatem.* De charitate verò Mariæ erga proximos additur.

Deiparæ in Deum charitas adeò vehemens, vt ipsa in charitatem sit conuersa. Philip.

Cant. 2.

119. *Propter filias Ierusalem.* Ad quæ verba idem Abbas concludens adiicit. *Et hoc quidem non tam propter Virginem, quàm propter filias Ierusalem æstimo dictum esse: quibus datum fuerat sponso, & sponsæ colloquentibus interesse. Ne cum audirent, columnas argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum prædicari: ad illa se pertingere non præsumerent arbitrari: & ab illo sibi ferculo repercussæ longius viderentur, cuius nulla, vel modica similitudine tenerentur. Quæ cum audiunt, quod in illorum medio charitas inuenitur, grato cuius velamento peccatorum operitur: non diffidunt, quin & ipsæ ad illud etiam ferculum possint pertinere, si diligant, & eligant diligenti Mariæ diligentius inhærere.* Itaque Deipara bonum commune est, eius charitas in cunctis Ierosolymæ filiis siue Christicolis ipsi hærentibus peccatorum operit multitudinem.

Maria commune bonum, eius charitas peccatorum operit multitudinem. Philip.

Iam do Guillelmi pulchram admodum huius versiculi expositionem. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon, quo spiritualiter ipse ferretur. Creauit sibi verus pacificus Matrem, cuius virgineo vtero portaretur. O beatum ventrem, qui Dominum portauit! De lignis libani. Ligna hæc imputribilia, & procera valde sanctos Patriarchas designant vita sublimes, fama imputribiles. Nam etsi corpora eorum sepulta sunt, nomina tamen eorum viuent in sæcula. Nam iuxta sententiam sapientis: Memoria iusti cum laudibus, & nomina impiorum putrescunt.* Prou. 10. *De præclaro hoc Patriarcharum sanguine Virginem, de qua nasceretur, creans; de lignis Libani hoc ferculum* Deus *sibi fabricauit.* Illud preme: *Ferculum fecit sibi Salomon Deus, quo spiritualiter ipse ferretur.* Id est, creauit Mariam, cuius ineffabili sanctitate coleretur. Hoc enim est, Deum à virgineo ferculo *spiritualiter* deportari, si spiritualiter sic deferendus erat, cur ferculi huius cedrinam materiam, seu temporalem sanguinis commendat nobilitatem? Certè quia nobiles Deo addicti, perfectius illius cultui solent addici. Vnde expressa temporali Virginis nobilitate, amplius illius sanctitas commendabilis obiicitur. 120.

Mariæ egregia temporalis nobilitas. Guillelm.

Prou. 10.

Regia Mariæ nobilitas temporalis ipsius sanctitatem amplius commendabilem reddebat.

Columnas eius fecit argenteas. Columnæ (ait Guillelmus) *septem sunt; quas enumerans Isaias, inquit, spiritus consilij, & fortitudinis: spiritus scientiæ, & pietatis: spiritus intellectus; & sapientiæ: spiritus timoris Domini.* Cap. 11. *Quia his septem spiritibus gratia Spiritus sancti procerissimis, & robustissimis sublevabatur à terra, vt saperet, quæ sursum sunt, non quæ super terram: & fulciebatur, ne sublevata ad terram rueret. Eædem argenteæ fuerunt. Argentum nitore suo candorem virginitatis significat: & quid in Virgine Matre non virgineum? in qua & ipsa fœcunditas, mirum dictu virginea; & virginitas fœcunda fuit.* Expende illam particulam: *Et quid in Virgine matre non virgineum?* Certè vera virginitas debet in cunctis sensibus virginitatem connotare, in oculorum modestia, in verborum synceritate, in parsimonia cibi, in motus gressuum compositione. Nihil in Virgine visebatur, quod virginitatis argenteum nitorem non offerret. 121.

Maria septem Spiritus sancti donis nititur velut columnis, ne in vllo corruat. Guillelm. Isai. 11.

Cuncti Mariæ sensus virginitatis nitorem offerebant.

De aureo autem reclinatorio hæc Doctor scribit: *Illud reclinatorium, in quo inclinatus vsque ad terram Deus nouem mensibus reclinari dignatus est, humanæ carnis susceptio, maiestatis vsque ad terram inclinatio est. Inclinauit se Altissimus per Incarnationis mysterium, vt reclinaretur in vtero Virginis, suo tempore quasi sponsus de thalamo processurus ad opus humanæ redemptionis. Aureum est eo ipso, quod Maiestatis pacifici Regis reclinatorium est. Fecit illud aureum eo ipso, quod fecit suum. Caput eius aurum obryzum, culcitram suam inaurauit. Matrum cæterarum vteri comparatione virginalis vteri, reclinatoria plumbea, vel lutea sunt; quia in eis reclinant caput non Filij Dei, sed filij iræ, & ob hoc etiam filij* 122.

Maria tota est aurea, ex aureo Christi capite auro in eam deriuato. Guillelm.

 gehennæ.

gehennæ. Solus Mariæ vterus reclinatorium aureum est, quia reclinatorium diuinæ Maiestatis. Tota igitur Maria aurea ostenditur, quia in vtero eius maternitas designatur. Nec aurum esse vulgare terrenum probatur, sed diuinum; siquidem ex aureo capite Filij Dei suum aurum accepit. *Caput eius aurum obryzum, suam culcitram inaurauit.*

Ascensus Mariæ ad cœlos purpureus fuit, quia Martyrij coronam accepit.

123. Purpureum verò ascensum sic idem Pater Mariæ eleganter accommodat: *Et quoniam eidem gloriosæ Virgini, & Matri de munere eius, qui natus est ex ea, ad culmen perfectionis non defuit sublime Martyrij meritum: sequitur in ferculo Ascensus purpureus. Tota vita sanctorum ascensus est, tota vita impiorum descensus. Sicut in corporibus duo sunt pondera, vnum, quod sursum trahit; alterum, quod deorsum premit; nam ignis suo pondere sursum: lapis suo tendit deorsum. Sic etiam in animis duo sunt pondera, pondus iustitiæ, quo quidam feruntur sursum: & pondus iniquitatis, quo alij deorsum merguntur. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, ait Paulus. Ergo ô Paule, tibi viuere præclarè, ascendere est. Sed non omnium ascendentium ascensus est purpureus, quia Martyrum hæc prærogatiua est. Denique Martyris vox est. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Quilibet sanctus dicere potest. Mihi viuere Christus est: quod autem sequitur, & mori lucrum, propriè ad Martyrem pertinet. Mors quippe corporalis cæteris sanctis conditio est, solis autem Martyribus præclarissimi meriti est lucrum. Cum ergo Martyr ille insignis dixit: Mihi mori lucrum: perinde est ac si dixisset, ascensus meus purpureus est. Et ideo cum pia Mater dicit, ascensum suum esse purpureum, se Martyrem profitetur, & sibi mori lucrum.* Pulchrè quidem.

Phil. 1.

Charitas fecit Mariam cum moriente Christo commori Guillelm.

124. Profectò Salomon Christus ascensum hunc purpureum *media charitate constrauit.* Quia Mariæ charitas, seu amor erga Filium eam fecit cum moriente ipso commori. *Illustre* Deiparæ *Martyrium* (adiicit Guillelmus) *à Prophetante Simeone euidenter insinuatum fuit, cum loquens de Filio diceret. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Luc. 2. An-non certum est, vim amoris mutui ex duplici anima animam veluti vnicam efformare? Quanam vi anima Ionathæ cum Dauidis anima fuit conglutinata? An-non mutuæ dilectionis? Christi & Mariæ animas ita amor coniunxerat, vt Mariæ anima Christi anima esset. Ideo Simon ait. *Tuam animam ipsius*, id est, quæ quidem *ipsius* Christi anima per vim amoris est, gladius pertransibit commoriente te cum Domino moriente. *Planè* (ait Abbas) *gladius acutissimus dolor Dominicæ passionis animam piæ Matris pertransiens, atque transuerberans, eam spiritualiter commori Filio fecit. Martyres alij fuêre moriendo pro Christo: hæc commoriendo Christo Martyr fuit, & Commartyr Christi.*

Maria anima Christi patitur, dum corpus illius tormenta sustinet.

Maria in anima vulnerata omnes Martyres vicit in passione. Guillelm.

125. Planè si Maria vulnus sustinuit non in corpore, sed in anima, omnes Martyres eam vicisse probatur. Accidentaria enim sunt corporis vulnera, si cum animæ vulneribus comparentur. Vnde adiicit Guillelmus. *Aliorum Martyrum corporale, Matris spirituale: ac proinde præstantius martyrium fuit.*

126. Vt autem constet Mariæ animam, imò totam Mariam in animam Christi, imò in totum Christum *media charitate* esse quodammodo conuersam; Mariæ anima, imò corpus Christi sanguinem gladio illo percussa profundebat. Bellè Guillelmus, plus est commartyrem esse Christi, quam Martyrem Christi. Quia Martyr Christi suum quidem, non Christi sanguinem effundit. Maria verò quæ idem est *media charitate*, cum Christo, Christi sanguinem ex animæ vulnere profundebat. *Martyres* (concludit ille) *suo, sed Maria Filij, hoc est, Dei sanguine rubebat.*

Maria quasi in Christum cõuersa Christi sanguinem profundebat ipsa & Dei sanguine rubebat. Guillelm.

An-non Maria cœlestis Israël Regis ferculum est, siue currus? Recole quæso Regis Achab historiam. Contra Syrios pugnaturus Achab Rex Israël vectus curu processit. *Commissum est ergo prælium in die illa, & Rex Israel stabat in curru suo contra Syrios, & mortuus est vesperè; fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus.* 4. Reg. 22. Melioris Israëlitici Regis Salomonis cœlestis Maria est ferculum, est currus. Contra peccatum, mundum tartarum pugnaturus Dei Filius procedit, mortuus est iaculo crucis, & vulneris sanguis Dominicus fluebat in ferculi, aut currus Mariani sinum, seu animum. Nam vulnerato Christi corpore, anima Mariæ, quæ est anima Christi, vulneratur; vnde Maria, quæ currus est Christi, dum Filij Dei sanguine Regis rubet corpus. Mariæ, quæ illius est ferculum, siue currus *Dei sanguine rubebat.* 127.

Moriẽte Christo Israel Rege, eius sanguis in Mariæ currus scilicet seu ferculi illius effluebat. 4 Reg. 22.

Media charitate constrauit, propter filias Ierusalem. Ad quæ idem Guillelmus. *Quæ sunt hæc media? Actionum aliæ simpliciter expediunt, quæ sunt virtutum: aliæ simpliciter nocent, quæ sunt vitiorum. Inter has extremas illæ sunt media, quæ dumtaxat licent, quibus quis vtiliter seu bene, vel damnosè, seu malè vtitur. Ver. gr. cibo, potu, veste quis vtitur ad luxum, licitis vtitur illicitè; qui ad infirmitatis leuamen, is licitis vtitur licitè. Plus tamen est, licitis vti valde laudabiliter: vt cum quis vtitur licitis non infirmitatis suæ causa, sed aliorum accommodatione charitatis. Sic Paulus cum fortis esset, infirmis factus est infirmus, vt infirmos lucrifaceret; & laudabilius de suo rigore remisit propter filias Ierusalem, quam si in sua inflexibili austeritate perstitisset.* Ipse quoque Dominus noster summum illum abstinentiæ corporalis rigorem foris ostendere noluit; sed, vt scriptum est, venit manducans, & bibens. Et tamen multo laudabilius, quàm Ioannes venit. *Non manducans, nec bibens* vinum: *venit Dominus manducans, & bibens propter infirmiores, quos à se propter rigorem abstinentiæ non decuit absterrere.* Iam discursum Deiparæ adaptat. *Sic etiam media Mariæ charitate constrauit propter filias Ierusalem. Hæc est, piam Matrem suam, cui tanta erat gratiæ celsitudo, & fortitudo animi, infirmis per charitatem iussit condescendere, vt omnibus cohabitantibus, & cum ea conuersantibus in cibo, in potu, in veste, & cæteris, saluo propriæ honestatis decore congrueret: suoque rigore Mater misericordiæ nulli onerosa esset. Dissimulata ergo, vel prorsus occultata virtute, qua intus pollebat, reficiebatur vt cæteri, induebatur vt cæteri, vt cæteri procedebat.* 128.

Maria Christi æmulatrix dissimulabat exterius vitæ rigorem, nè infirmos à via virtutis absterreret. Guillelm.

Pressiorem accipe Honorij expositionem. 129.

Rex

Maria lectum conuiuale, seu mensa, in qua Christus edendus offertur. Honor.

***Rex Salomon Christus verus Rex pacificus fecit** sibi ferculum, id est lectum ad conuiuium, de lignis Libani, id est, & Patriarchis, & Regibus Virginem elegit. In qua vt in lecto recubuit ipse positus ad conuiuium; quia fideles de carne, quam de Virgine sumpsit epulantur. Columnas eius fecit argenteas. Columna, queis Virginis vita fulcitur, sunt quatuor Euangelia de ea scripta, quæ sunt argentea veritate, videlicet nitida: & prædicatione sonora. Reclinatorium aureum. Hoc fuit corpus Dominicum de ea sumptum, in quo diuinitas se reclinauit. Ipsa etiam Virgo fuit reclinatorium, in cuius Christus se reclinauit vterum: aureum, splendore castitatis fulgidum. Ascensum purpureum sancta crux fuit, è qua Filius eius sua passione ascensum nobis fecit ad cœlos. Media charitate constrauit, id est, communem eius, seu Mariæ vitam dulcedine charitatis repleuit propter filias Ierusalem, id est, ad imitationem fidelium.*

Qui accedit ad Mariam Eucharistiæ mensam ex eius intercessione accipit gratiam, vt digne commedat.

Tanta est Christi, & Mariæ identitas, vt totum Euangelium, qui Christi vitam scribit, totum de Maria vita scriptum videatur.

Maria Dominicæ vitæ perfecta æmulatrix.

Duo annotarim. Primum, Mariam esse mensam, in qua nobis panis vitæ Eucharisticus sumendus apponitur. *In qua vt in lecto* coniugali, seu in mensa recubuit ipse positus *ad conuiuium* in magnam vtique edentium vtilitatem. Si enim Maria mensa est, in qua hic cibus offertur. Mensæ Marianæ ad edendum hærere, idem erit ac gratiam eius intercessione accipere ad dignam sumptionem. Alterum, ait Augustudonensis Episcopus: *Columnæ, queis Virginis vita fulcitur, sunt quatuor Euangelia de ea scripta.* Quomodò verificari potest hæc sententia si quatuor Euangelia & Christi vita scripta sunt, de Virginis autem vita parum enuntiant? Profectò ex hoc arguitur Christi & Mariæ identitas: vnde quidquid de Christo Euangelistæ scribunt, de Maria scripsisse videantur. Adde, vitam Virginis adeò esse Christi vitæ similem, vt dum illi Christi vitam scribunt, Matris, Filij æmulatricis, vitam simul enuntient.

130. *Maria virtutes adeò excellentes, vt non viderentur viatricis actiones, sed eius, qui iam beatitudine potiretur.* Antonin.

D. Antoninus tom. 4. sum. tract. 15. c. 24. §. 7. *Secunda*, inquit, *proprietas sedis est, Regis delatio. Sedes enim defert Regem ibi sedentem hinc inde. Beata ergo Maria vt vera sella,* seu ferculum *Salomonis detulit eum de cœlo in mundum, & in mundo de loco ad locum; quia de Nazareth, vbi conceptus, ad Bethleem, vbi natus est: de Bethleem in Ierusalem, vbi est in templo præsentatus: postea in Ægyptum est translatus. Hoc est ferculum* (id est, sedes) *à ferendo dictum. Quod fecit Rex Salomon de lignis Libani, hoc est, de virtutibus quasi Patria cœlestis. Libanus enim significat statum gloriæ; interpretatur enim candidatio. Habuit enim perfectionem virtutum quasi ad modum Patriæ.* Tanta enim fuit Mariæ virtutum excellentia, vt non viderentur esse viatricis actiones, sed eius, quæ iam cœlesti Patria frueretur. *Reclinatorium aureum. Hoc est puritas eius, per quam in ea Dominus requieuit. Ascensum purpureum, id est, charitatem, per quam ad eam accessit. Media charitate constrauit, quia hoc totum egit ex sua dilectione.*

Mariæ ascensus siue via est, per quam debemus ad cœlum nostrũ ascensum moliri.

Pondera illam particulam, *ascensum purpureum, id est, charitatem*, per quam ad eam accessit, quasi per scalam descendens: vt nos doceat charitatem Mariæ, qua pro hominibus intercedit scalam esse seu viam, qua nos ad cœlum ascendere debeamus.

Hugo Card. sic locum interpretatur: *Mariam fecit sibi ferculum Rex Salomon, id est, Christus, quem in suo vtero nouem mensibus portauit. De lignis Libani, de membris omni puritate candidissimis quoad corpus: & aliis virtutibus quoad animam. Columnas eius fecit argenteas, quæ septem sunt, scilicet septem dona Spiritus sancti. Reclinatorium aureum, id est, Virginis vterum, in quo habitauit, & se reclinauit Filius Dei; aureum, id est, pretiosum; vel quia aurum sapientiæ in eo se reclinauit, & habitauit. Ascensum purpureum ob Martyrium animæ. Media, id est, cor charitate impleuit.* Non cadant sine pondere verba illa: Formata à Deo Maria fuit *membris omni puritate candidissimis quoad corpus: & aliis virtutibus quoad animam.* Sicut enim Adamus fuit è terra formatus: Maria fuit è cœlestibus virtutibus diuini Artificis manu efformata. Quali igitur hæc erit afflictio! 131. *Tota Mariâ fuit sicut Adamus è terra, ex puritate in corpore, & ex virtutibus in animo efformata.* Hugo.

Dionysij Carthus. iam do expositionem. *Præclarissima Virgo Maria aptissimè dicitur ferculum, id est, Thronus, aut solium Salomonis, id est, Saluatoris, in quo fuit mundum reconcilians sibi. Fecit illum in quantum Deus ex lignis Libani, quia corpus immaculatissimæ Virginis constat ex membris sanctis & incorruptis.* An per Mariam Deus sibi mundum iniquum à se auersum sibi reconciliauit? Certè solium Salomonis veri Virgo, *in quo fuit mundum sibi reconcilians.* Ad hoc enim *media, seu cor* Mariæ (vti aiebat Hugo carens.) *Charitate constrauit*, vt suis precibus Deum pro huiusmodi reconciliatione enixè precaretur. Reliqua nihil diuersum à præfatis expositionibus continentia prætereo. 132. *Per Mariæ preces Deus in eius manens vtero mundum sibi reconciliauit.*

Gillebertus Abbas premens illa verba: Ferculum fecit sibi *Rex Salomon ex lignis Libani*, profatur serm. 17. Virginalis candor expressus videtur in Libani lignis. Libano enim niuoso monti in scripturis legitur comparata virginitas. Eccli. 24. *Ego quasi Libanus non incisus euaporaui: & sicut balsamum non mixtum odor meus. Meritò Libanus venter immaculatus, venter impollutus, venter intactus, venter non incisus. Non incisus est, cuius manet integritas, cuius non sunt resignata claustra pudoris. Propter munditiam Libanus: propter integritatem non incisus. Meritò enim non incisa, quæ non est diuisa. Vis audire incisam? Mulier nupta cogitat, quæ mundi sunt.* (Paulus ait) *quomodo placeat viro, & diuisa est, vtique in Deum & virum:* & fortè non æqualiter diuisa, sed propensior in virum. *Mulier autem innupta & Virgo, non cogitat nisi quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* 1. Cor. 7. *Certè hæc verba: Quasi Libanus non incisus euaporaui habitationem meam, specialiter Matris Dei videntur.* Nec enim diuisam habuit mentem Deipara, sed tota Deo addicta, solummodo, quæ Dei erant, cogitabat. 133. *Maria ob virginitatem Libanus non incisus, & balsamũ non mixtum.* Eccli 24. Gillebert. 1. Cor. 7. *Non erat Mariæ diuisus affectus, sed solum, quæ Dei erant cogitabat vti Libanus non incisus.*

Vberius Virgini sapientis sententiam Abbas accommodat. Mater Domini Maria verè Libanus, & Libanus non incisus. Illa vobis euaporauit, ô sacræ Virgines, habitationem suam, habitationem cœlestem, habitationem Angelorum; quando conuersationis virginalis exempla in vos transfudit, & perpetui amoris inspirauit amorem. Et satis expressit habitationis suæ gratiam. quam euaporare se dicit. Quid enim in habitatione 134. *Mariæ conuersatio tota cœlestis virginibus sanctæ conuersationis magisterium offert.* Gillebert.

virgi

virgineæ vapori similius? Nihil enim habet hæc conuersatio carneum, nihil mundanum; sed totum cœleste, supermundanum totum, *totum spirituale: & ideo simile vapori.* Iam interrogat: *Et quali vapori similis* est Mariæ conuersatio, & respondet? *Et tanquam balsamum non adulteratum odor meus. Modica enim stilla admixtionis peregrinæ totam balsami massam contristat. Attulit Nicodemus mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum; & Mariæ illæ emerunt vnguenta. Sed Maria Domini Mater vnguenta non comparat, sed spirat, quæ vnctum oleo lætitiæ ipsum peperit Christum. Meritò itaque quæ sola gratia plena erat quasi balsamum non mixtum odorem suum dicit.* Maria ergò vapor est aromaticus, nihil carneum, terreum nihil exhalans. Mariæ illæ piæ fœminæ aromata emunt: vnica est Maria, quæ *hortus* aromatum omnium virtutum fragrantiam spirat, quam ipsa non emit, & sine commutatione omnibus offert.

Maria non emit aromata, nam omnium aromatum seu virtutum hortus est abundat, & omnibus illa gratis offert.

135. Ego autem audiens Gilleberti interrogationem illam. *Quali vapori* Maria hic comparatur? aliter respondebo. *Vapori* illi, de quo Sap. 7. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentiæ Dei sincera: & ideò nihil coinquinatum in eam incurrit.* Quod de sapientia diuina, seu Verbo æterno sapiens dixit, Ecclesia per accommodationem Mariæ applicat. Audi Guarricum serm. 2. de Nat. Virg. Qui Sermonis initio proponens verba illa Eccli. cap. 2. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*, inquit: *Longè antequam Maria nasceretur, vocem ipsius assumebat spiritus, qui in ea futurus erat: Ego quasi vitis. Quod enim personæ sapientiæ, id est ipsius Filij tribuit contextus lectionis (sicut ipsi scitis, qui regulas nostis scripturarum) nihil huic præiudicat intellectui, quominus sicut alia multa possint aptari quoque personæ beatæ Virginis Matris.* Sic igitur in præsenti, Dei Filius, seu Christus Dominus est vapor virtutis Dei per naturam: Maria Dei Mater est vapor virtutis Dei per participationem, & gratiam.

Maria est vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis diuinæ omnipotentiæ. Sap. 7.

136. Lyranus hæc verba: *Vapor virtutis Dei*, sic legit. *Quasi vapor*, qui procedit ex aqua, scilicet aromatica ex cũctis floribus collectis igne fluens. Vt ergo spiritus diuinus innueret, Verbum æternũ procedere ex Patre perfectissimo quodam modo: omnium virturũ & perfectionum aromaticũ vaporẽ esse asseruit. Haud aliter de Maria dixerim vaporem esse ex omnium virtutum floribus Spiritus sancti ignis vi diffluentem, quem quidem meritò Angelorum aquam vocitarim.

Maria est aqua Angelica ex omnibus virtutum floribus effluens. Lyran.

137. Denique ex Richardo Laurentino hæc annotanda expono. *Ferculum* (ait lib. 10. de laud. Virg.) *est thronus portatilis*, (Hisp. *Silla de manos*) *& designat Mariam, cuius exemplum vbique diffunditur. Regium quidem est virtutum Deiparæ exemplum*, quæ Regali throno inuehitur. Nil vulgare in Virgine, omnes eius actiones Regium splendorem hallant. *Hoc ferculum fecit verus Salomon de lignis Libani, id est, de membris aridis, & desiccatis igne Spiritus sancti ab omni humore nociuo. Sicut ait D. Gregorius, lignum in fabrica competenter non ponitur, nisi prius vitiosa eius viriditas desiccetur.* In Maria autem nullus vitiosus humor fuit, quem Spiritus sancti ignis desiccaret. Vnde ignis illius in ossa fuit infusus, vt ea agiliora ad diuinum redderet obsequium. Vnde *erat Maria ligna Libani excelsa per virtutum eminentiam, & hoc in se: in Dei autem prædestinatione erat ligna Libani fortia, celsa, speciosa, odorifera imputribilia, candidata; fortia patientia, celsa sapientia*, speciosa temperantia, odorifera fama, imputribilia perseuerantia, candidata innocentia, & *puritate omnimoda.*

Regium est virtutũ Mariæ exemplũ, quod regali ferculo, seu throno inuehitur. Richard.

In Maria nullus vitiosus humor fuit exsiccata Spiritu sancti igne.

Maria ineffabilis sanctitati ignis Libani comparatur.

138. Adhuc Richardus. *Aliter fecit sibi Rex Salomon ferculum de lignis Libani. Per compositionem ferculi B. Virginis priuilegia commendantur. Fecit ergo Rex Salomon, id est, Christus sibi ferculum, siue thronum, per quod deferretur ad notitiam hominum, cum Incarnationi suæ B. Virginem præparauit.* Et eandem sibi *Matrem fecit.* Ergò Mariæ debemus Christi salutarem ad nos notitiam prodiisse. *Hoc autem ferculum fecit de lignis Libani: & interpretatur Libanus candor, vel thus; quia sanctitatem Virginis compegit Dominus ex odore bonorum operum, & candore virtutum.*

Mariæ debemus Christi salutarem notitiam ad nos aduenisse. Richard.

Ex odore bonorum operũ compegit Deus Mariæ sanctitatẽ.

139. *Columnas huius ferculi fecit argenteas. In columnis consistit fortitudo ferculi. Columnæ istæ quatuor erant, & argenteæ designatæ per argenti proprietatem. Argentum vtique dulce sonat, fulget, candet, & pretio valet. Igitur per quatuor columnas argenteas designantur in Matre Domini dulcis sonus orationis in precibus ad Dominum: splendor sanctitatis ad illuminationem hominum: candor virginitatis in matre: pretiositas maternitatis in virgine.* Illud preme: *Dulcis sonus orationibus in precibus, splendor ad illuminationem hominum.* Quantumcumque enim cæcus sit peccator, illuminatur per Mariæ ad Dominum preces; dulcissimè enim Dei in auribus insonant, eiusque afficit ad parcendum illico voluntatem. Vnde Dei sponsi vox illa est: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Vox tanto affectu à Deo desiderata, quomodo non ab eo cuncta postulata conquirat?

Quantumcumque sit cæcus peccator, per Mariæ dulces ad Deum preces illuminatur. Richard.

140. *Reclinatorium quoque aureum* (verba sunt Richardi) *fecit sibi in ferculo. Nam mentem Virginis perfudit plenitudine sapientiæ, quæ significatur in auro: & sic illustrauit cognitione diuina, vt meritò dici possit, quod caput suæ diuinitatis Deus reclinauit in ea.* An vt cum Maria sapientissima conferret mundi gubernationem? Planè ipsa dicit: *Cum eo eram cuncta componens.* Prou. 8.

Quodammodo Deus cum Maria ab æterno in mente Diuina existente conferebat mundi molitionem. Prou. 8. Richard.

141. Addit Doctor *Ascensum quoque purpureum fecit Dominus. Nam purpura indicium est Regiæ dignitatis: & Christus per assumptionem carnis ascendit & intrauit in hanc sedem, & indicauit mundo, se Regem. Dicitur autem ingressus eius in vterum Mariæ ascensus.* Quomodo ascensus dicitur, si Verbum è cœlo descendit, Maria vero in terra degebat? Tanta equidem erat Mariæ, dum humilitatis affecta se dixit ancillam, sublimitas, vt vel Deus ipse è cœlis descendens in Mariæ vterum quodammodo ascendisse videretur.

Regia dignitatis suræ Christus accepit ex Maria. Richard.

Tanta Maria facta ex humilitate ancillæ sublimitas, vt Deus ascenderit cum ad eam descendit.

142. Id Isaias c. 19. confirmat, dum inquit. *Ascendet Dominus super nubem leuem.* Quænam est hæc nubes? Vel Maria nullo piaculi pondere pergrauata, vel Christi immaculatissima caro ex Maria assumpta. Richardus existimat Christi carnem esse. *Appellat Isaias nubem leuem carnem sanctam Christi nullo peccati*

Cum Verbum à summo cœlo descendit ad carnem è Virgine assumptam videtur ascendisse. Isai. 19. Richard.

cati pondere pregrauatam. Et benè aſcendiſſe dicitur Dominus deſcendens in Virginem, ſeu in carnem ex Virgine aſſumptam. Quomodò *bene* id poteſt dici, ſi *à ſummo cœlo egreſſio eius?* Certe quia iam Maria ſe ancillam verè eſſe pronuntians, iam ex humilitatis agnata exaltatione ſummi cæli verticem ſuperauerat.

Virginis Martyrium, Martyrum Regina.

Addit Doctor: *Vel aſcenſus Mariæ purpureus, quia per Martyrium mentis*, ſeu animæ *aſcendit in Regiam dignitatem: vt ſicut dicitur Regina Virginum, ſic dici debeat Regina Martyrum.*

143. *Cor Mariæ plenum charitate ad peccatorum ſubſidium.* Richard.

Denique. *Media*, ait, *charitate conſtrauit. Media eius, id eſt, cor, quod eſt in medio pectoris conſtrauit, id eſt decorauit charitate, ſeu charitate impleuit propter filias Ieruſalem, id eſt, propter debiliores*, ſeu peccatores. Niſi enim cor Deiparæ plenum charitate eſſet ad interpellandum pro hominibus, quomodò eis ad ſuperos pateret aſcenſus?

Verſ. XI.

Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo illum coronauit Mater ſua in die deſponſationis illius, in die lætitiæ cordis eius.

144. *Chriſtus è Maria natus coronam poteſtatis, & pietatis accepit Vnde Matris interceſſione veniam peccatori non denegat.* Sotomaior.

EGredimini, &c.] Salomon quidem Rex eſſe non poterat, niſi prius homo natus non eſſet; neceſſarium quippe fuit prius eſſe hominem, quam Regiam conſequi poteſtatem. Quia ergò ex matre Berſabee homo fuit: ſe quoque propter matrem Regem eſſe fatetur. Haud aliter Chriſtus verior Salomon pacis aſſertor Virgini Matri ſe totum, carnem, ac diadema Regium attribuit; quia in eius virgineo vtero fuit Homo factus. Sotomaior inquit appoſitè, *Chriſtus à Matre ſua Maria coronatus dicitur, quia ab ea virginalem carnem accepit, quaſi materiam, & fundamentum omnium bonorum.*

Cretenſ. Andreas Cret. orat. 2. de dormit. Deip. Carnem virgineam Mariæ Chriſto communicatam in Incarnatione appellat: *Manu non fictum Regni diadema.*

Ambroſ. Pulchrè D. Ambroſius lib. de inſtit. Virg. cap. 16. *Beatus Mariæ vterus, qui tunc Dominum coronauit, quando formauit. Hoc ipſo, quòd eum ad omnium ſalutem peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis, & poteſtatis impoſuit.* Ergo ſi natus ex Maria, accepit coronam poteſtatis & pietatis, non poterit Mariæ precibus non annuere: & nos confidenter Virginis interceſſione dum peccatorum lepra fœdamus, Chriſto dicere: Domine, ſi vis, potes me mundare, quia è

Matth.8. Virgine natus *coronam poteſtatis accepiſti.* Et ipſe reſpondebit. *Volo, mundare.* Matth. 8. quia etiam *coronam pietatis ſimul accepi.*

145. *Maria Chriſto Regi, ac Pontifici in ſuo vtero, vti in textoria officina ex purpura texuit ornatū, & coronam.* Athanaſ.

Hoc quidem in Aaronis hiſtoria expreſſum. De quo D. Athanaſius lib. 3. cont. Arrian. *Aaron non eſt genitus Pontifex, ſed homo, vt tandem progreſſu temporis factus eſt Pontifex. Neque id ſimpliciter, & quovis modo: neque vulgaris cultus ea inſignia addidere, vt Pontifex agnoſceretur; ſed cum ſuperinduiſſet ephod, & rationale, veſtemque talarem, quam fœmina elaborauerant iuſſu Domini.* Verbum diuinum *vt Aaron veſtem talarem à fœmina elaboratam: ita carnem è terra ſumpſit, Mariamque vice rudis, ac illaboratæ terræ Matrem ſui corporis habuit, ac ſimul quaſi Pontificalis ſui ornatus textricem.*

Iob.38. Septuag. Iob ait cap. 38. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam?* Septuag. legunt, *Quis dedit mulieribus textrinæ* artis *ſapientiam, aut variegandi ſcientiam?* Quod de textura naturali intra maternum vterum ex oſſibus, carne, neruis, ac arteriis interpretor.

Pſal.138. Dauid Pſal. 138. *Non eſt occultatum os meum à te, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Alij legunt, *Formatus ſum, variegatus ſum, acu pictus ſum.*

Lorin. Noſter Lorin. *Hæc inferiora terræ explicantur de vtero matris; videri enim poteſt vterus maternus, quod attinet ad formationem fœtus deſcribi per inferiora terræ.* Et Sap. 7. *Salomon dicit de ſe. In ventre matris figuratus ſum caro.* Cantacuzen. *Sculptus ſum*, legit. *Quaſi dicas, maternum vterum eſſe ſubterraneam quandam officinam, ad ſcalpendum, ſculpendum, calandum, figurandum, texendum, acu elaborandum comparatam.*

Proclus. Singulariter verò de Deiparæ vtero audi Proclum Cyzycum orat. de Incarn. in Concilio Eph. ſ. *Hæc Virgo eſt admirandæ illius œconomiæ tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta eſt. Cuius quidem textor extitit Spiritus ſanctus, netrix virtus ex alto obumbrans, lana vetuſta Adami pellis, trama impolluta Virginis caro, radius textorius immenſa geſtantis gratia.* Textrina ergo fuit officina Mariæ vterus, in quo ipſa, inſtar doctarum illarum mulierum, Chriſti Pontificis Regium è purpura, & gemmis apparauit ornatum. Vnde naſcens ex Maria, à Matre vti Rex & Pontifex omnium coronatur.

146. *Mariæ precibus accelerata fuit Chriſto Incarnationis Regia corona.* Cant 1.

Alij aſſerunt, Berſabee ardentiſſimis precibus à Dauide poſtulaſſe Regium diadema filio Salomoni. Vnde Salomon matri gratulatur, quaſi ab ea coronam acceperit. Profectò Virgo ex hoc capite poteſt iure optimo dicere, ſe Chriſtum coronaſſe. Vidimus namque cap. 1. verſ. 3. Mariam ſuis precibus Verbi diuini Incarnationem acceleraſſe. Ergo Matris precibus debet Chriſtus acceleratam ei fuiſſe, gratiæ, ac gloriæ coronam, & quidquid ad opus Incarnationis ineffabilis decoris conſequitur.

147. *Precibus Mariæ citius Chriſtus ſurrexit, vnde Matri debet accelerata huius triũphi corona cingi.* Pſal 44. Cantacuz.

Niſi magis arrideat, hoc diadema eſſe gloriam corporis Chriſti, qua coronatus eſt triumphantes reſurrectionis die, quem propriè diem *lætitiæ cordis* Domini poſſumus appellare. Ita Cantacuzen. *Sepulchrum autem appellatum fuiſſe thalamum, Dauid teſtatus eſt, dicens: Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Pſalm. 44. *videlicet de ſepulchro.* En *deſponſationis* diem. *Et in die lætitiæ cordis eius. In eo enim die lætatum eſt cor eius drachmam inueniens, quam perdiderat.* Quonammodo autem triumphanti in reſurrectione huius gloriæ diadema ex Matre Maria acceperit? Reſpondeat Iacob

Gen.49. Geneſ. 49. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit te?* Chriſtus leo de Tribu Iuda, leæna Maria.

Epiphan. Epiphanius lib. 3. hær. 78. *Si catulum leonis Iudam obſcurè dixit Iacob Chriſtum: & in Apocalypſi habetur, ecce vicit*

Maria leana, quæ leonem dormientē in ſepulchro ſuis rugitibus ſuſcitauit.

leo de Tribu Iuda, & ex ſemine David. Si itaque Dominus leoni aſſimilatur non ſecundùm naturam, ſed propter ænigma: profectò etiam genitricem eius leanam dixerim. Vnde igitur leo gignitur, ſi Mater leæna non vocatur? Leæna autem non contingit ſecundus partus: & non amplius partum nouit Maria. Eucherius ad Gen. locum, *Chriſtus eſt catulus leonis, quia naſcendo, paruulus factus eſt. Ad prædam aſcendit, quia aſcendens in crucem captiuos populos redemit: requieſcens accubuit vt leo, quia manifeſtiſſimè Chriſtus in paſſione recubuit, quando inclinato capite emiſit ſpiritum; vel quando in ſepulchro ſecurus velut quodam corporis ſomno quieuit. Benè idem iterum vt catulus leonis reſurrexit.* Quiſnam igitur illum à ſomno ſuſcitabit? ſic Iacob interrogat, *Et quaſi leæna quis ſuſcitabit eum?* Id eſt quis, inſtar leænæ (quæ catulum veluti mortuum, ſeu preſſum ſomno parit, & poſt tres integros dies rugitibus excitat) Chriſtum leonem tribus diebus in ſepulchro ſomno mortis affectum ſuſcitabit? Certè leæna Maria, quæ videns Filium in ſepulchro iacentem, lachrymas profundens, rugitus edens à Patre cœleſti Chriſti reſurrectionem poſtulans fœliciſſimè votum obtinuit. Ambroſius, Auguſtinus, & Petrus Chryſologus aſſerunt ortum ſolem reſurrectionis die aliquibus antè conſuetum tempus horis. Varias cauſas aſſignant. Aſt ego crediderim cauſam fuiſſe potiſſimam precum Mariæ inſtantiam; quæ potuit ſolis ortum maturare, vt ſol iuſtitiæ breuiores mortis dies efficeret, & citius excitaretur. Ergò iure optimo Chriſtus Mariæ coronationis ſuæ gloriam per reſurrectionis myſterium attribuit.

Eucher.

148\. *Cur non dicitur: In diademate, quo coronauit eum Pater ſuus, ſed Mater ſua?*

Cur verò textus ſacer non dixit: *In diademate, quo coronauit eum Pater ſuus,* ſed *Mater ſua;* cum certum ſit plus patri, quam, matri Salomonem in coronatione illa debuiſſe? Dauid enim Salomonem diademate donauit, Berſabee autem id fuit ſolummodò prece procurans. Si verò in myſterio Dauid Dei perſonam gerebat, Berſabee Mariam adumbrabat: Chriſtus verus Salomon debebat à Patre, non à Maria coronam accipere. Reſpondeo primò, obiectum principaliter eius ſententiæ eſſe Chriſtum hominem natum, & coronatum à Virgine. At Chriſtus vt homo Patrem non cognouit in terra, ſed ſolam Matrem virginitate fœcundam; ideò non Patris, ſed Matris ſolummodo mentio geritur. Secundò, licet principalior fuerit Dauid pater in Salomonis coronatione, quam mater Berſabee: voluit tamen Salomon hunc honorem matri deferre: nè aliquis exiſtimaret, Regem negare ſe eſſe filium fœminæ, quæ non tam illuſtrem olim habuit ſponſum. Haud aliter Dominus gloriatur ſeſe de humanitatis diademate à Matre ſpeciatim accepto, ne cui falſa quidem ſuſpicio ingereretur, aliquid vnquam fuiſſe in Maria, ob quod dedignaretur ſe ab illa naturam humanam, & cum ea ineffabilium bonorum coronam accepiſſe.

Chriſtus vt homo Patrem non habuit in terra, ſed ſolam Matrem Mariam.

Aſſeritur Chriſtum à Matre coronatum, nè ſuſpicaretur aliquis, in Maria quid quam habuiſſe defectus Regio Imperio haud dignu.

149\. *Corona Virginis auguſtiſſima eſt, Chri-*

Deinde quæſierim: Quare Chriſtus per Salomonem hic etiam non dixerit: *Vide Matrem in diademate, quo eam Filius ſuus coronauit?* Legimus Berſabeam inſigniter fuiſſe à Salomone filio honoratam. 3. Reg. 2. Nam accedente illa, vt filium alloqueretur: *Surrexit Rex in occurſum eius, adorauitque eam, poſituſque eſt thronus matri Regis; quæ ſedit ad dexteram eius,* vti Regina. An-non hæ ceremoniæ fuêre velut publica quædam matris in Regiam Maieſtatem inauguratio? Poterat tunc quidem Salomon inclamare: *Videte Reginam Matrem meam in diademate, quo coronauit eam Filius ſuus.* Enimverò certiſſimum eſt, Mariam fuiſſe à Filio ſuo corona ornatam. Cantic. 4. *Veni, coronaberis.* Pſalm. 44. *Adſtitit Regina à dextris tuis* in veſtitu *deaurato.* Chald. *In diademate aureo.* Amadæus inquit homil. 8. de laudib. Virg. *Gaudebunt ciues Angelici, videntes illud ſingulare diadema, quod in die ſolemnitatis & lætitiæ, in die Aſſumptionis, & gloriæ dilectiſſimæ genitrici Chriſtus impoſuit: memorans illud diadema, quo illum in illa die deſponſationis* ipſa *coronauerat.* Brigitta lib. 5. cap. 4. *Ideò meritò vocaris ô Mater* (Chriſtus ait) *coronata Regina, ſuper omnia, quæ creata ſunt, Regina propter munditiam; coronata propter excelſam dignitatem.* Cur igitur non dicitur in præſenti de Berſabee hiſtorialiter, & myſticè de Maria: *Videte Reginam Matrem in diademate, quo eam coronauit Filius ſuus?* Reſpondeo, in verbis illis: *Videte Regem in diademate, quo coronauit eum Mater ſua,* eminentiori modo dici: *Videte Matrem in diademate, quo coronauit eam Filius ſuus.* Quia nulla glorioſior corona poteſt cuilibet matri excogitari, quam coronatum filium habere. Ideo Olympias Magni Alexandri mater, licet eſſet Macedoniæ Regina, pluris æſtimauit eſſe Alexandri matrem, quam Reginam. Vnde in Regiis litteris ſubſcribebat, *Olympias Mater Alexandri,* non *Olympias Macedoniæ Regina.*

ſtum habuiſſe Filium.

3. Reg. 2.

Cant 4.

Pſal. 44.

Amadæ.

Brigit.

150\. Ideo Prouerb. 23. dicitur: *Filius ſapiens corona eſt Matris ſuæ.* Forſam dictum litteraliter de Salomone Rege per antonomaſiam ſapientiſſimo. At de Maria dixerim coronam eius eſſe Chriſtum Regem ſæculorum ſapientiſſimum omnium Filium habere. Brigitta lib. 5. cap. 4. *Ego ſum corona, inquit Chriſtus. Hanc coronam ô Mater, traxiſti ad te. Mater chariſſima, corona illa, quæ cuſtodiebatur in me, quæ quidem corona ſum ego Deus, qui debebam incarnari, nulli debuit imponi niſi tibi, quia es verè Mater & Virgo Imperatrix omnium Reginarum.* En Chriſtus Deus eſt Matris Mariæ diadema diuinum. Audi Amadæum homil. 6. *Corona capitis Mariæ Chriſtus eſt, dicente ſapientiſſimo Salomone: quod Filius ſapiens corona eſt matris ſuæ. Et quis ſapientior illo, qui eſt ſapientia Patris?*

Chriſtus Filius ſapientiſſimus corona eſt Matris Mariæ.

Prou. 23.

Brigit.

Amadæ.

151\. Adhuc requiro: Cur Salomon in titulo huius Epithalamij Regis nomen omninò ſubticuit: hîc autem bis ſe Regem nominauit? *Ferculum, ait, fecit ſibi Rex Salomon. Videte Regem Salomonem.* Reſpondeo, in libri titulo opus non fuiſſe Regis addere nomen. Libros enim non pluris facimus, quia Reges ſortiuntur auctores; ſed quia ſapientiori doctrina exundant. At cum in vno & altero hoc teſtimonio expreſſius de Chriſto Domino

Cum dicitur ferculum eſſe Mariam, additur Chriſto Regius titulus in Mariæ honorem Deī Matris.

ſermo

sermo fiat, voluisse crediderim verum Salomonem Christum Regium suum titulum in Matris gloriam exundare. Ferculum est? At non commune ferculum, sed Regis æterni. Ferculum quidem, quo potuit filiabus Sion, seu cunctis hominibus ostentare redimitum diademate ab ipso ferculo, siue Matre accepto.

152. *Christi corona est Mariam habere Matrem.* Ambrosʼ.

Iam auream Patrum in Virginis laudem catenam ostento. D. Ambrosius lib. de inst. Virg. cap. 16. *Beata Mater Ierusalem, & beatus Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit; coronauit eum, quando generauit.* Habere enim tantam genitricem tanti Domini est Regia corona. Addit Doctor: *Hoc ipso quod eum ad salutem omnium concepit, & peperit, coronam capiti eius* MARIA *æternæ pietatis imposuit.* Ergo æterna Christi pietas, qua peccatores ad se accedentes semper benignissimè recipit à Maria traxit? Coronam Maria capiti eius æternæ pietatis imposuit.

Maria imposuit Filio æternæ pietatis coronam.

153. *Christū Maria coronauit, cum carnem doloribus agnatam ad hominum redemptionem, ex ea assumpsit.* Gregor.

Magnus Gregorius, *Mater Christi beata Maria creditur esse, quæ coronauit eum diademate; quia humanam naturam ex ea assumpsit. Et hoc in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius factum esse dicitur. Quia quando Vnigenitus Dei Filius diuinitatem suam humanitati nostræ copulare voluit: quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit: tunc cum charitatis exultatione carnem nostram ex Matre Virgine suscipere voluit. In qua cum doloribus pro tempore viuens de redemptione nostra vehementer exultauit.* Itaque tunc Maria coronauit Christum, cum carnem ei doloribus obnoxiam ad redemptionem hominum aptauit. Christo enim diadema est, pro sponsa posse dolores sustinere.

Corona est Christo posse pro hominibus dolores sustinere.

154. *Per sanguinē, quē de Maria accepit Christus genus humanum redemit? ergo Mariæ etiam sumus huius beneficij debitores.* Beda.

Venerabilis Beda, *Mater sua Christum diademate coronauit, quando intemerata Virgo de Spiritu sancto concipiens materiam illam Sacrosanctæ carnis de sua carne præbuit. In die desponsationis, & in die lætitiæ cordis eius. In tempore Incarnationis illius, quo ad copulandam sibi Ecclesiam virginali ex vtero tanquam sponsus suo processit ex thalamo, erat dies lætitiæ cordis eius. Quia lætabatur, mundum per dispensationem eiusdem suæ Incarnationis ad agnitionem, visionemque æternæ Diuinitatis esse promouendum. Hinc est, quod cum plurimi ad fidem eius confluxerunt, scriptum est* Luc. 9. *In illa hora exultauit Spiritu sancto. Hinc ipse Redemptor per suum sanguinem ad superna reducto genere humano, loquitur cœli ciuibus, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Si per sanguinem, quem Christus à Matre accepit homines donati fuêre redemptione: Mariæ etiam sumus pro tam ineffabili beneficio debitores.

155. *Mariæ Regia maiestas, fulgentior quidem stella fecit Magos agnoscere infantem pānis vilibus obuolutum Regem esse.* Bernard.

Bernardus serm. 2. de Epiph. *Sed vbi est, ô Magi, purpura Regis huius? Numquid viles panni isti, quibus, inuolutus est? Si Rex est, diadema vbi est? Sed vos eum verè videtis in diademate, quo eum coronauit Mater sua. Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis supernæ. Ecce Rex vester, sed in corona nostra: in diademate, quo eum coronauit Mater sua.* Materialis stellæ, seu cometæ fulgor Magos duxerat ad præsepium: sed stellæ fulgentioris Mariæ Regia Maiestas visa à Magis eos fecit vilibus pannis obnolutum Regem corona stipatum agnoscere, & adorare. Filius enim Mariæ tam ineffabilis Maiestatis fulgore præditæ quomodo poterat diadema Regium vel vilissimo indumento illo dissimulare?

Philippus Abbas. *Huic coronæ Virgo Mater in vtero materiam ministrauit. Ministratam docta manu spiritus artifex fabricauit, eamque texuit in rotundum opere tam perfecto, vt incomparabiliter supereminent auro, lapidi, vel electro.* 156.

Maria dedit materiam coronæ Christi, sed Spiritus sanctus eius fuit artifex. Philip.

Quanta verò vtilitas mundo refluxerit ex huiuscemodi ex Mariæ carne perfecta corona, qua Christus ornatur, Abbas expressit. *Et quidem carnis materia cum hominibus naturaliter est communis: sed eadem communitas à vitiis carnalibus est immunis. Huiusque mysterij virtute in vnitatem sui principaliter nos admittit: Semelque sibi vnitos à se diuidi non permittit. Quod pulchrè diadematis rotunda signat perfectio, cuius integritatem nulla prorsus abrumpit disfectio.* An non ineffabilis humano generi vtilitas per Dei coronationem ex carne Mariæ immaculata aduenit, si caro nostra sine vitiis Domino inseparabiliter adhærescit, vti in coronæ carnis huius perfecto circulo designatur? *Quis igitur* (addit ille) *Virgini laudes non deferat?* Quis non dignam eius faciat mentionem. Quæ coronauit non auro, non lapide; sed carne propria verum Salomonem; quæ Regi dedit, vnde velit, & valeat gloriari, in quo vincat, & sit dignus *victoriæ merito coronari.* Quasi ex Mariæ coronatione habeat iam in omni certamine victoriam adipisci.

157. *Immensa vtilitas ex hac per Mariam coronatione Filij refluxit.* Philip.

Ex Maria coronatione habet Dominus in omni certamine victoria potiri.

Pergit Doctor, *In die desponsationis:* Non dixit *in nocte, sed in die. In die enim lucida desponsatio mystica celebratur, vni viro casta Virgo spirituali commercio colligatur. Circumdat virum fœmina, Salomon diademate coronatur. Quidquid ergo in Virgine agitur proculdubio noctem nescit, cui Regem coronanti dies infunditur, lux splendescit. Splendore diurno, seu potius diuturno Matris spiritus hilarescit. Ad quod dignè capiendum noster infirmus oculus non clarescit.* Igitur totius humanæ naturæ persona Maria Incarnationis die Deo desponsatur. 158.

Totius naturæ humanæ personam gerens Maria Deo desponsatur. Philip.

Concludit Philippus. *In hoc non soli Salomoni Christo, sed & Virgini Matri, & sponsæ laus defertur; & collata coronato, coronanti non aufertur gloria. Imò quidquid in Filio,* & sponso *carnis assumptio dignum gloria videtur operari, in Mariam refunditur, ex qua idem Filius voluit incarnari.* Ineffabilis enim Mariæ laus est, Verbum diuinum, quod potuit ex omni massa hominum Matrem eligere vt carnem sumeret: illam ex cunctis fœminis elegisse, & tot sæculis Mariæ aduentum expectasse. 159.

Quidquid laudis Deo defertur per carnis assumptionem in Mariam exundat. Philip.

Guillelmus Parnus, quem magnum meritò vocitarim. *Illic in cœlo vident* Beati *diadema, quo coronauit eum Pater ante omnia tempora, nempè gloriam Diuinitatis, qua coronatus, eo quod Deus à Deo genitus. Hic videtur diadema, quo in tempore Mater eum coronauit, nempè Regiam nobilitatem assumptæ* 160.

Quomodo vel damnati possint in Dei iudicio mineris pœnæ Mariæ intercessione beneficium fortasiè recipere. Guillelm.

carnis, qua eum coronauit, eo quod illum de sanguine suo Regio secundum carnem concepit. Vnde Gabriel Paranymphus: Ecce concipies in vtero, & paries Filium: Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit. Luc. 1. *Cum ait, Filius altissimi indicat diadema paternum, propter quod habet in fœmore suo scriptum, Rex Regum. Cum ait, sedem Dauid, tunc indicat diadema maternum, cuius ratione titulus super crucem positus est: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. In diademate materno videbitur à cunctis in iudicio; nam videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Num miseri peccatores, & passionis Dominicæ crudeles ministri aliquam spem poterunt concipere ex eo, quod visuri sunt Christum iudicem in diademate, quo coronauit eum Mater Maria? omnimodæ liberationis nullam. Attamen cum certum sit à Deo omnia peccata citra condignum puniri: & tam ineffabilis est Deiparæ pietas: fortè ob eius preces pœna nonnullis leuior adhuc statuitur. Vnde quodammodo iis vtile erit Christum in diademate, quo coronauit eum, Mater aspicere.

161. *Potest ab immundis Christus in materno diademate videri, vt Mariæ intercessione mundi fiant.* Guillerm.

Pergit Abbas, *In diademate paterno, in claritate diuinitatis suæ tantum à mundis corde videtur.* At ab immundis potest in materno diademate conspici, vt per Mariæ intercessionem mundi fiant, & sic eis in paterno diademate pateat aspectus.

162. *Deus potens eligere diadema, quo se ipsum dignè coronaret, è Maria id elegit.* Guillerm.

Pater (adiicit Doctor) *coronauit eum ante omnem diem: Mater eum coronauit in die desponsationis suæ: Dies autem desponsationis eius est dies Incarnationis suæ. Hac die coronauit eum Mater sua. Sed & ipse coronauit se ipsum. Coronauit se ipsum, Regiam sibi de regali Virgine carnem assumendo. Coronauit eum Mater, eandem illi carnem prompta fide, & hilari obedientia largiendo.* Si cum liberum Verbo diuino fuisset eligendi diadema, quo se ipsum coronaret, & electurus erat diadema, quod magis Deificæ puritati congrueret: certum est carnem nullam in terris puriorem extitisse, è qua regium illud Dei diadema texeretur. Vnde requirens illius coronæ materiam digniorem Verbum diuinum lubens *coronauit se ipsum, Regiam sibi de regali Virgine carnem assumendo.*

163. *Mariæ pietas in peccatores giganti Christo addidit alas, vt ad mortem ob nostram redemptionem velocius curreret?* Guillelm.

Hic (denique Abbas ait) *etiam fuit dies lætitiæ eius, quia vt gigas ad currendam viam mortalitatis nostræ, & percurrendam vsque ad mortem, mortem autem crucis, exultauit.* Terminum à quo quis dubitet fuisse Mariæ vterum, à quo gigas Christus tanquam sponsus de thalamo suo processit. An Mariæ pietas giganti velocissimè currenti ad crucem, ad hominum redemptionem adhuc alas addidit ad processum velociorem?

164. *Coronauit Maria Christum vt Regẽ, vt Sacerdotẽ, vt iudicem* Carthus.

Dionysius Carthusian. *In diademate, id est, in assumpta humanitate præclarissimè decorata Regia, Sacerdotali, & iudiciaria potestate, magnificè sublimata, quam assumpsit ex me: & in glorificatione humanitatis eiusdem, quam glorificationem à me Matre sua accepit: in quantum fuit occasio, medium, ac subiectum, ex quo suæ Incarnationis: & substantiæ suæ humanæ ministratrix.* Coronatus itaque Dominus à Matre Maria vt Rex, vt Sacerdos, vt Iudex. Ergo Regem pro populi felicitate, Sacerdotem pro Ecclesia, pro reis iudicem exorans Maria, quidquid petierit, impetrabit, cum Christum habeat quodammodo triplicis diadematis debitorem.

Ait Iacobus de Valent. Chrysopol. Episc. 165.
O filiæ Sion, ô plebs Israëlitica, & plebs Ierosolymitana, omnes animæ contemplatiuæ, egredimini à iugo legis, & ceremoniarum vmbra. Et vos ô gentiles, egredimini à falsa superstitione, & idolorum spurcitia. Nolite ô Iudæi amplius respicere ceremonialia, neque arcam materialem veteris Testamenti. Nec vos gentiles, velitis respicere, & adorare falsos Deos. Sed videte Regem Salomonem Christum in diademate humanitatis, quo coronauit eum Mater sua Maria. Quæ humanitas desponsata facta est in die lætitiæ cordis eius, scilicet Mariæ; quia inter septem gaudia Virginis, illud primum fuit. Iudæi igitur, & Gentiles ad aspiciendum Christum Mariæ diademate redimitum aduocantur. Quia hoc Maria in die lætitiæ ab sponso Filio loco gratæ retributionis munus accepit; vt illius pietati deprecatrici Iudæorum, & Gentilium conuersio deberetur.

Maria precibus Iudæis, & gentilibus data est lux ad Christum Regem dignoscendum. Iacob. de Valent.

Cardinalis Hailgrin. *Quia propter filias Ierusalem factum fuit ferculum ad ostensionem Salomonis: ergo ô filiæ Ierusalem, egredimini ad videndum, & videte Regem Salomonem, qui fecit ferculum, in diademate, in honore carnis mundæ, quo coronauit eum, & ad coronam victoriæ praparauit eum Mater sua Virgo, ministrando ei de carne sua carnem mundam: in qua Diabolum vinceret. Quod inquam, fecit in die desponsationis illius, hoc est, in die Incarnationis, quando in vtero Virginis factæ sunt nuptiæ Diuinæ, & humanæ naturæ: siue Christi & Ecclesiæ. Et in die lætitiæ cordis eius. Dies enim illa, qua Christus factus est homo cum hominibus, fuit ei dies lætitiæ. Nam & ipse dicit per Salomonem: Et deliciæ meæ cum filiis hominum.* Adiicit Cardinalis. *Potest versus iste exponi etiam de matre synagoga, & de die, qua coronauit Christum corona spinea; quo die factæ sunt nuptiæ Christi & Ecclesiæ. Quæ dies fuit Christo dies lætitiæ cordis eius; nam etsi carne doluit, corde tamen gaudebat pro generis humani redemptione.* 166.

Christus à Maria accepit carnẽ sine vlla infirmitate, in qua diabolum vinceret. Hailgrin.

Singularem adhibeo D. Gregorij Nysseni expositionem illius vocabuli Mater, quæ Christum coronauit. *Neque quisquam, ait, eorum, qui aliquo in oraculis diuinis iudicio valent, de vocabuli vi argutabitur, quod pro Patre Matris hîc fiat mentio, cum vtriusque vocis sensus sit idem. Nam cum in natura diuina neque masculus, neque fœmineus secus existat, in natura illius ineffabilis indicatione vox quævis parem vim obtinet, neque maris, neque fœminæ vocabulo significationem illius purissimæ naturæ polluente.* Itaque Doctor pro Matre hîc Patrem æternum intelligit, qui Christum Dominum coronauit. Non possum non fateri singularissimum fuisse Nyssenum in huiusmodi expositione: cum nec in scriptura, nec in Patribus viderim Patrem æternum Matrem absolutè appellari, nisi aperta aliquando metaphora ad illius pietatem explicandam. Nisi voluerit Doctor hinc in gloriam Virginis ostendere 167.

Deus Pater se Matrem nominari gaudet in honorẽ Matris Christi Mariæ. Nyssen.

ostendere, tam excellentem eam fuisse in genere Matris, vt Deum Patrem non pudeat ab ipsa Matris nomen mutuare: seu vt vulgaritatem exponam. *No repara Dios que se equiuoque ton su diuinidad y con Maria el nombre de Madre.*

168. *Maria magno decore originalis puritatis, & innocētia Christum coronauit. O quanta Mariæ puritas!* Richard.

Porrò Richardus de S. Laurent. lib. 3. de laud. Virg. piè admodum totum versiculum interpretatur. *Egredimini de carne ad spiritum, de natura ad ea quæ super naturam, de mundo ad cœlum, filiæ Sion*, seu animæ adhuc *imperfectæ. Egredimini, inquam, de tenebris ignorantiæ, de carnalium oculorum consuetudine: Et videte Regem Salomonem, id est, Christum verè pacificum, in diademate, quo coronauit eum Mater sua B. Virgo. Aliæ siquidem Matres vinculo originalis seruitutis filios suos alligant: Mater autem Maria magno decore originalis puritatis, & innocentiæ Filium suum coronauit, id est, coronatum concepit, & peperit.* O quanta Matris puritas, & innocentia, quæ tanta puritate, & innocentia decoratum est Filium enixa!

169. *Prædiues Maria thesaurus ex quo tam pretiosa corona fabricata.* Richard.

Pergit ille. *Diadema, quo eum Mater coronauit ex auro nobilissimo sapientiæ, & gemmis virtutum pretiosissimis, quibus nulla alia comparanda. Caput eius, id est, mentem decore admirabilem, instar coronæ circumcinxit.* O quam prædiues Mariæ thesaurus, è quo tam pretiosæ gemmæ Dei capiti dignæ prodierunt!

170. *Quodāmodo ex diuinitate & ex Maria vnum compositum (vti electrum ex auro & argento) coalescit.* Richard.

Adhuc ille: *Per aurum mixtum argento diuina sapientia innuitur, quæ se immiscuit argento, id est, sibi aptauit corpus de substantia Virginis, quæ fuit argentum igne Spiritus sancti examinatum: & sic facta est corona de electro. Ideò Christus comparatur electro propter aurum diuinitatis scilicet, & argentum candidæ humanitatis.* Electrum quidem vocatur quædam ex auro & argento compositio. Ait Richardus Virginem esse argentum, diuinitatem verò in auro designari. Si ergo Christus electrum est, (vt Ezechiel cap. 1. affirmat) dicere audebimus ex auro diuinitatis, & Mariæ argento istud electrum coalescere? Profectò non ex Maria, sed ex eius carne purissima electrum hoc mirabile existit. At tanta est Mariæ puritas, vt sic diuinitatis auro spiritualiter adhærescat, vt quodammodo ex diuinitate & Mariæ spiritu quoddam electrum seu vna ex diuinitate, & humanitate fulguret compositio.

171. *Ante Incarnationis mysterium Maria Deum coronauit immensa gratia ab ipso accepta diademate.* Richard.

Quod autem (inquit) *sequitur. In die desponsationis, conuenienter aptatur. Dies enim desponsationis eius, fuit dies conceptionis, siue natiuitatis secundum carnem. In vtero enim virginali nupsit ei humana natura, sicut dixit Augustinus. Vnde dictum est* Psalm. 18. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Potest etiam intelligi dies desponsationis B. Virginis: & hoc Glossa quadam ibi, cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Quomodo verò potest sententia hæc de ipsius Virginis desponsatione, siquidem desponsationis die Christum diademate coronauit, & tunc nondum Christus fuerat conceptus? Respondet Richardus. *Quia illam sibi tunc Deus spiritualiter desponsauit, cum illi tanta se gratia sociauit.* Cæterum gratia illa tanta Deo ante Incarnationis mysterium fulgentissimæ coronæ, qua caput Diuinum cinxit, locum gessit.

172. *Dies Incarnationis fuit immensa lætitia Mariæ, quia sciebat se gignere Filium ad mundi redemptionem.* Richard.

Addit. *In die lætitiæ cordis eius. Illa dies lætitiæ cordis eius fuit, id est, tam ipsius sponsi, quam ipsius B. Virginis. Quis enim dubitet, de tam dilecta humana natura, tam desiderata salute ipsi sponso secundum hominem ex isto suauissimo osculo ineffabilem lætitiam euenisse. Quis autem dignè exprimere verbis sufficiat ipsius sacratissimæ Virginis gaudium, quæ Matrem Dei se factam ipso die & nouit, & sensit, quæ nostræ redemptionis thesaurum, humani generis singulare gaudium, in vtero se habere cognouit.* Ideò autem Maria deffluit gaudio, dum se Matrem Dei agnoscit, quia scit se humanæ redemptionis thesaurum in vtero habere. O quam pia, ô quam munifica erit Maria suis precibus circa huius thesauri elargitionem!

173. *Omnia quæ in Maria à Deo geruntur, & quidquid ipsa agit noctem non nouit.* Philip.

In die, inquit, *desponsationis, & lætitiæ. Non in die desponsationis, & in die lætitiæ.* Quia non est huic mysterio viduum, seu dies duplex, qui die ac nocte coalescat: dies est vnicus sine nocte, nullæ hic tenebræ peruolant. Quidquid enim in Virgine agitur, imò & quidquid Virgo agit, noctem nullam nouit, diem habet, luce potitur quidquid à Maria est, quidquit fit in Maria. Vnde pulchrè Philippus Abbas aiebat lib. 4. in Cant. cap. 6. *Quidquid in Virgine agitur, noctem nescit, cui Regem carne coronanti dies vniens sine nocte infunditur, lux splendescit splendore diurno.*

174. *Maria Christum coronans sic naturam humanam euexit, vt Angeli non permittant vt olim se ab illa adorari.* Bernard.

D. Bernardus ait serm. de Epiph. *Christus Dominus noster, qui à Patre coronatur semper corona gloriæ, à Maria Virgine coronatus est corona infirmitatis, & humanitatis nostræ.* Vix dici potest, quanta hinc non solum Christo, non solum Virgini, sed & humano generi lætitia refluit, ex ineffabili decore, ex ingenti gloria, quam acquisiuit ex eo, quòd velut diademate Domini caput redimierit. Abrahamus Angelum adorauit Gen. 19. Nec prohibitus est: sed in noua lege eum vellet Ioannes adorare Angelum prohibeatur. *Vide*, inquit, *ne feceris. Conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum.* Apoc. 22. Vndenam hæc in Angelis orta mutatio, vt olim adorari se permitterent, nunc nollent? An quia tunc Deus adhuc carnis diadema non sumpserat, & ideò se adorari permiserant: sed postquam Dei Filius homo fit, inhibent, vt ostendant, tantam dignitatem humanæ naturæ ex Christi Incarnatione accessisse, vt illi potius subiicere se debeant, quam ab hominibus adorari permittant? Audi D. Hildephonsum. cap. 11. de virginit. Mar. *Ita abiectionem, quæ contemptibilis erat Angelorum prætulit potestati, vt hæc natura, in qua Abraham Angelum adorauit, & tamen adorari prohibita non est: in Ioanne adorare volens, fit prohibita adorare. Quoniam in Abraham licet ex eius semine in Christo diceretur assumenda: nondum tamen in eodem Christo erat assumpta. Ideo hanc Angeli contemptibilem iudicabant, quia & condemnatio conditoris execrabilem hanc habebat, & assumptio eius nondum illam suæ vnioni coniunxerat. In Ioanne autem ideò hanc naturam se adorari Angeli prohibent, quoniam hanc super se in sede maiestatis adorant.* Nempe ob diadema, quo

Hildephons.

quo Dei Filium Mater Maria coronauit, per quam humano generi tantus honor illuxit.

175. *Sic Mariæ pietas erga peccatores affecta eſt, vt ipſa ſuum Filium coronauerit, vt Patri pro illorum ſalute veluti victima offerretur.*

Cum verò audis in Virginis vtero Dei Filium carnis corona redimitum, ſtatim conijce hoſtiam, victimamque futurum. Olim hoſtiæ ac victimæ Deo offerri ſolitæ coronabantur. Tertullianus de corona milit. *Ipſa hoſtia, & aræ coronantur.* Et prudentius hym. 10.

Huc taurus ingens fronte torua, & hiſpida
Sertis reuinctus deducitur.

Chriſtus quoque dum in Matris vtero coronatur, hoſtiam, victimamque ſe futurum prodit, quæ Patri in humani generis propitiationem offerretur. Vnde ipſe Pauli calamo Hebr. 10. ſcribit: *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Aptauit ei Pater corpus in Virginis vtero, quod ad inſtar coronæ fuit, quia hoſtia, & oblatio erat futurus. Obtulit ſe iam ex vtero Chriſtus ſuper cor Virginis, quod erga hominum redemptionem ſic flagrabat affectu, vt ipſa Filium vti victimam coronaret. Ideò Mariæ cor aptè vocitarim altare, in quo Deo hæc tam grata victima offertur. Methodius ſerm. de Purific. *Tu ô Virgo verè omnis ſacrificij pinguedo. Tu animatum panis vitæ altare.* Tam ardens Mariæ in genus humanum dilectio, vt ipſa Filium coronauerit, vt eſſet pro hominibus in illorum redemptionem victima.

Hebr. 10. — *Cor Mariæ altare eſt, in quo Chriſtus vt hoſtia Deo pro mundo offertur.* — Method.

176. *Maria eſt Filij ſui corona.* — Gen. 31. — Gillebert.

Dixi Mariam Dei Filio coronam præſtitiſſe. Dixerim iam, Mariam eſſe Dei Filij coronam. Hieremias prædixit cap. 31. *Fœmina circumdabit virum.* Nempè ſicut corona caput circumdat, ſic Maria circumdabit Saluatorem. Gillebertus ad Cant. ſerm. 21. *Fœmina (Maria) circumdabit virum, quomodo circumdat corona caput; Caput enim Eccleſiæ Chriſtus.* Verum Chriſti ſui decus Maria extitit, & quem carnis diademate cinxit, & ſe ipſa ſimul coronauit.

177. *Sola Maria Filium coronare poterat, cunctos hinc Martyres, ac fideles vincens, ex quorum meritis vnica Chriſto corona texitur.*

Ineffabilis quidem Deiparæ laus, quòd potuerit Dei Filium ſola coronare. Martyres omnes ſuis victoriis gemmas pretioſas exhibuerunt, quibus Dei Filio corona rexeretur: omnium fidelium multitudo coronat Eccleſiam. At ſola Virgo integrum Chriſto diadema præbuit, quæ quidem plura præſtitit, & præclariores triumphos quam cuncti Martyres, ſimul iuſti omnes, obtinuit. Iſaias 62. *Et eris*, ait, *corona gloriæ in manu Domini: & diadema Regni in manu Dei tui.* Quandonam id accidet? Reſpondet D. Hieronymus. *Quando Eccleſiam coronauerit turba credentium, & diadema Imperij, quod Martyres gemmarum ſuarum varietate diſtinxerint, fuerit in manu Dei, vt Filium ſuum eorum coronet victoriis.* Plus igitur vna Maria præſtitit, quam omnes Martyres, quam cuncti fideles; ipſa enim ſola & Eccleſiam, & Filium coronare potuit.

Iſa. 62. — Hieron.

178. *Dei Filius apud Patrem memor coronæ, à Maria accipiendæ æternum exultabat.* — Abſalon.

Tantæ quidem æſtimationis fuit Dei Filio corona hæc à Maria accipienda in tempore, vt apud Patrem ab æterno huius coronationis obiectu ineffabiliter exultauerit. Ait Abſalon Abbas ſerm. 10. *Sapientia in arcano diuinitatis ab eterno luſerat coram Patre, diadema carnis aſſumendo*, ſeu aſſumpturus à Virgine. Addit. *Mundo etiam ſpectaculum facere voluit, ſic attingendo à fine in finem fortiter; à fine inquam Maieſtatis ſummæ, vſque ad finem extremæ humilitatis.*

179. *Maria Chriſti in abſcondito vteri humanitatem in formam Regiæ coronæ aptauit, nè Deitas indecenter quodammodo in natiuitate in noſtra humanitatis extrema humilitate appareret.* — Richard. — Matth. 2.

Proxima hæc annota verba: *Vſque ad finem extremæ humilitatis.* Profectò in Verbi Incarnatione, non video (ſic fari liceat) eum extremæ humilitatis finem. Nam à Matre coronatus Rex exiſtit ab vtero. Magi ita conclamant. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Matth. 2. Signatè quidem aiunt. *Qui natus eſt Rex*, quia Matris in vtero Rex fit, & carnis diademate redimitur. Cæteri naſcuntur, poſtea Reges fiunt; Chriſtus ante quam oriatur in lucem, Rex dicitur, quia carnis diadema ei Mater ſua impoſuit. Richardus à S. Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Multa alia pepererunt filios, qui poſtea coronabantur in Reges, ſed Reges non naſcebantur: Ipſa ergò ſolum illa, quæ Filium ſuum coronauerat in vtero ſuo diademate glorioſæ carnis, peperit Regem coronatum. Vnde dicitur* Matth. 2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Vnde licet humanitas noſtra reſpectu Deitatis ſuæ ſit, *finis extremæ humilitatis*, eam Maria in abſcondito vteri Regium aptauit in diadema, vt Chriſtum factum iam Regem pareret, nè Deitas indecenter quodammodo in extrema humanitatis noſtræ humilitate appareret.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

QVAM pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecùs latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecùs latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ; vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon; de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge Aquilo, & veni Auster, persla hortum meum, & fluant aromata illius.

Vers. I.

Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecùs latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

1. *Varia huius particulæ:* Absque eo, quod intrinsecùs latet, *versiones in Virginis laudem.* Septuag.

QVAM *pulchra es, &c.* Latissimè de hac geminatione. *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es?* in Virginis elogia differui c. 1. vers. 15. De oculis autem columbarum plura scripsi. Nunc textus sacer adiicit. *Absque eo, quod intrinsecùs latet.* Variæ sunt quidem Hebræorum, ac Patrum lectiones, necnon Septuaginta circa hæc verba, ex quibus singularia Mariæ elogia meditabor. Septuaginta legerunt. *Extra silentium, & taciturnitatem tuam.* Alij. *Absque occultis tuis.* Hebraica editio. *Intra velum, vel flameum tuum.* Alij. *Intra cincinnos tuos, crines, comas.* Aben-Ezra. *Intra fenestram cancellatam.* Rab. Salomon. *Intra reticulum tuum, intra fascias tuas, vittas, vel Zonas tuas.* Alij. *Intra diadema tuum.* D. Hieronymus. *Extra pudorem tuum, aut verecundiam.* Has omnes lectiones sub vnico aspectu proposui, quasi globum ex auro, vel argento conuoluens: iam illum ad Virginis gloriam in aurea, argenteaque fila deducam.

Aben-Ezra. R. Salom. Hieron.

Absque eo quod intrinsecùs latet.] Sic vulgatus noster. Et potest esse horum verborum sensus. Quasi sponsus dolens, seu dolentis stilo loquatur; vel quasi querulus inclamet: O quot Matris, & sponsæ meæ priuilegia, & quot magnalia latent intrinsecùs tum intra secretissimos diuinæ prouidentiæ sinus, tum intra ipsius Mariæ profundissimæ humilitatis silentium. Multa quidem de eius sanctitate gloria, & priuilegiis ab hominibus dignoscuntur, sed plura sublatent, quæ vix possunt illi vel ratione vestigare. 2.

Multa Deiparæ priuilegia nobis absconduntur. Vulgatus.

Profectò in hoc, sicut in pluribus aliis Deiparæ maiestas elucet, & auctoritas enitescit: & vt ita dicere audeam, excellentia ipsius hoc ex capite sapit diuinitatis encomium. Diuini enim numinis proprium est id, quod Ecclesiasticus dicit cap. 4. *Multa abscondita sunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius.* Ac si diceret: Licet Deus multis externis operibus suam omnipotentiam manifestet, plura admodum multoque maiora sunt, quæ ab hominibus ignorantur, quia ipse illa sub taciturnitatis cancellis subtexuit. Idem, sua proportione seruata de Deipara dixerim; de cuius excellentia, & Maiestate multa fuerunt hominibus reseruata: alia tamen excellentissima, vel intra voluntarium illius humilitatis silentium, vel intra occúlta diuinæ prouidentiæ velamina latitant. 3.

Ex hoc capite Maria sapit diuinitatis encomium. Nam plura Dei ignoramus, quàm scimus. Eccli. 4.

Ex hoc quidem coniector ineffabilem Virginis perfectionem cum Psalmorum Dauidis, aut Canticorum Prophetarum, quibus Dei, vel Christi magnalia exprimere eorum Au- 3.

Ineffabilis Mariæ perfectio ex eo quod plura

ctores

tius priuilegia absconduntur. ctores intendunt, titulos recognosco in dubium verter lubet, an gloriosior titulus sit Deo vel Christo Deo & homini, qui exprimit eorum magnalia, an qui supprimit, vt ignorans? Abac. 3. Canticum Prophetæ pro titulo habet, *Pro ignorantiis*, id est, pro mysteriis, quæ Auctor ignorat. Et Psalm. 9. *Pro occultis Filij*, id est, pro mysteriis, operibus, excellentiis, priuilegiis Christi Domini Filij Dei, & Mariæ ab hominibus ignoratis, ac prorsus occultis. Dixi *Filij Dei, & Mariæ*. Nam dum Dauid *Filium* indeterminatè nominat, vtramque innuit se amplecti filiationem Dei Patris, Matrisque Mariæ. Crediderim profectò vberiorem gloriam in Christum exundare ex his, quæ vt ignorata, vel ineffabilia supprimuntur, quam ex his, quæ potuerunt fari, & annumerari. Annon magis Ioannes Christū extulit, cum dixit cap. vlt. *Sunt & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror capere posse* [*mundum*] *eos, qui scribendi sunt*, seu essent *libros*, quàm cùm tot Domini mira; quæ reuelata sunt cunctis, expressit? Sicut ergò Deus seu Christus in multis aliis suæ Maiestatis participem vel æmulatricem voluit esse Mariam: ita & in hoc. Vt scilicet sicut Abacuc Canticum, & Dauid Psalmus hoc Deo, vel Christo titulo dedicantur. *Canticum pro ignorantiis, Psalmus pro occultis Filij*: sic & hoc Canticum Canticorum Salomonis Deiparæ dedicaretur sub eadem inscriptione: *Canticum pro mysteriis occultis ab hominibus ignoratis Mariæ Matris Filij Dei.*

Abac. 3.

Psalm 9.

Ioan. vlt.

4. *Mira planè Mariæ interna sanctitas, cum nihil eam intrinsecus reprehendat.* Hinc internam animi Mariæ ineffabilem perfectionem, seu sanctitatem coniunctam quis poterit, si maior sit his virtutibus, quæ in aperto noscuntur. Audi quæso Philippum Abbatem. *Quis ille est sanctorum, qui absque eo, quod latet, se esse glorietur? Et tamen delicta non intelligens ab occultis mundari non deprecetur? Quis est, inquam, qui non sollicitus occultorum Domino non seruiat in timore? Timens scilicet, quia nesciens, vtrum odio dignus sit, an amore. Virginem igitur, quia nequaquam sibi conscia erat delictorum, & tamen non nescia fuerat suorum occultorum rectè sponsus pulchram semel & iterum asseuerat; apud quam sicut extrinsecus, ita intrinsecus nihil dedecens erat.*

Philip.

5. *Multa priuilegia Mariæ sub illius taciturnitate, & silentio absconduntur.* Septuaginta legunt. *Extra silentium, & taciturnitatem tuam.* Id est, pulcherrima ô Virgo appares ex his, quæ de te cunctis agnita prædicantur: sed pulchrior admodum appareres ex his, quæ silentium, ac taciturnitas tua ex ineffabilis humilitatis affectu abscondit. Attamen licet apertè omninò non agnoscantur ea, quæ latent priuilegia tua, quia vel diffinita à summo non sunt præsule, vel Ecclesiæ expresè reuelata; tamen eorum tantus fulgor, vt per silentij rimulas scintillas emittere videantur.

Septuag.

6. *Licet Mariæ priuilegia multa ignoremus, sed quæ si per cancellos, vel retia nobis fulgorē emittunt.* In cuius robur vocis Hebrææ mysterium expendo. *Absque eo, quod intrinsecus latet.* Est in Hebræo. *Absque fenestra cancellata, seu reticulata.* Qui per fenestram reticulatam, vel cancellatam (Hispani *Por ventana con Red, o celosia*) respicit, ab his, qui ex platea conspiciunt, non omninò dignoscitur; attamen nonnullam eis sui emittit speciem. Virginis priuilegia innumerabilia in occulto sunt adhuc, nec à nobis foris aspicientibus omnino agnoscuntur, sed per rationis cancellos & retia gloriæ suæ fulgorem emittunt. Nam cum sciamus, Mariam Dei esse Matrem, illicò colligimus plurima ei fuisse priuilegia concessa, fuisse tantæ dignitati agnata, quæ non homini apertè conspicere, sicuti Paulo aliquando cœlestia videnti, non licuit postmodum ei *homini loqui.*

7. *Oculorū Mariæ pupillæ fasciis fuêre alligatæ, nè aliquid contra Dei voluntatem, instar Euæ, appeterent.* Legunt alij. *Oculi tui intra fascias tuas.* Quasi Deus oculorum Mariæ pupillas (Hispanè *Niñas de los ojos*) velut infantulas recens natas faciis queisdem specialissimæ gratiæ illigauerit, nè Euæ instar, aliquid contra Dei præscriptum appeterent. An-non infantum assolent brachia, & membra fasciis constringi, ne dissoluta, & malè assueta aliquem possint habitum vitiosum cum lacte epotari? Ita quidem Virginis oculi tam corporei, quàm spirituales specialissimæ gratiæ fasciis iam à natalitio fuêre illigatæ, vt nunquam actione, aut affectu minus ordinato desereretur.

8. *Mariæ oculi, sicut & venter zonis cœlestibus comparantur.* Aliorum lectio. *Intra zonas tuas oculi tui.* Ad cœlestium spherarum zonas verba hæc allusisse videntur. Qui attentè conspexerit oculorum hominum globos pellucidos in tot circulos, & tunicas artificiosè distinctos, inueniet, eos cœlestium zonarum imaginem ostentare. Ex Empyreo cœlo ignescentes oculi flammas participant, eorum crystallus ex chrystallino orbe refert similitudinem. Stellatam imitantur sphæram, dum velut stellæ in fronte defixæ sidereis fulgoribus interlucent. Si denique homo *Microcosmus* est, seu *Mundus minor* in supremam & infimam regionem mysticè subdistinctus. Quæ pars ipsius potiori iure dicenda erit Regio cœlestis, nisi hæc ocularis, quæ zonis cœlestibus admodum adaptatur? Vt autem hæc Mariæ luminibus accommodare valeam, præmitto pulchram D. Basilij Seleuc. serm. de Virg. laud. sententiam, qua Mariæ vterum nititur commendare. *O vterum impollutum habentem circulum cœlorum! O vterum cœlo ampliorem! O vterum, qui cœlum es septem circulis*, (seu zonis) *constans! O vterum septem cœlis sublimiorem, atque latiorem! O vterum, qui es octauum cœlum septem firmamentis celsiorem!* Liceat precor, totam hanc circulorum, zonarum, cœlorum conglobationem oculis Deiparæ adaptare, quorum orbes chrystallini, pellucidi circulos, seu zonas æthereas repræsentant.

Basil. Seleuc.

9. *In zonis oculorum Mariæ in Deū amor, & in homines pietas mirificè fulgurat.* Sunt cœlestes globi zonis circumuoluti cæruleis, quorum quinque sunt præcipui. Porro horum cœlorum zonæ Mariæ oculos, iuxta Astrologorum obseruationes, mirificè repræsentant. Prima est *Torrida Zona* continuis solis ardoribus flagrans. Zona torrida in oculis Deiparæ, quæ præ oculis habens Deum Filium illius æstuabat amore; cuius vi homines aspiciens, eos diuini amoris igne succendit. Præterea duæ aliæ in cœlis sunt zonæ, quas Astrologi *Temperatas* appellant. Has planè in Virginis oculis recognosco. Nam si sui patrocinij lumina dirigat ad Deum contra peccatores iratum, illius temperat iram, & miram tranquillitatem veniæ operatur. At si homines aspiciat, quamuis in vitiis feruentes, eos mira serenitate compescit.

Fuit in Mariæ oculis zona Torrida.

Fuêre zonæ temperatæ.

Quarta,

Fuêre zonæ Solstitiales. Quarta, & quinta zonæ *Solstitiales* ab Astronomis nominantur: *Hyemalis* vna, altera *Æstiualis*. In his sol stationem figit non progrediendo, vt noctes in hyeme non extendat, & dies in æstate longiores non faciat: noctes & dies, lucem & tenebras æquali lance librans. Hæ quidem zonæ à virgineis oculis non absunt, ipsorum enim pietas Christum iustitiæ solem stare facit, ne tribulationum noctes longiores sint, quam nostræ vires valeant sustinere: & fœlicitatis dies non protelentur vltra fruentium prosperitate securitatem, cum fœlicitas soleat esse multis ad exitium. *Fuêre cœlestes circuli Æquatores.* Alij sunt duo cœlestes circuli, quos *Æquatores* vocitamus; in quibus sol semel & iterùm in anno, nempe primo incipiente florido vere, & imminente fructifero Autumno, diei & noctis horas adæquat. Hos Virginis oculi in se mirabili structura connectunt, dum se piissimam mediatricem ad Deum, inter peccatorum noctes, ac iustorum dies precibus, & meritis interponit, vt peccatores, hyeme terminata, nouis piè viuendi desideriis vernantes effloreant; & iusti fœcundioribus operum bonorum fructibus onustentur.

10\. *Mariæ quodammodo Euangelicum sacerdotium initiauit.* Transferunt alij: *Oculi tui intra vittas tuas, & flameum tuum.* Vitta, & flameum olim erat sacerdotale insigne, tàm apud Gentiles, quàm apud religionis sacræ cultores. Summus Sacerdos legis antiquæ laminam auream diuino nomine inscriptam in fronte gestabat, quæ ex mythra hyacinthina vitta dependebat, & frontem Pontificis ictibus crebris diuerberaret; vel quasi mentem illius pulsans, vt Dei memoriam semper haberet, vel in sui muneris aptè gerendum recordationem. Vitta ergo hyacinthina hæc cœlestem colorem referebat: & lamina aurea sole percussa radios quosdam reflectens emittebat; Auctore Aristide lib. de Septuaginta Interpretibus: & *cernentibus incutiebat* (ait ille) *horrorem*; ac si Sacerdos esset quid diuinum, quid cœleste, ac intra ipsos solares radios inclusum. *Flameum* item insigne etiam erat sacerdotale. Ideoque sacerdotes *flamines* olim vocitabantur. Erat etiam velamen nouæ nuptæ, quæ cooperta ad virum ducebatur. Lege Pierium lib. 4. cap. 22. Qui addit flamei vsum deriuatum *à Flaminia sacerdotissa sacerdotis Flaminis vxore.* Profectò dignitas Maternitatis Dei in Virgine vittas, & flameum sacerdotale quasi proprium sibi vendicat. Non quia verè fuerit Sacerdos, sed quia per verba illa: *Ecce ancilla Domini*, ad Mysterium Verbi Incarnati effectiuè concurrens, angustissimum legis Euangelicæ sacerdotium quodammodò initiauit. Tum quia solo oculorum nutu per preces ad suam attrahit voluntatem Deum, vt Sacerdos Euangelicus in sacrificio Christum Dominum sub panis ac vini speciebus. Cum hoc tamen discrimine: quod Sacerdos suis verbis tanquam vittis quibusdam effectiuè attrahit ex diuina institutione: ast Virgo precibus ex rationis æquitate. Rationi enim consentaneum est, vt Mater efficaciter postulans voti consequatur effectum: & vt nunquam tanta Mater à tali Filio repulsam patiatur.

Aristid. *Pieri.* *Deum Virgo solo oculorum nutu ad suas attrahit preces.*

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Flameum item Mariæ oculis assigno, cum eam videam tanta puritate nitere, vt cœlesti sponso illigata, nullum vnquam per culpam fuerit passa diuortium. Pierius citatus ex probatis Auctoribus refert, *Flameum portantibus nuptis diuortia minimè intendi licuisse.* Quod si Tertullianus (lib. de veland. Virg. cap. 15. & 16.) tantam vim huic flameo attribuit, vt illud appellet *Clypeum*, *Galeam*, *Armaturam*, *Vallum*, *Murumque pudoris*: Specialissima gratia illius, qui columbinum innocentiæ splendorem in oculis, seu in mente Virginis recognouit, eam velut mystico flameo muniuit; ne in tam diuino consortio diuortij causa vnquam subesset. 11.

Maria Dei sponsa fidelissima nullum vnquam per culpam vel leuissimam passa est spirituale diuortium. *Pieri.* *Tertul.*

Circa hæc annotarim, non ineptè ab sponso *Zonas* Virgini fuisse attributas. Zona enim antiquitùs Virginum pectoribus alligata, fuit illibatæ earum puritatis insigne. Adeò quidem, vt communi prouerbio idem esset *nubere*, ac *zonam pectoralem soluere.* In Deipara autem hæc duo sunt priuilegio speciali coniuncta, vt simul nupta fuerit, & Virgo: nupta igitur, pectoralem zonam non soluit, sed retinuit. Ideo sponsus cœlestis Mariæ oculis semper virgineis, etsi ad Iosephum ex matrimonij lege conuersis, zonam attribuit: tamen per speciale virginitatis votum annexam, vt eam nunquam soluisse videatur. Ideo Diuus Petrus Chrysologus pulchrè ait: *Peruolat festinus interpres, vt à Dei sponsa humana desponsationis arceat, & suspendat affectum.* Ac si Archangelus dixerit, ô Maria licet Iosepho nupta, zonam non dissoluas, sed retine. 12.

Maria nupta simul & Virgo. *Chrysol.*

Adhuc legerunt alij, *Oculi tui intra diadema tuum.* Haud mirere, idem Hebræum vocabulum *Zonam*, *fasciam* simul ac *diadema* significare. Quia olim Regum diademata ex lineis zonis, seu fasciis fuisse efformata legimus. Curtius scribit, Magnum Alexandrum *diademate è suo Regio capite sublato, cuiusdam militis in bello percussi vulnus alligasse.* Et Valerius refert, Regem quendam, diademate in terram è capite excidente, dixisse: Qui te cognouerit, nunquam te eleuabit è terra; & exclamasse: *Ah quàm carò tantillum panni emi!* Maria ergò ob Maternitatem Dei dignitatem ad tantum est verticem euecta, vt Angelorum & hominum sit Regina. At nullatenus ad aspectum tantæ excellentiæ superbiit, nec oculos iactantiæ extulit: imò ita sese in ipsa exaltatione deiecit, vt potius diadematis fascia oculos cooperiens, non se Deiparam, non se Reginam: sed ancillam humilem nominauit. Vnde aptè ei conuenit versio illa: *Oculi tui intra diadema tuum.* Ipsum enim diadema, ipsum se videre Reginam eius oculos obuelauit, vt potius se videret ancillam. Quod quidem ineffabilem contradictionem sapit. 13.

Maria adeò humilis ipso linco diademate Regio oculos obuelauit, nè se Reginam, sed ancillam videret. *Curt.* *Valer.*

Denique Diuus Hieronymus legit: *Oculi tui columbarum extra verecundiam tuam*, vel *intra pudorem tuum.* Duo quasi inter se contraria, ac pugnantia in verbis hisce sponsus copulasse videtur. Quis enim ignoret, ex communi Doctorum consensu simplicitatis ac innocentiæ symbolum? *Oculi tui* 14.

Maria nunquam habuit defectum, vnde erubesceret. *Hieron.*

Cassiod. Beda. D.Thom. *columbarum.* Cassiodorus, Beda, & Doctor Angelicus: *Id est, simplices, vt columbæ iuxta Christi Domini verba: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* At verecundia, & pudor innocentiæ ac simplicitati repugnare videtur. Pueri enim vt simplicissimi non pudescunt, non verecundantur. Gen. 4. Adamus & Eua dum innocentiæ originalis retinuere simplicitatem, erubescere nescierunt: innocentiæ stola nudatos pudor obtexit. Quomodo ergo in Maria simul columbina simplicitas, & pudor verecundus adnectitur? Profectò *extra verecundiam* erat, quæ ex peccati conscientia exoritur innocentiæ omnis colligatio; vnde sicut Adamus foliorum non quærit operculum: Vulgariter exponam, *Puede parecer la cara descubierta.* At *intra pudorem* versabatur modestiæ virginali semper agnatum.

15. *Omnimoda Mariæ pulchritudo.* Alan. *Absque eo, quod intrinsecus latet.* Alanus: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! Pulchritudo bis geminatur, quia exterius pulchra in actione, interius pulchra in contemplationis sublimitate. O pulchritudo admirabilis* (exclamat Rupertus) *quam sic admiratur, & collaudat pulcherrimus Auctor ipse pulchritudinis septem praconiis! Considerauit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera: & pro singulis dilectus singula decantauit digna collaudationis capitula. Quid septem istis modulis decantatur? quid in te, ô dilectissima dilectarum, ô Virgo virginum laudatur à dilecto laudabili, quem laudat omnis chorus Angelorum?* *Varia Mariæ virtutes quæ illam omnimodam eius pulchritudinē constituunt.* Planè laudatur in *oculis* simplicitas; hæc prudentia tua est. In *capillis* cogitationum munditia: hæc supernorum desideriorum est. In *dentibus* innocentia: quæ religiositas est. In *labiis* doctrina. In *genis* verecundia. In *collo* humilitas, quæ fortitudo tua contra diabolum est. In *vberibus* tuis spectanda, & admiranda cum virginitate fœcunditas Virginum, & Matronarum pariter decus. Profectò contemplationis sublimitas, prudentia, cogitationum munditia, seu desideria, innocentia, seu religiositas, fortitudoque ad internam pertinent pulchritudinem Deiparæ. Quomodo ergo post tot internas virtutes, & priuilegia adhuc dicit sponsus: *Absque eo, quod intrinsecus latet?* Certè quia tot, tantáque sunt Virginis priuilegia, vt post eorum, quæ expressi, enumerationem, innumerabilia alia adsunt occulta, quæ solummodo aperta sunt largitori. Del-Rio. Del-Rius ait: *Deipara internas virtutes solus nouerat, qui in vtero eius tot mensibus recubuerat, qui nouit abscondita cordium.*

16. *Quanto magis Virgo curabat occulta priuilegia abscondere, magis se illa habere ostendebat.* Latebant alios, quia quantum poterat, eas Virgo occultabat. *Quanto maior erat, tanto se in omnibus humiliabat.* Eccli. 3. Attamen eo ipso, quod interna priuilegia abscondere curabat, se illa veraciter habere ostendebat. Guillelm. Guillelmus pulchrè: *Gloriam conscientiæ pia Mariæ humilitas non enacuando excludit, sed cautè dissimulando, parlisper secludit; vt qui habet excellentiam, tunc verè sit habens, quando est sicut non habens.*

17. *Deiparæ silentium.* Richard. Diuitem se profectò ostendit Richardus Laurentinus in huius versic. expositione, Ait lib. 4. de laudib. Virg. Quam pulchra es amica mea: *Oculi tui columbæ extra taciturnitatem tuam, id est, præter.* Ita dicit alia translatio, quam ponit Ambrosius. *Tota enim spiritualis, & simplex, vt columba; in cuius specie Spiritus sanctus descendere super Christum.* Ioan. 1. *Non est enim mediocris virtus, tacere.* Ioan. 1. Ambros. *Sicut dicit Ambrosius* de instit. Virg. cap. 1. *& ideò Maria de taciturnitate commendatur, quæ omnia verba conferens in corde suo tacitè conseruabat. Notorium est, & vulgatum muliebrem sexum de multiloquio, & minori circumspectione redargui.* Multiloqua est mulier? *De Eua loquacitate ortum est omne malum, de Mariæ silentio omne bonum.* Haud circumspectè respondebit. Matrem hominum testor, quæ loquax nimium periit, & nos fecit perire. Genes. 4. O quàm alia viuentium Mater, quæ obligata silentium intermittere, vnum, vel alterum verbum Archangelo respondit, Gen. 4 & quam circumspectè! *Hic poteris* (adiicit Richardus) Richard. *annotare differentiam, de propera responsione incircumspecta Euæ, sine discussione verborum serpentis: vnde ortum est omne malum: & cogitatione Mariæ, qualis est Angelica salutatio: vnde ortum est omne bonum. Vnde Bernardus post maiorum charismata gratiarum in omnium maxima mulierum Dei genitrice Maria grauitatem silentij dignis laudibus prædicabat.*

18. *Silentiū Mariæ Regium.* Eccli. 4. Richard. Id Doctor confirmat ex illo Eccli. 4. *Ego os Regis obseruo. Id est, os meum, quod est Regium: vt scilicet, nihil aliud loquatur, quam quod Regem deceat, & Reginam.* Ipsa etenim est *mulier sensata, & tacita.* Eccli. 26. Mulier enim se ostendit sensatam ex taciturnitate. *Maria sensata, quia tacita.* Eccli. 26. *Maria sedebat solitaria & tacebat, & leuabat se supra se per contemplationem.* Thre. 3. Thre. 3. *Siquidem quia fuit sensata, id est, plena sensu tacita fuit.*

19. *Turbata fuit Maria in salutatione, quia necessum ei fuit Angelo respondere.* Cur existimas turbatam fuisse Virginem, cum ei Angelus Gabriël apparuit? An quia illum in adolescentis formam aspexit? Id nonnulli Doctores existimant. Ast ego crediderim, turbatam fuisse, quia necessarium ei fuit Angelo respondere. *Turbata est,* (ait Lucas) *in sermone eius.* Cap. 1. Richard. Luc. 1. Id est, cui loquenti cœlicolæ opus erat respondere. Pulchrè Richardus inibi. *Turbata fuit in salutatione Angelica, quia silentium suum, quod valde amabat, respondendo infringere cogebatur.*

20. *Maria admodum prudens fuit tempus tacendi, & tempus loquendi.* Fateor, in Euangelio rarò, & parcè locutam Deiparam referri. At post Christi ascensum multa locuta est Virgo Apostolos informans, vt Patres scripserunt. Certè ex hoc se Deipara verè sensatam manifestat. Non enim est silentij virtus semper tacere, sed non loqui, nisi quando necessitas propria, aut aliorum id poscit vtilitas. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Eccl. 3. Eccl. 3. Richard. Quod appositè Deiparæ Richardus accommodat: *Tempus tacendi Mariæ fuit antè mortem Christi, loquendi post. Debuit tacere in præsentia Verbi: nec radiare debuit Luna in præsentia Solis. Sed Verbo obmutescente per mortem, debuit Virgo reuelare mysteria, quæ conseruabat in corde suo contra scandalum crucis, quia super omnes ea nouit. Licet autem Luna non debuit radiare, præsente Sole, sed Sole tendente per mortem ad occasum, contra tenebras mortis,* (seu mortiferas errorum,

rum, & ignorantiæ) *debuit emittere radios lucis, & doctrinæ. Oculi tui columbarum extra taciturnitatem tuam.*

Absque eo, quod intrinsecus latet. Multa pulchra admodùm de Virgine foris rutilant; at quod pulcherrimum est intus absconditur. Sic Richardus lib. 4. hæc verba exposuit. *In conscientia pura suam augustiorem pulchritudinem Virgo recondebat. Vnde tam sæpè de ea dicitur: Absque eo quod pulcherrimum est, & intrinsecus latet.*

21. *Maria in cōscientia pura suam augustiorem pulchritudinem recondebat.* Richard.

Cecinit hoc Pater Mariæ Dauid, *Omnis gloria eius*, scilicet, *Filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis.* Vbi idem Richard. *Maria Filia Regis Dauid secundum carnem, quia regali ex progenie Maria Filia summi Regis, id est, Dei Patris per creationem, & gratiam. Cuius gloria ab intus, id est in conscientia pura, non extra in vanis. Ideo cum commendatur in Cantico, toties replicatur, absque occultis tuis, & absque eo, quod intrinsecus latet. Ergo omnis gloria Filiæ Regis Mariæ ab intus, vbi Deus videt.*

22. *Omnis Mariæ gloria ab intus.* Psal. 44.

Si magna pars gloriæ Mariæ etiam foras erumpit *in fimbriis aureis. In quibus* (ait ille) *Mariæ charitas relucet, quæ per aurum designatur.* Quæ quidem charitas erga hominum salutem multis eius externis operibus elucescit. *Et quia omnia fecit humiliter, comparatur fimbriis, quæ sunt pars vltima, & minima vestimenti. In qua humilitate aurea per charitatem, & per pretiositatem, & per obedientiam, & per virginitatem, (quia hæc omnia signantur in auro) Virgo dicebat: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. Igitur si Mariæ gloriæ tanta pars foras erumpit, quomodo verificantur Dauidis illa verba: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus?* Si ab intus omnis gloria latitat, quænam gloria de foris fulgurat? Profectò adeò est immensa Mariæ interna sanctitatis gloria, quam solus Deus videt, vt omnes radij, qui foris erumpunt in mirabilibus eius operibus, & virtutum exercitamento, quasi parum, aut nihilum sint, si cum interno illo luminis fonte, seu gloria interna Virginis comparentur.

23. *Omnis gloria Deiparæ absconditur, quia gloria quæ foris apparet quasi nulla est, internæ respectu.* Richard.

Ideò idem Doctor externam, & internam Virginis pulchritudinem, id est, virtutes, quæ conspiciuntur exterius, & quæ interius absconduntur comparat *Cœlo.* lib. 7. *Quia luminosum, & decoratum vniuersitate luminarium.* Vnde Eccli. 43. *Species cœli (id est Mariæ) gloria stellarum, seu fulgor & splendor virtutum*, & gratiarum. Propter quod dicitur circumdata varietate. Duplicem gloriam in cœlo contemplor: externam ex fulgore stellarum, qua terricolæ fruimur; & internam, quæ oculis mortalium non patet, sed à solis cœlicolis conspicitur. An non inuisibilis nobis cœli gloria pulchrior admodum ea, quæ visibilis nobis exponitur? Ita planè. En gloria Deiparæ virtutum, gratiarum, & priuilegiorum. Plura videmus, innumera ignoramus, cognita soli Deo, & Angelis ex parte. Bellè Richard. *Sed nota, quod huiusmodi pulchritudo Mariæ à parte terræ, seu terrenorum est, quos illustrat suorum exemplorum radiis. Sed de pulchritudine huius cœli à parte superiori, id est, versus Deum & Angelos, dici potest illud Canticorum 4. Absque eo, quod intrinsecus latet, soli Deo perfectè cognitum, & fortè Angelis, sed nonnisi semiplenè. Nam quanta sit Mariæ interna species, qui dedit speciem solus nouit ad plenum.*

24. *Maria cœlū est, cuius externum fulgorem videmus, internum autem Deus solus, & Angeli nonnihil illius.* Eccl. 43. Richard.

Quid si tot fuerint occulta Virginis priuilegia, vt non solum ab hominibus, ab Angelis ignorentur, imò & ab ipsa non sciantur? Id asseruit Richardus lib. 12. *Quam pulchra es amica mea: quam pulchra es*, ex his quæ sunt hominibus reuelata. *Absque eo, quod intrinsecus latet*, id est, absque interna virtutum pulchritudine, quæ omnes homines latuit, imò etiam se ipsam, id est, etiam Mariam latebant, dum viueret. Plura ex his virtutum fulgoribus, quos solus conditor aspiciebat. Tanta enim erat Mariæ humilitas, vt se omnium meritorum, & gratiarum se vacuam esse existimaret.

25. *Ab ipsa Maria quædammodo ignorātur nōnulla priuilegia, quæ fuit ornata.* Richard.

Vidisti, Spiritum sanctum bis Mariæ pulchritudinem efferre: sed statim adiicere, *Oculi tui columbarum.* Qui veræ pulchritudinis comes pudor est, & oculorum modestia. D. Vincentius Ferrer. serm. in vigil. Nat. *Dixit Spiritus sanctus ad Virginem bis, Quam pulchra es! quia pulchra in corpore, & pulchra in anima. Nota, quia dixit, Oculi tui columbarum, non falconum.* Falconum oculos habet, non columbæ, quæ oculos in omnem partem sine vlla modestia flectit.

26. *Mariæ oculorum summa modestia.* Vincent. Fer.

Non talis Maria; quæ adeò ab hominis vultu conspiciendo abhorruit, vt nec suimet Patris D. Ioachimi, dum in domo paterna vixit, faciem vnquam aspexerit, vt D. Antoninus, aliique tradunt. Hoc exemplo edocti, etiam consanguineas vitemus flammas, quæ nulli parcunt, vel ab vno nimirum oculorum iactu. Iam miseri Amnonis Dauidis filij tragœdiam audistis. Labi non poterat Virgo, qua omni ex parte munita, & tuta aderat; & tamen adeò cauta fuit, nè temerè aut videret, aut videretur. Et qui hac firmitate destituitur, non pauebit? & temerè animam oculorum libertati exponet.

27. *Maria suimet Patris Ioachimi faciem nunquam aspexit.* Antonin.

Profectò licet Maria ab omni culpa, & omni tentatione esset immunis, sollicitè tamen oculos custodiuit adeò, vt nihil aspiceret, quod suæ ineffabili puritati non dico affectum, sed vel horrorem posset incutere. Nam ad hoc prophetiæ spiritum accepisse tradit Petrus Galatinus lib. 7. cap. 5. *Virginis oculi nihil inhonesti, aut illiciti vnquam aspexerunt: imò nunquam oculos eleuauit, sicut cæteri homines facere solent; sed semper humi defixos tenuit, nisi dum oraret.* Attende, ***A Deo inter cæteras perfectiones spiritu prophetiæ donata est; vt si fortè aliquid inconcessum, seu illicitum visura esset, illicò eius oculi clauderentur.***

28. *Prophetiæ spiritu donata fuit Maria, vt si fortè aliquid illicitū visura esset, oculos clauderet.* Galat.

Illud in Angelica salutatione sub alio prætextu annotarim. *Turbata est in sermone eius.* Luc. 1. Signatè *in sermone*, non *in vultu.* Quomodo non in vultu turbatur Virgo modestissima, si in forma adolescentis, seu viri *amabilis* (vti ait Caietanus) apparuit? Profectò *in sermone* turbatur, quia viri vocem audiuit; *in vultu* autem non turbatur, quia, demissis ad terram oculis, illum non aspectauit. Bellè Eucher. hom. super Missus est. *Turbata est non in vultu eius, sed in sermone eius: non enim*

29. *Turbata fuit Virgo in sermone, non in vultu Angeli, quia audiuit sermonē, vultum verò non aspexit.* Luc. 1. Eucher.

enim ad Angelum , ſed ad ſermonem attendebat.

30\. *Maria magnus erga cubiculi recluſionem amor.* Vincent.

Verba illa *: Abſque eo , quod intrinſecus latet* , eſt qui ad Deiparæ recluſionem attrahat. Ac ſi diceret : *Oculi* eius *columbarum* ob mirabilem modeſtiam. Abſque eo quòd latet intrinſecus, ſiue non præteriens miram illius intra domum recluſionem. D.Vincent. Ferrarienſ.ſerm.in vigil.Nat. *Beata Virgo nunquam exibat domo , niſi quando ibat ad Templum, & tunc ibat tota compoſita , ſemper habebat oculos ſuos ad terram cum geſtu ſanctitatis , nunquam tripudiabat , ſed oculis demiſſis ibat. Ideo de ipſa dixit ſcriptura. Quam pulchra es amica mea ! Oculi tui columbarum , abſque eo quod intrinſecus latet.* Hanc Virginis recluſionem Simon de Caſſia vberius ponderat lib.2.cap.21. vbi de Maria in Ægypto degente ait *: Stat in Ægypto præclara Mater cum puero. Nec procedit in publicum , non verita hominum fraudes, ſed cuſtodiens honeſtatem, formam præſtans iuuenibus,qualiter conſtantes cùm peregrè conuerſentur. Net , ſuit , laboratque manibus , & quærit ſic compendia vitæ. Nullas vicinales viſitat ædes, fit nota omnibus per modeſtiam magis , quàm ſi ingrederetur limina vicinorum.*

Sim.Caſſian.

31\. *Maria Sara in tabernaculo recluſæ comparatur, ob quod Dei fit Mater inter alia.* Richard. Bernard.

Occultare ſe oportet quæcumque Deo , eiuſque Matri placere curat. Aptè Richardus Laurent. lib. 5. Eſtheris nomen ita interpretans. *Eſther , quæ tam pulchra deſcribitur , interpretatur abſcondita. In quo moraliter edocetur ſpiritualis anima vtramque ſuam pulchritudinem occultare. Sicut fecit Sara occultans ſe in tabernaculo.* Geneſ. 18. *& Rebecca vultum ſuum operiens teriſtro.* Geneſ. 24. Vulgare eſt ex Diuo Bernardo & aliis Deiparæ typum Saram , & Rebeccam extitiſſe. Tam grata fuit Deo Sara ex recluſione in tabernaculo , vt ei ſe occultanti diuina ſoboles promitteretur, Iſaac enim Pater Domini nominatur. Quærunt Angeli Geneſ.18.*Vbi eſt Sara vxor tua ?* & Abraham reſpondit , *ecce in tabernaculo eſt.* Et ſtatim Cœlicola Abrahæ dixit , *Reuertens veniam ad te tempore iſto , vita comite , & habebit filium Sara vxor tua.* Sic & Virgo , cum in cubiculo adeſſet , *ingreditur ad eam Angelus , & Dei verbis credens Dei Mater efficitur.*

Gen.18.

Luc.1.

32\. *Maria ſibi conciliat amorem , qui , & quæ diligit vt Iacob in tabernaculo habitare, non diuagari foras vti Eſaü.* Gen.27.

Quid Rebeccæ cum Virgine , Rupertum audi lib.7. in Geneſ. cap.7. *Singulariter quemque noſtrum tanto hæc Rebecca (* Sapientia *) plus diligit , quanto ſimpliciter quiſque habitat in tabernaculis. Nam è contra , quanto quis plus habeat de Eſaü , tanto minus à Rebecca diligitur ; id eſt , quanto amplius foras euagatur, tanto minus ſacra Scripturæ lactatur vberibus, intuſque repoſito pane cibatur.* Ergo qui diligi à Virgine amat, Iacobi mores æmuletur, Eſaü fugiat , ſecretum tabernaculi ineat , foras nè paſſim prodeat, nec in plateis diuagetur.

33\. *Maria à Chriſti natali præſcia futuræ ipſius paſſionis toto tempore vitæ Domini dirum eſt perpeſſa Martyrium.* Rupert. Hebr. 11.

Capilli tui ſicut greges caprarum , quæ aſcenderunt de monte Galaad.] Quinam ſunt hi capilli ? quinam caprarum greges ? Capilli quidem ſunt Virginis cogitationes Ruperto interprete : greges caprarum ſunt illi , de quibus Apoſtolus. Hebr.11. *Circuierunt in melotis , in pellibus caprinis , egentes, anguſtiati* , vt idem Rupertus ſcribit. Sed cur capilli his gregibus comparantur ? An quia omnium Martyrum tormenta , & iuſtorum anguſtias in Filij ſui paſſione paſſa eſt Virgo , mortem futuram Filij , antequam eſſet, cogitans ? Audi Rupertum lib.3. in Cant. *Hæc ſimilitudo in capillis , quia tu quoque longum in cogitationibus tuis præſcia futuræ paſſionis Filij tui , pertuliſti Martyrium ; ſicut illi diu egentes , in pellibus caprinis, anguſtiati, afflicti, omnes teſtimonio fidei probati inuenti ſunt.*

34\. *In cunctis actionibus, quas Maria in pueri Ieſu educationem gerebat Filij paſſionis acta meditabatur, ſæpè moriens.* Brigit.

Planè dirum hoc Martyrium extitit , quod per triginta ſex annos durauit , ab ipſo enim momento , quo effecta eſt Maria Dei Mater, cognouit ſe illius Matrem fieri , qui pati, cruci ſuffici , & mori pro peccatoribus veneτat : adeò vt ſingulis horis , ac momentis Chriſti Filij ſui mortem intueretur. D. Brigittam audi. *Melius quam Propheta præſciuit ſui Filij paſſionem. Ideo eum lactans , cogitabat, quod felle , & aceto eſſet in cruce potandus. Quando eum in manibus geſtabat , videbatur illi , quod crucis brachiis eſſet configendus. Quando dormiebat , cogitabat mortuum ex cruce depoſitum. Quando eum (* Matris affectu *) oſculabatur, Iudæ oſculum cogitabat. Quando faſciis inuoluebat , funes cogitabat , quibus ligandus ab impiis carnificibus erat. Quando manu ducebat , ducendum ad tribunalia , vt impiis iudicibus ſiſteretur.*

35\. *Cum Virgo Chriſtū lacte potat in pectore , ipſa eius paſſionis felle potatur.* Cant.1.

Verba illa capitis 1. iterum ponderabo *: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi : inter vbera mea commorabitur.* Scio myrrhæ faſciculum Chriſtum Mariæ fuiſſe ob paſſionis amaritudinem. Sed quare inter vbera Matris commoratur ? An non ablactatus erat , cum pateretur ? Quomodo ab vberibus pendere potuit , qui pendebat in cruce ? Crediderim, quia cum Ieſus Matris vbera ſugeret , ſimul ipſa cogitabat , quam dira tormenta ille erat paſſurus. Ex illo enim tempore , quo infantulum Deipara pectori adſtringebat , eius paſſionem menti obiiciens , dirè vulnerabatur, vbere lac , corde ſanguinem ſimul emittens. Rupertus lib. 1. in Cant. *Nolite ſolam attendere horam , vel diem illam , in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum male tractari , illudi , ſpinis coronari , flagellari , crucifigi , felle & aceto potari , lanceari , mori , & ſepeliri. Nam tunc quidem gladius animam meam pertranſiuit. Sed antequam ſic pertranſiret , longum per me tranſitum fecit. Propheтiſſa namque eram ; & ex quo Mater eius facta ſum , ſciui, eum iſta paſſurum. Cum igitur talem Filium in ſinu meo fouerem , vlnis geſtarem, lactarem vberibus , & talem eius futuram mortem præ oculis haberem : qualem,quantam,quamque prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem. Hoc eſt , quod dicit : Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Rupert.

Quā diuturnum Mariæ Martyrium.

36\. *Maria à Ieſu natalitio Simeonis gladij vulnera tolerabat.* Luc. 2. Rupert.

Profectò Simeon , cum Deipara Filium Domino in Templo Solymitano ſiſteret , ei, prophetans , dixit *: Tuam ipſius animam gladius pertranſibit.* Luc. 2. De futuro dixit *: Pertranſibit* , non *pertranſit*. At melior Propheτiſſa Maria iam à natalitio IESV illius gladij vulnera tolerabat. Recole illam Ruperti particulam *: Tunc quidem gladius animam meam pertranſiuit , ſed antequam ſic pertranſiret paſſionis tempore , longum per me tranſitum fecit.* Cunctis enim Dominicæ vitæ momentis Deiparæ anima ſuſtulit huius gladij punctionem.

Quot

37. *Triduana meditatio mortis proxima Isaaci fuit Abrahæ magnum patientiæ, & fortitudinis documentum. Quid'n à longa Mariæ mortis Filij Dei & sui meditatio?* Gen. 22. Alcui.

Quot cruciatus morte diriores Deipara in tam producto Martyrio passa fuerit, quis poterit explicare? Audi precor. Abraham imperatus à Deo fuit sibi filium Isaaccum immolare in monte, ad quem fidelissimus Patriarcha trium dierum itinere perrexit. Genes. 22. Quare tamdiu dilata fuerit immolatio? Crediderim, vt illo temporis interstitio paterna viscera discrutiarentur; & Abrahami virtus, & fortitudo probaretur. Alcuinus interrog. 204. in Gen. *Et cur non statim licuit ei occidere filium. Sed triduana itineris mora eum immolaturus secum ducere iussus est?* Respondet. *Quatenus longitudine temporis tentationis etiam augeretur incrementum. Nam per triduum iter protenditur, & per totum triduum crescentibus curis, paterna viscera cruciarentur: vt omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, vt noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubaret in gremio: quatenùs per singula momenta in affectu paterno dolor occidendi filij accumularetur.* Si Martyrium dierum tam dirum meritò fuit patri filij meri hominis, quam ineffabiliter dirum fuerit triginta trium annorum Martyrium Filij Dei Matri? Superasti ô Virgo omnes Martyres, & lene admodum fuit quidquid Martyres cuncti vulnerum pertulere, si tuis cruciatibus comparentur, quos tot annis per momenta singula perpessa fuisti.

38. *Etiam post Christi resurrectionem Maria sæpe Martyrium passa est.* Luc.

Num post Christi resurrectionem tot vulneribus Mariæ fuit adhibitum medicamen? Profectò nouis quotidie vulneribus cruciabatur vsque ad ipsius in superos Assumptionem. Nam Lucio Dextro Auctore in chron. anno Christi 37. *Beata Virgo indiuiduo comite Ioanne filio suo, inuisebat frequentissimè loca sacra passionis, & resurrectionis Filij.* Inuisens passionis loca, iterum tristi affectu moriebatur; locum resurrectionis lustrans, rursum læto viuebat affectu, vt iterum in passionis monumentis vulnus læthale reciperet.

39. *Ex desideriorum perfectionis affectu sublim, Maria super humanam & Angelicam creaturam euolauit.*

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ semper ascendere assolent ad eleuatiora montium cacumina, quo alia pecora minimè ascendunt. En Virginis capilli, seu sanctæ cogitationes, & feruentissima desideria, quibus ad summa meritorum culmina vel ex solo desideriorum affectu placendi Deo ascendit, ad quæ nulla alia creatura Angelica, aut humana anolauit. Nunquam stetit in infimis, aut mediis; sed semper ad altissima virtutum cacumina eius desideria ferebantur. Quod Mariæ Gabriel profitetur. *Inuenisti gratiam apud Deum.* Luc. 1. Ex originali Græco legunt alij. *Inuenisti gratiam de apud Deum.* Quasi Maria desiderans altissimum gratiæ gradum inuenire, gratiam non vulgari modo inuenerit, sed *de apud Deum.* Vt quodammodo sit de eo genere altitudinis Verbi diuini: *Et Verbum erat apud Deum.* Ioan. 1.

Luc. 1.

Ioan. 1.

40. *Mariæ mens, & cogitatione in eleuatissimis virtutum germinibus fuere enutritæ.* Ezech. 17. Apoc. 12.

Verùm sicut capræ ad summos arborum ramos anhelant, sic Mariæ mens, & cogitationes designatæ in capillis, in eleuatissimis virtutum germinibus enutritæ fuere. Te ô Virgo sacerrima compellabo Aquilam magnarum alarum Ezech. 17. Tibi enim datæ fuerunt *duo alæ magnæ aquilæ*, seu eleuatissimæ perfectionis desideria, queis volare posses *in desertum*, id est, ad quendam perfectionis gradum nulli humanæ aut Angelicæ creaturæ peruium, vbi pascereris à Deo cibis spiritualibus tam augustæ dulcedinis, vt nulli adhuc similia cesserit in cibum. Aquila est Maria *magnarum alarum*, quæ sicut capræ ad arborum altiora fastigia ascendunt, ipsa ad Patris æterni eleuatissimum montem desideriorum pennis auolauit, & ex altissima cedro tulit medullam Verbi, quod in immaculati vteri terram transtulit. *Lignum* quidem *plantatum* (alij ex Hebr. *transplantatum*) *secus decursus aquarum* nostræ mortalitatis: vt iam non tantum capris, sed & ouibus facilis esset ad capiendum cibum per Mariam ascensus.

Hic sanctitatis supremæ desiderijs Maria cedri eleuatissimi medullam ad nos transtulit. Psalm. 1.

41. *Maria, quæ Angelico cibo vtebatur ad corporis nutritionem Spiritus sancti flammis cupiebat mentē enutriri.* Doroth.

Quali Mariæ spiritus cibo satiari cupiebat apertè colliges ex materiali alimento, quo illius corpus reficiebatur. Dum in templo degeret Virgo puella cibo ex Empyreo vertice ab Angelis allato eam fuisse enutritam. Chrysologus, Cedrenus, aliique affirmarunt. Dorothæus Tyri Episcopus in vitis Prophet. haud dissimile de Elia refert. *Pater eius* (ait) *Sabaccha, cum puer esset Elias, vidit eum fasciis ignis inuolui, & prunis ignis enutriri.* Si corpus Virginis cibis cœlestibus nutriebatur. Ergò ipsius anima quomodò non appeteret celsioribus sanctitatis satiari alimentis? Prunis Elias pascitur? Maria Spiritus sancti flammis appetit saturari. Num Matrem Dei futuram viliores, quam Eliæ alimoniæ spiritus dedecerent.

42. *Vt Maria Dei Mater esset, decuit, vt eius spiritus ab ipso Deo nutriretur.* Doroth.

Idem Dorothæus ibid. annotat Malachiam Prophetam ab Angelis fuisse mirabiliter enutritum. *Malachias* (inquit) *post reditum populi nascitur in Soppha, habuit alimoniam corporis admirabilem cum adhuc adolescens esset.* Vnde *vocauit eum populus Malachiam Angelum.* Si vt Angelus non esset, sed vocaretur, decuit vt Malachiæ corpus nutriretur ab Angelis: debuit planè spiritus Virginis non solum materialem cibum ab Angelis accipere. Sed ipsius diuinissimi Cedri medulla satiari, vt Mater Dei non solum vocaretur, sed esset.

43. *Maria valde desiderabat Gentilitatis conuersionem.* August.

Docuit D. Augustinus, capras foliorum oleastri auidissimas. An non Gentilitas in oleastro designatur? Paulus Hebr. 11. inquit, *cum esses oleaster insertus es in bonam oliuam.* Desideria ergo Mariæ appositè capris comparantur. Sicut enim hæ sunt auidissimæ oleastri foliorum: ita Deipara ardenter expetebat populi Gentilis ad fidem conuersionem. Nullus enim homo à pietatis Mariæ calore se potuit abscondere.

In Maria vtero factum à Deo fœdus cum populo Iudaico, & Gentilico. Gen. 33.

In monte Galaad facta fuit mystica illa populi Iudaici ac Gentilis concordia in Labano Gentili & Iacobo Hebræo, mutuum fœdus ineuntibus. Titulus autem huius fœderis fuit *Lapis* ille quasi angularis, vtrumque complectens populum, Christum significans. Gen. 33. *Erexit lapidem in titulum.* Profectò pax hæc mystica verè in Maria fuit inita, dum in ea Christus fuit conceptus, & lapis ille de Mariæ monte fuit scissus, qui quidem est *pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Vnione enim hipostatica diuinæ, & humanæ naturæ fuit vnio Iudaici ac Gentilis populi consecrata. En Virginis capilli seu desideria instar caprarum Galaad circa oleastri folia, id est, circa Gentilium conuersionem admodum affecta.

Affectus Mariæ ad Gentilium conuersionem.

Quam benigniter post illud pactum initum in Maria mystico Galaad monte, venientes Gentiles Magos ad præsepium ipsa suscepit velut Gentilismi primitias! Quam placido volatu Mariana nubes in Ægyptum cum Filio auolauit, vt simulachra comminuens, plurimos Ægyptios ad Christum lucraretur? Post Christi Domini ad cœlos ascensum quam piè cum Euangelista Ioanne perrexit ad Ephesum, Asiamque minorem, vt Gentiles ad fidem conuerteret! Quanto affectu venit Cherubinorum pennis in Hispaniam, vt Iacobum Apostolum in Gentilium conuersione confirmaret!

44. *Deipara preces omnium efficacissima ad Dei iram contra peccatores sedandam.* Isid. Clar. Gen. 32.

Isidorus Clarius opinatur in his verbis, *sicut grex caprarum, &c.* allusionem fieri ad tres illas turmas, in quas Iacob olim apud montem Galaad greges diuisit, vt eas dono mitteret ad fratrem Esau ob præreptam patris benedictionem ira correptum. Igitur *cum Iacob dormiisset ibi nocte illa in monte Galaad, separauit de his, quæ habebat, munera fratri suo Esau capras ducentas, & misit per manus seruorum suorum.* Gen. 32. An quis poterit dubitare, ducentas hasce capras in monte Galaad selectas ad fratrem placandum pinguiores toto ex grege extitisse? Hisce itaque capris ascendentibus de Galaad ad placandum Esau comparantur Virginis *capilli*, id est, cogitationes, desideria, affectus, ac preces. Quemadmodum namque capræ illæ ad placandam fratris iracundiam toto erant grege pulchriores, ac pinguiores: ita affectus, & vota Deiparæ quid fuêre ex grege Angelico, & humano excellentissimum ad Dei iram contra peccatores conceptam omninò sedandam.

45. *Maria Christi boni Pastoris æmulatrix erroneas oues non iam super humeros, sed supra caput imponit.* Apoc. 1. August.

Ioannes Apoc. 1. testatur se in forma mirabili Christi Domini capillos vidisse. *Capilli capitis eius tanquam lana munda, & tanquam nix.* Si capilli Christi dicuntur albi instar niuis, cur & sicut *lana munda* adiicitur? Respondet Augustinus tom. 9. hom. 1. *Capilli albi capitis Christi significant multitudinem albandorum. Lanam dixit, quia oues Christi sunt. Niuem dixit, quia sicut nix vltrò de cœlo descendit; ita gratia Baptismi nullis præcedentibus meritis venit.* Portat itaque Christus bonus Pastor non iam solum in humeris, sed in capite ouem in lana significatam. Tanta Pastoris pietas. Similes capillos in Mariæ capite recognosco. Christi capilli sunt ex lana niuea? Capilli Mariæ etiam ex niuea lana colorem offerunt: quatenus sunt sicut capræ montis Galaad, quæ frequentissima niuium aspersione irrorantur. Rabinus quidam innominatus apud Genebrardum. *Capilli tui sunt candidi sicut capra Galaad.* Et Rabi Salomon: *Pilus tuus candescit, & albicat, vt pilus*, seu lana *caprarum albicantium.* Itaque sicut Christus quærit, & inuenit oues errantes, & super caput illas collocare dignatur: sic Maria boni Pastoris æmulatrix suis precibus quærit & inuenit oues erroneas, easque supra suum virgineum caput imponit. O peccator animum erige, aspice quem locum in Christo & in Virgine illius gratia, prece huius inieris. Pro diuitiis suis te habent Iesus & Maria, & vt ita dicam pro bonis capitalibus; te etenim in capite gestant. *Lanas* quidem, & suauissimas cogitationes

Rab. innomin.

R. Salom.

erga erroneas oues gerit Maria (loquor cum D. Bernardo serm. sup. *Signum mag.*) *Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota fauus est, omnibus offerens lac aut lanam.*

Bernard.

46. *Ineffabilis Mariæ erga peccatores pietas.* Psalm 71. Cassiod.

Maria à Dauide Psalm. 71. velleri comparatur lanæ absque distinctione, an ouium, an caprarum? *Descendet sicut pluuia in vellus.* Id est Verbum diuinum è Patris sinu, pluuiæ in morem, in virgineum vellus descendet. Cassiodorus Senator citatus ab Ildephonso serm. de Mar. *Maria est vellus, detonsum de ouibus Israël; sed sine defectu ouium Israël.* Addere liceat, vellus detonsum ex capris peccatorum Israël, sed sine piaculo. Et hoc vellus caprini pecoris peccatorum gestat in capite pro capillis, vt ostendat pietatem, qua erga peccatores afficitur, quibus se in natura similem agnoscit.

47. *Æquali æstimatione Maria recipit exigua pauperum munuscula, ac diuitum opulenta xenia, si æqualis sit deuotio.*

Inter donaria, quæ ab Israëlitis ad Tabernaculi constructionem litabantur, duo erant potissimùm: *Purpura, & pili caprarum.* Purpuram diuites, caprarum pilos pauperes offerebant. Profectò Virginis capilli ab sponso & pilis caprarum, & purpuræ fuêre comparati. Caprarum pilis hîc, purpuræ verò c. 7. *Coma capitis tui sicut purpura Regis.* Quasi innuat sponsus, in Mariæ capite, seu æstimatione æqualem sortiri locum diuitum, ac pauperum oblationem, si æquali deuotionis pietate litentur.

48. *Pauperum exigua oblatio frequentius pluris à Virgine fit, quia maiori solet deuotione offerri.*

Sed aduerte, prius Virginis capillos pilis caprarum, quàm purpuræ Regiæ comparatos fuisse. Vt scilicet pauperum animi erigantur, videntes priorem locum assignatum in capite, seu æstimatione Mariæ minimis inopum oblationibus, quam Regiis diuitum donariis. *Vultum tuum* (ait Bernardus cum Dauide) ô Virgo, *deprecabuntur omnes diuites:* sed prius *omnes pauperes plebis.* Diuites vident suam purpuram in Virginis capite. At pauperes prius suos caprarum pilos in eodem capite, seu æstimatione aspiciunt. Quia frequentius pauperes Virgini cum vberiori deuotionis affectu sua munuscula consecrant.

49. *Peccator Mariæ hærens Dei Tabernaculo ad pœnitentiæ cilicium.* Exod. 26. August.

Quis ignoret, de his caprarum pilis, quos inopes Tabernaculo obtulerant, contexta fuisse *vndecim* illa *saga cilicina*, quibus Tabernaculum tegebatur? Ait D. Augustinus serm. 15. de Verb. Dom. *Numerus vndenarius transgressio legis est; lex enim denarius est, peccatum vndenarius. Lex enim per decem, peccatum per vndecim. Quare peccatum per vndecim, quia transgressio denarij est, vt eas ad vndenarium.* Adiicit pulchrè Pater: *Velâ cilicina iussi sunt fieri non decem, sed vndecim,* quia per hunc numerum peccata designantur, & per *cilicium ostenditur* contritio, *& confessio peccatorum.* O quàm vtiliter saga illa Tabernaculo Mariano præstant operculum, seu in Virginis capite resident; quia peccator hærens illius protectioni, tandem virgineis affectuosis precibus ad pœnitentiæ & confessionis cilicium allicitur.

50. *Maria gloriatur, se esse peccatorum Aduocatam, & hædorum curatricem.*

Si tam similes inter se sunt capitis Christi Domini & capitis Mariæ comæ, cur Ioannes non expressit cuiusnam gregis esset lanæ coma Dominica similis, sicut de coma virginea sponsus enuntiauit? Crediderim, voluisse sponsum Virginem commendare apertè ex illo titulo, de quo ipsa maximè gaudet,

nempe

nempe quod sit peccatorum, qui in capris signantur, *Aduocata.* Quos quidem sponsus ipse ei pascendos, & protegendos tradiderat.

Cant 1.

Cantic. 1. *Egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos.* In magnis Vrbibus, ad quas multarum Nationum fit concursus, qualis est Roma, esse assolent domus locandæ, vbi hospitio Hispani (verb. gr.) vel Galli, vel Angli, &c. recipiuntur. In signum autem, quod domus illæ sint huiusmodi Nationum hospitibus dicatæ stemmata illarum pro foribus ostentant. Sic sacerrima Virgo, caprarum lanam in capite gestat peccatorum insigne; vt peccatoribus innotescat, Mariam esse in magna totius orbis ciuitate proprium assignatum hospitium, & refugij domum.

51.

Maria omnes peccatores humeris, imò capite portat, ac si vnus esset. Tanta eius erga illos pietas.

Mirum mihi, quod cum in hoc capite sponsus Mariæ capillos *gregibus* caprarum in plurali, in cap. 6. eosdem *gregi* caprarum in singulari comparati voluerit. Hîc *capilli tui sicut greges caprarum:* ibi, *Capilli tui sicut grex caprarum.* Cur ita? Certè vt innuatur, ita omnes peccatores à Virgine gestari, & supportari, etsi innumerabiles sint greges, ac si vnus solummodo grex existeret. Præ amore etenim pondus non sentit, vt Augustinus dixit: *Non sunt onerosi labores amantium.* Ex Hebræo Rab. Salomon legit, pro *Capilli tui, Pilus tuus.* Quasi omnium capillorum, seu omnium gregum peccatorum multitudinem ad vnum pilum Mariæ pietas redigat. Grauissimum peccatorum omnium pondus Virginis pietati, quasi vnici peccatoris existit, imò pili vnius instar, est leue.

August.

R. Salom.

52.

Coram Maria vt Dei Matre omnis montana altitudo humiliatur, imò disparet omnino.

Cant. 6.

Rursùm quæsierim, cur in præsenti dicitur, *Sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad:* cap. autem 6. solummodò scribitur, *Sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad,* Montis nomine omninò suppresso? Vt respondeam, suppono ex nonnullorum Interpretum sententia in cap. hoc 4. Virginem introductam non esse vt Matrem, ad cuius purissimum vterum Verbum diuinum descendit, vt ipsa expressit, *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Cap. 6. Igitur ab eo capite iam Virgo vti Dei Mater inducitur. Iam respondeo, cap. 6. non fieri mentionem illius vocabuli *de Monte*, sed solum dici *de Galaad.* Quia in Deiparæ conspectu omnis mons, omnis altitudo humiliatur, omnis Angelorum, & hominum sublimitas euanescit. Quomodo superius dixi, coram Maria Gabriëlem nomen Archangeli, imò & proprium nomen Gabriëlis amisisse.

Luc. 1.

53.

Vix vera sanctitas aliorum coram sanctitate Mariæ apparet.

Præterea hîc dicitur: *Quæ ascenderunt de monte.* Cap. 6. *Quæ apparuerunt.* Quare non etiam ibi dicitur: *Quæ ascenderunt?* Crediderim, quia coram Maria, iam inibi vt Matre Dei inducta greges Sanctorum tam cœlicolarum, quam hominum, qui antea *ascendere* dicebantur, iam solum apparere videntur.

54.

Quæcumque in Maria minima videntur, respectu aliorum omnium prorsus sunt maxima.

Del Rio

Si tanta est Deiparæ perfectio cunctis in membris designata, *Cur mox capillorum* (cum Del-Rio nostro loquor) *mentio potius fiat*, in pulchritudinis descriptione? Respondet, *Certè capilli res minimæ sunt. Significat ergo, ea, quæ in Maria minima videntur, & maximè infirma, cæterorum omne robur, & potentiam superare. Et quæ in Maria minima, ea cæterorum maximis præponderare virtutibus. Quanta enim laus* Virginis est, *capillos vnius capitis esse similes omnibus gregibus caprarum? Vna virtus tua ô Maria, cunctis fidelium, & Angelicis etiam virtutibus æquipollet.* Pulchrè.

In conspectu sanctitatis Mariæ quæ sanctitas, & perfectio verè est ascendēs, descendens omnino videtur.

Cæterùm loco verbi illius: *Quæ ascenderunt*, Isidorus Clarius legit: *Quæ descenderunt.* An-non duæ hæ lectiones sibi contradicere videntur? Si ascendunt, quomodo descendunt? Planè in conspectu tam præcelsi capitis, id est sanctitatis Mariæ quidquid reuera ascendit, & assurgit perfectionis, descendere omninò videtur. In se quidem ascendere est; sed in comparatione Mariæ descendere indicatur. Omnis enim montana eleuatio coram Maria vallis descendens existimatur. Appositè autem dicitur *ascenderunt*, & *apparuerunt* (vti superius) quia apparentia quædam ascensionis est, seu apparens ascensio quidquid virtutis, & sanctitatis in Virginis conspectu videtur ascendere. Sicut Angeli dicuntur *ascendentes, & descendentes super Filium hominis.* Ioan. 1. *Super*, seu *iuxta* secundum communem scripturæ phrasim. Iuxta Christum, seu coram Christo, vel in eius comparatione, Angeli qui verè *ascendentes* sunt, *descendentes* prorsus iudicantur. Ita quidem respectu perfectionis Mariæ, quilibet sanctorum greges si longè à Maria ascendunt, iuxta ipsam descendere conspiciuntur.

Velut apparens est omnis sanctitas in sanctitatis Mariæ conspectu.

Ioan. 1.

Guillelmus contemplatur hîc ab sponso laudari Deiparæ cogitationes, & affectus ad peccatorum commodum spiritualem semper addictas. *Capilli* (ait) *tui, hoc est, cogitationes de arce hominis mente nascentes sicut grex caprarum. De capris iuxta sacræ legis institutum fiebat oblatio pro peccato; & fortè de Galaad exhibebantur capræ sacrificio aptiores. Cum ergo dilectus gregi caprarum, quæ apparuerunt de Galaad, capillos piæ Matris comparat, ostendit eius cogitationes excellenti gratia non modicas pro filiorum peccatis.* Peccatores namque purissima Virgo loco filiorum suscipit nutriendos, vt instar caprarum Galaad, Deo in sacrificium mutati, in oues Deiparæ industria offerantur. 55.

Virginis cogitationes ad peccatorum reductionem semper addita.

Guillelm.

Pergit Abbas, *Capra item est mundum animal cornibus suis, simul & barba insigne. Per cornua fortitudo, per barbam virilis prudentia, seu grauitas designatur. Quia ergo grauitas Virginis, & Matris tam piæ, sanctæque cogitationes nihil in se sordidum, nihil infirmum, nihil leue, aut fatuum habere poterant, rectè capilli eius capris, id est, animalibus mundis, cornutis, & barbatis comparantur.* 56.

Mariæ cogitationes nihil sordidum nihil non viri'e vnquam admiserunt.

Guillelm.

Pondetat autem lectionem illam, *Sicut greges caprarum quæ descendunt de monte Galaad*, cum vulgatus noster dixerit: *Quæ ascendunt*; asseritque Mariam aptè gregi illa mundo comparati, *ascendenti* vtique & *descendenti. Quæ ascendunt, Quæ descendunt, Quid deuotius* (ait ille) *vel humilius vnquam ascendit, & descendit hunc montem, quam Maria? Ascendebat super Filium hominis, certissimè credendo esse Filium Dei. Descendebat super eundem, ei Maternæ pietatis humanitatem sollicitè impendendo. Leuabat oculos contemplationis à gremio suo vsque ad summum cœlum: & de cœlis cœlorum reflectebat eos vsque in gremium suum. Sic alternabat pia Mater cogitando de sinu suo vsque ad sinum Patris, vbi Deus erat Verbum: & à sinu Patris vsque ad sinum suum, vbi Verbum caro factum est. Ecce Maria Angelos ascendentes, & descendentes super Filium hominis.* 57.

Maria deuotius, & humilius Angelis supra Christū in contemplatione ascendit, & descendit.

Ioan. 1.

Guillelm.

Ioan. 1.

Ioan. 1. vincens. Planè enim *deuotius* & *humilius* illis super Dei Filium ascendit, & descendit.

58. *Humilitas Virginis exaltata.* Philip.

Philippus Abbas humilitatem Virginis exaltatam prædicat. Primò dicit exaltationem: *Rectè sensus Virginis capris sponsus voluit comparare, quia Maria spretis inferioribus solis superioribus amat aspirare: & cum nobis inaccessa,* (iam humilitatem indicat) *contemplandi, & amandi saltu velocior apprehendit; more rusticano humilem sese attendit. Respexit,* inquit, *humilitatem ancillæ suæ.* Ac si diceret: Ideo fui ineffabiliter à Deo exaltata, quia respexit, me Matrem suam velut ancillam reputare.

59. *Omnes sensus, seu cogitationes Deiparæ ad custodiam peccatorum sunt intenta.* Philip.

Quare capillos Virginis non capræ, sed caprarum gregibus comparauit sponsus? Crediderim, vt Maria pastoralis sui muneris moneatur. Tui capilli greges caprarum sunt. Tuæ cogitationes ô sponsa, in peccatorum reductionem debent semper intendere: *Pasce hœdos tuos. Signanter* (ait Philippus) *non capræ, sed gregibus caprarum capillos Virginis comparauit* sponsus. *In quo sedulum, auidiorem ad intelligendam collectionem sensuum inuitauit; quia eos ab inuicem vaga discursio, aut furtiua dissolutio non abegit; sed in gregem casta confœderatio sub Pastoris cura, & baculo sic redegit: vt in eorum gregum quemlibet irrumpere fera bestia non auderet.* Omnes itaque Virginis sensus, & cogitationes colligit in tot gregum peccatorum custodia.

60. *Maria dum viueret, de monte in mõtem, de virtute præcelsa in celsiorem admodum semper ascendit.* Philip.

Excitat idem Abbas quæstionem. *Cum igitur de monte non ascensio, sed descensio gregum rectius dici posset: quid sibi vult, quod prædictæ capræ de monte Galaad non descendere, sed ascendere memorantur?* Respondere eleganter. *Quia profectus magni capillorum, id est, sensuum Virginis indicantur. Neque enim de ascensu caprarum cura fuit Spiritui sancto disputare; sed profectus Virginis huiusmodi similitudine demonstrare. Quæ quidem de monte in montem, hoc est, de virtute in virtutem spiritalis gratiæ pastu proficisci: & non iuga montium, sed excelsa profectuum adipisci satagit.* Itaque in monte Maria sanctitatis à creationis instanti constituta, semper in montem ascendit, id est, de præcelsa virtute in aliam perfectiorem admodum auolauit.

61. *Virtutũ Mariæ congeries de Dei omnipotentia exhibet testimonium.* Philip.

Adhuc Doctor, *Mons iste, de quo sermo est, Galaad nominatur, quem interpretari aceruum testimonij Hebræorum sententia protestatur. Quia cum Laban, sedato furore minarum, cum nepote suo Iacob inire disponeret fœdus pacis, aceruum lapidum, pari manu congestis lapidibus, erexerunt.* Vtraque quidem pari manu, id est Deo fauente, & Maria operante, aceruus lapidum, seu virtutum Virginis cumulus erigitur, in testimonium Dei omnipotentiæ, qui tot, tantasque diuitias potuit sua in Matre congerere. Audi Abbatem. *Nullius autem excellentia magis videtur Deo testimonium perhibere, quam sanctitas Virginis, quæ cæteris sui merito eminere inuenitur. Quæ de viuis, & electis lapidibus,* siue virtutibus *congeritur, & erigitur in augmentum.* Hæc planè virtutum congeries Dei omnipotentiæ exhibet testimonium.

62. *Maria nõ nititur de pro-*

Preme particulam, *Aceruum lapidum, pari manu congestis lapidibus, erexerunt.* Verùm licet pari manu Dei, & Mariæ (vt exposui) aceruus hic virtutum fuerit erectus: Mariæ humilitas omnia Deo soli tribuit, vt tantus diuitiarum spiritualis cumulus sit non Mariæ magnitudinis, sed solius Dei potentiæ, & misericordiæ *testimonium.* Apposite Philippus concludit: *Virgo igitur de monte Galaad proficiscitur, & ascendit, cum sanctitatis culmen, congestis virtutibus, apprehendit. Et ex eo non suam ipsius gloriam tanquam descendens aucupatur; sed profectu congruo solam Dei potentiam misericordem attestatur, dicens: Fecit mihi magna, qui potens est, & misericordia eius.* Luc. 2.

pria gloria testimoniũ daret sed suam sanctitatem Deo soli attribuit. Philip. Luc. 1.

63. *Virginis affectus ad Religiosi status perfectionem intenti, quem super caput attollit venerationis causa.* Rupert.

Peculiaris admodum est Ruperti expositio. *Vtique* (ait) *greges rationales, greges caprarum rationabilium tunc apparuerunt, quando cœperunt homines eiusmodi esse, de quibus Apostolus dicit. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Quando autem cœperunt homines esse huiusmodi, vel vnde apparuerunt? Nimirum quando Iezabel interficiebat Prophetas Domini, tunc apparuerunt de monte Galaad. Sic enim scriptum est: Et dixit Elias Thesbistes de habitatoribus Galaad: & factum est ad eum Verbum Domini: Abscondere.* 3. Reg. 17. *Hæc dixit, & hoc fecit ille primus Auctor, & institutor eorum, qui dicti sunt filij Prophetarum, quos fuisse Monachos consentit auctoritas Patrum venerabilium. Et rectè dicitur apparuisse; quia Elias sic repente illic introducitur, vt antea scriptura nusquam illius meminerit; vel quis, vel vnde fuerit progenitus.* Quorsum hæc ad capillos Deiparæ? Profectò si in capris Monachi primi, & omnes Regulares Ordines designantur: & capilli Deiparæ hisce gregibus similes scribuntur: innuitur Virginis cogitationes ac desideria ad Religiosi status perfectionem fuisse semper affecta. Præterea adeò Religiosum statum æstimari à Maria, vt eum super ipsiusmet caput dignetur collocare.

64. *Ecclesia ex gentibus Virgo specialissimè affecta.* Rupert. 3. Reg. 17.

Adiicit Doctor: *Qui capilli tui ô Virgo, & vnde capilli tui similes illis gregibus? Nimirum cogitatus tui subtilissimi fuerunt. Vt fugeres ad desertum gentium, propter sanguinem multum, quem synagoga effudit: sicut illi in solitudines fugerunt propter sanguinem multum, quem fudit Iezabelis* crudelitas. Ideò ô Mater pietatis, debes Ecclesiæ ex gentibus, te specialissimè ostendere affectam, siquidem te fugientem è solymitana synagogæ horribili persecutione Gentilitatis desertum excepit, tibique securum præstitit habitaculum.

65. *Virginis cogitationes in Deum semper intenta.* Carthus.

Dionysius Carthusian. Virginis cogitationes, & affectus semper in Deum tendentes hinc collaudat. *Vniuersæ* (ait) *cogitationes, meditationes, contemplationes, affectionesque Virginis admirandæ erant ordinatissimæ, decentissimæ, atque mundissimæ, totius charitatis feruore perfusæ, & formatæ, splendificæ, & cum omni promptitudine in Deum reductæ, recollectæ, ac stabilitæ.*

66. *Qualibet Christi gloria, gloria Mariæ est.* Carthus.

Memor autem illius aceruí testimonij apud Galaad, de quo superiùs addit. *Et testimonia scipturarum ad Christum spectantia prudentissima Domina recollegit; conferens in corde suo quidquid de dilectissimo Filio suo audiuit ab Angelo, à pastoribus, à Magis, ab Elisabeth, à Zacharia, à Simeone, ab Anna, & Ioseph. Ita quod de monte Galaad de aceruo testimoniorum à tumulo testium cognoscitur ascendisse.* Quomodo

autem

autem colligens illa tot testium testimonia de Filij sui gloria ascendit Deipara? Planè quidquid gloriosum de Filio prædicatur, in Matris gloriam exundare, quis dubitet. Vnde dum Christi gloria profertur, Virgo ad gloriæ ineffabilis verticem ascendit.

67. *Omnes contemplationi sanctos addictos Maria contemplatio superat.* Richard.

Denique Richardus de S. Laurent. lib. 5. de laudib. Mar. sic versiculum interpretatur: *Virgini dicitur* à dilecto, *capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Greges caprarum sunt greges omnium contemplatiuorum, qui acie contemplationis acutè vident, vt capræ: & ad cælestium visionem ascendunt de illo, & per illum qui est mons montium, qui est mons Galaad in se coaceruans omnia testimonia scripturarum. Nam Galaad interpretatur aceruus testimonij. His autem gregibus vniuersis comparantur capilli Virginis, id est, spirituales eius cogitationes subtiles, & capiti suo Christo suauiter adhærentes. Nam ipsa subtilius, quam vniuersi greges contemplatiuorum oculo contemplationis summæ diuinitatis penetrauit arcana.* Illam preme particulam: *Virginis spirituales cogitationes subtiles, & capiti suo Christo adhærentes.* Si capilli Virginis sunt eius cogitationes, & Christo ipsius capiti hærent, colligo Virginis cogitationes Dei cogitationes esse. Quam piæ! quam puræ! quam ad hominum tendentes vtilitatem!

Cogitationes Virginis Dei cogitationes sunt.

Vers. II.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro: Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

68. *Materialis dentiũ Mariæ pulchritudo, qua spiritualis designatur.* Guillelm.

D*Entes tui sicut greges tonsarum.*] Quid Deiparæ dentibus cum gregibus onium tonsarum? Ad dentium perfectionem perpulchra admodum hæc est comparatio, Audi Guillelmum. *Litteralis superficies ita sonare videtur*, dentes tui mundi, & candidi, sicut oues lotæ. Oues quippe pro eo, quod tonderi soleant, *tonsæ* dicuntur. Comparat dentes sponsæ gregibus ouium peritè tonsarum, lotarum, & fœtarum: quæ etsi natura candidæ, tamen candidiores adhuc factæ lotione, sordibus detersis, & de tonsione vellerum extremitatibus ademptis, quæ nigrescere assolent. Primum ergo significat sponsæ Mariæ dentes esse candidulos. Deinde eos sponsus comparat onibus æquali capillo attonsis: & gregatim de lauacro venientibus. Tunc enim solent, sublato iam impedimento densioris velleris frigus metuentes inter se stipari, & corpora applicare corporibus: vt qui de longinquo prospiciat, vnum corpus album continuum moueri arbitretur. Significat hoc, dentes oris omnes esse æquales, politos, & valde contiguos: nihil in eis putre, exesum, aut foraminatum: nullum alio breuiorem ac longiorem, omnes radice gingiuis firmiter inhærere: & nullum decarnatum; & omnes æqualiter quasi ex rosa assurgere, vt neque inter eos quidquam hiet, nec gingiuæ minus vni, quam alij adhærescant. Tertiò comparat eos onibus habentibus agnicnlos gemellos:

tum quòd oues, quæ in Galaad diuersantur, mirè fœcundæ præter morem cæterarum semper gemelliferæ; tùm vt omnimodam similitudinem inter dentium species intelligamus primorum cum primoribus, caninorum cum caninis, molarium cum molaribus, genuinorum cum genuinis. Quartò comparat dentes non attonsis tantùm, vel fœtis solùm: sed simul fœtis, & attonsis. Nam à pastoribus sæpè vsu compertum, post tonsionem oues auidius comedere, vt celerius vellera succrescant; & augetur hæc fames, quando lactant, quia non iam sibi tantummodo parant alimentum. Significat sponsæ dentes optimos esse, maximéque suo muneri idoneos. Quintò denique negat inter eas oues vllam esse sterilem vel abortientem, vel confractam, aut alio vitio corporis affectam; (Tam latè patet Hebræum nomen.) Vt intelligamus, sponsæ dentes omnes omni ex parte perfectos omninò esse. Hæc materialis dentium sponsæ Mariæ pulchritudo, qua spiritualis apprimè designatur. Hnc vsque carptim ex Guillelmo.

Qui quidem annotauit. Quænam sit spiritualis dentium perfectio? asserens, hominem interiorem suos dentes habere, quibus spiritualem cibum terat, vt glutiri valeat: cibum hunc esse, *facere voluntatem eius, qui vocauit nos in adoptionem filiorum.* Ephes. 1. Nam hoc planè cibo viuit anima, cuius vitalis refectio est diuinæ adimpletio voluntatis. Debent hi dentes esse candidi. nempe studia nostra pura esse oportet, nihil attrectando nisi cibum vitæ. Huius cibi attrectationes fiunt sicut oues tonsæ & lotæ. Tales animæ singulæ habent fœtus gemellos, *prouidendo bona* secundum Apostolum *non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Ioan 12. Planè sterilis ab hac duplici dote non est inter eas. *His omnibus dotibus* (ait Abbas) *Deipara excelluit inter alias sponsas, cuius magis quam cuius fuit cibus facere voluntatem Dei*, sicut, de se dixit sponsus Ioan. 4. *Et ideò quoque studia, & exercitia eius omnibus puriora. Quia studia piæ Matris adeò pura fuere, vt nihil omninò sordidæ admixtionis ex desideriis terrenis haberent. Quemadmodum baptizati puri exeunt è Baptismi lauacro ab omni sorde. Fuit etiã prolificatio illa duplex præcipua Deiparæ, & præstitit vtrumque illum corporis, & animæ fœtum.*

69. *Omnis spiritualium dentium perfectio in Maria. Et quænam hæc perfectio?* Guillelm. Ephes. 1. Ioan. 12.

Pressius verò Nyssenus spiritualium Mariæ dentium perfectionem describit. *Tonsus est, qui nudus ab omni rerum externarum onere. Lotus qui ab omni carnis, & spiritus inquinatione est purus Et hic debet perpetuo quodam profectu semper ascendere: debere quoque duplici bonarum rerum fœtura in omni virtutum genere excellere: hoc est, vtraque nostri parte*; anima *quidem statum præstare* vitiorum, *& perturbationum expertem? corpore autem*, vitæ *quandam speciem honestam, & decentem* exponere. En Mariam ab omni rerum externarum onere nudam, ab omni maculæ suspicione mundam, duplicique corporis, & animæ virtutum fœtu ornatam.

70. *Maria ab omni externarum rerum onere nuda, ab omni suspicione macula munda, omnium virtutũ fœtu ornata.* Nyssen.

Hailgrinus verò dentes Deiparæ vult esse *sensum, & studiositatem, quibus ipsa sacræ Scripturæ sententias velut herbas virentes decerpsit, attriuit, masticauit, ruminauit, incorporauit. Et his comparatur greges tonsarum, qui possessionum onera*

71. *Maria intellectu & studiositate sacræ Scripturæ sententias excellentissimè penetrauit.* Hailgrin.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic. P

onera tanquam vellera deponentes, omnia pro Christo reliquerunt; qui lachrymis deuotionis frequenter abluti ascenderunt de virtute in virtutem, vt viderent Deum deorum mundo cordis oculo, in Sion Psalm. 83. *In specula scripturarum. Quod vero subditur de gemellis fœtibus, hoc est, de sensu & studiositate Deiparæ, (quæ notata in dentibus) geminum fructum protulisse significat, in ipsa per meritum, in nobis per exemplum.*

72. *Pulchra Maria & Eua dissimilitudo.* Rupert.

Rupertus subtiliter hic philosophatur, aptissimam dissimilitudinem Mariæ & Euæ ostendens. *Eua*, ait, *oculi fuere coruorum rapacium; quia scriptum est: Vidit igitur mulier lignum, quod bonum esset ad vescendum & pulchrum oculis; & tulit de fructibus eius, & comedit.* Gen. 3. *Ambitio quoque Eua detestabilis; eo quod credidit dicenti, comedite, & eritis sicut dij. Ergò capilli eius non supradictarum greges caprarum, quarum est cœleste desiderium, sed sicut ille Princeps super omnes filios superbiæ* Iob. 41. *Qui dixit in corde suo ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Dentes verò Euæ fuerunt quales sunt dentes leonum, qui momorderunt, & mordendo vetitum ventura posteritatis suæ animas interfecerunt. Si enim de filiis eius veraciter scriptum* Psalm. 56. *Dentes eorum arma, & sagitta. Item* Psalm. 57. *Deus conteret dentes eorum, molas leonum confringet Dominus: quanto magis de illa, quæ tali consilio momordit, cuius morsus tam malus prouentus existit? At tui dentes (ait sponsus) ô amica mea, sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt, id est certissimo ascendent de lauacro. Cum enim de latere meo lauacrum regenerationis sanguinis & aquæ riuis profudero, sanctique Spiritus inuocationem dedero: tunc oues, pro quibus animam meam pono eodem lauacro mundabuntur; nec lauacri contenta, vellera quoque sua deponent; vellera facultatum suarum, vt nihil habeant proprium, sed sint illis omnia communia. Huiusmodi tonsæ oues omnes sunt gemellis fœtibus; quia præcepta adimplerunt, & consilium adiecerunt. Præceptum, non rapere aliena; consilium etiam sua relinquere. Tales sunt ô amica, dentes tui, quia talium tibi innocentiam proponis, cum eiusdem innocentiæ sis Magistra multo qualibet ouium talium innocentior, quorum non fuit male dentibus suis vti: scilicet inuicem mordere, detrahere, & abinuicem consumi. Et quidem greges illi omnes te Magistram suam profitentur: sed tu cunctis humilior, de omnibus benè altiora sentis, & videris tibi tantum imitari, quos longè præcedis.* In hanc sententiam Rupertus.

Gen. 3. Iob. 41. Psal. 56. Psal. 57.

Maria dentes à pomi vetiti morsu immunes.

Maria innocentiæ Magistra studet aliorum virtutes æmulari.

Humilior omnibus Virgo, de aliis meliora sentit.

73. *Sapientia Virginis a sacra scriptura intelligentiam.* Richard.

Richardus de S. Laurent. lib. 4. de laud. Mar. *Propter sapientiam & notitiam scripturarum commendat Matrem Filius* Cant. 4. *Dicens: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro. Greges tonsarum sunt illi, qui passionum onera tanquam vellera deponentes, omnia pro Christo reliquerunt. Qui quanto plus se abstraxerunt de mundo, tanto liberiori animo sanctas Scripturas intelligere potuerunt. Quibus non fecerunt obicem* ad sapientiam *peccatorum tenebræ. Nam in lachrymis pœnitentiæ, & deuotionis frequenter abluti, ascenderunt de virtute in virtutem, vt Deum conspicerent in speculo scripturarum. His igitur omnibus, qui quasi grex Domini in pascuis sacra Scriptura ruminarunt, assimilantur dentes Virginis, id est sensus & studiositas, quibus ipsa sacra Scriptura sententias velut herbas virentes ruminauit.* Ex Hailgrino hæc n. 71. expressi.

De sapientia, qua fuit Maria ab sponso donata, potest ipsa illud Eccli. 1. inclamare. *Præcessi sapientia omnes, qui fuerunt ante me, & anima mea contemplata est multa sapienter.* Quæsierim, quandonam Deipara se omnes sapientes, qui fuerant ante illam, præcessisse ostenderit? Respondet Richardus. *Cum dixerit Maria: Præcessi sapientia omnes, id plane fuit, quando conseruabat omnia, quæ dicebantur, in corde suo: & hæc consuetudo sapientis.* Si Maria dentium vallo impediens sapientissima verba, nè in publicum auolent cunctos sapientes præcedere ostenditur, quid cum doctrinam fluere permiserit? Si tacens sapientissimos superat, quid cum loqueretur?

74. *Omnium sapientum Maria sapientissima.* Eccli. 1. Richard.

Omnes sapientes Maria vincit silentio: quid cum loqueretur?

Profectò (adiicit ille.) *Ratione sapientiæ designata est Maria per illam mulierem sapientem, quæ ciuitatem Abelam sapientia sua liberauerat. Designatur etiam per Abigail.* 1. Reg. 25. *Quæ erat mulier prudentissima, & speciosa, cuius sapientia, & subtilitate verborum, Nabal stultus ad tempus à morte liberatus est: Et Maria sapientia & subtilitate orationum mundus fatuatus à morte æterna eripitur. Et notandum, quod non solum sapiens est, imò etiam sapientia Dei Magistra, quam docet verbis, orationibus, & exemplis.*

75. *Mulieres, quas scriptura de sapientia commendat, Maria longe superauit.* 1 Reg 25. Richard.

Inferius vero Richardus scribit. *Ad oris pulchritudinem multum faciunt dentes mundi, candidi, & abscondití, moderatæ quantitatis, & quasi per gyrum ordinatè dispositi. Vnde* Cant. 4. *commendatur Maria à dentium speciositate, vbi dicit ei Christus: Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascendit de lauacro.* Tota autem dentium speciositate, candore, munditie signari contemplatur pulcherrima verba clementiæ & pietatis, quæ ex Virginis ore procedunt. Vnde Prouerb. 31. *Lex clementiæ in lingua eius. Lex (ait ille) antiqua seueritatis erat, quæ docebat reddi oculum pro oculo, dentem pro dente. Lex Euangelij clementiæ est, quia peccata dimittit, quia reos absoluit, vt adulteram.* Ioan. 8. *Quia damnatos in paradisum reducit. Lex autem hæc clementiæ in lingua Mariæ. Quia hæc omnia nobis orando procurat.* Quomodo peccatores non speremus veniam, si ipsam clementiæ legem in ore Deiparæ collocauit? Quomodò statuet, *dentem pro dente* erui, si sententiæ verba per candidissimos Virginis dentes debent necessarium transitum apparare?

76. *Dentium Mariæ pulchritudo est verborum eius clementia & pietas.* Richard.

Quomodo peccatores Mariæ precibus veniam non speremus, ista clementia lex est in labiis illius? Ioan 8.

Dentes sermonis & loquutionis instrumenta esse, nemo ignorat. Sed rursus requiro, cur tonsarum gregibus comparantur, quæ de lauacro ascendunt? An quia sermo sponsæ Mariæ ita mundus, ac purus existit, quam purus, & mundus, qui recens sacra est vnda dilutus? Theodoretum audi. *Arbitror, per tonsarum greges indicari eos, qui per Baptismum recisis peccatis, & lauacro aquæ in verbo mundati sunt. Si enim puris dentibus extitisti, vt eorum videantur similes, qui recens salutari Baptismate* digni

77. *Verba Mariæ baptismalem referebant innocentiam.* Theodor.

digni sunt habiti. Dentes igitur puri iocis, scurrilitate, verborumque obscœnitate mundi, atque integri sunt. Ob hocque fors semper lingua est in vdo, vt sicut habet quo semper exstimè abluatur; sic & loquuturus ea verba proferat, quæ baptismalem referant innocentiam. An sic Mariæ verba? D. Ioannes Damasc. orat. 2. de Assumpt. Virgo *sermones fœdos, & scurriles semper propellebat.* Et D. Athanasius orat. de Deip. *Honesta erat per omnia, parum loquens, sine risu, absque turbatione, sine ira.* An-non verba huiusmodi baptismalem redolent innocentiam?

Damasc.

Athanas.

78. Profectò Virgo linguam suam vti verecundam virginem custodiebat duplici labiorum, dentiumque septo. D. Chrysostomus hom. 22. ad Pop. Antioch. *Linguam sub duabus septis, dentibus dico, & labiis Deus conclusit: vt tanquam verecunda Virgo nihil indiscretum loquatur.* Huiusce doctrinæ Magistra erat Virginibus, Maria, dum in Templo infans, & iuuencula habitauit. D. Bonauentura opusc. de medit. vitæ Chris. ait, cap. 3. *Sollicita erat Maria,* (instar labiorum ac dentium præfati septi) *erga socias suas, ne aliqua ex eis, in vllo sermone peccaret, ne aliqua in risu vocem suam exaltaret, ne aliquam iniuriam, aut superbiam contrà parem suam exerceret.* O quam dentibus Virgineam suam linguam reclusam contineret Maria, quæ munus dentium ipsa illud exerens, aliarum Virginum linguas recludere studebat, vt nil indiscretum loquerentur!

Maria linguã suam ve ut verecundam Virginem sub dentium, & labiorũ septis custodiebat.
Chrysost.

Bonauent.

Vers. III.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ, absque eo quod intrinsecùs latet.

79. TRes Patres apud Theodoretum volunt, in his verbis: *Sicut vitta coccinea* alludi ad illum funiculum, seu filum coccineum, quo fabri lignarij, vel lapicidæ tanquam mensura vtuntur, ad ligna serranda, & affabrè polienda, atque dolanda, & ad lapides in ædificia cædendos. Quem Latina lingua *Amussim* appellat. *Labia tua* (illi aiunt) *instar funiculi dimensi*, aut dimetiendi *coccinei. Nescio* (adiicit Theodoretus) *an audeam dicere factam allusionem ad funiculos illos coccineos, seu rubricatos sanguine cuiusdam vermis, habente virtutem ad facillimam dolationem lapidum, sicut lapis adamantinus scinditur sanguine hirci; quibus Hebrei referunt Salomonem vsum fuisse in fabrica sui Templi; vt sic sonitus mallei securis, & ferramenti prohiberetur*, ex Lyra 3. Reg. 6. Labia igitur Mariæ huic coccineo, vel rubricato funiculo comparantur. Quia omnes iusti, seu prædestinati sunt quasi quædam viua ligna, & lapides animati, qui per Sacramentorum vsum, & mortificationis studium, Christique Domini imitationem dolantur, poliuntur, & aptantur: vt ex illis mysticum illud ædificium ciuitatis Dei, seu cœlestis Ierosolymæ construatur. In labiis autem Mariæ

Maria precibus prædestinati aptantur vt sint ligna, & lapides ædificij Ierosolymæ cœlestis.
Tres Patr.
Theodor.
Lyran.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

est funiculus mensorius, quia eius precibus illi ad vitam aptantur æternam. Deinde Mariæ labia semper directa fuerunt ad regulam voluntatis diuinæ, à qua nec vnguem quidem vnquam deuiauit. Vel quia Virginis labia *ad amussim* perfecta fuère, qualia esse decebat Matris Dei labia, ad quorum prolationem verbi illius, *Fiat mihi.* Luc. 1. Deus in illius vtero factus fuit homo.

Maria labia directa semper ad regulam voluntatis diuinæ.

Hebræus Magister innominatus apud Genebrardum in allegor. interpretat. existimat hanc lineam, seu filum rubricatum, esse illud, quod musicorum librorum scriptores deducunt, vt regula directiua musici sit concentus: in musicis punctis expressi; ne cantorum voces dissonent, aut altius eleuatæ, aut humilius depressæ. Per sponsæ itaque *oculos* Auctor ille *intelligit Prophetas, per capillum Nazaræos, per dentes Heroës, per tempora Sacerdotes, per labia Cantores*, eos quidem, quorum voces consonæ per illam rubricatam lineam, punctorumque musicorum directiuam gubernantur. Ergo in Mariæ labiis emicat filum, seu musici linea concentus rubricata. Tum quia verba ipsius erant tanquam quidam concentus nunquam à lege diuina dissonus, nec in puncto illo Conceptionis. De quo vol. 2. Tum quia in celeberrimo suo Cantico *Magnificat*, fuit quasi totius musicæ Angelicæ, & humanæ Magistra chori. 80.

Maria labia velut linea musici concentus, nec in puncto à Dei voluntate dissonantia.
Hebræ.

Et eloquium tuum dulce.] Quoties sponsus eloquium, verba, labia, ac linguam Mariæ memorat, hoc vocabulo vtitur, *Dulcis.* Cap. 2. *Vox tua dulcis.* Inferius, *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Quare precor? Certè quia eloquium Virginis, seu vox illa, *Ecce ancilla Domini* tam dulce fuit, vt per id fauus Christi Dei & hominis, quasi ex cera & melle confectus cibus noster offertur. Vel dulcis est: vox Mariæ inquit Richardus de S. Laur. lib. 5. *Quia dulcifluas orationes suas pro nobis in conspectu vnigeniti format.*

Philippus Abbas nititur Mariæ silentium commendare, quando *tempus tacendi* erat. *Labia, ait, Maria non immeritò vitta coccinea comparantur. Quia puellaris coma nè vagetur natiua leuitate, redimitur, & vincitur, & imperij premitur potestate. Ad hoc enim Virgo vittam sibi mundam præparat, & subtilem: vt cum processu temporis sibi comam crescere senserit, iuuenilem illam huic moderamine congruo superponat: nè hæc vel tempore illicito, vel modo incomposito se exponat.* Quod ergo vitta præstat in coma, hoc prudens silentium in labiis operatur. *Porrò cùm prudens Virgo tempus videbat imminere, quo dignum esset, comam suam liberius, & manifestius apparere: manu sedula tenuem soluebat vittam. Vnde benè additur: Et eloquium tuum dulce. Nam cum labia, instar vitta, verba inutilia dignè compresserint: & quæ proferenda sunt malleo silentij prudenter formauerint; tunc eorum solutio tanquam vitta depositio, non reprehenditur, sed places loquutio tempestiua, & eloquium audientibus indulcescit.* O quam dulcia Deo, Angelis & hominibus pauca illa, & breuissima eloquia Mariæ, quæ in Euangelio recitantur! *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Fiat mihi secundum verbum tuum. Magnificat anima mea Dominum, &c. Vinum non habent. Quodcumque dixerit vobis facite.* 81.

Profundissimum Mariæ silentium, eloquium dulcissimum.
Philip.

82. *Non duplici sed vnica vitta labii Mariæ comparatur, vt innuatur clausa silentio esse.* Philip.

Si Virginei oris duo sunt labia, cur non dixit sponsus: *Vitta coccinea labia tua*; sed *Vitta coccinea*? Profectò vt Mariæ silentium pulchriùs commendaret. Duplex labium Deiparæ vnica vita est, quæ minimè scinditur: non duplex vitta vni, & alteri labio respondens. Vnde labia haud possunt aperiri. Qua exaggeratione innuitur, quam rarum, quam prudens, quam opportunum fuerit Deiparæ eloquium. Vnde Philippus ait Virginis labia *fuisse instar*, non vittarum, *sed vittæ*.

83. *Mariæ labia igne dilectionis flammantia, quidquid pro nobis precatur, facillimè acquirit.* Philip.

Addit Abbas: *Sed quid est, labia virginis vitta non nisi coccinea conferuntur?* Et respondet, *Quia in hoc etiam nostris longe dissimilibus præferuntur. Labia enim nostra etsi claudi, & aperiri diuerso tempore se ostentant: dignè tamen inspicientibus non coccum, sed fortè lutum potius repræsentant. Coccus speciem ignis gerens dilectionem rectè significat, quæ ignita, siue ignis velut in camino aurum purificat.* Accommodans autem hæc labiis verbisque Mariæ, adiicit, *Huic cocco, siue igni Virginis labia assimilantur, quæ tam silentio quam eloquio amori tenero famulantur, quæ luti nescia, instar cineris, non pollescunt, sed rubore coccineo modestè subrutilant, & ignescunt.* Si Deiparæ labia ignescunt, si amoris coccineo colore erga Deum, & homines rubent, quomodo Deum dilectum suum pro dilectis, ex ineffabili sua pietate, loquens, quæ postulauerit, non facillimè acquiret?

84. *Mariæ labia nunquam à veritate recesserunt, vti Euæ labia mendacia.* Rupert.

Quærit Rupert. *In quo ô Virgo, sicut vitta coccinea labia tua?* Respondet, *Nimirum in eo quod sermo tuus à veritate non discordat: imò cum veritate multum concordat. Principium veritatis hoc est, vt non defendat se contra Deum, imò se antè Deum accuset quispiam filiorum, & filiarum Euæ. Si Eua vittam huiusmodi habuisset, si vinculo perfectionis, quod est dilectio, sese creatori adstrinxisset, paries inimicitiarum in medio non stetisset. At in labiis tuis ô Virgo, confessio & pulchritudo est; in labiis tuis sanctitas, & magnificentia est. Eua fuit Deo muta: tu autem magnificasti Dominum mente ardentissima, voce suauissima. Et hæc est vitta coccinea, quia charitas est ignea, qua cum eo benè ligata, sic Deo adhæsisti, vt vnus cum eo sis spiritus.* Vnde si Deus veritas per naturam, tu sola inter puros homines ex natura mendaces omnino verax, imò per gratiam *veritas* valeas nuncupari: vt eum, qui veritas est, & cui perfectè adhæres perfectius æmuleris.

Eua Deo muta, Maria Deum magnificauit mente, & voce.

Maria inter omnes homines mendaces sola est verax.

85. *Maria promittit hominibus patrocinium, & verax implet promissionem.* Rab. Salom.

Aliud veritatis insigne est implere promissa, quo ostenditur promissionem fuisse non ore tenus, sed veracem, seu ex animo implendi. Rab Salomon, *Sicut vitta coccinea labia tua.* Sic exposuit: *Labia tua pulchra in pollicendo, & in pollicitia seruanda, sicut fecerunt exploratores Raab meretrici, cui dixerunt: Funem fili coccinei suspende. Steruntque promissis.* Iosu. 2. Itaque funis ille coccineus symbolum gessit salutaris promissi exploratorum, & ipsius promissi annotat impletionem. At funis, seu vittæ illius coccineæ in Mariæ labiis splendet imago, vt scias, Mariam pulchrè promittere se peccatorum futuram Matrem, ex quo Christus ei è cruce dixit in Ioannis humani generis tunc gerentis personam, conspectu: *Ecce filius tuus.* O quam veraciter promisit, quæ tam plenè promissa seruauit: vti quotidiè miseri homines experimur Qui quidem in fide huius promissionis quotidie clamamus. *Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles: sentiant omnes tuum iuuamen.* Rupert. appositè, *Et Raab* melioris *vittam coccineam, siue funiculum coccineum, quem illa in fenestra ligauit, seu in labiis apposuit, signum suæ fidei*, in implendis promissis. Rupert.

86. *In labiis, seu in precibus Mariæ rutilat coccinea funu Raab nostræ salutis signum.* Rupert.

Aliud mysterium circa Virginis labia Rupertus in coccinea fune Raab veneratur. Illum audiamus. *Raab meretrix, ô Virgo, dulcis eloquij tui vittam coccineam in fenestra ligauit, suæ fidei signum: quod nuncios Iosuë, siue Iesu susceperit, atque saluauerit.* Quomodò in meretricis Raab fenestra potuit coccinea labiorum Mariæ vitta illius fidei, & salutis esse documentum? *Hoc fit*, (adiicit Abbas) *dum Ecclesia quondam peccatrix, & idololatriæ meretricio sordida cultu duce eloquium tuum, quo magnificat anima tua Dominum, audis. Tunc enim pignus suæ salutis iugiter personat: & omnem doctrinam Euangelij, in qua ipsos Apostolos tua sine dubio labia confirmauerunt, integra semper iam fide prædicat. Et omnes diuersa sentientes ad vnitatem sua prædicatione constringit* eius labiorum funis; *vt id ipsum dicant omnes. Et hoc agit in charitate, & fide non ficta. Vnde verum est, dicere: Quia labia eius sunt vitta coccinea, sed & in ista gratia cæteris omnibus, ô* Virgo, *es incomparabilis post me dilectum tuum, cui specialiter in Psalmo dicitur: Diffusa est gratia in labiis tuis.* Psal. 44. Cum anxius, imò dubius de consequenda æterna salute discruciaris, adi Mariæ labia, in eis enim vittam, seu funem coccineam videbis in tuæ salutis indicamentum. Maria pro te exoret, quid à vero Iosuë Iesu Filio non impetrabit? Psal. 44.

87. *Dulcissimum est Deo Mariæ eloquium, quando pro peccatoribus deprecatur.* Rupert.

De dulci autem Virginis eloquio ita Doctor idem scripsit. *Eloquium tuum dulce, ô Maria. Quia videlicet, ex abundantia cordis os loquitur: & dulcedinem, quæ abundat interius, sapit sermo, qui exterius redundat.* Dulcissima sunt erga homines Filij sanguine redemptos præcordia Deiparæ, quare eius precationum Verba dulcedine diffluunt. O quam dulciter diuinis auribus insonant Virginis preces, cum Deus illam ad loquendum sollicitat! *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.*

88. *Nullum otiosum Verbum ex Mariæ labiis insonuit.* Guillelm.

Guillelmus Abbas ponderat labia Mariæ vitta coccinea illigata, nullum vnquam otiosum Verbum protulisse, vt Verbi diuini Matrem decebat. *Parum*, ait, *est, si dicam: In ore eius non est inuentum mendacium: cum ab ore eius nè verbum quidem sonuerit otiosum. Nec enim vel leuiter Verbi Mater verbo poterat offendere. Nonne hæc labia sunt vittæ similia? sicut enim vitta fluentes capillos stringit: ita se labia eius per discretam censuram silentiis stringebant, nè quòd ex eis Verbum inordinatum, vel inutile efflueret. Mariæ lingua æque vt aliorum in vdo erat; sed non vt aliorum lingua labebatur; quia discretionis vitta constricta, non nisi vtilia vtiliter loquebatur. Non poterat non eloquium eius esse dulce. Quis vnquam tam dulci fuit eloquio quam Mater dulcedinis? Quid poterat cor dulcedine redundans eructare, nisi Verbum dulce? Quid poterat nubes illa dulcedine grauida stillare, nisi dulcedinem, nisi mel, & fauum?*

Quàm dulce Mariæ dulcedinis Matris eloquium!

Quæstio

89. *In Filij passione Mariæ labia eiulatū non emiserūt, as si passio ipsa, quæ in aliis matribus labia aperiret, Virginis labia clauderet.* Guillelm.

Quæstionem mox Abbas excitauit. *Cur vittæ coccineæ* Mariæ *labia similia*? Et respondet. *Per rubentem coccum passio Dominica significatur. Itaque sicut vitta coccinea labia eius.* Quoniam tunc *etiam cum patientem cerneret Filium, silentij districtionem non remisit. Adeò vt nec tam acerbus materni affectus dolor eiulatum, vel fœmineum affectum, aut clamorem, vel vocem vllam animi fracti indicem extorqueret.* Ipsa enim passio Filij in vitta coccinea signata, quæ quidem aliarum matrum labia ad eiulatus aperiret in filiorum incommodis, Mariæ labia claudebat. O fortissima fœminarum! *Videras Filium, qui sicut Agnus coram tondente obmutescit, non aperiente in passione os suum. Filio compatiens Mater stabat iuxta crucem dolorem acerbitatis sacro silentio premens. Anteà labia eius fuêre sicut vitta: tunc autem re vera vittæ coccineæ simillima fuisse Spiritus sanctus testatur.*

90. *Nec ipsa ratio potest verborū Mariæ dulcedinem exponere, etiam et fuit tempus loquendi.* Guillelm.

Et eloquium tuum dulce. Ad quæ idem Doctor. *Tempus loquendi, & tempus tacendi. Tempore tacendi labia Mariæ fuerunt sicut vitta coccinea. Sed tempore loquendi sicut mel dulce eius fluebat eloquium. Tempus tacendi fuit, Christo tacitè cruciatus perferente.* Quia tacente in passione Christo, quasi necessum esset, tacere Mariam, vnum spiritum, vnum corpus cum ipso effectam. *Tempus loquendi fuit, postquam eius Filius victor ab inferis remeauit. Sed quid tunc loquuta fuerit sacra Littera tacent: vt meditetur pietas cogitantis, quod exprimere nescit ratio differentis.* Nec ipsa ratio potest verborum Virginis dulcedinem exponere.

91. *Mariæ labia funis quo nos ad Deum attrahit, & ei adstringit, nè recedamus.* Hailgrin.

Cardinalis Hailgrinus sic versiculum exposuit. *Sicut vitta coccinea, siuè vt funiculus coccineus (secundum aliam litteram) labia tua: & eloquium tuum dulce. Ac si dicat: Labia tua fusis ad Deum precibus sicut vitta constringit capillos, sic cogitationes hominum constringunt, & adstringunt capiti suo Christo, nè effluant, vel elongentur ab ipso.* Itaque labia Virginis cum pro hominibus preces efformat, *vitta* sunt, siue funis, qua illos ad Deum trahit, & cum ipso, ne aufugiant, constringit.

92. *Funiculus labiorum, seu precum Virginis triplex est, qui difficilè rumpitur.* Eccl. 4. Hailgrin.

Vis autem dignoscere, quam fortis sit funiculus precum Mariæ ad homines trahendum ad Deum, & ipsi constringendum? Certè *funiculus triplex difficilè rumpitur.* Eccles. 4. Vitta autem labiorum Mariæ funiculus triplex est. Hailgrinus adiicit. *Funus autem ille coccineus*, seu vitta coccinea labiorum, vel precum Virginis *est funiculus triplex, qui nos constringit in Christo, & conseruat in eo; pro eo quod eloquium eius dulce est in precibus.* Pulchrè quidem.

93. *In Mariæ labiis puritas, charitas, humilitas, & materna authoritas, vt Filio fælicia oscula reconciliationis humanæ propinaret.* Richard.

Profectò Richardus de S. Laurent. lib. 5. de laud. Virg. Mariæ labia ita describit. *Pulchritudo oris consistit in debita labiorum coloratione, & moderata grossitie, & modesta ipsius oris fissione, vel apertione. Debita verò coloratio est, vt exterius habeat colorem lilij, interius rosa. Vnde Cant. 4. Sicut vitta coccinea labia tua.* Et Cant. 5. *Labia eius lilia. Quod verè sentiendum est de labiis Virginis, quæ pudica erant, quoad lilium: charitatiua in precibus, quoad rosam. A superba grossitie præseruabantur per humilitatem quando dicebat: Ecce ancilla Domini.* Luc. 1. *A nimia tenuitate, cum diceret; Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est. Talibus autem labiis oportebat labiis Filij, qui candidus est, & rubicundus, propinari fœlicia oscula reconciliationis humanæ. In quibus scilicet labiis esset puritas, charitas, humilitas, & materna authoritas.* Et addit. *Ex quo ipsa assecuta est fœlix illud osculum, quod petebat* Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui. Fecit osculum nouum inter omnes creaturas, scilicet inter cœlum & terram; inter Deum & hominem, Iudæum, & Gentilem, quæ omnia maximè discordabant; & facto illo osculo, omnia inuicem sunt osculata.*

Paulò superius idem Doctor inquit. *Ad litteram labia Mariæ, quibus formabat dulcia verba sua, dicuntur coccinea, quia ad amorem Dei, & proximi inflammant. Coccinum enim flammeum habet colorem. Quibus etiam labiis dulcifluas orationes suas pro nobis in conspectu sui Filij vnigeniti efformat.* 94. *Mariæ verba audientes ad Dei, & proximi amorem excitabant.* Richard.

Adhuc ille. *Alia littera dicit, sicut funis coccineus labia tua: & eloquium tuum dulce. Funis coccineus est triplex ille funiculus, qui cum prædicatione Trinitatis Verbum admiscet de coccino passionis; & sicut ista prædicatio cogitationes nostras constringit in Christo, & conseruat in eo: ita facit B. Virginis prædicatio, pro eo quod eloquium eius Deo dulce est. Et funiculus iste coccineus, id est, charitatiua oratio Mariæ procedens de eius labiis extrahit animas de profundo peccati, sicut funis aquam de puteo. Aqua enim sunt populi.* Apoc. 17. *Puteus est vorago peccati. Vnde orat Propheta* Psalm. 68. *Neque vrgeat super me puteus os suum.* 95. *Mariæ labia, seu preces funis instar, extrahit homines à puteo peccati.* Richard.

Sicut vitta coccinea labia Mariæ. Per rubentem coccum passio, seu Martyrium significatur. Quid cum Martyrio linguæ Mariæ? An quia non minus Virgo loquendo meruit, quam meruerunt Martyres dum sanguinem fuderunt? An quia tam amans silentij, vt cum loqui cogeretur scissio vittæ seu labiorum apertio erat quasi vulnus accipere? Aptius dixeris, quia cum loqueretur, auditores, imò & aërem ipsum sanctificabat, quod Martyrum linguæ D. Basilius attribuit. Scribens enim de quadraginta Martyribus, ait; *Non minis pauefacti in medium progressi, Christianos se ipsos pronuntiarunt. O beata lingua, quæ beatam illam vocem emiserunt, à qua suscepta aër sanctificatus est.* Et non sanctificasset aërem Mariæ vox, quæ Martyrum Mater, à qua loquente post Deum, Martyres habuerunt, vt Martyres essent? Sanctificabat aërem instar Martyrum vocis, vox Mariæ, sanctificabat auditores. Vnde Guarricus ponderat Ioannem adhuc in matris vtero existentem per Virginis vocem fuisse sanctificatum. 96. *Mariæ labia veluti Martyrio rubricata instar Martyrum, voce aërem sanctificabant.* Basil.

Sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ.] Ac si diceret sponsus, genæ tuæ ô Virgo, siue exterior apparentia tua, seu id quod de te publico hominum patet aspectui, est non sicut malum punicum integrum, sed sicut mali punici fragmentum siue particula. Et si quæ ex fragmine intermicant grana meritorum, & excellentiarum, ea intra tuæ humilitatis velamen abscondis. Vnde quod de tuarum gratiarum, ac priuilegiorum, est iam Ecclesiæ reuelatum, id factum ex singulari Spiritus sancti prouidentia, quæ quidem (nescio an dicere audeam, te renuente) disposuit, vt dignoscerentur, quæ sub velo & cortice humilitatis 97. *Mariæ humilitatis cortice & velamine curabat abscondere, se esse Dei Matrem.*

militatis latere volebas. Dei effecta eſt Mater, Angelorum Regina, totius mundi Domina eſt acclamata, quo meritis, ac priuilegiis fuit ſuper cunctos homines & Angelos ſublimata. An oculis, an vultu, an labiis, an nutibus ſubindicauit, ſe fuiſſe in Dei Matrem electam? Porrò eadem humilitate, pudore, & ſui deſpectione, conuerſata eſt cum ſponſo, cum vicinis, cum cognatis, eademque ſimplicitate fuit domeſticis miniſteriis perfuncta. Adeò quidem Mariæ humilitas Maternitatis Dei gloriam obuelabat, vt nec Ioſepho per rimulam ſaltem myſterium apparuerit. Poteſt Virgo illud Prophetæ inclamare *Solem ſub nube tegam.* Ezech. 32. Solem iuſtitiæ in vtero habeo, Dei Mater ſum: ſed ſub nube hoc priuilegium tegere nitar, nè in publicum prodeat ſplendor. Bellè D. Ioannes Damaſc. Od. 6. in Theotocon. Maria appellat *Conclaue Solis abſconditi.* Quia re vera ſub aurea ſilentij, & humilitatis claue abditum habuit Solis diuini in carne latentis myſterium. Et D. Brigitta lib. 6. Verbum Incarnatum in Maria *Solem in puluere appellat.* Non ſolum in naturæ humanæ puluere: ſed & intra puluerem, & cinerem Mariæ humilitatis.

Sub nube humilitatis curabat Virgo ſolem iuſtitiæ abſcondere, ne Mater ipſius appareret.

Ezech. 32.

Brigit.

98\. Profectò Virginis humilitas appoſitè in malo punico deſignatur. Quia fructus huiuſce arboris Regiæ dignitatis eſt ſymbolum, diademate inſignitus. At non ſolum non oſtentat natiuum Imperium, coronam in altum extollens: ſed potius cum in arbore exiſtit, illam deprimit, & inclinat in terram. Fructum hunc Deipara refert, dum Maternitatis Dei Maieſtas non ſolùm non illam extulit ad diadema iactandum; ſed potius tantæ dignitatis pondus ex affectu humilitatis coronam depreſſit. Hanc Virginis demiſſionem Patres concelebrant. Andreas Cret. hom. de dormit. Deip. *Erat*, ait, *in medio propoſitum tricubitale, & luminoſum corpus Mariæ, quod Dei Verbi totam capiebat plenitudinem. Tricubitale* eſt exiguum corpus, quomodo D. Chryſoſtomus Paulum *palmarem hominem*, ſeu *paruulum* appellauit. An per rimulam corticis granum aliquod tam immenſæ plenitudinis Maria oſtendit? Audi D. Bernardum ſerm. *Signum magnum. De iis omnibus* priuilegiis, *ſed neque de ipſo Incarnationis Dominicæ Sacramento quodcumque Verbum Mariam feciſſe reperies. Væ nobis, qui ſpiritum habemus in naribus! Væ qui totum proferimus ſpiritum! Qui iuxta illud Comici, pleni rimarum effluimus vndique.*

Maria Regina cum eſſet omnium, curabat coronã mali granati inſtar demittere, & abſcondere.

Andr. Cret.

Chryſoſt.

Bernard.

99\. Iam coronam Mariæ, inſtar malogranati fructus, prominentem ad terram oſtendo. Referens Lucas reditum Mariæ & Apoſtolorum è monte Oliueti ad cœnaculum, & eorum nomina expreſsè annotans. Mariam, quæ Dei Mater, prima nominanda fuerat, vltimo loco collocauit. *Et cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt, vbi manebat Petrus & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Matre Ieſu.* Act. 1. Cur Maria Dei Mater, omnium Regina prima omnium non nominatur? Certè quia ipſius immenſum dignitatis pondus Mariæ diadema ad terram inclinauit, nè ſupra omnes oſtentaretur. D. Bernardus vbiſ. *Legimus in actibus Apoſtolorum, quod redeuntes de monte Oliueti vnanimiter perſeuerabant in oratione. Quod ſi Maria adfuit* Apoſtolorum & omnium Regina *nominetur prima, Petrus, Andreas, Iacobus, Ioannes, & cæteri, qui ſequuntur. Hi omnes vnanimiter perſeuerabant cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu. Itanè & mulierum vltimam ſe habebat, vt nouiſſima omnium poneretur? Imò & infra eam, de qua eiecta ſunt ſeptem dæmonia ineffabili manſuetudine* & humilitate *ſeſe inclinabat.* Profectò malogranati conditionem æmulatur Regia corona redimitum, quam pondus ipſum occulti theſauri ad terram inclinat.

Maria poſt Apoſtolos & fœminas nominatur, quia Lucas dignoſcebat, id Mariæ gratũ fore, quæ curabat diadema abſcondere.

Act. 1.

Bernard.

Dum video, Virginem malogranato Regio ab ſponſo comparari, eam ſimilem admodum Christo Deo & homini ſæculorum Regi recognoſco. Tam apud prophanos, quam ſacros ſcriptores malogranatum Regia ſtipatum corona Regiæ dignitatis eſt hieroglyphicum. Suetonius cap. 1. de Domitiano Imperatore notat. *Natus eſt in regione quinta Romæ ad malogranatum.* Quaſi arbor hæc Regia ipſi Imperium portenderet. At ſacer Hiſtorius 1. Reg. 14. 2. Hæc de Saüle refert. *Porrò Saül morabatur in extrema parte Gabaon ſub malogranato.* Scio potuiſſe hunc ſitum, & ſtationem Regis Saulis fortuitò ab ipſo eligi: non tamen crediderim fortuitò id à ſacro ſcriptore annotari, ſed vt malogranati vmbra obumbraret, & adumbraret Regem in ipſo figuratum. Cum ergo Christus per excellentiam ſit Rex Regum, in cuius capite *diademata multa* rutilare perhibentur: iure optimo dixerim illum myſticum malogranatum exiſtere. Cur verò ad Mariam fatur ſponſus: ſicut *fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Ac ſi diceret. Quicumque attenta mentis acie ô Virgo, virtutes, gratias, & priuilegia tua perpenderit, inueniet te eſſe fragmẽ quoddam Christi Filij tui, & Filij Dei. Nihil enim aliud eſſe videris, niſi diuinitatis ſegmentum. Quaſi Christus myſticè quodammodo ſit diuiſus in duo fragmenta, ſeu in ſe, & te. Fuit hoc D. Brigittæ reuelatum lib. 1. cap. 5. *Cum Filius meus* (ait Maria) *naſceretur ex me, ſenſi ego, quod quaſi dimidium cor meum naſceretur ex me, & exiret.* En cor vnum regale, inſtar malogranati, in duo fragmenta ſubdiuiſum, Christum ſcilicet, & Mariam.

110\.

Maria dum comparatur malo granato, ſimilem eſt Christo recognoſci.

Sueton.

1. Reg. 14.

Chriſtus eſt dimidiũ Mariæ cor.

Brigit.

Non ſemel mali punici grana aſſolent adeò increſcere intra corticem, vt cortex diſrumpatur, & per fragmen rubentia grana intermicent. Sic in Virgine in tantam magnitudinem, & quaſi immenſitatem gratiæ merita, ac priuilegia eruperunt, vt ipſa renuente humilitate, quæ illa occulare ſub cortice ſtudebat, in publicum, cortice ea continere impotente, prodirent. Profectò D. Dionyſius Areopagita, ex ſolo cortice malogranati granorum Mariæ, abſque cognitione eorum, quæ *intrinſecus* granorum latebant, eam tanquam numen adoraſſet, niſi fide teneret iam vnicum eſſe Deum. Id ipſe profitetur. Si autem ſuperficialis cortex quid diuinum in Maria aſpicienti tanto viro apparuit; quid ſi granorum theſaurum ei daretur inſpicere. Ideò crediderim Mariæ genas ſub diuerſis vocabulis malogranato comparari. Hic quidem dicitur, *ſicut fragmen mali punici.* Et cap. 6. *Sicut cortex mali*

101\.

Tam magna Mariæ merita, vt [illegible] ipſa adeò curaret illa abſcondere, eadem magnitudo humilitatis carcerem dirumpebat, vt apparerent.

Dionyſ.

Cant. 6.

mali punici. *Cortex* dicit omnimodam granorum occultationem, *Fragmen* aliqualem reserationem indicat. Cortici ergo comparantur Mariæ genæ, quatenus sub humilitatis operculo conata est suam obtegere maiestatem; fragmini autem, quatenus tantæ maiestatis quasi immensitas impotens intra humilitatis corticem circumscribi, foris radiauit. Mox aliter respondebo.

102. *Vt cognoscamus, Mariæ omnem possibilem gloriam tribuamus, nō accurramus ad eius virtutes, sat est, vt eam sciamus Dei esse Matrem.* Cant. 6.

Quatuor in Deiparæ encomium hîc proponam quæstiones. Prima sit, cur sponsus in præsenti sponsæ Mariæ genas *fragmini* mali punici, cap. autem 6. eiusdem *cortici* comparauit? An aliquod hîc discrimen in verbis, vel in sensu reperiemus? Ita planè. *Fragmen* enim *mali punici* sonat partem mali punici cum ipsis granis cortici affixis. At cortex propriè solummodò dicit extimum illud granorum operculum. Mysterium ergo est, quia cap. 6. iam Maria introducta est vt Dei Mater, vtpote hortus, in quem sponsus descendit, vt homo fieret. *Descendi in hortum meum*, seu vterum tuum *soror mea sponsa*. At in præsenti nondum ita distinctè fuerat Mater Dei declarata. Virgo igitur prius quam vt Dei Mater obiiceretur; fragmini cum granis comparatur, vt virtutum in illis expressarum aspectu illius merita nosceremus. Sed postquam vt Dei Mater inducitur, necesse non est, ad virtutum, & meritorum intima accurrere: sat enim, considerare Mariam (solo cortice obiecto) Dei esse Matrem, vt illi omnem possibilem gloriam tribuamus.

103. *Modus laudandi Mariam debet similis quodammodo esse modo, quo Dei attributa laudamus.*

Deinde quæsierim. Cur hæc elogia Virginis cap. 6. repetuntur cum diminutione, quando erant cum auctuario geminanda, iuxta legitimam Rethoricæ regulam, quæ edocet, in oratione laudatoria, si encomium repetatur, debere id cum maiori energia & vi orationis exeri. Videtur ab ipsa sapientia ab sponso Deo hanc regulam esse violatam. Cur enim cap. 6. easdem Mariæ laudes iterauerit, quæ ab ipso fuerant hoc cap. 4. celebratæ, aliquas repetit quasi imminutas: alias prorsus silentio inuoluit. Hic comparat sponsæ capillos *gregibus caprarum, quæ ascenderunt de Galaad*. Ibi autem *gregibus, qui apparuerunt*. Plus autem est, ascendere, quam apparere. Hic fatetur sponsus se sponsæ oculis vulneratum. Ibi verò dicit, quod sponsæ oculi eum *auolare fecerunt*; at plus significat oculorum pulchritudine vulnerari dilectum, quam à dilecta recessisse volucris instar, nè vulneraretur. Hîc sponsus oculos, capillos, dentes, linguam, labia, collum, genas collaudat. Ibi autem, nonnulla horum rursus commendat, alia silentio inuoluit. Respondeo sponsum innuisse, modum loquendi ad Mariæ laudes proferendas debere esse simile quodammodo stylo, quo Dei attributa commendamus. Quæ quidem quo plus cognoscuntur, simul dignoscitur, plus in illis dignoscendum superesse: & quasi nihil fuisse cognitum, si cum immensitate eorum, quæ dignoscenda supersunt, conferantur. Nisi dixerim, subtilissimæ Rethoricæ regulam quòque esse, silentio, aut simulata obliuione collaudare. Vt sic indicetur, tantas esse in celebrato subiecto laudes, vt exprimi nequeant.

104. *Mariæ laudes non possunt*

Tertiò requiram. Cur Mariæ elogia, quæ in præsenti obiiciuntur, inferius iterum celebrentur? Id fieri existimo, vt innuat sponsus, Deiparæ laudes haud posse vnica acclamatione exprimi, vnde necessum fuit rursum illas repetere, vt repetitio ad vberiorem audientes acuat intellectionem. Quomodò Seraphini illi Isa. 6. illud Dei elogium: *Sanctus, sanctus, sanctus*. Vt per huiusmodi iterationem infinitæ Dei sanctitatis quid amplius dignosceretur. Sic Mariæ elogia ab sponso repetuntur, quasi in hoc genere Virginis gloria diuinum quid existat.

vna orationis expressione dignosci, sæpè debent celebrari. Isa 6.

105. *Licet ex oculorum & genarum Mariæ fenestris multa nimis priuilegia rutilent, innumera autem interius lateant, quæ à creaturis haud valent agnosci.* Periand.

Quartò denique rogitarim. Cur illam particulam, *Absque eo quod intrinsecus latet*, seu *absque occultis tuis*, solummodo in oculis, & genis Mariæ sponsus expresserit? Profectò oculi, & genæ apertiores sunt fenestræ, *per quas* (vti Periander canebat) *signis, & indiciis sese animus exerit aspiciendum*. Diligit anima? Statim in oculis spirat affectus. Animus irascitur? Illicò per oculos iræ fumus internolat. Timet animus? Mox genas pallor occupat. Verecundatur animus? Statim genæ pudore rubescunt. Quia igitur in facie oculi & genæ sunt affectus animi indicamentum: ideò sponsus acclamata genarum oculorumque Virginis pulchritudine addidit. *Absque eo, quod intrinsecus latet, absque oculis tuis*. Ac si diceret: Multa quidem ab hominibus, & ab Angelis colligi possunt de interna specie ex oculorum, ac genarum pulchritudine, cùm sint præcipuæ animæ fenestræ. Attamen innumerabilia priuilegia sublatent, quæ ad plenum nequeunt agnosci. Hoc quidem ex capite Filio Mater assimilatur. Psalmus nonus hunc habet titulum. *In finem, pro occultis Filij*. Licet enim multa animæ Christi priuilegia per oculorum, genarumque fenestras dignoscenda obiiciunt, alia innumerabilia hominibus & Angelis occultantur. Sic occulta Deiparentis priuilegia in Canticis celebrantur. *Pro occultis Matris*. Hæc proprio omninò marte: iam ad Patres redeo.

106. *Virginalis Mariæ verecundia multarum Virginum verecundiæ fuit Magistra.* Rupert. Ierem. 3.

Rupertus ait. *Malum punicum dicitur eo quod ex punica regione sit genus eius translatum. Idem & malum granatum, eo quod intra corticis rotunditatem granorum contineat multitudinem. Ita inquit gena tua sicut fragmen mali punici: id est, verecunda es, sicut decet Virginem longè dissimilem filiabus illis, quarum cuilibet dicendum fuit: Frons mulieris meretricis facta est tibi & erubescere noluisti*. Ierem. 3. *Fragmen mali punici & rubet, & amplius, quam malum integrum redolet. Sic & tu: & singulariter verecunda es, & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies*. Itaque virginalis Mariæ verecundia in granis rubentibus signatur; rubor enim ille sacras Virgines verecundiam edocet. Vnde rubori verecundiæ Mariæ innumera grana, seu innumerabiles Virgines illius ruboris æmulatrices adhærescunt.

107. *Mariæ virginalis verecūdia non procedit ex aliquo conscientiæ defectu, sed summa Religiositas est.* Rupert.

Profectò nè ex genarum rubore possit aliquis suspicari, aliquid esse in Deiparæ animo, ex quo verecundia posset attaminari: hanc verecundiam asseruit Abbas potius Religiositatem debere vocitari. *Quid autem* (adiicit) *est dicere, Absque eo, quod intrinsecus latet, nisi ac si diceret: Et intus, quod in conscientia latet, amplius laudabile est. O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conscientia munda, & foris facies verecunda est. Nam vbi est aliquid, quo mens erubescat, non adeò laudabile est; si*

conspectam

Mariæ vere cundia silens prædicat.

conspectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia quid est nisi Religiositas summa? Et hæc virtus sine dubio malo punico debuit assimilari, quia gratiosa est intuentium oculis, & interdum suo silentio non minus ædificat, quam sermo prædicationis.

108. Confirmat hanc modestiæ seu summæ religiositatis Mariæ in silentio prædicationem Doctissimus Abbas ex Sacerdotalis tunicæ, quam Deus elaborari præcepit, parte inferiori. *Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, mixtis in medio tintinnabulis.* Exod. 28. Verecundiam Mariæ, quam *Religiositatem summam* appellat, in malogranatis signari ait, quæ quidem prædicationis tintinnabulis admiscentur. Virginis enim modestia silens aspicientibus est modestiæ, ac verecundiæ prædicatio. Ait ille, *Tua ergo verecundia*, (seu Religiositas summa) *sine dubio malo punico debuit assimilari. Quia silens loquitur, visa est verecundiæ & religiositatis magisterium. Vnde in tunica Pontificis deorsum ad pedes eiusdem tunicæ facies (inquit Dominus Moysi) per circuitum quasi mala punica ex hyacintho, purpura & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Malum quidem punicum in medio tintinnabulorum religiosum est silentium in societate fidei & doctrinæ. Qualis tu fuisti ô Virgo virginum, in adiutorio prædicantium*, qui in tintinnabulis designantur. Si malum punicum verecundiæ seu religiositatis Mariæ, silet, quomodo in adiutorio prædicantium versatur, seu quomodo prædicatrix ostenditur. Certè quia Virginis verecundia obiecta oculis, quasi vox prædicationis est procedens ad aures. *Etsi huiusmodi prædicationis tuæ ô Virgo, verba non leguntur, nec audiuntur, vbi prædicauerunt: opera tamen & merita tua non ignorantur, non minora, imò maiora tinnitu prædicatorum.* Pulchrè admodum.

Maria modestia silens cunctis est aspicientibus verecundiæ ac modestiæ prædicatio.
Exod. 28.
Rupert.

109. Quia tamen assolet quandoque in fœminis verecundia affectari, asserit Rupertus Mariæ verecundiam esse *Religiositatem*, quæ ex cordis virtutibus procedit. *Illud* (addit) *malum punicum rubicundum erat, vtpotè non ex solo hyacintho, qui color aëreus vitam significat cœlestem; verumetiam ex purpura, & cocco bis tincto factum. Et ita gena tua ô dilecta; verecunda es, & magistra verecundiæ, siue Religiositatis. Cuius verecundia tanto est laudabilior, quanto conscientia gloriosior, tutior atque securior.* Non est fictitia & apparens quæ in aëreo colore signatur; sed ex purpura, seu purpurea cordis procedens sanctitate.

Mariæ verecũdia non est affectata, sed religiositas ex cordis virtutibus procedens.
Rupert.

110. Audisti ex Ruperto, notanter sponsum comparasse Mariæ genas non toti integro malo punico, sed ei in fragmina diuiso. *Fragmen enim* (ait ille) *mali punici magis rubet, pulchrius est, ampliusque redolet.* Signat ineffabilem erga homines Deiparæ munificentiam, quæ bona sua non auara tenacitate clausa retinet, sed grana, sed thesauros omnibus veluti prodiga effusione largitur. Ideo *oliua speciosa*, non in horto concluso, sed *in campis* apertis cunctis suos fructus offerens vocitatur. Hanc munificentiam Virginis D. Ioannes Damasc. orat. 1. de Nat. eius recognouit, dum inquit *Vitam natura præstantiorem habes non tibi ipsi. Neque enim tui ipsius causa progenita es. Quocirca eam habebis, vt orbis vniuersi salutis administram te præbeas. Vitam*, ait, *habes non tibi ipsi.* O quam immensa Mariæ liberalitas ergà humanum genus, vt non solum diuitias, sed illud etiam viuere nobis impendat!

Quidquid Maria diuitiarum habet in salutẽ hominum impendit.
Rupert.
Damasc.
Tanta Maria erga nos liberalitas, vt ipsam vitam nobis largiatur.

Philippus Abbas inquit. *In genis iuuenculæ* 111.
quasi in eminentia faciei thronum sibi collocat speciei excellentia, illicque sedens regalem obtinet Principatum. Intendens ergò sponsus pulchritudinem Virginis commendare, genas illius amat malo punico, imo fragmini comparare. Vt vnius fragminis duplex color foris rubeus, intus niueus Virginis laudes dicat, pari sonet præconio, & neuter alteri contradicat. Attende. *Color rubeus sanguinis formam gerens, typus est passionis, quam Virgo sustinuit sui desiderio Salomonis. Quæ quidquid mundus vel promissionibus insonat* (promissiones enim mundi solum habent sonum.) *Vel terroribus intonat, animo forti spreuit, æquo propulsauit pede, denique malum nec dum fractum visui placidum dat ruborem; fractum vero gustui congruum dat saporem. Sic & Virgo non depressa, non concussa malleo, vel tortore, colore splendet punico, rubet desiderio, & amore.* En Martyrium Deiparæ ex desiderio Iesum aspiciendi, amore ineffabili gladij vulnera ministrante. Licet enim Maria post Christi Ascensionem frequentibus illius visitationibus frueretur, tantus erat amoris affectus, vt quodlibet absentiæ instans æternam saperet Virgini durationem; vnde dirè vulneraretur.

Virginis Martyrium ex amoris desiderio Christi videndi.
Philip.

Exponens verò illam particulam. *Absque eo* 112.
quod intrinsecus latet, inquit Abbas. *Ex eo, quod paret, ô Virgo debes laudanda prædicari ex muneribus* scilicet *gratiæ, quæ vtcumque possunt rebus temporalibus comparari. Absque eo, hoc est, eo tacito, quod adhuc absconditum non videtur. Ex quo tibi dignè præcipuè laus daretur, si vel dici posset, vel si dictum ab hominibus caperetur.* Ex his ergò, quæ de præconiis Virginis dignoscuntur, admodum eam laudabilem profitemur. Ex his verò, quæ ignoramus supra modum laudabilis esset. Sed duo obstant. Primùm quia ea interna præconia *dici non possunt*, ineffabilia sunt. Alterum, quia nullo licet eleuatissimo valent intellectu comprehendi: *Vel si dictum ab hominibus caperetur.*

Quæ Virginis tacentia latent, ineffabilia sunt, nec possunt humana intellectione capi, etiam si dici possent.

Sic gloria cœlestis ab Apostolo describi- 113.
tur. *Neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. Cœlestis gloriæ æmulatrices sunt internæ Deiparæ dotes, quæ videri non possunt, quia intrinsecus latent; nec voce exprimi, quia ineffabiles, nec ab intellectu capi, quia incapax intellectus hominum tantæ est excellentiæ. Pulchrè Philippus, ô Virgo, *quod oculus non videt, auris non sustinet, in cor hominis non ascendit, ad exponendum illud præsens loquutio non intendit.*

Mariæ dotes instar gloriæ cœlestis, quia non videntur, verbis non valent exprimi, nec intellectu capi.
Philip.

Verùm ex eiusdem Philippi mente malum 114.
punicum in fragmina diuisum symbolum est partialis Martyrij Deiparæ cum Christo patiente. Qui quidem hoc voluit honore Matrem ornari, vt quodammodo mundi cum ipso corredemptrix appareret. Ait D. Bernardus serm. 2. de Assumpt. *Ad restaurationem generis humani sufficere poterat solus Christus; sed bonum nobis non erat hominem esse solum: congruum magis erat*, vt adesset *eorum reparationi sexus*

Maria quodammodò mundi corredemptrix.
Bernard.

vterque;

vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Ac si diceret, sicut ex Adamo & Eua quasi ex duobus fragminibus putrefactis integra totius malogranati humani generis corruptio constitit: ita decuit, vt malogranatum integrum redemptionis nostræ, quodammodo ex Filio ac Matre patientibus, velut è duplici fragmine coagmentaretur. D. Ambros. lib. 3. in Luc. cap. 23. *Stabat autem Maria iuxta crucem. Nam Maria aula regalis putabat, se & sua morte publico muneri aliquid addituram.* Nempè vt compassio sua quodammodo esset quasi mali punici fragmen Christi passioni superaddendum. Richard. de S. Vict. Mariam *sociam in Christi redemptione* vocitauit. D. Brigitta lib. 1. Reuel. cap. 5. *Dolor Christi,* Maria inquit, *erat dolor meus; quia eius cor erat meum. Sicut enim Adamus & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo: sic Filius meus, & ego redemimus mundum quasi vno corde.* Id est, vt quemadmodum ex primis Adamo & Eua cuncti homines fuerunt captiuitati additi: ita à melioribus Adamo & Eua redimerentur: verè quidem à Christo, quodammodo à Maria.

Ambros.

Ricard. Vict. Brigit.

115. Abbas Guillelmus acutè Virginis commendans pudorem in genis expressum, eas asserit non agnato rubore, sed Christi sanguine rubricari. *Cum Filius Matri dicit: sicut fragmen mali punici genæ tua, indicat indiuiduum eius comitem extitisse ingenuum pudorem: in genis referentem colorem cruoris, cuius effusio mundi redemptio extitit.* Pudor fœminæ commendabilis obiicitur, cum illius genæ velut intinctæ sanguine apparent. Quam commendabilis Mariæ pudor, cuius genæ non vulgari sanguineo colore, sed ipso Redemptoris Christi cruore rubescunt.

Genæ Mariæ ob pudorem sãguine ipsius Christi rubescunt. Guillelm.

116. Exponens autem particulam: *Absque eo, quod intrinsecus latet.* Abbas adiecit: *Verecundia hac non ficta, sed vera fuit, quia verecundiam mentiri veritatis Mater nequiuit. Erat tamen interius latentis fornacis quadam dumtaxat strictura. Ideo subiungitur: Absque eo, quod intrinsecus latet, quod soli cognitum Deo. Nam quanta fuerit puritas conscientiæ B. Virginis, quam recta eius intentio, ille solus nouit, qui talem futuram præsciuit: & vt talis esset, auxilium dedit.*

Quanta fuerit conscientia, ac recta intẽtionis Mariæ puritas, solus Deus dignoscit. Guillelm.

117. Cardinalis Hailgrinus adhuc Mariæ innocentiam, & verecundiam, necnon eiusdem spiritualem pulchritudinem Deo soli cognitam hinc commendauit. *Fragmen mali punici ruborem ostendit; & candorem. In genis autem mulieris species consistit, & decor. Dicitur ergo Mater Domini speciosa propter ruborem verecundiæ, & candorem innocentiæ. Absque eo, quod intrinsecus latet soli Deo cognitum, nemini manifestum. Nam quanta esset species spiritualis B. Virginis, ille solus nouit, qui dedit.*

Mariæ verecundia, innocentia, & spiritualis pulchritudo soli Deo cognita. Hailgrin.

118. De flagranti Mariæ in Deum amore, de mirabili illius sapientia, & de corporea spectabili admodum pulchritudine Dionys. Carthus. versum exposuit. *Genæ,* ait, *gloriosissimæ Reginæ Virginis intelliguntur vernantissima pudicitia, & virginalis formositas eius, sanctam Virginem decens. Quæ instar malogranati, rubore igniti amoris, ac splendore sapientiæ præfulgebant, ac redolebant. Nec dubium quin & genæ eius corporeæ ex optima complexione, & conuenienti colore velut fragmen mali punici temperatè rubebant.*

Amor in Deũ, sapientia, & corporea pulchritudo Deiparæ Carthus.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

At Richardus de S. Laurent. lib. 5. de laud. Virg. in hac sententia cunctas Deiparæ virtutes veneratur. *Mala punica granata dicuntur propter multitudinem granorum: & fracta maiorem emittunt odoris fragrantiam, quam integra.* Fragmen itaque mali punici Mariæ virtutes ostentat: *Dicitur enim* (ait ille) *B. Virgo* instar fragminis mali punici, *speciosa propter ruborem pulchritudinis naturalis, verecundiæ virginalis, eximiæ charitatis, & sapientiæ singularis, & propter candorem innocentiæ, virginitatis, & immortalitatis, & etiam propter immunitatem peccati. Absque eo, id est, præter id, quod intrinsecus latet soli Deo cognitum. Nam quanta sit Mariæ sanctitas, ille solus nouit, seu absque interna virtutum pulchritudine, quæ omnes homines latuit, etiam Mariam ipsam.* Tanta enim fuit Deiparæ humilitas, vt nihil in se eximium adesse circa virtutum exercitamenta, vnquam existimaret. 119.

Cuncta Mariæ virtutes manifesta. Et alia interna, quæ cunctis, imò & ipsi Mariæ latebant. Richard.

Tanta Mariæ humilitas, vt nihil in se eximium.

Paulo inferius idem Richardus in mali punici fragmine purpuream Mariæ patientiam in tribulationibus, maximè in Filij passione fulgurari dicit. *In malo punico cortex pallet, ecce charitas* Mariæ: *grana rubent, ecce patientia. Profecto* Maria *potest dici colorata, seu rubens, & expressè similis sponso suo, quæ candorem innocentiæ quasi substractum habens, multis affligitur tribulationibus: nec tamen deserit innocentiam; sed omnia sustinet patienter. Sicut enim passus est Christus, qui fuit lilium inter spinas, quando exiuit portans spineam coronam.* Ioan. 19. *Sic & B. Virgo, quæ passa est in Filio.* 120.

Maria in tribulationibus patientia. Richard.

Ioan. 19.

Vers. IV.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Sicut turris Dauid.] Comparatur sponsa Maria (cum Martino Del-Rio loquor:) Turri Dauidis illi, quam expulso Iebusæo, Ierosolymæ ad hostium aduentum præuidendum: & simul ad irruentium impetum repellendum pro defensione oppidi Rex Dauid opibus, & scientia militari pollens in monte Sion extruxerat. Quæ vt cæteris eminentior erat turribus, sic indicat sponsam inter mulieres eminere. Addit Rel-Rius, *De hac turri Regum historia consulenda. Et vocatur ab Esdra turris magna, & eminens.* Consolamus Regum historiam lib. 2. cap. 5. 7. *Cœpit autem Dauid arcem Sion. Hæc est ciuitas Dauid. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid.* Nec mireris arci nomen ciuitatis imponi, quæ Italicè *Cidadela*, & apud Hispanos *Ciudadela* appellari assolet. Si verò consulere libeat Esdram lib. 2. cap. 3. 25. reperiemus: Turris, *quæ eminet de domo Regis, excelsa, id est, de atrio carceris.* Et vers. 29. vocatur: *Turris magna, & eminens.* Huius versiculi variæ extant versiones, quas in laudem Virginis inferiùs enodabo. 121.

Maria inter cunctas fœminas eminet. Del-Rio.

In Turri Dauidica Mariæ humilitatem contemplor. Audi Rupert. *Quid erat turris Dauid? Putasnè illa turris manufacta, de qua legitur. Cœpitque Dauid Sion: hæc est ciuitas Dauid?* 122.

Humilitas Mariæ turri comparatur ob demissionis magnitudinem. Rupert.

 Imò

Imò turris Dauid non manufacta fuit, cui tuum, ô Dilecta, collum debeat aſſimilari. Et hæc eſt humilitas Dauid. Atque hic ſenſus placet magis. Quomodo magis placere poteſt, ſi humilitatis ſubmiſſio contraria videtur turris eleuationi? Planè, quia humilitatis Mariæ ſubmiſſio tanta fuit, vt aptè in ratione demiſſionis turri; in ratione altitudinis comparari valeat. Aliàs verò nihil in humillimo admodumque ſummiſſo Deiparæ collo ſapiens turris ſuperbam eleuationem extitit.

123. *Maria ob humilitatè fortis eſt velut turris inexpugnabilis omninò.* Rupert.

Iſaiæ ex ore cap. 3. Dominus ait, *Filiæ tuæ eleuatæ ſunt, & ambulauerunt extento collo.* Certè collum illarum turris eleuationem ſuperbam æmulatur. *De filiabus Sion Dominus inquit* (cum Ruperto loquor.) *Eleuatæ ſunt, ambulauerunt extento collo*, non ſubmiſſo. *Hæc fuit ſuperbia illarum; propterea expugnari potuerunt. Tuum autem collum nequaquam extentum fuit; ſed eſt ſicut turris Dauid, id eſt, ſicut humilitas Dauid. Per quam ille fortis coram Deo, & contra homines ſtetit inexpugnabilis.* En genuina ratio; cur Virginis humilitas turri comparatur. Maria enim propter humilitatem in Dei conſpectu fortis, & contra Eccleſiæ hoſtes inexpugnabilis ſtetit, imò ſe terribilem oſtentauit. *Cunctas enim hæreſes ſola ipſa interemit.*

124. *Maria humilitas referens Dauidis humilitatem inſtar vermiculi octingentos debellat.* 1.Reg. 24. 2. Reg. 23.

Hoc ex capite Mariæ humilitas appoſitè Dauidis parentis cum humilitate componitur. Dauid cum Rex iam eſſet inunctus, Sauli perſequutori dixit: *Quem perſequeris Rex Iſraël, quem perſequeris, canem mortuum, & pulicem vnum?* 1. Reg. 24. An Dauidis humilitas mortuo cani, ac pulici comparata potuit adeo eſſe fortis, vt hoſtes debellaret? Profectò. 2. Reg. 23. dicitur de illo: *Quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Ecce vermiculus humilitatis Dauidicæ potens, octingentos hoſtes vno impetu debellare. Hæc quidem humilitatis Mariæ fortitudini ex Ruperti acumine accommodabo. *Hanc*, ait, *tantam* Mariæ *humilitatem conſequuta eſt fortitudo, ſicut ſcriptum eſt. Quaſi tenerrimus ligni vermiculus octingentos interfecit impetu vno. Ita collum tuum, imo & vltra quam turris illa collum tuum, id eſt humilitas tua, quæ ſedet, & patet in collo tuo non extento. Ædificata eſt cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Nihil enim deeſt, illic omnium, quæ continentur in ſcripturis veritatis: & neque inuiſibilis diabolus, neque viſibilis homo hæreticus è contra vnquam potuit, vel poterit.* (Rupert.)

125. *Inconcuſſa Maria in virtute conſtantia.* Philip.

Eidem hærens argumento Philippus Abbas, aſſerit Mariæ collum inconcuſſam eſſe illius in virtute conſtantiam, ac fortitudinem, quæ inſtar turris fortiſſimæ, nullis ventorum aut fluminum ceſſit impulſibus. *In collo commendatur*, inquit, *Virginis fortitudo. Propter quod illud turri ſimile perhibetur, quæ ſuo fixa pondere, impulſu ventorum, ſiue illiſione fluminum non mouetur. Quæ tanta eſt fortitudinis, vt locum ſuum non dimittat ſpirituum nequam poteſtati, & munimen inexpugnabile toti ciuitati conferat.*

126. *Maria ſolo aſpectu cunctos hoſtes debellat.*

Dauidica illa turris fuit erecta, vt ex illius vertice, à longe hoſtium aduentum mites recognoſcerent, & ſeſe ad retundendum illorum impetum appararent. Aſt Mariana turris hoſtibus obiecta eſt quidem eorum debellatio; vnde non valent ad Vrbem tanto præſidio munitam accedere. Appoſitè Philippus. *Illa turris*, ait, *ad hoc in Ieruſalem eſt erecta, vt à longè poſſet hoſtes præuidere ſollicitudine circumſpecta: etſi fortè appropiare præſumpſerint, ab eorum incurſibus ſe defendat: & quidquid damni intulerint, parui pendat. At Virgo, inſtar turris Dauidicæ, à longè hoſtem proſpicit, ſed deſpicit, & non curat.* Quia *ad eius intuitum horret ille, & refugit; tantum horrorem incutit, & tam potenter repercutit hoſtem facies intuentis, & tuentis Mariæ.* (Philip.)

127. *Maria ineffabilis præceptorum & conſiliorum obſeruantia.* Philip.

Mille clypei pendent ex ea, &c.] In hiſce propugnaculis præcepta & conſilia vtriuſque Teſtamenti recognoſco, quibus collum Mariæ flexũ intueor ob perfectiſſimam omnium obſeruationem. Idem Philippus adiicit. *Eſt turris ædificata cum propugnaculis. Iſta propugnacula, vt æſtimo ſunt præcepta, & monita ſcripturarum, & Prophetarum eloquia. Huiuſmodi propugnaculis turris Dauidica ſe defendit. Quia inde flexa Virginis fortitudo, quæ per collum dicta eſt figurari.* Certè Maria ſe fortem, ſe conſtantem ſemper oſtendit in flectendo collo ad omnium præceptorum, & perfectionis conſiliorum obſeruationem.

128. *Myſteria ad Chriſti Incarnationem ſpectantia olim velaminibus obtecta nobis Maria Magiſterio referantur.* Philip.

At ſi malis, in clypeis occulta ſcripturæ myſteria ad Chriſti Domini Incarnationem ſpectantia tot olim velaminibus obtecta ſigna dixerim, ea omnia è Deiparæ collo iam ſine velamine pendent. Eius enim Magiſterio cuncta dignoſcimus. Ad hæc Abbas. *Pendent ex Maria clypei ſcripturæ ſacræ. At in ea non ſeris, aut vectibus eſt incluſum*, quod ad noſtram pertinet eruditionem: *Sed euidenti beneficio ad noſtram vſque notitiam eſt diffuſum. Vt recurrentes ad Virginem gaudeamus manifeſtius inuenire, quod auara nobis antiquitas myſteriali nubilo voluit operire. Cuius myſteria nobis è Maria dicimus dependere. Collum ergo Virginis turri non incongruè aſſimilatur.* Ex quo pendent myſteriorum reſeratorum clypei. Quæ quidem myſteria monilia dixerim è Mariæ pendula collo. Siquidem cap. 1. dicitur, *Collum tuum ſicut monile. Cui murenulas aureas faciemus, vermiculatas argento*, ſeu iuxta aliorum lectionem, *Cum libris argenti.* Quia per Mariam ſcripturarum libri, ſiue eorum myſteria, ſine velaminibus tam dilucidi oſtentantur, vt appoſitè argento comparentur.

Maria nobis libros ſcripturæ expoſuit. Cant. 1.

129. *Deiparæ humilitas Chriſti humilitati aſſimilatur.* Guillelm.

Porrò Guillelmus Abbas mirificè Deiparæ humilitatem commendat, dum aſſerit eam Chriſti Domini ineffabili humilitati aſſimilari. *Duas*, inquit, *turres inuenio, vnam ſuperbiæ, alteram humilitatis, cum lego. Omnis, qui ſe exaltauerit, humiliabitur: Ecce turrim ſuperbiæ ruituram; & qui ſe humiliat, exaltabitur: Ecce turrim humilitatis exaltandam.* Luc. 14. *Porrò ad turrim ſuperbiæ deſtruendam verus Dauid in mundum veniens inexpugnabilem humilitatis turrim ædificauit propriis ſumptibus dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Nihil enim ita confundit ſuperbiam creaturæ, quàm humilitas creatoris.* Huic ergo turri humilitatis Chriſti Mariæ humilitas comparatur. *Collum tuum*, adiicit ille, *ô Maria, eſt ſicut turris, quaſi teres, non quadrata: collum hoc rotundum, quia ſemper æquale purum, & ſimplex. Talis humilitas piæ Matris fuit*

nunquam

nunquam aspera, vel angulosa; fuit etiam procera, quæ cœlos penetrauit, dum altissimo placuit. Sicut turris ergo Dauid, id est, Christi Mariæ humilitas; quia eam Mater à Filio dicit.

130\. *Maria meritis instar turris præcelsa est Ecclesiæ præsidium.* Hailgrin.

Hailgrinus verò asserit Deiparam dignitate, & meritis præcelsam, instar turris, esse Ecclesiæ præsidium. *Sicut turris*, ait, *Dauid collum tuum, seu ceruix tua, secundum aliam litteram, quæ ædificata est cum propugnaculis. Ceruix B. Virginis eminentiam sublimitatis eius designat; propter quam ipsa dicitur turris Dauid. Quam Christus Dominus in Ierusalem, id est, in Ecclesia sua ædificauit, & erexit, vt esset peccatoribus munimentum, & refugium. Dicit ergò, quod mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium. Nam ad defensionem nostram, & munimentum ipsa nobis administrat adiutorium.* Non equidem qualecumque, sed *omne*, quod ex omnium Diuorum præsidio, & intercessione præstari cœlitus nobis assolet omnibus; quia in solius Mariæ patrocinio *omnis armatura fortium* colligatur.

In sola Mariæ intercessione omnium Diuorum ad intercedendum vis colligatur.

131\. *Maria est qualis ab omnium oribus poterat postulari, seu* A pedir de voca. Genebr.

Genebrardus sic hæc verba legit: *Collum tuum est sicut turris, quæ ædificata est ad acerrum orum,* id est, qualis poterat expeti, seu ab oribus multiplicibus postulari, siue vt vulgariter dicimus, *A pedir de voca.* Quibusnam vero ab oribus? Certè ab ore Patris æterni, vt esset eius dignissima Filia per gratiam. Ab ore Filij, vt fieret præstantissima illius Mater. Ab ore Spiritus sancti, vt ipsius sponsa purissima existeret. Ab oribus Angelorum, vt eorum immaculata Princeps exurgeret. Ab omnium ore hominum, vt eorum protectioni attenderet. Perfectissimam igitur Maria ad omnium orum se exigentiam ostentat.

132\. *Maria fortissima ad aciē orum, hoc est,* A prueba de vocas de cañon. Genebr.

Alij apud eundem Genebrardum sic legunt: *Ad aciem orum*, seu vt etiam vulgariter explicem, extructa est Maria *A prueba de vocas*, quemadmodum de turri, vt eius fortitudinem innuamus, dicere possumus *A prueba de artilleria, o vocas de cañon.* Ita fortis: ita perfecta turris Mariana exsurgit, vt licet in ipsam omnium maledicorum ora quasi tormenta bellica pugnantia dirigantur, nè minimam quidem illa læsionem suo in honore, sua in maiestate perpeti valeat. Conspirent dæmonum, & hæreticorum cuncta ora blasphema, nullam poterunt Virgini imperfectionis notam impingere minus Dei consonum genitrici.

133\. *Omniū creaturarum ora in innumeros aceruos collecta ad manifestandum Mariæ præconia, nihil exprimēt respectu illius meritorum.* Basil. Seleuc.

Alij legêre *ad aceruos orum*, (non solùm *ad acerrum*, vti Genebrardus legerat,) id est, ad omnia cunctarum creaturarum ora, linguas, verba, encomia. Quæ quidem in multiplices *aceruos* collecta licet immensos, nihil omninò exprimerent, respectu excellentiæ, ac maiestatis Dei genitricis. Aiebat D. Basil. Seleu. orat. 38. *Vt non in facili est, Deum nosse, aut de eo loqui: imò ex eorum numero, quæ fieri minimè possunt: sic magnum Deiparæ Sacramentum omni ratione celsius est, & oratione.* Vnde licet omnium creaturarum ora certatim velint eius elogia prædicare, minimè poterunt oratione exprimere, cum sint vel ratione celsiora.

134\. *Omnium creaturarum ora suspēdunt Deiparæ merita.* Aben-Ezra.

Aben-Ezra sic: *Collum tuum est sicut turris, quæ ædificata est, ad suspendenda ora.* Nam tam admirabili arte est fabricatum, vt oculos & ora omnium intuentium admiratione defixa suspendat. Et vt Hispana phrasi loquar, *Es su artificio para tener Angeles y hombres la voca abierta por la admiracion.*

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Rabbi innominatus apud eundem Genebrard. *Sicut turris Dauid, quæ ædificata est in rectum, ita collum tuum.* Quemadmodum ergò, vt turris aliqua ædificata in rectum, & sic vsque ad culmen porrigatur, necessum est, vt ab ipso fundamine in rectum incipiat: sic Virgo semper *in rectum fuit.* Nunquam enim nè in minimo quidem à rectitudine deuiauit. 135. *Maria semper in rectum fuit.* Rab. innominat.

Ex aliis innominatis Rabbinis, & ex Aben-Ezra Genebrardus: *Collum tuum sicut turris, quæ ædificata est ad disciplinam ita pulcherrimo opere, atque perfecto: vt quilibet opifex ex ea possit ediscere: & qui vult insignem fabricare turrim eam videat, & in ædificando eius sequatur exemplum.* Profectò vt turris hæc sit quasi prima regula, & norma perfectissimè ædificandi, vndequaque debet esse perfecta. Virgo sacratissima fuit diuinitus in Ecclesia constituta ad docendum, seu vt ex ea perfectionis studiosi possint eleuatissimæ sanctitatis regulas ediscere? Quis dubitet illam à Deo extructore ineffabili perfectione fuisse erectam? 136. *Maria à Deo strecta hominibus, vt omnem ab ea ediscant perfectionem.* Genebr. Aben-Ezra.

Vatablus, & alij ex Tygurina, hæc verba sic legunt: *Collum tuum est sicut turris, quæ facta est ad docendum transeuntes, & dirigendum viatores.* Crediderim ab sponso fieri allusionem ad aliquam turrim in loco eminenti constructam quasi in initio plurium viarum, in qua fuerint designatæ viæ ad diuersas vrbes tendentes, nè aberrarent viatores. Huiusmodi legi esse illud: *Milliarium aureum* celeberrimum Romæ, sine columna apud capitolium (seu *Campidoglhio*, dicta *Milliarium*, quia in ea sunt assignatæ omnes antiquæ viæ ex vrbe ad diuersa loca tendentes; vt viatores inscij edocerentur. Haud aliter Deiparæ collum per verba, & per ineffabilem rectitudinem est quasi turris, vel columna à Deo fabricata ad transeuntes semper homines edocendos, & dirigendos, nè deserentes cœlestem viam, inferi exitialem arripiant. 137. *Maria est viatorum hominum directrix, ne deserentes cœlestē viam, iter Tartari arripiant.* Vatabl. *In columnā Romana* Milliarium *appellata Mariā dirigens viatores designatur.*

At Richardus de S. Laurent. lib. 5. de laudib. Mar. hinc mirificè Virginis humilitatem eleuat. *Per collum Virginis designatur eius humilitas; quia demissio colli est signum humilitatis, sicut erectio eiusdem signum est superbiæ. Vnde* Isai. 3. *Filiæ Sion ambulauerunt extento collo.* Quare? *Quia eleuatæ sunt.* Iob. cap. 5. *dicit de superbo: Cucurrit aduersus Deum extento collo. Dicitur ergo de humilitate Mariæ, sicut turris Dauid collum tuum. Id est, humilitas tua est sicut turris, seu vt humilitas Dauid, quæ ipsum reddidit in omni aduersitate inexpugnabilem.* Parum hoc, altius Doctor auolat, asserens, turrim Dauid Christum Dominum significare; vt sit sensus. *Collum tuum, seu tu humilis es sicut vera turris Dauid, id est, Christus.* Pulchrè autem addit, *Et hæc dictio* sicut *non est nota similitudinis, sed expressio veritatis. Tale est illud* Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, id est, verè vnigeniti.* Itaque Mariæ humilitas tanta est, vt non solum similis Christi humilitati appareat; sed quodammodo ipsa Christi humilitas esse videatur. 138. *Tanta est Mariæ humilitas, vt nō solùm similis Christi humilitati appareat sed quodāmodò ipsa Christi humilitas esse videatur.* Richard.

Inferius Richardus adiicit: *Vbi nos habemus,* 139.

Maria peccatoribus pugnantibus pro Regno cœlorū protectionem impertit. Richard.

rum, collum tuum, dicit alia littera, ceruix tua. Ceruix enim, id eſt, eminentia ſublimitatis Maria eſt, ſicut turris Dauid, quam verus Dauid Chriſtus in Ieruſalem, ſeu in Eccleſia ſua ædificauit, vt eſſet peccatoribus refugium. Ædificata autem *eſt cum propugnaculis. Propugnacula iſta ſunt virtutes, & gratiæ, dignitates, & prærogatiuæ, intentionum puritas, & operum ſanctitas, virtus orationum, & merita operum, per quæ B.Virgo pœnitentes protegit, maximè ſi voluerint pugnare pro Regno cœlorum.*

140. *Licet peccator campum deſerat, ſi ſupplex ad Mariam redeat, ab illa protegitur.* Richard.

Quid ſi non pugnet peccator, ſed deſes campum deſerat? An à Virginis protectione deſeritur? Minimè quidem, ſi ad Mariæ turrim refugij ſupplex accurrat. *Mille* enim *clypei pendent ex ea. In millenario clypeorum* (ait Richardus) *protectionis Mariæ perfectio ſignatur. Pendent, inquam, quaſi de eminentia vitæ eius exempla, auxilia, & documenta; quia exempla eius & adiutoria, quæ ſuis adhibet veneratoribus,*licet peccato illigatis,(*ſicut patet in Theophylo*, quondam iniquo, & Virginis protectione ad virtutem adducto) *& documenta verborum ipſius* deſides *inſtruunt, & incitant ad pugnandum. Clamandum ergo eſt iugiter ad Mariam: Eſto nobis ô Domina turris fortitudinis à facie inimici.* Pſal.60.

141. *Mirū Mariæ ſtudium ad ſua priuilegia obtegēda, ut ſoli Deo ſoli manifeſtari.* Richard.

Mille clypei pendent ex ea. In fonte eſt vox מגן *maghen*, ſeu *ſcutum* à verbo גנן *ganan*, quod ſignificat *protegere, operire, obumbrare.* Sed cur B. Virgo tot operimentis circumtecta? Crediderim, nè oculis mortalium infinitos ferè animæ ſuæ theſauros oſtentando exponeret, quæ Deo ſoli placere quærebat. Hinc eſt, quod adeò pauca ad nos de Deipara Euangeliſtæ tranſmiſerint, quæ tam multa & ſublimia præſtitit: vt illi hac in re morem gererent, quæ ſub ſcutis, & operimentis amabat abſcondi. Richardus ad hæc lib. 1. *Pauca de ea dicta ſunt à ſanctis, fortaſsè in hoc ei morem gerentibus; vt etſi eis multa reuelata eſſent, de ea tamen pauca dicerent: & abſconderent eam, quæ ſemper deſiderabat latere, & abſcondi.*

142. *Maria eſt propitiatoriū alis Cherubinorum obtectum, ne eius gloria hominum pateat aſpectui.* Exod.25. Andr. Cret. Oleaſt.

An-non Maria in propitiatorio deſignatur, quod Dei iuſſu ſuper arcam eſſe debebat. Exod. 25. Andreas Cretenſ. *Te ô Virgo, vniuerſus mundus continet commune propitiatorium.* Profectò *vtrumque propitiatorij latus* (Deus ait) *tegant Cherubim expandentes alas.* Quare precor propitiatorium pennis cœlicolarum occultatur? Reſpondet Oleaſter, *Cherubim extendent alas ſuas tegentes propitiatorium. Deus ſummus benefactor eſt, & nihilominus tegitur, vt te doceat benefacere, & nolle videri.* Dei ergo Maria æmulatrix verè ſe propitiatorium oſtendit, dum curat eius præclariſſima opera obumbrari.

143. *Maria arca eſt ſua claudens priuilegia, ne videantur.* Ildephonſ.

D. Ildephonſus ſerm. de Aſſumpt. ait, Arca ſacramentorum Virgo Maria fuit. *Intus omnis cuſtodia legis, & manna fuit.* Quare in arca illa Mariæ typo legis tabulæ clauſæ recenſentur, & non potius ſupra arcam oſtentantur? Quia Maria perfectiſſimè iuxta legem operari ſatagebat, ſed ſuo in pectore egregia illa opera ſtudebat abſcondi.

144. *Chriſtus in nocte naſci-* *tur, vt Deiparæ ſtudio huic morem ageret.* Bernard.

Cur exiſtimas, Ieſum in nocte ex Mariæ vtero prodiiſſe? Reſpondet Bernardus ſerm. 3. de Natiu. *Nocte voluit naſci: vbi ergo ſunt, qui tam impudenter geſtiunt oſtentare ſemetipſos?* Addiderim etiam id geſſiſſe, vt Deiparæ ſtudio ſatisfaceret, quæ nolebat prodi tantum Dominici natalitij fulgorem, nè magna gloriæ Filij pars in Matrem exundaret; vmbras enim amabat tam mirabili ſuperno perfuſa fulgore.

145. *Magiſterium Mariæ, turris inſtar, præcelſum, ſiquidem Filij cogitationes dignoſcere videbatur.* Ioan. 2. Euſeb. Gallic.

Celebris eſt verſio illa ex Hebræo. *Quæ ædificata eſt ad diſciplinas*, ſeu vt Pagninus vertit, *Ædificata ad docendum.* Sapientia Deiparæ comparatur turri, vt illius magnitudo colligatur? Tanta enim Mariæ ſapientia, vt ipſius Dei cogitationes dignoſceret. Ad nuptias vocata, cum petiit vini à Domino ſuppleri defectum, etiam innuente Chriſto haud eſſe miraculi illius opportunitatem, *Quid mihi & tibi eſt, mulier? Nondum venit hora mea:* tamen ipſa miniſtros admonuit: *Quodcunque dixerit vobis facite.* Ioan. 2. Euſebius Gallic. *Hoc enim illa non dixiſſet, ſi cogitationes eius non cognouiſſet.* Igitur tam præcelſæ Mariæ ſapientiæ admirabile erit; ac præcelſum, turris inſtar, magiſterium.

146. *Paulus ex cœleſti ſchola homo euaſit. Ioannes ex ſchola Mariæ pluſquam homo.* 2.Cor 12. Ioan 1. Origen.

Vis oſtendam? In cœlum raptus eſt Paulus, vbi eruditus *audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. Preme particulam *homini.* Nam licet in cœleſti ſchola edoctus fuit, tamen ex illa homo adhuc euaſit. At Ioannes Theologus in Mariæ ſchola fuit eruditus, & ex illa non iam homo, ſed pluſquam homo oſtenditur; ſiquidem maximum myſteriorum ei licuit expendere, *In principio erat Verbum.* Ioan. 1. Origenes ait: *Non erat Ioannes homo, ſed pluſquam homo, quando & ſeipſum, & omnia, quæ ſunt, ſuperauit.* Ergo plus quodammodo Ioanni profuit in Mariæ ſchola doceri, quam Paulo ad cœli ſcholam rapi.

147. *Clypei & omnia armamēta victorum Mariæ vti triumphi auſtrici debent conſecrari.* Auent.

Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Non ſolùm quia multa protectionum genera Deipara habet; ſed etiam quia quotquot in Eccleſia Dei fortiſſimi extitêre milites, ei ſtrenua facinora, fœlices exitus, victoriaſque acceptas retulerunt. Ideò eorum clypei, & armamenta in gratitudinis documentum Marianæ turri ſacrarunt. Sic bonæ notæ Interpres expoſuit. Memorat Auentinus lib. 5. Annal. Boiorum, Henricum Boiorum Regulum Templo Mariæ dicaſſe armatos equis, inſidentes gypſo expreſſos in victoriæ Virginis auxilio partus documentum.

148. *Duces Mariæ obſequio addicti, eius auxilio victorias fuere conſequuti.* Vuilhelm.

Quis autem dubitet Deiparæ auxilio Chriſtianorum Ducum ei obſequium præſtantium exercitus victorias reportare? Teſtor Arthurum Britto Angliæ Regem, qui in obſidione Badonici montis imagine Deiparæ, quam ſuis armis inſuerat, fretus, nongentos hoſtium ſolus adorſus, incredibili cæde profligauit, vt ſcripſit Vuilhelmus Malmeſbucienſis lib. 1. de geſtis Regum Angliæ, c. 1. Teſtor Regulum quendam idolorum cultorem, qui in inſula Cuba (quæ ex maribus eſt, quas Oceanus in Occidentalibus Indiis circundat) multas fuit victorias conſequutus aduerſus finitimos populos, quia vſus eſt Chriſtiano quodam Duce, qui pergebat in hoſtes Virginis imaginem in pectore geſtans. Refert Thomas Boſſius id de ſignis Eccl. lib. 9. cap. 10.

Meritò

149. *Maria velut Testamenti Arca fauet Christianorū copiis, si in eis peccatum non adsit.* Num. 10. August.

Meritò quidem Virginis imago in Catholicorum vexilis exercituum exprimi solita. Si enim olim Testamenti Arca fidelium exercituum munimen, Num. 10. aptius melior Arca Maria in illa adumbrata in nostris exercitibus defertur ad infallibilem planè triumphum. Mariana enim Arca Auctore Augustino serm. de Natiu. Virg. est *virtus pugnantium, Palma victorum.* Maria in quocumque discrimine contra quoscumque hostes nobis aderit, vt vincamus. Dummodo tamen, qui hanc Arcam in auxilium ducit omni graui crimine careat. Audi D. Athanasium lib. de interpr. Psalmor, ad Marcellin. *Si bellum populo ingrueret, Arca, in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat: & hoc sufficiebat illis pro qualibet acie in subsidium; nisi in baiulis Arcæ, vel in populo aliquod scelus hæreret. Fide siquidem, & sana affectione opus est, vt lex nostris precibus cooperetur.* Quæ quidem verba facilè ad veram Arcam Mariam accommoda. Fide equidem & sana conscientia opus est, vt Maria Deum, ac militum votis cooperari velit.

Athanas.

Vers. V. & VI.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

150. *Non vnum, sed duo Mariæ vbera hominibus sugenda offerūtur, vt eius erga nos innuatur affectus.* Philip.

Dvo vbera tua.] Videtur superfluere particulam *Duo*, & sufficere si dixisset *vbera tua.* Quis enim ignoret, fœminam duo vbera habere. Cur particulam *Duo* adiecit sponsus? Profectò vt vberrimam Virginis erga nos pietatem ostenderet. Tanta quidem eius misericordia vno in vbere designatur, quanta cuncti homines indigemus. Ast Mariæ affectum sponsus non satis exprimendum adiudicauit, nisi in vtroque vbere ineffabilem eius abundantiā exprimeret. Excogitauit Philippus Abbas. *Mouet me, quod dicens vbera Virginis dicit.* Duo, *cum cuiusvis mulieris ad litteram sint vbera duo: & ideo si dixisset tantum* Vbera, *tacens* Duo, *nullus tamen rectè sapiens intelligeret nisi* Duo. *Sed in hoc fortè signare voluit geminam* pietatis Mariæ *vbertatem, quasi simpla satis plenam nobis non effunderet largitatem.* Morem ergò gerens Mariæ sponsus innuit totum eius affectum, omnem pietatem hominibus indigentibus exponi.

151. *Maria nos filios lactat, nec ablactat donec perfectos ad diem æternitatis adducat.* Philip.

Vbera tua. Profectò Mariæ vbera lactandis filiis offeruntur vberrimè, vt eorum abundantia nostra infirmitas roboretur. Nec à lacte nos abducit, donec huius sæculi nocte terminata, æternitatis nobis dies elucescat. Sic Philippus. *Vbera signant Virginis illam (vt videre videor) vbertatem, qua fouet & promouet nostram infirmantium paruitatem, qua nos lactas; nec ablactat, donec venire faciat ad profectum; donec dies adueniat, & nox tandem perueniat, vmbris rarescentibus ad defectum.*

152. Vel *duo vbera* dicitur Maria habere, vt innuatur illius affectus erga homines differentia; eis enim, quos plus illius protectione indigere videt, vnum & alterum materni affectus admonet vber. Adhuc Philippus duo esse Mariæ vbera clamat sponsus. *Habet quippe Virgo affectum quendam beneuolentiæ largioris erga eos, quos perspicit patrocinij potentioris indigere. Amat ergò Virgo talibus, vbera duo tenera immulgere: affectuque beneuolo* fortiori *ad quavis fortia promouere.*

Maria protectionem vberiorem offert ei, qui ea plus indiget. Philip.

153. *Maria in vbere habet efficaciam ad impetrandum à Filio quidquid postulat.* Philip.

Vel in duplici assignato vbere designatur Mariæ affectus & effectus in patrocinio nobis impendendo. Vnde vno vbere affectum innuit alumnis, quos lactat, altero vero effectum ostendit. Pulchrè ad hæc Philippus. *Quoniam vber vnum Mariæ seu affectus beneuolentiæ insufficiens haberetur, si benigno affectui non effectus valentior iungeretur: habet Virgo à Filio, & obtinet efficaciam, seu effectum.* Et quonam modo Mariæ *vber* non haberet efficaciam, si id Filio ostendens, qui aliquando suxit, cum vel iratum emollit, vt hominibus veniam largiatur? *Ex his ergo* (addit Abbas) *duobus vberibus videlicet affectu & effectu Virgo nobis nutritorium lac infundit.*

154. *Docet Maria cum sua lacte pietate noxia fugere, vtilia apprehendere.*

Sicut duo hinnuli capreæ.] Indecens videtur, Mariæ vbera capreæ hinnulis comparari. At si recurras ad proprietatem illam capreæ inditam à natura, scilicet visu perspicaci admodum vel à longè gramina noxia aut salutaria dignoscendi, vt hæc requirat, ab illis velociter abstrahatur: apertè perspicies in Virginis vberibus hanc inesse capreæ proprietatem. Eas enim, quos lacte pietatis fouet alumnos, edocet noxia quæque aufugére, salutaria apprehendere. Confirmo hæc ex Philippi acumine. *Mariæ vbera non indecenter hinnulis conferuntur, qui noxia respuentes, ad vtilia liberè transferuntur. Qui à longe noxia cernunt, & discernunt oculo perspicaci, & quavis nocentia, saltu vel potentia efficaci transeunt.*

Philip.

155. *Congregationis Deiparæ alumnorum vnitas, & fraternitas.*

Sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Crediderim hac particula *hinnuli gemelli* eos signari, qui Virginis ineunt sodalitium, seu congregationem, quæ in cunctis ferè societatis nostræ Collegiis vel è Sacerdotibus, vel ex nostrarum Scholarum alumnis, vel è ciuibus piè Virgini militant. Hi quidem à Mariæ vberibus trahunt parem erga piissimam Matrem affectum, & ad instituti illius obseruationem haud disparem effectum ostentant, pacifica quidem germanitate. *Quod autem* (addit ille) *hinnuli non dispares, sed gemelli potius asseruntur, eo quod vna Matre geniti, vno pariter lacte nutriuntur: videtur predicto affectui & effectui conuenire. Sociantur nimirum fraternitate quadam, & fœdere coniunctiuo, dum quod primus aggreditur, secundus prosequitur opere completiuo: nec affecta anterior,* seu dignitate, seu opulentia, *nisi quod posterior præualet consummare.* Ad ingressum enim Virginis Matris sacelli, omnes æquales filiorum instar, reputantur. *Nec secundus perficit, nisi quod primum perspicit diligentius affectare.*

156. *Congregationis Mariæ alumnorum vita sanctitas cui mors salutaris respondet.* Philip.

Cæterùm horum sodalitij Deiparæ alumnorum pij mores, & mors ei respondens hisce verbis exprimitur: *Qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies,* &c. Congregationum Virginis stemma liliorum manipulus, quo innuitur, illius alumnos liliis refectos vitæ candorem,

rem, morum trahere puritatem, cui agnatum est salutarem exitum respondere. Nec hoc Philippi calamum aufugit. *Qui pascuntur in liliis, qui candore morum, & odore boni testimony prosperantur. Et hi quidem largo Virginis beneficio non desinunt prosperari, donec eorum expolitis ad vnguem spiritibus, dies suauior aspirabit, & diei huius impatiens vmbrarum obscuritas expirabit.*

Mira Mariæ fœcunditas & virginitas commendatur à Filio. Rupert.

157. *Duo vbera tua.* Quæ quidem Rupertus asserit Deiparæ virginitatem, & fœcunditatem significare, dum Filius exclamat. *O vbera verè gratissima, atque pulcherrima, duo vbera Altissimi manu formata! Hæc sunt virginitas, atque fœcunditas, quarum pulchritudo mirabilis. Spectate vbera hæc, imo in vberibus istis duo hæc, virginitatem atque fœcunditatem. Nonnè hæc sunt quasi duo hinnuli gemelli capreæ? Nunquam visum est huic simile in montibus, siue collibus nostris; sed neque videbitur in sæculis superuenturis, vt vni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli: vt vni fœminæ contingat, quatenus & filium lactet, & Virgo sit. Aspicite hoc, & admiramini: videte, & congratulamini; quia caprea hæc talis hinnulos ita geminos edidit; quia fœmina hæc, dum quasi caprea per montes exilit, dum cœlestibus, vel supernis animo intendit: gemella hæc plena gratiæ dona feliciter apprehendit, & vt Mater sit, & Virgo sit.* Adiicit Doctor. *Quid faciemus* (Christus ait) *gemellis istis? Pascuntur, & pascantur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: id est, secretè custodiantur, in silentio habeantur, nec publicè prædicentur, quòd ita sint gemelli, donec resurgam à mortuis; quod est, aspirare diem, & mortalitatis vmbram inclinari.*

Maria perspicax contemplatio, ac merendi velocitas. Guillelm.

158. Quid autem purissimæ agnæ Mariæ cum capreæ hinnulis? Profectò capreæ hinnulis comparatur ob visus perspicaciam in contemplatione, & merendi velocitatem. Sic Guillelmus. *Ipsa Maria, quia & acutè videbat intensione contemplationis: & velociter currebat alacritate sanctæ actionis, per capream rectè figuratur.*

Maria habuit vbera externa, vt solum Christum lactaret, interna, vt omnes lactaret homines. Guillelm.

159. Adiicit mox Doctor, Mariam vbera externa & interna habere: externa, vt solum lactet Christum sine macula Agnum: interna verò, vt vtrumque sexum hominum sua pietate reficiat. *Sicut decebat Matrem Verbi aliis non parere, ita nec decebat Matrem Verbi, aliis sacra vbera admouere. Porrò eo ipso, quod sibi magnum illum hinnulum, seu Verbum Incarnatum corporaliter genuit, duos sibi hinnulos in vtroque sexu spiritualiter adoptauit. Si quidem per hoc, quod facta est Verbi Incarnati Mater corporalis, facta est membrorum eius Mater spiritualis. Habet ergo vnicum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit: habet & gemellos, id est, ex vtroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit. Plenum itaque est vberibus maternum illud pectus intus, & foris.*

160. *Maria duo vbera interna habet ad lactandos homines compassionis, vt pro eis oret, congratulationis, dum eorum videt profectus.* Guillelm.

An-non ad hominum refectionem vnum vber Virginis sufficiebat? Ita planè. Quare ergo duo ad eorum lactationem vbera interna exponit? Respondet Abbas. *Foris quidem pia Mater habet duo vbera, quibus pro tempore aluit Filium Dei: intus item duo vbera habet, ad alenda membra eius, vnum compassionis, alterum congratulationis. Cum infirmitates nostras piis precibus subleuat, lactat nos vbere compassionis; & cum profectus nostros iuuat, lactat nos vbere congratulationis.* Quo quidem affectu vera Mater exponitur, quæ ex filiorum profectibus lætitia afficitur, & ex eorundem defectibus contristatur.

Requirit Author Guillelmus, *sed quando pascuntur in liliis?* Et respondet. *Planè qui pascuntur vberibus piæ Matris, pascuntur in liliis, per quorum candorem munditia conuersationis, per odorem vero suaueolentia famæ significatur. Qui contentus munditia vitæ suæ, negligit famam suam, candorem habet sine odore. Qui appetens famæ, non curat de vitæ munditia, odorem sine candore habet. Neuter de liliis, quare nec de vberibus Mariæ pascitur: multominus qui & operibus fœdi, & opinione fœtidi inueniuntur. Vt ergo pascaris in liliis, candorem habeas necesse est in conuersatione, & odorem in opinione. Ideò sollicitè oportet munditiam conuersationis cum odoris suaueolentia retinere: donec expleta huius vitæ nocte, aspiret dies, & inclinentur vmbræ, dies inquam, oriatur, de qua Propheta ad Deum. Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* Itaque qui expetit pietatis Mariæ vberibus refici, necessario debet simul candidæ vitæ & fragrantis famæ liliis satiari. 161.

Qui lactatur à Virgine in liliis pascitur, quia Mariæ vbera lilia puritatis. Guillelm.

Hailgrinus Cardin. duplici Virginis vbere ipsius superabundantem pietatem designari contendit, dum scribit. *Duo vbera B. Virginis, de quibus velut lac piæ subuentionis, sugitur dulcedo, sunt affectus pietatis, & misericordiæ, quæ velut capreæ acuto lumine considerant, qui, & quanta indigeant ope: & per talem considerationem discurrunt, & per festinatam subuentionem accurrunt velociter, vt hinnuli. Et propter varios subuentionum modos per hinnulos signantur, qui pulchra sunt varietate distincti. Dicuntur quoque gemelli, seu sociales, & consimiles, quia valde sunt similia, & quasi ex vno fonte prodeuntia misericordia, & pietatis Mariæ beneficia, quæ in ingratis moriuntur, & deficiunt; in illis autem nutriuntur, & proficiunt, qui propter candorem, & odorem bonorum operum liliis assimilantur. Hæc autem vbera B. Virginis lac suum propinare non cessant tota ista præsenti vita, donec aspiret dies, id est, donec veniat dies illa, quæ ad corpora de puluere reformata spirabit spiritum vitæ, & vitam gloriæ: & donec inclinentur, & deficiant vmbræ præsentis miseriæ.* 162.

Duplici Mariæ vbere eius superabundās in nos pietas designatur. Hailgrin.

Dionysius Carthus. asseruit illam particulam. *Duo vbera tua*, consultò ab sponso fuisse expressam, vt misericordiæ & pietatis Mariæ vbertas innueretur. Tanta enim est, vt vnius vberis vocabulo exprimi non valeret. *Duo vbera eius, quibus nutrit, lactat, & reficit confugientes ad se sunt charitas eius materna, & pietas maxima, per quas prona est omnibus misereri, & subuenire.* Cur autem capreæ hinnulis comparantur? Quia *hæc duo vbera charitas, & pietas velocissima sunt, instar hinnulorum ad misericorditer refouendum*, & sicut caprea, perspicaciter *intuendum*. 163.

Tanta Virginis pietas, vt non potuerit vnius vberis vocabulo exprimi. Carthus.

Alanus verò existimat particulam illam *duo vbera* exprimere duplicem Mariæ erga Christum affectum. *Duo vbera Mariæ sunt gemitus maternæ charitatis affectus, vnus erga humanitatem, alter erga diuinitatem Filij.* Ita tamen pares, & gemelli, vt vnus alterum non propelleret; sic enim eum diligebat vt hominem, 164.

Maria erga diuinitatem, & humanitatem Christi affectus. Alan.

hominem, vt de reuerentia, quæ Deo debetur nihil prætermitteret.

165. *Ineffabilis puritas vberum Mariæ à Filio commendatur.* Existimarim verò, in præsenti sponsum Christum Virginis vberum, queis fuit nutritus ineffabilem puritatem commendare. Vbera præbuit Maria Christo, quæ auidè ille suxit, quia pura & ipsa purissima, quæ offerebat. Ideò non hinnulis quibuslibet Virginis vbera comparantur; sed illis, *qui pascuntur in liliis*: vt virgineam puritatem ex nudis eius vberibus, quæ Dei Filio sugenda obtulit, colligeremus. Alanus ad cap. 1. *Quæ delectabiliora, quæ meliora, quam illa vbera, quæ propinauerunt lac Christo non ex libidinis fœditate, sex ex virginitatis fœcunditate. Talia optabat Christus vbera, à tali vbere lac sugere, quod non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antidotum.* Alan.

166. *Ioseph non cognouit Mariæ puritatem omninò quodammodò, donec Christum eius sugentem vbera aspexit.* Vis vberum Virginis ineffabilem puritatem agnoscere? Ioseph Mariæ sponsus aliquandò de illius puritate anceps, omnino Matris Dei puritatem, ac virginitatem non cognouit, donec Christum eius sugentem vbera aspexit. Ait Matthæus cap. 1. *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Non cognouit perfectè Virginem esse puritatis miraculum, donec eam peperisse Iesum vidit, & ipsius sugentem vbera aspexit? Nec enim Dei Filius illius hæreret vberibus, nisi liliorum instar, ineffabili puritate niterent. Hanc existimo fuisse D. Athanasij mentem hom. in descript. Virg. *Neque enim re vera Mariam Ioseph cognouit, donec pareret Filium suum Primogenitum. Quandiu B. Virgo vterum gerebat, Ioseph eam non nouerat. Nesciebat, quid in ea foret ignorabat: simul atque peperit, cognouit eam. Tum nouit Ioseph Virginem, quave eius virtus, & potestas, & quid Deus ei facere dignatus esset. Tunc cognouit, eam vbera præbere. Tunc cognouit eam peperisse, & partus secreta non nouisse. Tunc cognouit, potissimam hanc petram spirituali Petræ mammellam præbere. Tunc cognouit Ioseph, de ipsa scripsisse Isaiam: Ecce Virgo concipiet.* Igitur ex eo, quod Dei Filium lactauit Maria, Ioseph cognouit vberum ac vteri puritatem. Athanas.

167. *Deiparæ oculi perspicacissimi ad nostras miserias à longè aspiciendum.* Cum autem attentè perspicio, Virginis vbera capreæ hinnulis conferri; & rationem rimari contendo: sciens capreæ oculos perspicaces admodum esse, vt dissita longè aspiciant, Deiparæ oculos contemplor suorum necessitates acutissimè à longè explorantes. Richardus de S. Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Duo vbera B. Mariæ, de quibus velut lac piæ subuentionis dulcedo sugitur, sunt affectus pietatis, & misericordiæ, qui velut capreæ acuto lumine considerant quis, & quanta ope indigeat: & per talem considerationem accurrunt, vt hinnuli velociter.* Hanc visus perspicaciam celebrat D. Epiphanius orat. de Virg. laudib. *Virgo plurium nominum, & multocula effecta est.* Nihil igitur effugere potest oculorum eius aspectum, nil ab eius cognitione subduci. Richard. *Maria multocula, ad nostras necessitates aspectandas.* Epiphan.

168. *Similis Mariæ quatuor animantibus oculis vndequaque plenis.* Eam ideò iustè conferre quatuor illis animantibus, quæ *ante & retro oculis* erant plena possumus. Apoc. 4. Ezech. 1. Quid? Non conferenda solùm oculatis hisce animalibus Virgo est, sed multis nominibus præferenda. Audi Amedæum hom. 8. de laud. Virg. *Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur quod ante & retro, intus & foris, atque in circuitu plena sunt oculis: labores hominum, & dolores, casus, defectus, cæcitates, inualetudines, extrema pericula, incertos vitæ exitus, & mala quæque humani generis, non æquè vt Dei genitrix valent examinare, examinando, cœlesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimius immensi Regis cor aspicit, eò profundius diuina gratia pietatis afflictorum & misereri, & miseris succurrere nouit.* Ioannes Geometres hym. 2. in laud. Virg. Ezech. 1. Apoc. 4. Amedæ. Ioan. Geomet.

Salue mille oculis pole prædite sidera circum,
Solem clara regens innumeras charitas.

Mille oculos habet Marianum cœlum, vt hominum videat calamitates, & opem opportunè ferat.

Igitur Virginis vbera capreæ hinnulis comparantur ob aciem visus, & cursus celeritatem. Videt nostram egestatem, & ad subueniendum accurrit. D. Bonauentura in spec. *Ruth* interpretatur videns, & festinans: & significat B. Virginem, quæ verè videns in contemplatione, & bene festinans fuit in actione. Videns etiam nostram miseriam est, & festinans ad impendendam suam misericordiam. Nescit moras nectere, benefaciendi cupida. 169. *Visus Mariæ ad videndum nostras miserias, & celeritas ad succurrendum.* Bonauent.

Ipsum enim vberrimum pietatis lac illi pennas ad succurrendum indit. Haud possunt tantæ misericordiæ vbera tarda molimina getere; ideoque velocissimis capreæ hinnulis conferuntur. Bellè Richardus Victorin. ait: *Et quidem Virginis vbera gemina dilectionis lac fundunt. Quia reis impetrat veniam, & iustis gratiam. Meritò misericordia Virginis cursui hinnulorum comparatur, cum per mundum currat, velocius occurrat, quam inuocetur, & causas miserorum anticipet. Adeò pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseriæ notitia tacta, lac fundant misericordiæ: nec possis miserias scire, & non subuenire.* Profectò non tantum voce miserorum Maria flectitur, vt lac exhibeat pietatis; sed sola miseriæ notitia tacta pietatem vberrimè profundit. 170. *Vberrimum Mariæ pietatis lac ei alas indit, ad miserorum iuuamen.* Richard. Victor.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.] Philippus Abbas Deiparam montem esse dicit ob immobilem firmitudinem. *Mons, inquit, est Virginis celsitudo, quam reddit commendabilem fixa, & immobilis firmitudo: cui & si flabra ventorum, facto velut agmine, hincinde minas incutiunt, non tamen ab statu mansorio montem decutiunt. Huic quippè Virgini sagittas, & iacula frequenter hostes iniciunt, & malitia procedente, arietum impetus adiiciunt. Quæ omnia Virginis montana celsitudo, & immota firmitudo procul reiieiunt.* Profectò immotus Maria mons ostenditur, cum iuxta Filij suffixi crucem tot iaculis agitata constanter *stabat*. Ioan. 19. 171. *Maria est mons ob immobilem firmitudinem.* Philip.

Alij legunt. *Ibo mihi ad montem myrrhæ.* Ad quæ Philippus. *Ibo ad Virginem* myrrhæ montem: *& nè frustra ire videar, ibo mihi illi quidem consulere, illi quærens satisfacere, sed & mihi. Profectò non vacuus, non superfluus illuc ibo: sed & illi conferam, & mihi multum afferam, cum redibo.* Verbum diuinum ad Virginis vterum veniens, & illi confert cœlestes diuitias, & ab illa accipit non solum humanitatem, sed & honorem, quod tantæ Matris Filius procedat. O quàm præcelsæ sunt Virginis diuitiæ, ex qua Deus mul- 172. *Christus gloriatur, se esse Mariæ Filium, & ea accepisse.* Philip.

tum

tum quodammodo accepisse gloriatur. *Et mihi multum afferam!*

173. *Mariana virginitatis gloria tanta est, vt non valeat exponi nisi monti conferatur.* Philip.

Cur autem mons myrrhæ Deipara vocitatur? Addit Abbas: *Vadam ad Virginem, cuius altitudinem myrrha mirabiliter iam vsurpat, cuius carnem integram natiua sanies non deturpat. Magnus iste mons, vt non mollis, & fluidus, sed mons myrrha specialiter possit dici, eo quod non Virginem illecebrosa mollities eneruauit, sed rigor illibatus & myrrha continentia conseruauit.* Magna profectò illibatæ virginitatis Mariæ gloria, quæ explicari non valet, nisi myrrhæ præcelso monti conferatur.

174. *Montana Mariæ priuilegia.* Philip.

Mons est Maria eleuatissimus, montana illius gratia, præcelsa admodum priuilegia; sed simul collis demissus est propter humilitatem. *Et collem thuris.* Pergit Philippus. *Quam etiam non indecenter sponsus nominat collem thuris, eo quod famam bonam spargit tam præsentibus, quàm futuris: & accensa carbonibus, æstúsque violentia, vel amoris, attollatur in cumulum, Deóque sacrificium det odoris. Cuius deuotio, cuius feruens affectio suauior omni thure Creatori sese offerens in odorem, & se superefffluens creaturæ mons est. Collis tamen nesciens nisi humilia de se sentire. Vtique mons est, cui præsto est tam incomparabilis altitudo, magna virtus, magna constantia, magna sapientiæ fortitudo. Profectò & collis efficitur, dum quò excelsior mentis, eò corde humilior, & quasi à cæteris plurimum non remota. Quanta humilitate Virgo se depressit, quæ iam dicta ab Angelo Dei Mater, sibi nisi nomen ancillæ non concessit. Ad hunc montem meritis, & humilitate collem ire se spondet sponsus.*

175. *Maria iuxta crucem fuit myrrha mons ob compassionem.* Hailgrin.

Cardinalis Hailgrinus asserit Mariam iuxta crucem fuisse montem myrrhæ ob dolores, quibus affecta fuit: *Myrrha*, ait, *dicit amaritudinem compassionis in passione Filij: & montem myrrha dicit, quia maior acerbitas esse non potuit in corde Matris. Verùm post dolorem subiungit de consolatione doloris, dicens: Vadam ad collem thuris.* Quinam thuris collis? Planè ex resurgente Domino consolatio. *Thuris fragrantia Dominicæ resurrectionis gratum odorem significat, cuius odoris consolationem collem thuris vocat, ad quem pro doloris leuamento se iturum pronuntiat.*

Fuit collis thuris ob resurrectionis consolationē.

176. *Dolor in morte Filij consolationem resurrectionis superauit?*

An resurrectionis consolatio dolorem passionis exæquauit? Minimè exæquasse videtur, cum dolor *monti*, consolatio autem *colli* comparatur. Denique Cardinalis. *Per hoc autem, quod dicit montem myrrha, & collem thuris, cum collis minor sit monte, insinuare videtur, quod tunc dolori consolatio non respondet.* Tantus enim Mariæ dolor in morte Filij fuit, vt vel ineffabilis resurrectionis lætitia eum æquare non potuerit.

177. *Cum Maria erat in morte Filij myrrhæ mons, erat simul collis thuris, ad orandum pro occisoribus Iudæis.* Carthus.

Porrò Virginis immensam erga homines pietatem hinc commendarim. Quod tunc cum mons erat myrrhæ ob passionis Filij dolorem; simul se thuris collem ostendebat pro ipsis Dominici sanguinis profusoribus exorando. Dionysius Carthus. ait, *Vnica Dei, scilicet Beatissima Maria passionem Filij sui iugiter in suo corde dolorose gestando, peccata mundi præsertim Iudæorum deflectendo, fuit mons myrrha. Fuitque simul collis thuris orationum suarum thymiamata pro illis offerendo.*

178. Videtur profectò Virgo, misericordiam ac pietatem cum lacte Filio exhibuisse. Siquidem vix Matris vbera reliquerat, cum vehemens desiderium illum incenderet pro hominibus ponendi vitam; quasi ex Maria didicisset sanguinem fundere, quia & ipsa lac fundebat. *Duo vbera tua, &c.* Laudat Christus vbera, quæ suxerat, quæ quidem liliorum virginitatis fragrantiam emittebant: sed post commendationem statim adiicit: *Vadam ad montem myrrha, & ad collem thuris.* Quis nexus vberum ac myrrhæ, & thuris? Hugo Card. *Promittit, se iturum, & visitaturum, illos qui amaritudinem pœnitentiæ perferunt; & illos, qui deuotionis orationem offerunt.* Bonus transitus ab vberibus ad pœnitentes, ad orantes: ac si misericordiæ spiritum Matris vbera misericordi Christo inhalauerint, ac promptiorem ad ignoscendum reddiderint.

Maria cum lacte videtur Christi misericordia vim erga peccatores auxisse. Hugo Card.

Certè mons myrrhæ mons Caluariæ est, in quo Iesus tot tormenta fuit passus. Cum autem Maria affectuosissimè nostram salutem desideraret, Christus eius vbera sugens, quasi inquit, *Vadam* ô Mater *ad montem myrrha.* Vbi tuo desiderio respondebo, genus humanum sanguinis profusione redimam. 179.

Ex Mariæ vberibus Christus ad mortem inclinatur, vt Matris affectui satisfaciat.

Isaias ait, *Delectabitur Infans ab vbere.* Nempè Iesus Infans virginea, purissimaque Mariæ vbera sugens, mirum in modum delectatur. Addit Propheta: *Super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, mittet manum suam.* cap. 11. Quid aspidis foramen ad vbera, ad lac? Quid cum ablactatione cauerna reguli? Peccatores significantur, qui vbi Christus Matris vbera suxit, peccati virus euomentes desierunt desæuire. Nam mox sequitur. *Non nocebunt, & non occident*, mansuetiores effecti. Ac si Christus Matris lac sugens, didicerit hominibus parcere, eosque ad mansuetudinem adducere sua manu piissima, vt non amplius aspidum, seu peccatorum foramina, dæmonumque cauerna existant. Pulchrè Richardus Laurent. lib. 1. de laud. Virg. *Delectabitur ineffabiliter Infans Christus ab vbere Matris ei repræsentato. Sequitur super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Christus enim delectatus ab vbere Matris tendit manum gratis ad malos, qui prius fuerant foramina aspidis, & cauerna reguli.* Vt scilicet venia recepta, ad hominum vitam, moréfque reducat. 180.

Christus à Virginis vberibus ad peccatores conuertendos manum assuefecit? Isa. 11. Richard.

Verf. VII.

Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.

TOta pulchra es, &c.] Dixerim, aliam animam esse turpem, sed non totam, aliam totam turpem: aliam vero pulchram, sed non totam, aliam totam pulchram. Turpis quidem, sed non tota est illa, quam incuruat ira pristina, lex naturæ, quæ sibi culpam contrahit ab initio, seu originali piaculo inficitur. Turpis vero tota, quæ vltra peccatum originale, & fomitem peccati actualis, seu personalis adiicit turpitudinem. E regione verò pulchra est, sed non tota, quæ contra peccati fomitem, & appetitum sensitiuum relucta- 181.

Mariam nulla humana natura macula inficit, unde tenerius ab sponso diligitur.

reluctatur ad bonum; sed adhuc legem peccati, seu fomitis contra legem spiritus, ac rationis expetitur. Est pulchra tota, cuius mentis acies viget, spiritus non ægrescit, cuius caro requie potitur, nec aduersus spiritum insolescit, Deo soli obtemperat. Porrò macula est næuus tenacior, stigma dedeceus, dissona turpitudo, qua se dolet animus infici: cui abstergendæ, etsi manus multam curam adhibet, non tamen eliminat, quod est iam inolitum, & versum quodammodo in naturam. Igitur *in Maria* (loquor cum Abbate Philippo) *non obtinet suum priuilegium lex iniqua, non peccati adest antiqua vel recens attaminatio: Tota pulchra est. Et quia eam nostra omnium generalis iniquitas non offuscat, sed in conspectu sponsi specialis meritoru n excellentia coruscat: rectè illam sponsus tenerius diligit, & inuitat, vt ad ipsum veniens ipsi deuotius, & attentius se committat. Tota pulchra es amica mea. Veni de Libano, coronaberis.*

Philip.

182. Asserit autem Rupertus, totam hanc Mariæ pulchritudinem ex eo prædicari, quia Mater & Virgo fuerit. Ex ore sponsi fatur: *Cum pertransiero montem myrrha, & collem thuris. id est, cum resurrexero à mortuis, ac coronatus gloria, & honore resurrectionis, & immortalitatis, sedensque ad dexteram Patris adorari thure, id est, omni diuina Religione cœpero Deus vnus cum Patre, & Spiritu sancto: tunc demum, & tu ô Mater, hæc loquar ad te: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quod scilicet Virgo conceperis, vel genueris, & virgineis vberibus me lactaueris. Hoc prædicabitur Gentibus, quod macula non sit in te.* An est macula fœminam nuptam flore virginitatis pereunte concipere & parere? Minimè quidem; at tanta est Mariæ puritas, vt quidquid est cunctis fœminis naturale sine piaculo, in Maria quodammodo defectus, seu piaculum videtur.

Ostendit se Maria pulchram totam, quia Mater, & Virgo est. Rupert.

Quod in cunctis fœminis naturalis conditio est, in puritate Mariæ velut piaculum videtur.

183. Cardinalis Hailgrinus in totali hac Virginis pulchritudine omnium illius sensuum puritatem, sine vllo concupiscentiæ stimulo recognouit. *Tota pulchra es, amica mea, quia in omni sensu corporis virginalis integritatis munditiam retines. Et macula non est in te, quia in nullo corporalium sensuum instrumento concupiscentiæ macula adhæsit.* Addit. *Vel sic: Tota es pulchra mente, & corpore. Et macula non est in te, quæ te repellat, & impediat, quin de te Domino gratum offeras holocaustum.* Sicut olim victimæ omnino non puræ ab altari repellebantur. Consonat Alan. *Maria tota pulchra in anima, & in corpore Dei amica per gratiam, & opera. Et nullam credimus in Virgine antè, & post conceptionem* Filij *fuisse maculam, seu peccatum.* Preme illud: *Dei amica per gratiam, & opera.* Electam enim fuisse Mariam, vt Mater Dei fieret non solum gratia fuit, sed egregia illius virtutis opera id à Domino obtinuerunt.

Corpus & animus Maria omni puritate nitens gratum Deo obtulit de se holocaustum. Hailgrin.

Alan.

Per egregia virtutis opera Maria obtinuit à Deo, vt in Dei Matrē eligeretur.

184. *Amica mea.*] Cunctæ iustæ animæ hoc nomine decorantur. At Maria per anthonomasiam appellatur Dei amica. Adeò quidem, vt cum hoc verbum absolutè auditur *Amica mea*, de Virgine intelligere id debeamus. Dionysius Carthus. *Hoc de beatissima Virgine Maria præ cæteris cunctis conuenientissimè exploratur, quæ anthonomasticè Christi amica asseritur; & ei in omni sanctitate, & perfectione similior creditur: in qua cunctæ virtutes quasi in termino præclara, & excellentissima sunt inuenta.* Si nullus Christo similior est in virtutibus, quam Maria: quid mirum, eam anthonomasticè intelligi debere, cum sponsus verbum illud: *Amica mea* profert?

Cū dicit sponsus absolutè: Amica mea, anthonomasticè de Maria debet intelligi. Carthus.

Nullus similior Iesu in virtutibus, quam Maria.

185. Equidem adeò est digna Maria Dei amicam anthonomasticè appellari ob totalem eius pulchritudinem, vt Dei ipsius pulchritudinem ineffabiliter referat. Id probo ex D. Dionysio Areopag. de diuin. nomin. cap. 4. qui loquutus de Dei pulchritudine; fatur, *Diuina bonitas laudatur in scripturis vt pulchrum, & pulchritudo, quæ effectiua est omnis pulchri. In creaturis autem dicitur pulchrum, quod participat pulchritudinem. Loquentes autem de Deo dicimus, quòd ipse est semper substantiale pulchrum, & pulchritudo, quæ pulchrificat existentia omnia secundum propriam singulorum perfectionem: & causat vniuersalem omnium harmoniam, & claritatem. Et iuxta proprietatem solaris radij immittit cum fulgore vniuersitati rerum pulchrificas fontana lucis distributiones.* An Virgo hanc Deificæ pulchritudinis refert proprietatem? Respondet alter Dionys. scilicet Carthus. *Ita dicere possumus, quòd sanctissima puerpera Maria est tota pulchra, quia decorat, & pulchrificat millia multa, imò totam Ecclesiam, quam fons totius pulchritudinis natus ex ea tanta pulchritudine venustauit, vt pura creatura communicari maior nequeat.*

Maria Dei pulchritudinē æmulatur. Nam sicut Deus omnia pulchrificat, sic Maria venustat Ecclesiam. Dionys. Areop.

Carthus.

186. Vt homo corporaliter sit pulcher, tria Philosophus requirit. Primum, vt sit elegantis staturæ, ideo homines pusilli corpore haud propriè pulchri dicuntur, quamuis possint dici speciosi. Secundum est, congrua membrorum proportio, & ad inuicem habitudo. Tertium est viuidi, ac congruentis coloris superficies. Haud aliter, vt aliquis spiritualiter pulcher existat primò requiritur, quod ad eminentem quandam virtutum proceritatem, altitudinemvè peruenerit. Deinde quòd sit in eo virtutum quædam ordinata proportio. Tertiò, quòd omnibus sit superfusa discretio, siue sapientialis directio, & charitatis florida species. Deiparæ id Dionysius Carthusian. scitè accommodat: *Ex prætactis tribus pulchritudinis proprietatibus probatur, electissimam Virginem fuisse pulcherrimam, quippe quæ ad tam præeminentem vniuersarum virtutum perfectionem deuenerat:* (En proceritas) *& in qua virtutes tam proportionatæ fuerunt:* (En proportio spiritualis) *& feruentissimo formabantur amore diuino:* (En superfusa claritas charitatis.)

Spiritualis Mariæ pulchritudinis proportio describitur.

Carthus.

Richardus de S. Laurent. lib. 4. de laudib. Virg. sic Deiparæ totalem pulchritudinem commendauit, & exposuit: *Ratione vtriusque vitæ dicitur Maria tota pulchra. Quia vniuersæ virtutes tam actiuæ, quàm contemplatiuæ in ea conuenerunt. Per virtutes actiuas habuit voluntatem mundissimam; per speculatiuas mentem purgatissimam. Fuit igitur tota pulchra, & in carne puritate virginitatis, & in voluntate perfectione actionis: & in mente consummatione speculationis: & nec in carne habuit maculam contagionis, nec in mente rugam duplicitatis.*

Maria tota pulchra ex perfectione vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

187. Ad Mariæ sanctitatem omnimodam idem Auctor refert sententiam hanc lib. 1. *Tota pulchra es in opere, & macula non est in te in corde.*

Tota sanctitas in Maria.

Matth. 6. *Tota pulchra in opere per ſimplicitatem.* Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Tota pulchra in corde per humilitatem, quod eſt ſine macula. Vnde dictum eſt de Eſther* cap. 2. Eſther. 2. *Erat Eſther formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratioſa, & amabilis videbatur. Talis Maria, formoſa valdè per charitatem, quæ eſt forma virtutum: incredibili pulchritudine per inſolitam caſtitatem; omniúmque oculis gratioſa per humilitatem, quam Deus reſpexit.* Quare Maria omnium oculis gratioſa dicitur magis propter humilitatem, quàm ob incredibilem pulchritudinem, & caſtitatem inſolitam? Certè quia magis incredibile, & inſolitum fuit Mariam ſe cognoſcere ancillam, quàndo ab Angelo *Maria*, ſeu *Domina* Mater Dei prædicatur.

Inſolita, & incredibilis Maria humilitas cunctis ideo magis gratioſa, quã alia virtutes.

188. *Maria ſponſa Dei maculã, & rugam nõ habet.*

En Chriſti ſponſam pulchram omnino, *maculam & rugam non habentem.* Epheſ. 5. Quod citatus Richardus ponderat: *Tota pulchra dicitur Maria, quia omnes virtutes actiuæ, omnes virtutes contemplatiuæ in ea conuenerunt, & præ omnibus creaturis admirabilem effecerunt: & hæc etiam fuit eius incredibilis pulchritudo. Per virtutes actiuas habuit voluntatem mundiſſimam: per ſpeculatiuas mentem purgatiſſimam. Tota igitur fuit pulchra. Nec in carne habuit maculam contagionis, nec in mente rugam duplicitatis: Et talem ſibi Chriſtus Matrem, & ſponſam exhibuit non habentem maculam, neque rugam.*

189. *Omnis diuerſorum pulchritudo colloca-tur in Virgine.* Eccli. 24. Richard.

Itaque *tota pulchra* Maria, & in ea nulla macula poterit inueniri. De totali hac ſpirituali pulchritudine ipſa Eccli. 24. profatur: *In me omnis gratia viæ, & veritatis.* Et bene dicit: *Omnis gratia* (cum eodem Richardo loquor vbi ſupr.) *nulla enim defuit ei virtus: nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec patientia Martyrum, nec ſobrietas Confeſſorum, nec innocentia, & humilitas Virginum.* Fulbert. Fulbertus Carnot. hom. quæ incipit: *Approbata conſuetudinis*, ait: *Confidenter aſſerimus, quod anima Mariæ nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem ineſſe gratiæ Dei nuntius aſſerebat.* Totalis hæc ſanctitas quonammodo poterat cum macula vel minima vna in ſede morari. Vnde pergit aptè Fulbert. *Hinc conſtanter etiam aſſerimus, quòd anima ipſius, & caro, quam elegit, & habitaculum ſibi fecit Dei ſapientia, ab omni malitia mundiſſima fuit; atteſtante ſcriptura, quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. Loquitur ſapiens de Verbi Incarnatione, quæ in Mariæ corpore fuit perfecta. Hoc quidem corpus puræ creaturæ peccato non ſubditur. Quia ſpecialiſſimo priuilegio obtinuit, vt omninò à peccati imperio eſſet immune, quaſi ex Adami corpore non procederet.

Maria certus peccati imperio nõ ſubiicitur, ac ſi ab Adami corpore non procederet.

190. *Tanta Mariæ ſpiritualis pulchritudo, vt vel ipſa corporalia membra quaſi ſpiritualia redderet.* Annoni. apud Richard.

Equidem tanta erat totalis illa ſpiritualis Mariæ animi pulchritudo, vt membra etiam materialia corporis illius velut ſpiritualia omninò redderet. Pulchram do Auctoris ab eodem Richardo memorati, nomine non expreſſo lib. 5. de laudib. Mar. *Ad membrorum B. Virginis excellentiam ſingularem laudes humanas addere neceſſe non eſt: cum ex vita illius ſanctiſſima, & totius virtutis forma reſplendeant. Quid enim aliud membra illius erant, niſi quædam ſpirituales linguæ, quas Spiritus ſanctus ſui plectro temperans modulaminis, ſuæ dignitatis præſentiâ mouebat in harmoniam Angelicæ ſimilitudinis. Idem namque Spiritus, qui eius animam ſui feruore caloris accenderat, membrorum quoque officia in eandem habitudinem ſuſpendebat. Ad huius puritatis excellentiam nullam alicuius ſancti pertingere ſcimus ſanctimoniam, niſi ſolius Mariæ, quæ tantò diuinitati erat vicinior, quanto Spiritus ſancti muneribus ornatior.* Pulchrè.

Totalem hanc Mariæ pulchritudinem ipſe admiratur ſponſus Deus, dum Cant. 1. clamat: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* Si tam admirabilis pulchritudo Mariæ, quia Dei amica, quàm admirabilis erit quia Mater? Angelus inquit: *Spiritus ſanctus obumbrabit tibi*, vt Dei Mater efficiaris. Luc. 1. Quid inde? Rupert. in cap. 2. Cant. *Spiritus ſanctus obumbrabit tibi: & ecce formoſa es.* Particula *ecce* aliquando in Scriptura ſacra exprimitur, vt res admirabilis admodum annotetur. Admirabilis quidem Angelis, & hominibus Mariæ pulchritudo ex eo quod Dei Mater ſit. Quid mirum ſi Deo ipſi admirabilis exponatur? 191.

Tanta Mariæ totalis hæc pulchritudo, vt eam ipſe Deus velut admiretur. Cant. 1. Luc. 1. Rupert.

Vis vno verbo oſtendam totalem Virginis pulchritudinem? An-non Chriſtus Dominus pulcher eſt totus? Ita planè. Profectò Mariæ pulchritudo Chriſtus ipſe eſt. Bellè Rupert. lib. 1. in Cantic. ad illa verba: *Ecce tu pulchra es amica mea*, ſponſus ait; cui mox Maria reſpondet, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Tu pulcher* (inquit Abbas) *& decorus: ita pulcher, vt ſis ipſa ſubſtantia pulchritudinis. Verè ergò dicis mihi: Ecce tu pulchra es; & dico tibi, Ecce tu pulcher es; quia tu pulchritudo mea es.* 192.

Chriſtus eſt Mariæ pulchritudo. Cant. 1. Rupert.

Fatur Iſaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Maria virga eſt, Chriſtus flos. An floris pulchritudo eſt virga? Minimè quidem; ſed virgæ pulchritudo eſt flos. Rupert. citatus: *Quod ego pulchra ſum, totum tibi attribuendum eſt; neque enim Virga floris, ſed flos Virgæ eſt pulchritudo.* Si igitur Chriſtus flos totus pulcher, imò ipſa pulchritudo Deiparæ pulchritudo eſt, non ſolùm iam totam dixerim eſſe pulchram, ſed quaſi ipſam pulchritudinem fieri prædicabo. 193.

Flos Chriſtus eſt Virgæ Marianæ pulchritudo. Iſai. 11. Rupert.

Ergo diuina eſt Virginis pulchritudo, ſi Chriſtus diuinus vtique eius eſt pulchritudo. Id conſequenter Rupert. lib. 6. in Cant. profitetur: *Quando Spiritus ſanctus in te ſuperuenit, & Filium Virgo concepiſti, tunc tu, & ex tunc pulchra fuiſti pulchritudine diuina.* Alibi plura. 194.

Mariæ pulchritudo eſt diuina. Rupert.

Verſ. VIII.

Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon. De montibus pardorum, & cubilibus leonum.

VEni de Libano, &c.] Poſtquam inclamauit ſponſus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*, addidit illicò: *Veni de Libano coronaberis.* Pulchritudinem Mariæ cur cum corona nectit? Crediderim quia non ſolùm ob totalem hanc pulchritudinem corona redimiri meretur; ſed etiam quia pulchritudinis omnis ſpiritualis Virgo eſt corona. Hinc Germanus orat. de Natiuit. Mar. 195.

Maria pulchritudinis corona. Pulchritudinum pulchritudo.

German. Mar. *Salue* (clamat) *pulchritudinis diadema.* Reliquæ mulieres pulchritudine coronari, & exornari possunt: Maria verò pulchritudinis forma est, ipsius corona venustatis. Gregor. Nicomed. orat. de oblat. sic admirans exclamat. *O pulcherrima pulchritudo pulchritudinum! ô Dei genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum!* Adeò quidem, vt deformis quælibet pulchritudo sit, si Mariæ non ruilet sub corona.

Gregor. Nicomed.

196. *Ineffabilis Mariæ spiritualis pulchritudo, siquidem tota pulchra incæpit, & continuis profectibus dedit operam.* Philip.

Veni. Non vult Deus, Mariam in illa licet totali ac mirabili spirituali pulchritudine, sed ad altiorem adhuc ascendere. Philippus Abb. *Eam, quæ tota pulchra est adeò, vt nec leui macula teneatur, nè forte sin fructu dedisse operam ei pulchritudini videatur, monet sponsus, vt veniat de magna pulchritudine ad maiorem.* Quantam fuisse existimas Mariæ pulchritudinem sanctitatis, si tota pulchra cursum inchoauit, & continuis profectibus nunquamnon dedit operam?

197. *Maria quæ tanta munera accepit, Deo tribuit largitori.*

Veni, scilicet ad tot munerum largitorem, vt ostendas te gratam agnoscere, quod nihil habes quod ab sponso cœlesti non acceperis. Ipsa in suo Cantico profitetur Luc. 1. *Fecit mihi magna, qui potens est.* Ideò *Magnificat anima mea Dominum.* Appositè Philipp. *Veni*, ait sponsus, *& de eo, quod datum est, docto pede transi ad datorem. Neque enim in his, quæ accipit quis conceditur remanere; sed ab his ad ipsum, qui contulit, mentis oculos retorquere.* Venit ergo Deipara pro tot beneficiis Deo gratias redditura.

198. *Candidissima Mariæ virginitas* Philip.

Veni de Libano.] Libanus idem est, ac *Candidatio*; vnde sponsus Virginitatis Deiparæ candorem, ac puritatem celebrat. Idem Philipp. *Libanus illum mihi videtur candorem designare, cui sponsus Virginem, imò quem potius Virgini voluit assignare candorem, videlicet Virgineæ puritatis, quem sponsæ Matri Filius dono suæ contulit bonitatis. Suam enim Matrem sponsus in candore voluit conuersari; vt tanquàm à loco mereretur eius excellentia commendari.* Quonammodo Mariæ virginitas commendatur à loco illo, nempe à Libano? Certè quia candor illius montis cum fructuum fœcunditate colligatur: & Mariæ virginitas fœcundissima obiicitur, dum Filium sine candoris imminutione parit. Subdit Abbas, *Vt mons ipse Libanus, id est, candor excellentiæ virginalis fœcundam sic sacraret, vt fœcunditas fieret spiritualis.* Cur verò Mariæ fœcunditas *spiritualis* vocitatur? Crediderim, quia in Filij conceptu nihil carnalis voluptatis interfuit.

Fœcunditas Mariæ spiritualis quodammodo fuit.

199. *Tanta virginitatis Mariæ puritas, vt ipsi puritati decorem addat.* Philip.

Dixerat Philippus Mariæ virginitatem à loco, seu à Libano, qui *Candidus* dicitur, commendari. Mox autem quasi sententiam corrigens, asserit locum illum potiùs commendari à Deiparæ puritate. *Quamvis*, inquit, *non tam locus Virginem, quam locum Virgo sacrare videatur: neque Virgo à monte Libano, sed mons à Virgine commendabilis habeatur.* Tanta enim virginitatis Mariæ puritas, vt ipsum candorem, ipsam puritatem decorare, & illustrare valeat. *Nec tam Virginem* (pergit Abbas) *iste candor, quam Virgo extulerit hunc candorem.*

200. *Maria virginitatem, quæ ante ipsam exiguè vel nullius pretij erat, pretiosissimam reddidit.*

Profectò ante Mariam virginitas nullius æstimationis, pretij ac præmij nullius esse videbatur, Libanus erat candore, & puritate, sed vmbrosus, atque despectus. Ex virginitate verò Mariæ cœlestem, seu Angelicum fulgorem accepit. Audi Philippum, *Ante Virginem sicut mons Libanus, sic & potuit virginitas inueniri, sed honore vel paruo, vel nullo insigniri dicitur. At Virgini, & nostro tempori reseruatum nouimus, vt hoc monte sublimatâ Maria, ipsum potiùs montem redderet sublimatum: & mirum in modum ipsa candidior, Libanum candidaret, decoremque virgineum ipsa sui merito decoraret. Magna igitur Virgo, & incomparabiliter prædicanda, quæ candori virgineo nullius anteà meriti, vel honoris, meritum attulit, & munus gratiæ contulit amplioris. Qui ergo multis retro sæculis erat inter mulieres dedecens, & onustans: ex tunc, & deinceps gratus redditur, & venustans. Et quem filia Iephte negligens quasi deuouet, & deplorat, Virgo virga Iesse prudenter eligens attollit sacratius, & honorat.*

201. *Maria virginitatem olim despectam fecit dignam Dei sponsalitio.* Philip.

Veni de Libano sponsa mea.] Adeò Maria virginitatem olim despectam extulit, vt eam redderet dignam, quæ diuino desponsalitio honoraretur. Ideò dicitur Mariæ Virgini, veni de Libano virginitatis Dei *sponsa*, seu in sponsam. Nec hoc virginitatis decus Philippus silentio præteriit. *Tu ô* MARIA, *quæ montem Libani nouo munere candidasti, quæ candorem virgineum excellentia meritorum sublimasti, veni: ipsum tamen virgineum decorem non deponens; sed eo non contenta sponsi gratiam anteponens. Veni non iam vt à virginitatis proposito desistas, sed vt mihi largitori iungaris propius, & assistas. Vt quæ gaudes supra solitum candore virginali, exultes propensius sponsæ priuilegio, fœdere nuptiali. Ideo dicitur, Veni de Libano sponsa.*

202. *Maria ob egregia merita in gloriam assumpta non præcisè quia Dei Mater.* Philip.

Hæc verba Deiparæ Assumptioni idem Pater accommodat. *Veni primò ab his* (ait Filius) *quæ iam obtines; veni secundò, ad amplexus sponsales te conuerte; veni tertiò, non solùm vt honore Virgineo, & sponsali cubiculo iucunderis: sed vt in sede Regia cum Filio Mater in gloria coroneris.* Vbi aduerte Mariam ad tantam gloriæ eleuationem egregia merita præmisisse; virginali splenduit puritate, se in cunctis virtutibus dignam Dei sponsam præstitit. Ideóque tam præfulgens ei corona in superis apparatur. *Ad hoc* (ait ille) *sponsa Virgo Mater venire commonetur, vt insignibus Regiis dignè pro meritis honoretur.* Mater vocatur, & venire ad gloriam monetur, quia *Mater* est, sed *pro meritis*, ex virtutum exercitamento acquisitis.

203. *Corona Virginis est triumphum de diabolo egisse.* Philip.

Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon.] En Virginis assumptæ corona, scilicet de inuisibili hoste illustrissimum triumphum egisse. Id Philippus eleganter exposuit. *Virgini datur corona non compacta de auro, vel argento, de electris, vel lapidibus: sed nouo quodammodo de excelsis montibus fabrefacta. Cuius faber optimus montem Amana primum ponit, montem Sanir, & Hermon illi superordinat, & apponit; & sic mira prudentia mirum opus fabricat, & componit. Sed quid est, quòd de tam multis vbique terrarum partibus montes tres elegit, quos nominatim exprimens in opus hoc mirificum sic redegit? Amana interpretatur vigilans, nequam designans spiritum, qui semper inuidens appetit nos mordere, & morsu pestifero ad vitia perurgere.*

Sanir interpretatur auis nocturna, vel fœtor, auis enim malitiæ spiritalis ad seducendos miseros fit nocturna. Nec immeritò etiam dicitur fœtor; morsum enim inferens, fœtorem veneficum vult sentiri. Cui rectè subiungitur Hermon, qui interpretatur Anathema eius, seu execratio, quia nihil boni iste perditus operatur; sed ampliori malitia bonum, quod aure percipit, execratur. Itaque *Virgo festinat huiusmodi nequam hostibus obuiare, ægrè ferens, electos quoslibet à Filij proposito deuiare; & miserans quos hostilis ferè malitia iam peremit, interpellat Filium, eique reconciliat, quos redemit. Paccato autem Filio, ad impugnandos hostes se conuertit, & quod tumet mons Amana, quod Sanir, & Hermon elato vertice se attollit: vt lutum platearum Virgo calcat fortiter, & emollit. Ergò dignè cum de illis plena victoria reportatur ornatur manus lauro, caput Virginis coronatur. Et de ipsis eisdem montibus dicitur coronari, cum de eorum victoria plenè gloriari dicitur.* O ineffabilem Virginis charitatem! Peccatores ab hostibus defendere, eos à dente draconis eripere, fulgentissima est Deiparæ corona.

Maria corona est, peccatores protegere.

204.
Tanta Mariæ erga homines charitas, vt tot eius virtutū sufficiens præmium æstimet, homines ad fidem conuerti.
Rupert.

Coronaberis de capite Amana, &c. In montibus pardorum, & in cubilibus leonum Reges Babylonij, Persæ, Medi, Græci, ac Romani designantur, quorum conuersio ad fidem piissimæ Matris corona est. Tanta namque Mariæ erga homines charitas, vt tot ipsius virtutum præmium quodammodò sufficiens æstimet, si regna hæc ad fidem adducantur. Audi Rupert. *Reges Babyloniorum, & Persarum, atque Medorum, & Romanorum Imperatores quid nisi leones, & pardi dicendi sunt, qui tot bellis, & cædibus orbem terrarum lacerauerunt? De talium leonum cubilibus, atque pardorum montibus tu amica mea coronaberis. Quomodo? Videlicet, credent in me fructum ventris tui: & eorum credentium salus corona tua erit.*

205.
Mariæ imperium extenditur ad totam Dei Filij Regis ditionem?
Psal. 8.

Profectò in his regnis Christi Dei & hominis potestas, & Imperium super omnes creaturas designatur, iuxta illud: *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Psal. 8. Igitur omnia regna, omnes creaturæ Christi corona sunt, id est, ad eius pertinent ditionem. At tanta est Mariæ potestas accepta à Filio, vt eius Imperium ad omne Dei Filij Imperium quodammodò extendatur. Scitè Rupert. *Ita coronaberis, vt & in cœlis Regina sis Sanctorum, & in terris Regina sis Regnorum. Vbi enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum: Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: prædicabitur & de te, quòd sis ò dilecta Mater huius coronati, ac proinde Regina cœlorum iure possidens totum Filij regnum. Atque hoc intuitu Reges, ac Imperatores coronis suis te coronabunt, palatia sua nomini meo sacrabunt, & honori tuo dedicabunt: vt desinant esse, quod fuerant montes pardorum, cubilia leonum.* Nam quidquid dedicatur Mariæ obsequio, mox desinit esse prophanum.

Rupert.

Quisquis Mariæ dedicatur obsequio, mox desinit esse prophanus.

206.
Tres maximæ virtutes ob quas præcipuè Virgo cœlos ascendit, virginitas, humilitas, & pietas erga Filium.
Guillelm.

Guillelmus verò in illa particula ter repetita: *Veni, veni, veni,* signari contemplatur triplicem eximiam Deiparæ virtutem, ob quam cœlestem fuit assecuta coronam. *Ter ad Mariam dicitur, Veni, propter tres virtutes, quibus maximè Deo placuit, virginitatem, humilitatem, & maternam eius erga Filium pietatem.* Addit: *Bis repetit, de Libano, quia Libanus Hebrais significat candorem; Græcis verò Thus; vt sit sensus: Veni de candore, veni de thure: de candore mundissimæ conuersationis,* (trium illarum specialium virtutum exercitamento,) *& de thure fragrantissimæ opinionis, ad gaudia perpetuæ remunerationis.* Spiritnales viri edocentur à Virgine, non eis sufficere rectè gerere, si de fragranti simul opinione non curant. Vt alij videant opera illorum bona, & cœlestem Patrem glorificent.

Edocet nos Virgo de bona opinione curare.

207.
Cum Christus per passionem de diabolica superbia triūphat, simul Maria triumphum agit, quasi hominū corredēptrix.
Guillelm.

Porrò tribus illis capitibus, & cubilibus ac montibus pardorum, atque leonum varij superbiæ gradus designantur, de quibus Maria Christi æmulatrix triumphum egit. Id eleganter à Guillelmo exprimitur: *Per montes illos intelligitur superbia, cuius tres gradus sunt. Extollitur quis de bonis suis, hanc designat mons Amana. Alius cum nihil habeat, de quo extollatur, extollitur tamen: hæc species priore deterior est: quid enim fœdius paupere superbo? & per verticem Sanir significatur. Tertij de malis suis gloriantur: hæc omnium pessima species significatur per Hermon. De vertice trium horum montium Christus coronatus, cum de diabolo gloriosè per passionem triumphauit. Huius triumphi participem facturus Matrem, à qua triumphantem hanc carnem acceperat, tam feruenter inuitat. Eundem sensum habet quod additur de cubilibus, & montibus leonum, & pardorum.*

208.
Homines à Christo redēptos Maria intercessio efficit redemptionis fructū potiri.
Guillelm.

Hosce superbos Christus sua passione redemit, sed non eos simul ab immani illa superbia eripuit. Maria autem illos sua intercessione liberauit à superbia, vt redemptionis fructu potirentur. Præclarè Abbas adiecit: *Qui superbi sunt, non tantùm cubilia leonum, sed & montes sunt pardorum, id est, dæmonum. Nonne de his pia Mater coronatur, quotiescumque eius intercessione, & auxilius hi fiunt mirabili mutatione cubilia sponsi cœlestis, & montes Dei?* O quàm sunt homines Virgini debitores, siquidem post redemptionem debent, vt per ipsius intercessionem eis redemptionis fructus adiiciatur?

209.
Non assumitur ad superos Maria, quia Dei Mater præcisè, sed quia virtutibus decoratur.
Hailgrin.

Veni de Libano sponsa mea. Cur non Mater, sed sponsa vocatur? Crediderim, vt appareat, non assumi Mariam ad gloriæ coronam Assumptionis die, quia Dei Mater est, sed quia egregiarum virtutum exercitamento regnum est consecuta. Sic Hailgrin. *Libanus interpretatur candor: & etiam Libanus arbor est odorifera. Vocatur ergo B. Virgo, vt de meritis veniat ad coronam, & dicitur ei: Veni de Libano, veni de candore virtutum. Veni de Libano, veni de odore fragrantium operum, pro ipsis præmium receptura.* Pro *ipsis* quidem, præmium Maria recipit, non præcisè quia Dei parens exsurgit.

210.
Triplex Mariæ victoria de diabolo, de mūdi sapientia, de hæresibus cunctis.
Hailgrin.

Capitibus autem illis Amana, Sanir, & Hermon triplex speciatim Virginis victoria designatur. *Amana* (adiicit Cardinalis) *interpretatur dens vigiliarum, vt designet omne dæmonum collegium, qui dente tentationis hominem rodunt, & semper ad eius subuersionem vigilant. Huius autem collegij caput, quod per Amana significatur, est princeps dæmoniorum, cuius caput Virgo contriuit. Sanir interpretatur auis noctur-*

na,

na, quæ de nocte volat, & videt : & obcæcatur ad solem. Hi sunt sapientes huius mundi, qui ad lucem huius sapientiæ cæci sunt; ad sapientiam verò huius sæculi, & ad malitiam subtiliter vident. De his triumphat Maria, & pro hac victoria coronatur, quia peperit sapientiam, per quam huiusmodi sapientia insipientia comprobatur. Ipsa quoque coronatur de vertice Hermon, qui interpretatur Anathema, id est, de capitaneis hæreticorum; quia ipsa vniuersas hæreses interemit in vniuerso mundo.

211. *Tres Virginis laureolæ Martyrij, Doctrinæ, virginitatis.* Del-Rius.

Alter Del-Rius noster de triplici Mariæ victoria locum interpretatur, dum inquit. *Videtur mihi etiam triplex hæc coronatio, referri posse ad tres laureolas Deiparæ. Per Amana intelligo laureolam Martyrij ex compassione* Iesu patientis aspectu. *Per Sanir laureolam Doctorum, quæ ipsi fuit debita per doctrinam mysteriorum, quorum in multis Mariæ opera participes facti sunt Apostoli. Per Hermon laureolam virginitatis, quam prima vouit, & Deo consecrauit Mater Iesu, & Virgo virginum.* Hæc quidem explicatio probè conuenit nominum Hebræorum significationi. *Amana* enim significat *veritatem*, ob cuius defensionem Martyres sanguinem profundunt. *Sanir* idem est ac *dens lucernæ*, per quod vocabulum innuuntur Doctores escas illuminantis doctrinæ diuidentes. *Hermon*, seu *consecratio*, voto virginitatis potest accommodari.

212. *A tribus Beatissimæ Trinitatis Personis Maria coronam recipit Assumptionis die.* Honor.

Honorius Augustodunensis illas particulas: *Veni, Veni, Veni,* tribus Beatissimæ Trinitatis personis adaptat Mariam ad cœleste Regnum inuitantibus. *Veni de Libano, seu de albedine virtutum, de capite trium montium coronata. Quia à Deitate trium personarum glorificata, quod innuunt vocabula montium. Amana quippè sonat excelsus, per quod Pater intelligitur. Sanir Lucerna, qua Filius accipitur; Hermon consecratio, qua Spiritus sanctus innuitur.* Tam eximia enim sunt Virginis merita, vt non solùm à Deo vno, sed & à tribus personis coronari dicantur. Vt gloria coronationis Mariæ gloriam Incarnationis Verbi æmuletur: vbi Pater illi obumbrat, Filius ab ea carnem accipit Spiritu sancto superueniente.

213. *Quam apta Maria Dei sponsa, quæ sola ei placuit.* Richard.

Veni de Libano, sponsa mea. Mater Christi, cur eiusdem sponsa appellatur? Certè vt appareat adhuc quanta sit Virginis excellentia. *Qui vult sponsam accipere* (loquor cum Richardo de S. Laurent. lib. 6. de laud. Mar.) *prius eligit, quæ sibi placeat. Ideò de Maria canitur. Elegit eam Deus, & prælegit eam. Et dixit illi* (postquam singulas fœminas menti apposuit.) *Tu mihi sola places. Canit enim Ecclesia: Sola sine exemplo placuisti Domino, id est, Christo. Deinde sponsa ornatur; quod factum est, quando ornata fuit donis Spiritus sancti; & tunc concupiuit Rex decorem eius. Tertiò coniuncta Christo per verba de præsenti, quando respondit Angelo: Fiat mihi. Quartò in Assumptione fuit in sponsi thalamum introducta. Tunc de Maria sponsa dicitur: Veni de Libano sponsa mea.*

214. *In hac desponsatione Maria dat Christo carnem, & ab eo recipit gratiam & gloriam.* Richard.

In Matrimonio solent fieri donationes. Vxor enim dat aliquid viro propter nuptias, & vir dotat vxorem. *Dedit Maria* (Richardus addit) *sponso Christo carnem de sua carne, in qua passus est. Ipse vero dedit ei quasi duplicem dotem, gratiam primo; vnde dicta est gratia plena: & tandem gloriam in excelsis; quia gratiam & gloriam dabit Dominus. Propter hoc in figura Mariæ dixit Lia Gen. 30. Ditauit me Deus dote bona.* Et sponsus. *Veni de Libano sponsa mea, & coronaberis.* Tot enim gratiarum albedini (quæ in Libano exprimitur) cœlestis corona debetur.

Idem Richardus inibi de Assumptionis Mariæ gloria locum exponit. *Coronata est*, ait, *in Reginam in sua Assumptione, sicut ei promiserat Filius. Veni de Libano, veni coronaberis. Ideo designata est per Esther, quam Rex Assuerus accepit in vxorem, & voluit esse Reginam, & posuit diadema Regni in capite eius, id est, coronam virtutum in gratiæ adimpletione, & coronam gloriæ in Assumptione. Caput Mariæ dici potest humilitas ipsius, merito cuius coronata est in Reginam.* Virgo itaque non assumitur in Reginam, quia Dei Mater; sed quia coronæ virtutum eius gloriæ corona debebatur. Ideo in Assumptionis solemni Mariæ ac Marthæ fit memoria, quibus duplex virtutum via contemplationis, & actionis exprimitur, quarum actionibus Virgo virtutum coronam contexuit, cui gloriæ corona respondit. 215. *Corona virtutum Mariæ gloriæ corona respondit Assumptionis die.* Richard. *Ideò in Assumptionis solemni Marthæ ac Mariæ operum fit memoria.*

Deipara Ioanni Apoc. 12. coronata stellis apparuit. *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Hic autem eadem ex feris & ex pardorum montibus coronanda describitur. Quinam precor leonum, pardorum, montium horribilium & stellarum nexus? D. Chrysostomus hom. 23. ad popul. Antioch. prauos homines feris animantibus similes esse dixit. Profectò Deiparæ protectione hæ feræ in stellas commutantur. Pulchræ Richardus lib. 3. *De cubilibus leonum, & de montibus pardorum dicitur Maria coronari: & nota, quod Apoc. 12. dicitur coronari de stellis: hic promittit ei Filius, quod coronabitur de feris. Et quid est hoc, nisi quod feræ per gratiam, & orationes Mariæ sunt stellæ, vt conueniant capiti tantæ Reginæ. Vt de stellis ei corona videatur exhibita, quæ de feris fuerat promissa, & hæc est mutatio dexteræ excelsi.* Peccator leonem, pardum, lupum crudelitate, & alias feras aliis sceleribus referens, si ad Mariæ se pietatem recipiat, exuet feritatem, & in stellam fulgentissimam conuertetur. 216. *Maria feris, seu peccatoribus coronatur eius intercessione in stellas conuertendis.* Apoc. 12. Richard.

Vers. IX.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

Mirum prorsus, suauem oculorum aspectum, & criniculum vnum posse Dei cordi vulnus infligere. An vnicus Deiparæ respectus, vnus criniculus sagittæ ad cor diuinum vulnerandum gerit officium? Pilulus per ceram tractus liquefactam poterit planè aliquod sui vestigium impressum relinquere. At quàm prodigiosè blanda erit cera, quàm oculi aspectus valeat penetrare? Profectò Deus ad Mariæ preculam, ad desiderij eius perleuem ostensionem sic afficitur, vt illud possit vsurpare: *Factum est cor meum tanquam cera* 217. *Deipara oculorum nutu, precula eius indicantur, velut cera liquens ad concedendam nobis veniam ostentatur.* Psalm. 21.

liquescens. Psalm. 21. ad tuæ voluntatis nutum, ô Mater dilectissima, vel leuissimo oculorum tuorum nutu, aut piluli obiectu meo cordi vulnus infligis.

218. *Maria illa est fortis mulier, in qua confidit cor Dei.*

Vulnerasti cor meum. Alij legunt. *Fidere me fecisti.* Ac si diceret sponsus, inter cunctas humanas creaturas à principio quærebam fœminam tam ineffabili constantia conspicuam, vt ei possem cordis mei arcanum committere, eique fidere: & nullam præter Mariam inueni, quæ mobilitatis Euæ inconstantiam non saperet. Sola Maria mulier illa fortis, in qua

Prou. 31. Richard.

cor viri sui confidit. Prouerb. 31. Richardus Laurent. lib. 6. de laud Virg. *Vulnerasti cor meum, (* seu *fidere me fecisti) soror mea sponsa sororem vocat propter humana naturæ contubernium. Sponsam fidelitatis constantiam: De eius fidelitate confidit valde sponsus, sicut dicitur Prou. 31. Confidit in ea cor viri sui.*

Legunt alij. *Excordisficasti me, abstulisti mihi cor, seu animam.* Secundæ Trinitatis personæ, scilicet Verbo, animæ nomen in

Leuit. 26. Cyril. Orig.

sacra scriptura tribuitur. Leuit. 26. *Abominabitur vos anima mea.* D. Cyrillus, & Origenes hoc de Verbo diuino homine facto exponunt, quod quidem dicunt esse animam Patris. Abstulisti ô Virgo (Pater ait) mihi animam, cum Verbum meum tuum ad vterum attraxisti.

219. *Deus quasi vna anima cum Maria fit.*

Aliter expendo. Tam ardenti erga Mariam Deus fuit dilectione affectus; vt illius animam ineffabili voluntaria vi velut abstraxerit, vt vna anima cum ea fieret. Quemadmodum de Dauide & Ionatha asseritur in vnam animam præ amoris affectu coiisse. Vnde Maria velut Deus alter, seu idem existit. An non sponsus & sponsa quasi vnica essentia reputantur? Maria hîc appellatur sponsa, *Abstulisti mihi animam soror mea sponsa*, anima mea tua est, mea est anima tua. Ergò & bona communia.

Richard.

Aptè Richardus ait. *Sicut quidquid habent sponsus & sponsa, vtrique commune est: ita quidquid habet Deus, habet Maria* quodammodo, *& è conuerso. Vnde videtur ei dicere Deus illud*

Ioan. 17.

Ioan. 17. Mea omnia tua sunt.

220. *Mirabili commutatione Dei anima fit Maria, Maria anima fit Dei.* Psalm. 44.

Alij autem è regione legisse videntur. *Fecisti, dedisti, indidisti mihi cor.* Quod planè proximæ lectioni, *Abstulisti mihi cor* oppositum obiici, quis non videat? At mirificè vna & altera lectio consonant, *Abstulisti mihi cor, & Dedisti mihi cor.* Deus & Maria sunt planè ij, de quibus cecinit Dauid in titulo Psal. 44. *Qui commutabuntur.* Inter eos enim quoddam proprietatum, idiomatum, ac excellentiarum quasi commercium geritur. Maria verè Deo dedit cor & animam, cum naturam humanam induit, quia cor & animam Dei ipsa sibi impensè ab ipso dilecta abstraxerat. Iam satis non est asserere, Mariam Seraphicum, aut Cherubicum animum habere, si dum indidit Deo suum cor, & animam, Deum excordificauerit. Cor pro corde commutatur, Deo cor Virginis accipiente, Maria autem Dei corde & anima informata tam purum, tam perfectum fuit Mariæ cor, vt Deus pro commutatione cordis sui illud accipere non dedignetur: nec pudeat eum dicere, Mariæ corde, & anima viuo. O quàm pium Deus se erga peccatores ostendet, si ex piissimi cordis Mariæ impulsu gerit actiones!

221. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Si se Deus bis vulneratum se à Maria proclamat, quomodo eam & sororem, & sponsam appellat? Certè quia amabile admodum, & desiderabile Deo dilectissimæ Deiparæ vulnus, quia etiam impensè diligentis est. Id eleganter Philippus Abbas exposuit. *Solent, inquit, hostes ab hostibus timore vulnerum absterreri: & qui fortè vulnus intulerit maius odium promereri; & quantum gaudet, qui ad nocendum, & inferendum vulnus se intellexerit praualere: tantum, imò amplius dolet, qui coactus fuerit sustinere. Hic autem Virgo vulnerat, & vulneratus odium non rependit; illa quasi praualet, ille manus ad iniurias non extendit. Illa victoria compos hilarescit, manu plaudit: iste quasi pungitur, & compunctus non queritur, sed applaudit.* Vndenam id? *Amat quippe sponsus vulnerari fortiter, sed amore: transfigi non gladio, sed affectu diligentium fortiore: de profundo cuius vulneris manat gratia, dulcis amor spirat: & profuso non cruore, sed dulcore, amat viuacius, non expirat.* O quàm dulce numini amantis Mariæ vulnus eius cordi inflictum!

Amat diligi Deus à Maria diligente seseè vulnerari amoris sagitta. Philip.

Quam dulce Deo amantis Mariæ vulnus!

222. *Tam potens Mariæ amantis vulnus ad cor Dei sauciandum ad vitam: quam materiale vulnus ad mortem corporeo cordi inferendam.* Philip.

Cor meum. Verùm vt sponsus exaggeret ineffabilem Mariæ diligentis affectum, asserit cor, non membrum aliud ab ea fuisse vulneratum: cordis enim vel leuissimum vulnus lethale quidem est. *Rectè (* ait Abbas *) cor suum, non caput, non pedem, non quidquam simile perhibet vulnerari, quo nonnunquam vulnerato, videmus vita hominem reseruari, sed cor ipsum nominat, quod ad modicum vulneratum manum medicam non admittit: sed carens tam spatio, quam remedio, vitalem spiritum mox emittit. Cum igitur cor suum sponsa vulnere velut asserit infirmari: verboque repetito, vult eiusdem vulneris certitudinem confirmari: innuit, tale vulnus intelligi non mortale, quia & cor non corporeum, neque morti obnoxium, sed vitale.* Igitur tam potens ostenditur Mariæ amantis vulnus Dei cordi spirituali inflictum ad vitam; quam dirum assolet esse cordi corporeo materiale vulnus inflictum ad mortem.

223. *Maria soror Christi vocatur, quia coheres cū ipso cœlestis hereditatis.* Philip.

Soror mea. Christus Matrem Mariam sororem appellat, vt innuat paternæ hæreditatis cum eo esse consortem. Audi Philippum. *Christus hîc Mariam sororem vocat, vt signet hoc nomine affectum communis beneuolentiæ firmiorem. Quia diuina lex exigit, vt soror cum fratre paterna hæreditatis consors, & comparticeps habeatur. Est autem Virgo soror Christi, Christus Virginis æquè frater, quibus & in terris vna cognatio, & in cœlis vnus dicitur esse Pater. Qui licet non pro sexu, sed pro meritis portionem vnam pro omnibus non concedat; tamen iustè distribuens, sicut non filium, sic nec filiam exhæredat. Cuius Patris Virgo sicut filia, sic & hæres; vnde Christi dicitur soror, & cohæres.*

224. *Mariæ contemplatio à Christo eiusdem actioni præponitur.* Luc. 10.

In vno oculorum tuorum. Non reprobat Christus alterius Matris luminis pulchritudinem, sed vnius ineffabile lumen esse specialiter indicat. Duo Mariæ lumina contemplationem dixerim, & piam actionem illis sororibus Martha, ac Maria designatam. Non reprobat dum vnum laudat lumen alterum, sed eius specialem asserit esse fulgorem. Perpulchrè argumentum hoc Philippus illustrat.

Philip.

Hoc dicto insinuat Christus, duobus Virginem

oculis

oculis, sed eorum altero amplius, & suauius gratiosam. Quorum vnum approbans, nequaquam alterum reprehendit; sed alterum non accusans, illum vnum excellentiùs magni pendit. Alter fortè est oculus, cui visibilia (in pia actione *) datum est contueri; sed primus & præcipuus ille est oculus, qui se longè remouens ab intuitu facturæ temporalis, attollit se ad videndum (* per contemplationis affectum *) faciem Creatoris. Qui quia mundum nesciens in salutare Dei laudabiliter defetiscit, & erga plurima non turbatur: sed vnum illud necessarium concupiscit, vnus rectè dicitur. Isto oculo, qui se foras ad videndum plurima non effundit, Christi cor vulneratur.*

225\. *Ineffabiliter amãs Maria, non poterat vnico. illato in Dei cor vulnere satisfieri.* Philip.

Vulnerasti cor meum, vulnerasti cor meum. Bis dicit Deus cor suum à Virgine fuisse vulneratum, vt adhuc exaggeret illius dilectionem, quæ sagittæ exe it vices. Vnde *non solum in oculo* (loquor cum Philippo) *sed etiam in crine se sponsus asserit vulnerari, qui Verbum replicans, ipsum vulnus replicari asserit. Quia nec Virgini* amanti *satis erat vnum quasi iaculum intulisse; nec item satis erat sponso, vnum, secundo tacito, retulisse.* Tam ineffabiliter amans Maria, quomodo poterat vnico immisso iaculo in Dei præcordia satisfieri: & Deus diligens à Virgine sic vulnerari, quomodo non sibi de replicato vulnere gratularetur.

Omnes Mariæ virtutes charitatis ignem spirant. Philip.

Tanta Virginis erga Deum, & proximum charitas fuit, vt innumerabiles illius virtutes hunc amoris sapiant affectum. Vitta coccinea vidisti comam fœminæ religari, & velut vnum fieri? Cunctæ Virginis virtutes vnica velut charitas esse obiiciuntur. Adhuc Philippus id eleganter expressit. *Vulneratur sponsus, vt ipse asserit, & in crine: eo quod crinium multiplicitas vnitatis amans, non vento rapitur, sed maturè colligitur, & redigitur ad ipsius regulam vnitatis. Nulla, vt reor mulier cunctis retrò sæculis est inuenta, quæ decisis crinibus, relicto vno singulariter, sit contenta. Sed Virgo multis gaudens crinibus, id est virtutibus venustari, omnes simul aggregat, & quadam colligit vnitate* (velut coccinea vitta) *miroque Magisterio sub vna redigit charitate.* Vnde nulla Deiparæ virtus ad operandum se exerit, quæ charitatis ignem non spiret. Quare ipsa *Charitas* absolutè ab sponso appellatur. *Ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam* (alij legunt charitatem.) Cant. 2.

Cant. 2.

226\. *Plus laudabilis Maria, quia amica est Dei spiritualis, quam quia corporalis Mater.* Guillelm.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. Non dicit *Mater mea*, sed soror, & sponsa. Vt ostendat Dominus, Mariam dignam planè esse hac præstantissima dilectione, licet eius Mater non esset ob excellentissimum omnium virtutum exercitamentum. Illustrat id Guillelmus Abbas. *Non vocatur Mater, sed vocatur sponsa, & soror: inde nè putetur tanti fieri, quia est Mater eius corporalis, cum spiritus sit, qui viuificet, caro autem non prosit quidquam; & ideò maluit laudari in Matre secundum spiritum, cum huius comparatione non videatur illam nosse secundum carnem dicens: Quid mihi & tibi est mulier?* Ioan. 2. *Et alias dicenti quidam, ecce Mater tua, & fratres tui: respondit. Quæ est Mater mea, & fratres mei?* Mar. 3. *Sed vt intelligamus, magis diligi, & maioris fieri, quia est eius amica spiritualis.* Addit tamen appositè. *Hoc tamen tam excellenter non esset, nisi etiam corporalis Mater Verbi esset. Nam ex ea hora, in qua ex eius carne virginea: Verbum caro factum est, de calore superuenientis Spiritus sancti, ad illam singularem est inflammata charitatem; quia incorporaliter in eius, quem corporaliter concipiebat, amorem exarsit: & perpetuò flagrantiore flamma conflagrauit.*

Tam arcta hæc spiritualis amicitia ex maternitate corporea ortum habuit.

227\. *Maria multocula, imo totocula, vt sibi, & nobis prospiciat.* Epiphan. Ezech. 14.

In vno oculorum tuorum. An Maria altero lumine carebat? Profectò innumeris oculis ornabatur. Illud enim: *In vno oculorum* hunc sensum admittit, in oculorum vnitate ad respiciedum. D. Epiphanius hom. de laud. Mariæ exclamat. *O Virgo, quæ es multocula!* De quatuor illis pennatis animantibus, Ezechieli, & Ioanni obiectis dicitur oculis esse plena. Hac specie Guillelmus Deiparam contemplatur. *De quatuor pennatis animalibus legitur in circuitu & intus plena esse oculis, quibus non tantum sibi, sed aliis etiam inuigilant. Quid frustra malignus expandit rete ante oculos eorum? Vndique sunt sanctorum oculi aperti, frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quis tam plenus oculis, quam Mater luminis? Quis pari sollicitudine sibi, & aliis inuigilauit, ac Mater pietatis?*

228\. *Maria totocula, conuersa scilicet in pupillam oculorum Dei.* Apoc 4.

Ioannis locum illum expendo. *Et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retrò: & intus plena sunt oculis.* Apoc. 4. Crediderim describenda esse hæc Seraphica corpora diaphana omninò veluti è christallo compacta, vt sic à Ioanne possent plena oculis *intus, & in circuitu. ante & retrò* videri: verùm cum Euangelista haud assignet, quanam corporis parte his luminibus exornari: & simul asserat plena esse animantia oculis intus, & foris, & in circuitu, & infra, & supra, ante & retro, innuit Apostolus caput, dorsum, manus, pedes, imo à planta pedis vsque ad capitis verticem esse oculata. Imò contemplor illorum capillos velut aurea fila oculis vti gemmis inserta. En igitur Mariam *multoculam*, (vti Epiphanius ait,) seu aptius dixerim, *totoculam*, seu totam in oculorum pupillam conuersam, vt sibi prospiciens, simul super hominum egestates inuigilet. Dixerim planè Deiparam à planta pedis, vsque ad capitis verticem Dei esse pupillam, seu *Niña de los ojos de Dios.* Sublimius quid asserere audebo.

Epiphan.

229\. *Totocula Maria similitudinem Christi totoculi refert ad pietatem.* Zach 4. Iudic. 16.

Zachariæ visus est Christus Dominus sub specie lapidis oculati. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Cap. 4. Vbi Hieronymus affirmat Christum lapidem angularem, & fundamentalem significari. Septenarius hic numerus ex scripturæ more pro ingenti oculorum multitudine apponitur. Iudic. 16. dicitur de Sampsone, de capite illius Nazaræo fuisse septem crines abrasos, id est, sacræ comæ capillorum numerosam multitudinem. Ergo multoculo, seu totoculi Christo ad pietatem cum hominibus exercendam Mariæ pietas assimilari curat.

230\. *Si vnus Mariæ oculus Dei cor vulnerat, quam potens multocula erit ad hominum protectionem?*

Si Maria multocula, imo totocula veraciter asseritur: quare sponsus Deus tot luminum velut immemor vnico illius oculo vulneratum se esse proclamat? *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Certè vt Mariæ vis ad hominum protectionem ostendatur. Si oculus vnus piissimæ Matris adeo est validus, vt Deum vulnerare valeat: reliqui innumeri eius

oculi

oculi quam ineffabilem potentiam exerent ad peccatorum protectionem? *O Virgo quæ es multocula!* cum Athanaſio inclama.

231. *Maria ſeptem virtutibus, velut capite crinis, ornatur.* Guillelm.

Et in vno crine colli tui? An vno ſolum crine Mariæ caput ornatur? Guillelmus aſſerit, ſeptem eſſe Virginis crines. *Legimus*, ait, *de Samſone fortiſſimo, quod ſeptem crines habuit, in quibus eius inſignis fortitudo poſita erat; quibus raſis omne illius robur elanguit. Septem crines ſeptem dona Spiritus ſancti ſunt, ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor Domini. Caput animæ eſt ratio contemplans, collum eius eſt ratio actiua. Septem illis virtutibus quis æquè excelluit ac Mater ipſa virtutum? Pluſquam Samſon hæc. Nam ſeptem illis crinibus nouaculam Dalilæ, id eſt, Euæ non timuit.* Vnde integra fortitudine tartareos hoſtes validè debellauit.

232. *Mariæ humilitas Deum dulciter vulnerauit.* Guillelm.

At ex vna harum virtutum ſpecialiter Deus ſe vulneratum dulciter, profitetur: *Et in vno crine colli tui.* Quinam hic crinis? Planè filialis timor, ſeu humilis colli ſubmiſſio. Audi Guillelmum. *Quantumvis in cæteris maximè virtutibus, tamen in vltimo nempè timore Domini excelluit, quem conſtat plane in ea filialem fuiſſe. Nihil eſt hic filialis timor niſi humilis amor; hunc vnum illa in Cantico Magnificat celebrauit canens. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. In hoc vno crine vulnerauit cor ſponſi cæleſtis, hoc eſt, vehementius illi placuit.* (Luc. 1.)

233. *Maria adeò humilis eſſe ditur, vt vix ſe conſentiendi capacem quodammodo agnoſcit, ſeu inter homines vix poſſe computari.* Luc. 1.

Rupertus etiam de mira Virginis humilitate locum expoſuit. *Vulneraſti*, inquit, *cor meum in vno crine colli tui, id eſt, in nimia cordis tui humilitate. Quem videlicet crinem ſemper vnum vidi, quam humilitatem ſemper vniformem & indeficientem eſſe conſpexi. Quid vno crine gracilius? Quid humilitate ſubtilius? Quid crine flexibilius? & quid humilitate confractius? Crinis vnus vix comparet, humilitas tua vix conſentit; vt computari poſſit inter homines.* Tam gracilis, tam ſubtilis fuit Mariæ humilitas cum conſentiens Angeli verbis dixit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi*, vt vix ſe poſſe conſentire putaret. Nam non ſolum ſe ancillam profatur, ſed quodammodò ſe ab humanitate alienam agnouit, inde conſentiendi ſe incapacem omninò innuebat. Ita exponere auſus ſum particulam illam: Humilitas tua vix conſentit, vt computari poſſit *inter homines*, id eſt, vix humillima Virgo te conſentiendi capacem agnoſcis, quia vix te inter homines computari poſſe præſumis.

234. *Maria per virginitatis votum caput, ſeu virū habere noleat.* Rupert.

In vno crine colli tui. Cur colli crinis appellatur, ſi capitis aptius vocari debuiſſet? Nonne coma è capite ſuum ducit initium? Profectò in Maria coma è collo procedit, non ex capite, quia per virginitatis votum, caput noluit habere, vir enim mulieris nuptæ caput eſt. Pulchrè Rupertus. *Hic eſt crinis colli Mariæ caput non habentis, caput inquam, id eſt, virum nec habentis, nec habere volentis; nam caput mulieris vir.*

235. *Maria ſe indignam eſſe putabat cuiſlibet viri conſortio.* Rupert.

Altius auolat adhuc hîc Mariæ cogitatio & affectus. Tam profunda enim eius erat humilitas, vt ſe indignam reputaret, vt vlli ſponſo digna coniux exiſteret. Pulchrius planè Rupertus. *Iſte eſt crinis colli humilis cogitatio mulieris caput non habentis, nam caput mulieris vir. Tu ô Virgo capite iſto te indignam iudicaſti, tu viro, & omni ſæculo indignam exiſtimaſti.*

Quod quidem apte poteſt D. Ioſephi Deiparæ ſponſo gloriæ aptè accommodari. Tanta enim Mariæ de ſanctitate illius æſtimatio, vt ſe indignam iudicaret, quæ tanti viri coniux diceretur. *Capite iſto te indignam iudicaſti.* Ipſa Gabrieli dixit. *Virum non cognoſco*, id eſt, Ioſephum, cui deſponſata ſum non recognoſco vt virum, ſed tanta fulgidum puritate aduerto, vt Angelum eſſe eum valeam quodammodo ſuſpicari. Vnde me indignam prorſus tanto conſortio meritò iudico. 236. *Virgo ſe putabat indignam Ioſephi coniugem. Tanti Ioſephum æſtimabat.*

Cum autem profundiſſimo humilitatis fundamini ædificij vertex ſoleat reſpondere: Virgineæ humilitati profundiſſimæ non potuit non ſummus vertex Dei Maternitatis aptari. Rurſus audi Rupertum. *Quid accepiſti* (Deus ait) ô Virgo *vulnerando cor meum in vno crine colli tui*, ſeu in illa ineffabili humilitate, qua iudicabas te indignam marito, vt ſemen in Iſraël enitereris? Accepiſti quidem, in Dei Matrem aſſumi. *Quam pulchra ſunt mammæ tuæ! Amici auſcultant hæc, & intelligunt, me hoc dicere, hoc admirari, quia Mater & Virgo es: & hunc eſſe fructum vnius crinis colli tui, quod cum te reputares indignam viro, facta es digna Deo; cum te indignam putares, facere ſemen in Iſraël, facere es digna in Iſraël ſalutem; cum te indignam reputares lactare filium hominem, digna habita es mammis pulchris, vberibus pulcherrimis, mammis virgineis, vberibus intactis lactare Filium Deum & hominem.* Quam profunda humilitas, cui tam ſupremus vertex reſpondit. 237. *Ob hanc tam profundam humilitatem Maria ad Dei Maternitatē fuit eleuata.* Rupert.

Sed quia oportebat, vt Incarnationis myſterium diabolo tunc operiretur, nuptui Virgo fuit tradita. In qua ipſius ad virum traditione ſumma puritas innoteſcit, ſimul & firma fides, quod ex Dei cuſtodia nullatenus poſſet virginitatis fulgor obnubilari. Hoc eleganter idem Abbas expendit. *Hoc ſcientes dicunt, & vere dicunt amici, quia votum egregium Deo prima vouiſti, votum virginitatis. Attamen ſponſæ nomen admiſiſti, deſponſari viro non renuiſti, & inter hæc vnum oculorum suorum, & illum crinem colli tui iam dictum magis ac magis in me fixiſti fide fortis, ſpe ſtabilis, charitate immobilis. Si enim Abraham & Sara fideles ſperare potuerunt, quod coniugium eorum non deberem negligere, quin cuſtodirem illud in domo Pharaonis, & idcirco Saram tolli in domum illam, nec Abraham renuit, nec ipſa Sara refugit: quantò magis tu fideliſſima me fidelem fore ſperaſti, quòd virginitatem tuam cuſtodire poſſem aut non negligerem illibatam in domo ſponſi præſertim fidelis, & iuſti, & idcirco deſponſionis ſolemnitatem non refugiſti.* 238. *Summa puritas & ſecuritas Mariæ coram ſponſo Ioſepho.* Rupert.

Vulneraſti cor meum, &c. Hinc colligo Virginis preces efficaciores eſſe ad obtinendum, quam aliorum diuorum. Hi enim contentione aſſidua à Deo impetrant tandem ſi oporteat, quod precantur. Maria verò Deum vulnerat prece, id eſt, illum afficit, vt illicò poſtulata concedat. Exemplo Iacobi id Rupertus confirmat. *Itaque ſemper & vbique vnum, ſiue vnitatem oculorum habens, id eſt vultum in diuerſa non mutatum vulneraſti cor meum*, cum pro ſalute hominum deprecaris. *Alij fortes & validi me tenuerunt: & dicentem, dimitte me, non dimiſerunt: & luctando fortiter contra Deum, fortes fuerunt. Tu autem vulneraſti cor meum. Illi luctando atque vincendo æternam ſibimet* 239. *Quam efficaces Mariæ preces pro peccatoribus ſint hoc ex vulnere colligitur.* Rupert.

ſibimet benedictionem,& neceſſariam peccatori ſuo populo indulgentiam obtinuerunt : tu autem quid inueniſti vulnerando cor meum? Vnica prece velut acuto vulnere *inueniſti gratiam* peccatoribus *apud Deum*, quam Adamus perdiderat.

240. *Mariæ affectus nũquam à recto intellectus dictamine deuiauit.* Hailgrin.

Vulneraſti cor meum. Legunt alij, *Percuſſiſti nos corde*, ſeu vt exponit Hailgr.Card. *Corde nos cepiſti. Totam videlicet Trinitatem. Dicit ergo* Beata Trinitas, *vulneraſti cor meum vulnere charitatis. In vno enim oculorum, id eſt in vnitate affectus & intellectus; qui in te ita ſunt vnum, vt non aliud deſideret affectus, niſi quod deſiderandum iudicat intellectus.* Rectitudo ergò intellectus Mariæ nunquam miniſtrauit affectui vel leue monitum deuiandi. *Vulneraſti & in vno crine ceruicis tuæ, id eſt, in vnitate cogitationum tuarum, quæ ſic adhæſerunt capiti ſuo Chriſto.* En vnde Mariæ comæ procedunt è collo, non è capite; quia vera Chriſti ſponſa caput proprium non habet, Deus enim eius caput eſt. Ideò eam vocat ſponſam. *Vocat* (addit Cardinalis) *Chriſtus hîc Matrem ſuam ſponſam, propter inconcuſſa fidei conſtantiam. Cum enim tempore paſſionis fides Apoſtolorum concuſſa vacillaret, ipſa velut ſponſa capiti ſuo ſponſo ſuo ſine vlla fidei titubatione conſtanter adhæſit. Libeat autem attendere in hac ſponſa qualiter prima ſponſa ſit oppoſita. Prima ſponſa Eua de coſta viri ſui formata eſt; ſed de carne ſponſæ huius formatus eſt ſponſus eius. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur ad Dominum. Innoua ſigna, & immuta mirabilia.* Cap. 36. *Mirabile de coſta viri formare mulierem : immutatio mirabilium eſt, quod de ſola carne mulieris formatus eſt homo. Cæterùm, cum de oſſe viri formata eſt caro mulieris, ſignum fuit, quod per mulierem humana infirmaretur natura. Facta eſt ſignorum innouatio, cum de carne mulieris factus eſt vir; per quod ſignificatum eſt, quod per hanc generationem humanam humana natura ab infirmitate ad firmitatem reuerteretur.*

Caput Mariæ Chriſtus, ideo crinis eius è collo procedit.

Mariæ & Euæ antitheſis.

Eccl. 36.

241. *Specialiſſima Mariæ redemptio.* Carthuſ.

Vulneraſti cor meum. Ad ſpecialem Mariæ redemptionem hæc verba Dionyſ.Carth. accommodat. *Quantò quis, inquit, ad maiorem beatitudinem eſt electus, tantò amplius Chriſtus pro ipſo videtur paſſus. Cum itaque ad excellentiſſimam fœlicitatem, & gloriam digniſſima Virgo electa ſit ab æterno, nonnè pro ipſa, pro eius amore, pro eius ſalute ſpecialiſſimè crucifixus eſt Filius eius.* Ideò bis ſe exprimit vulneratum. *Vulneraſti cor meum, vulneraſti cor meum, id eſt, vehementiſſimè attraxiſti me ad te : itavt quaſi pro* ſolo *amore tuo vulneratus videar.*

242. *Mariæ humilitas & ore, & corde.* Eccl. 19. Richard.

Richard. de S.Laurent. lib. 5. de laud. Virgin. in crine colli Mariæ eius veram humilitatem contemplatur. Ore etenim ſe dixit *ancillam*, vt cordis exprimeret affectum. *Hypocritæ ſe voce ſolùm humiliant, inanis gloriæ cauſa.* Eccli. 19. *Nequiter ſe humiliãt, & interiora plena ſunt dolo. Ideò dicitur, in vno crine colli. In quo notatur, quod nõ tantum Maria fuerit humilis in voce, ſed etiam humilis in mente. Per collũ, quod continet guttur, in quo formatur vox, ſignificatur humilitas verborum eius, quia per humilitatem ſonuit verbũ obedientiæ, Ecce ancilla Domini. Deſignatur item per vnũ crinem ſingularis humilitas mẽtis eius. Et hac duplici humilitate tam profundè vulnerauit cor Chriſti vulnere amoris, quod facta eſt ei ſoror, & ſpõſa quoad humanam naturam, quam aſſumpſit ex ea; in qua vulneratus eſt ad mortem in patibulo crucis.*

243. *Tam efficaces Mariæ preces,*

Idem Doctor colli, ſeu gutturis, id eſt, vocis Mariæ memorans efficaciam, ibidẽ ait : *Si verba ſapientium ſtimuli.* Eccl. vlt. *Quid putas de verbis Matris ſapientiæ? Pungunt orationes eius cor Filij. Vnde & ipſe dicit* Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa. Et inde verba Mariæ miſericordiam eliciunt peccatoribus.* Aliorum Diuorum preces Dei auribus perſonant, ſed non ſemper valent cordis penetralia inire. Preces verò Mariæ non ſolùm cor ineunt, verùm & illud dulciter vulnerant : vt Deus voluntaria vi velut affectus, non valeat Matri quodammodo denegare, quod poſtulat.

vt Deus veluti vi earum affectus, non valeat denegare quod poſtulant. Richard. Eccli vlt.

244. *Tota Maria eſt ſagitta deſtruens ſuperbiam.* Richard. 4 Reg. 13.

Profectò lib. 9. Doctor ait totam Mariam eſſe ſagittam ſalubriter vulnerantem : & eam Tigri flumini comparat. *Tigris interpretatur velox, ſeu ſagitta : & vadit contra Aſſyrios. Et B. Virgo quaſi ſagitta Domini exemplo ſuæ humilitatis deſtruit ſuperbiam. Vnde de ea dicitur* 4. Reg. 13. *Sagittas ſalutis Domini contra Syriam.* Vt eius debellata ſuperbia, humilitatem ſectetur. *Niſi enim ſagitta eſſet Maria, non diceret ſponſus. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa.*

245. *Mariæ interceſſio Moſis eſt Virga Chriſtũ petram quaſi bis tangens, vt gratiarũ nobis aquæ effluant.* Richard. Exod. 17.

Denique lib. 12. premit illud verbum bis expreſſum, *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.* Vnde interceſſionis Mariæ annotat efficaciam. Ait enim virgam illam, qua Moſes olim Hebræis abũdantiſſima è petra pocula elicuit, Mariæ interceſſionis efficaciſſimæ fuiſſe imaginem. *Maria* (inquit ille) *eſt virga Moyſis, qua percuſſit petram.* Exod. 17. *& fluxerũt aquæ, ita vt biberet populus, & iumenta. Petra Chriſtus.* 1. Cor. 1. *Petra autem erat Chriſtus. Duritia huius petræ, rigor, ſiue ſeueritas iuſtitiæ Diuinæ eſt. Ipſe autem nunquam ita ſeuerus, aut durus eſt erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum, & indulgẽtiæ, ſi hac virga ipſam tetigerit pia oratione. Certè Chriſtus petra ab hac virga quaſi bis tangitur, cũ primitus puritas virginalis, & ſecundò dignitas Maternalis ipſi in precibus à Matre præſentatur. Et propter hoc dicit Filius, vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meũ. Et hæc duplex vulneratio eſt huius petræ gemina percuſſio. Sicut quidem oratio ad Patrem, & ad Filium iuſſio. Vnde dicimus Matri. Ora Patrem, iube Natum.*

246. *Mariæ operâ etiam minima, maximâ apud Deum.*

Non poſſum non mirari, quòd in Mariæ criniculo Deus tantam aſpexerit pulchritudinem, vt ſe eius aſpectu vulneratum eſſe profiteatur. Vnde hinc colligo, omnia Mariæ opera etiam minima maxima eſſe reputanda. Vel capillus eximium quid refert, quia in Chriſtum referebatur. *Vulneraſti*, ait, *cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Nihil oculis excellentius in homine, nil vilius eſt crine! Aſt ſponſus non minus crine, quam oculis ſe dicit vulneratum. Vt innuat, etiam in minimis maximè Deo Virginem placuiſſe: atque adeò ea, quæ minima videbantur, maxima re vera extitiſſe, quia Chriſti cor ſpecialiſſimo dilectionis vulnere afficiebant.

Verſ. X.

Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa; pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

247. *Humilitas & virginitas Mariæ vbera.* Honor.

QVam pulchræ ſunt mammæ tuæ!] Honor. in ſigillo Mar. verba hæc de humilitate, ac caſtitate Deiparæ explicat, ex quibus ſalubria virgines documenta ſugunt, *Quam pulchræ ſunt mãmæ tuæ, ſcilicet humilitas & caſtitas, de quibus*

 S lac

lac ſermonũ ſuxit virginũ ſobrietas! Verba antem illa: *Pulchriora ſunt vbera tua vino,&c.* Sic exponit: *Vbera Virginis fuerunt exempla actiua,& cõtemplatiua vitæ; quibus quia vt lacte paruulos in fide pauit, ideo ea fuerunt legalis doctrinæ vino meliora. Et odor vnguenti, hoc eſt, ſuauitas eius operum eſt, acceptabilior quam ſacrificium carnalium obſeruantiarum.* Hinc colligo operum Virginis perfectionem. Accepta olim numini cœleſti legalia ſacrificia extitêre. Exod. 29. Vocitatur *placabile ſacrificium.* Leuit. 8. *Suauitas ſacrificij.* Tob. 8. *Sacrificium laudis tuæ.* Pſal. 4 *Sacrificium iuſtitiæ.* Eccli. 7. *Sacrificium ſanctificationis.* Malach. 3. *Placebit Domino ſacrificium Iuda:* Et alibi ſæpè antiquæ legis ſacrificia magni eſſe pretij, Deóque acceptabilia admodùm memorantur. Quam ergo ſuauis operum Deiparæ fragrantia Conditori, quam ei acceptabilis, ſi omnium ſacrificiorum legis & perfectionem, & acceptationem ſuperabat: *Suauitas eius operum eſt acceptabilior quam ſacrificium carnalium*, antiquæ legis *obſernationum.*

Mariæ vbera vitæ contemplatiuæ exempla.

Suauitas operum Virginis omnium legis ſacrificiorum acceptabilium Deo longè ſuperauit.

248. At Abbas Guillelm. corporalia Virginis vbera, quæ lactauêre Dominum ſic cõmendat: *Non ſimpliciter ait: Pulchra ſunt mammæ tuæ: ſed quaſi cum admiratione, quam pulchra ſunt! id eſt, quam grata ſunt oculis Patris vbera, quæ Filium vnicum aluerũt! Quam pulchra ſunt, quæ lacte ſingulariter candido tumuerunt! Nempè lac illud ſingulariter candidum, quia virgineum. Quid negas ò ſtulta mundi ſapiẽtia partum virgineum? Deus naſcebatur. Et quid item negas lac virgineum? Deus paſcebatur. Non potuit (potuit* poſitum pro *voluit*, vel *decuit) Deus in ſalutem hominũ corporaliter naſci, niſi partu virgineo: nec decuit eum paſci, niſi virgineo lacte. Nec minus habet miraculi pectus Virginis lacteſcens, quam venter partu grandeſcens. Propterea Filio Virginis non tantùm dictum eſt.* Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit: ſed & adiunctum eſt, & vbera, quæ ſuxiſti. Et quidẽ pulchra ſunt mammæ virginum, quia virgineæ: ſed dum virgineæ ſunt, lacteſcere neſciunt. Ideo ſimpliciter pulchræ ſunt, ſed de illis non poteſt dici: Quã pulchræ ſunt!* Quia ſcilicet miraculoſa non eſt earũ pulchritudo, ſed naturalis. At Deiparæ mammæ non tantùm virgineæ fuêre, ſed etiam ſingulari miraculo lacte virgineo tumuerũt. *Ideò cum admiratione gratulatoria dicitur, Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ. Planè ſpecie & pulchritudine ſua ſanctos Angelos oblectabant, cum ab eis penderet ſpecioſus præ filiis hominum Dominus Angelorum minoratus paulo minus ab Angelis propter ſimilitudinem carnis peccati.*

Corporea Mariæ vbera, quæ Chriſtus ſuxit, mirificè commendantur.
Guillelm.

Pulchriora ſunt vbera tua vino. Quonam vino pulchriora? An illo, quod dicitur virgines germinare? Zach. 9. Ita planè. Guillelm. *Vinum poteſt intelligi illud, quod germinat virgines, ſeu ipſa virginitas. Vtique propter meraciſſimam puritatem; quid enim virginali puritate meracius? Hoc vino vbera Mariæ priuſquam Mater eſſet, plena erant; ſed vbi ſalua virginitate Mater facta eſt, nõ plena tantum vino, ſed etiam pulchriora vino eius vbera facta fuerunt; quia non tantùm virginea ſed etiam lacte virgineo tumida extiterunt. Vbera habere virginea, cum multis illis virginibus commune eſt, & fuit: ſed ſingulare illi eſt, & fuit, & erit, virginea vbera lacte virgineo poſt partum tumentia habere.* Preme illud, *Singulare illi eſt, & fuit, & erit virginea vbera lacte virgineo tumentia habere.* Fuit quidem id ſingulare Virgini, dũ Ieſum lactaret. Cur autem poſt Filij ablactationem hæc ſingularitas permanet ita vt in præſenti & in futuro vbera tumentia adhuc exponat? *Singulare eſt, & erit.* Planè quia nunquam non Maria filios lactat, ſemper nobis vbera ſugenda piiſſimè porrigit, quia peccatorum eſt Mater.

Maria nõ ſolum Virginis vbera, ipſa eſt virginitas.

Vbera Mariæ nõ ſolum virginea, ſed lacte virgineo tumuere, quod nulla Virginũ eſt conſecuta.

Nunquam non Maria filios lactat, ideo eius vbera ſemper ſunt lacte plena.

249. *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.*] Quænam precor aromata vberum Dei genitricis? Reſpondet Abbas. *Vt vbera ſic vnguenta hæc duo fuêre. Vnum vnguentũ diuinæ dignationis, quo Filius Dei vbera Matris vngebat: alterum verò maternæ deuotionis, quo pia Mater vbera ſua liniebat. His vnguentis quid ſanctius? quid fragrantius? Norunt ea optima eſſe, qui experti quam ſuauia ſint, Filio dicunt: Beata vbera, quæ ſuxiſti. Quotquot in Eccleſia ſunt, hoc dicunt. Quia tota domus Eccleſiæ impleta eſt odore vnguentorum horum.* Ioan. 12. *De quorum effuſione in vbera piæ Matris nemo murmurat, vt de effuſione nardi in caput, & pedes Saluatoris. Vt quid* (dixere illi) *perditio hæc? Quia ad totius Eccleſiæ vtilitatem cœleſtis pietatis vnguentum in Mariæ vbera profunditur. Vnde potius omnes Catholici eo nomine gloriantur, & piæ Matri congratulantur,* eius vitalis effectus participes effecti.

Mariæ vbera cuncta Eccleſia vnguentis pietatis diffluentia exponuntur, nullo obmurmurante de vnguenti perditione.
Ioan. 12.

250. Hailgrinus verò duo vbera Virginis aſſerit eſſe pietatem & miſericordiam. Vnguenta verò conditura charifmatum ſpiritualium commixtas pinguedine virtutum. *Quæ confectione* (ait) *minus fragrantia, minus potentia ſunt aromata, hoc eſt, aliorum virtutes ſanctorum.* Longè hæc vnguenta fragrantiora ſunt apud Deum, potentiora contra diabolum: & magis ædificant homines per exemplum.

Pietas & miſericordia Mariæ vbera.
Hailg. in.

251. *Mammæ tuæ.* Richardus de S. Laurent. lib. 5. de laud. Mar. *Dicunt quidam, quod vbera propria ſunt Virginum, & mammæ, ſeu mammillæ matronarum.* Addit pulchrè: *B. Virgo vtrumque habere dicitur, ſcilicet vbera, & mammas, quia & Virgo eſt, & mater quod nulla alia. Dicitur ergo, Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ! Quid enim pulchrius in oculis peccatoris afflicti, quam pietas & miſericordia, quæ in vberibus & mammis Deiparæ deſignãtur? Pulchriora ſunt etiam hæc vbera peccatoribus, quam auſteritas ſeueritatis, quæ ſignatur in vino. Vel etiam vino, id eſt, auſteritate legis punientis ſine miſericordia. Vel vino, id eſt, omni iucunditate carnali, & temporali. Vel etiam vino ad litteram; quia vinum lætificat carnem, ſed Mariæ vbera lætificant mentem.*

Maria habet Virginis vbera, & matris mammas cũctis hominibus expoſitas.
Richard.

Vbera Mariæ vino pulchriora ob varias rationes.

252. Singularem autem Virginis excellentiã, quæ cunctas vincit fœminas perfectione fulgentes, exprimit Richard. lib. 4. ad illa verba: *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata,* ſeu ſupra omnem gratiam, qua omnes aliæ Diuæ coruſcarunt. *Omnem gratiã vincit tua ſublimitas, omnem excellentiam ſuperat tua dignitas. Cuius excellẽtiæ ratione appellatur Maria. Mulier ex omnibus, mulier ſcilicet ex omnibus bonis mulieribus collecta, omnium bonarum mulierum vniuerſas bonitates, & ſingulas in ſe habens.*

Mariæ virtutes omnium perfectiſſimarum virtutes longè ſuperant.
Richard.

253. Eccl. 7. dicitur: *Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.* Id exponit Richard. *Quidam intelligunt virũ illum fuiſſe Samſonem, qui mille ſtrauit: alij aiunt eſſe Dauidem, qui decem millia. Mulierem de omnibus non inuenit. Ideò etiam conquerebatur Salomon.* Prou. vlt. *dicens: Mulierem fortem quis inueniet?* Inuenit profectò Deus fortiſſimam Mariam, cuius comparatione omnes ſanctiſſimæ fœminæ quaſi nõ ſunt; vnde in Virginis cõſpectu requiſitæ, quaſi non inueniuntur. *Mulierẽ ex omnibus non inueni.*

In conſpectu fortiſſimæ mulieris Mariæ omnes ſanctiſſimæ mulieres quaſi non ſunt.
Eccl. 7.
Richard.

Vberius

254. *Christus ne ex agro Maria traxit virtutum fragrantiam, qua orbem oppleuit?* Richard. Genes. 26. Eccli. 24.

Vberius Doctor lib. 8. hanc vnguentorum Mariæ fragrantiam expendit, asserens Christum ex Maria traxisse eam ineffabilem fragrantiam, qua orbem oppleuit. Genes. 26. de Christo dicitur: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni*, quia dicitur hic de Maria: *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Est* (ait ille) *odor Christi sicut odor agri pleni, quia talem suauitatis odorem emittit Filius, qualis procedit à Matre. Filius enim dicit* Eccli. 24. *Quasi balsamum non mixtum odor meus: & de Matre dicitur* Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Delectatus ergo Pater suaueolentia virtutum Filij, in quibus spirat, & redolet odor virtutum Matris, dicit: Ecce odor Filij mei, &c. Cum dicit ecce, Matrem & Filium proponit nobis in exemplum. Odor* Christi *sicut odor agri pleni.* Quis nam plenus ager nisi Maria? *Ager plenus Maria* (adiicit Richardus) *cuius redolentiam spiritualiter magnus ille Patriarcha præsensit. Odor Christi sicut odor huius agri pleni. Quia Christus natus est de mundissima totus mundus: de dulcissima totus dulcis: de misericordissima totus misericors. Nos etiam de illa plenitudine aliquid vel tenuiter degustamus. Huic agro benedixit Dominus, quia Maria est terra illa, quam Dominus benedixit, & per quam auertit captiuitatem Iacob.* Psal. 84. *contra illud, quod dictum est Adæ: Maledicta terra in opere tuo.* Genes. 3. *id est, pro opere tuo, seu pro peccato; quia in opere hominis mulier concipit in peccato, & parturit in dolore; sed sublata est hæc maledictio, & benedictio restituta, quando Mariæ dictum est, Aue.*

Christus de Maria purissima totus mundus, de dulcissima totus dulcis, de misericordissima totus misericors.

255. *Vbera Mariæ pulchriora vino in quo est luxuria, quia virginea semper.* Rupert.

Pulchriora sunt vbera tua vino. Cur vino pulchriora? Respondet Rupert. *Pulchriora sunt vino vbera Mariæ. Nam in vino luxuria est; magna res integritas vberum, nec satis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali, siue coniugali pulchrior prædicatur, scilicet lactatione filiorum, quorum initium vinum est, id est, luxuria, quæ cum vino est. Sola vbera tua pulchra sunt, cæterarum cuncta vbera fœminarum, ex quo id acceperunt, vt filios suos lactare possent, etiamsi quid pulchritudinis antea habuerunt, pulchra esse desierunt; itavt quisque lactentium veraciter dicat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, scilicet in iniquitatibus Adæ, & in peccatis Euæ. Nam ex illis iniquitatibus, & illis peccatis cum cæteris malis istud quoque vinum venit, scilicet luxuriæ nimietas.* Virgo igitur, quæ purissima, & sanctissima fuit, vbera habuit vino pulchriora, quia nihil cum Adæ iniquitate habuit commune, nihil cum Euæ peccato.

256. *Ad purissima Mariæ vbera omnes sancti nutriuntur.* Bonauent.

Hisce sanctissimis vberibus omnes Diui aluntur. Profectò quotquot fuerunt post Mariæ vbera diuinitus oppleta lacte virgineo, vt Iesum alerent, iusti, aut erunt, à mammis purissimis habuere, vt ad sanctitatem alerentur. Vnde D. Bonauent. in Psal. *Mariam vocat nutricem sanctitatis, cuius lacte omnes, qui vnquam fuerunt, eruntque iusti, & sancti, aluntur.*

257. *Ex vberibus queis Maria Dei Filium nutrit, eius dignitatē: ex mammis quæ nos lactās eius pietatem cognoscimus.*

Equidem Virginis vbera tanta sanctitatis nitent pulchritudine, vt solo illorum aspectu, valeamus cognoscere illius ineffabilem dignitatem. Matth. c. 1. de D. Iosepho præfatur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Ante partum haud cognoscebat sponsus miram suæ coniugis sanctitatem, post partum, post vbera cœlitus lacte plena cognouit. Audi Glyc. p. 3. Annal. D. Athanasij sententiam hanc referentem. *Magnus ille Athanasius ait, reapse Iosephum non cognouisse ipsam, donec Dominum peperisset. Ignorabat scilicet, quid illud esset, quod erat in ipsa. Saltem vbi peperisset, agnouit. Tunc nimirum intellexit Ioseph, quæ vis esset illius Virginis. Tunc cognouit, eam partum edidisse, nullas thori leges expertam: cum lac nouo, & insustato modo mammis suppeditauit, & nutrimentum à naturali diuersum, cum mammis præbuit, ac venis tamen ne quicquam decederet.* Ex mammis itaque, queis Virgo Dei Filium lactauit, eius dignitatem, ex mammis, quas lactandis hominibus continuo præbet, eiusdem pietatem cognoscamus.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Matth. 1. Glyc.

Vers. XI.

Fauus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

258. *Maria spiritus is r refert apis proprietates.* Philip.

Fauus distillans labia tua.] Apem meritò Deiparam appellarim, quæ totā semetipsam in fauum conuertit. Eleganter Philippus Abbas apis proprietates Mariæ accommodat. *Benè fauus debent labia Virginis nominari, quia & apis nomine ipsa Virgo figurari dicitur. Apis priuilegio naturali pascitur floribus, viuit rore, nescia est concubitus, fœtus mirabiliter legit ore, sobole fœcundatur sine gemitu, vel dolore, casta sinu virgineo fit Mater non luxuria, sed amore. Arte vigens, callens ingenio, sollicitudine non pigrescit, miro satis studio suam prudentiam innotescit, dum fauum sibi fabricans, distinctas in ordine cellas ponit, intra quarum angustias ore sedulo mel reponit. Api itaque non incongruè Virgo similis æstimatur, quæ decore virtutū florido pasci spiritualiter delectatur, quæ viuit in spiritu diuina desuper gratia tanquam rore, virum nesciens concipit, parit Filium sine labore. Quæ sollicito studio spirituales diuitias coaceruans, verba sensu grauida in corde conferens, & conseruans secretum conscientiæ replet dulcedine tam suaui, vt intrinsecus mellea dici valeat, instar faui.*

259. *Apis Maria sua labia in fauum distillantem efformauit.* Philip.

Profectò apis Maria labia sua in fauum distillantem efformat. Nec enim mysteriorum cœlestium mel diuinitùs acceptum claudit auara: nec totum simul prodiga effundit; sed mirabili prudentia pro captu, & vtilitate auditorum instillat. Ita Philip. *Hanc dulcedinē, quam perfectiùs, & pleniùs ipsa gustat, non morbo inuidiæ, non clauæ auaritiæ coangustat; sed quod roris, & dulcoris diuinus ei spiritus desuper voluit instillare, sua laxans labia permittit nobis assistentibus distillare. Attendens enim Virgo, quid priùs, quid posteriùs nobis congruum sit audire, non cuncta simul exerit, quæ digna iudicat operiri: nec tanquam vas reuersatum, quid continet, mox effundit: sed ad cuncta minus idoneos tenui stillicidio nos perfundit.*

Prudentia Mariæ mysteria aperientis pro opportunitate.

260. *Maria & tacet, & loquitur ex vtri&tiæ dictamine.* Philip.

Vberiùs Doctor silentium & loqutionem Mariæ opportunam per faui instillationem exposuit. *Virgo non tam melle, quam dulcedine plena mentis, quod in fauo reconderat melle dulcius, non patulo tanquam vase, non effundit impetu repentino; sed ostio circumstantiæ aperturam moderans labiorum, id proferre maluit, prout sufferre valuit ipsa capacitas auditorum.*

S 2 Minus

Minus ergo illius labia stillauerunt, dum Christus homo inter homines vixit: amplius vero dum triumphata morte, maiore gloria iam reuixit. Sunt ergo labia Virginis distillantia tanquam fauus, quæ non serantur patulo, nec inseruntur ei clauus; sed clausa parte oris, altera pars aperta, quæ tempori conueniunt, reddit auditoribus discooperta. Non enim vt linguosa mulier, quidquid in buccam venerit, subitò profundit: sed abscondita secretorum discreto silentio moderatur: dignum indicans, sub velamento linguæ quædam cautius retinenda, quæ cum tempus imminet, iam labiis distillanda committit.

261. *Maria verba lac infirmioribus, & mel prouectioribus existunt.* Philip.

Si autem hæc circumstantia verborum Virginis fauo mellis distillante annotatur, cur etiam lactis agitur mentio? *Mel & lac sub lingua tua.* Certè hæc Virginis prudentia ad loquendum pro opportunitate, mellis, & lactis metaphora apprimè exponitur. Lacte quidem infantes nutriuntur, mel etiam viris sumendum apponitur. Virginis lingua infirmioribus lactea verba ministrat, vt crescant, robustioribus vero mel, vt in Domino roborentur. Pulchrè adiicit Abbas. *Ideò fortè Virgo sub lingua lac & mel habere perhibetur: in cuius secretario duplex scientia continetur; altera, quæ videtur paruulis, & lactentibus conuenire; altera iam prouectis & grandioribus expedire indicatur.*

262. *Ita cor Virginis Deo erat plenum, vt nihil humani vel ad Incarnationem Verbi pertinens posse excipere quodammodo videretur.* Philip.

Mel & lac sub lingua tua. Lac de carne prodiens (loquor cum eodem Philippo) *dici potest Christi humanitas: mel de flore, & rore veniens eiusdem est vera diuinitas: quarum notitiam Virgo sub lingua continet in secreto, nec passim, nec statim indiscreto ventilat sermone.* Hinc quæsierim, si Christus Deus & Homo ad hoc prius se hominem ostenderat, vt visibili cognito, ad inuisibile cognoscentis cor ascendat: quid sibi vult, quod non *lac, & mel*: sed *mel*, & *lac* sub lingua Virginis sponsus esse dicit? Respondet Abbas. *Nulli dubium, quin in Christo dignitate Deitas antecedat: & ideò dignum ducit, vt in loquutione sua prius antecedat humanitas. Sed si pariter de vtraque vel aperta loquutio, vel operta mysterio componatur: præcellens dignitate in loquendi quoque ordine præponenda erat. Vel potius duplicem volens scientiam Virginis demonstrare, quam sub lingua in secreto diutius voluit illa degustare; quæ illarum non solum dignior, sed etiam anterior fuerit, signanter exprimit in sermone, mellis prius, lactis posterius mentione mysterialiter facta.* An-non lingua de cordis loquitur abundantia? Quis dubitet. Certè Mariæ cor ita Deo erat plenum, vt nihil humanum vel ad Christi humanitatem quodammodo pertinens posset excipere.

263. *Angelus non simul dicit, Mariam Deo plenam, & Christi concepturam, sed postea concepturam esse nuntiat; quia videns totam illam plenam Deo, an posset excipere hominem quodammodo dubitauit.*

Id Gabriel expressit. *Aue gratia plena Dominus tecum*: & postmodum ait: *Ecce concipies, & paries Filium.* Luc. 1. Contemplatus est quippè Archangelus, Mariam ita Deo plenam, vt quodammodo non posset simul quid humanum, vel ad Incarnationem Verbi attinens in corde Virginis annotare. Audi Philippum. *Prius adesse Virgini Deum Angelus nuntiauit, quo præsente, postea concepturam esse Filium indicauit. Vt in eo, quem præsentem Virgo nouit, firmius iam confidat: & percepto iam maiori, de minore munere non diffidat. Aue, inquit Angelus, gratia plena, Dominus tecum: & subiungit de altero, ecce concipies, & paries Filium. Docet per Angelum Dominus, Virgini se præsentem totam illam implere: infudit scientiam melle suauius dulcescentem; & postea per eundem nuncium conceptum quasi lacteum repromittit.* Postea inquam, quia adeò Deo plenam Virginem vidit, vt sibi videretur, tunc nullatenus cuiusvis rei humanæ esse capacem. Philip. Luc. 1.

264. *Maria vapore vtitur pro vestimentis, quia nec nuditatem habet, quam operiat, nec frigori est obnoxia.*

Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Quare non expressit sponsus vestimentorum Mariæ qualitatem, vel numerum, prius quam odorem illorum exprimeret? Crediderim, quia Mariæ vestimenta tota sunt vapor thuris, quia non ei accommodantur, sicuti aliis, vt nuditatem operiant, Maria enim nunquam non innocentiæ ornatur stola: nec vt frigus repellere valeant; diuino namque Virgo semper flagrat amore: vnde sicut Deus lumine pro vestimento vtitur ad ornatum: Maria odoriferi vaporis ad ornatum velamine stipatur. Excogitauit idem Philippus, dum scribit. Philip. *Vestimentis*, vt notum est, nostra nuditas operitur. *In præsenti loco non descripsit vestituum qualitatem, & non expressit eorum numerum, hoc reseruans cuilibet mulieri, seu animæ sanctæ, cuius procul pretium, & de vltimis finibus. Hic autem habetur in manibus non quævis anima inopia timida generalis; sed quædam anima meriti, & excellentiæ specialissima,* (nempè Maria) *cuius non tegunt ignominiam, non frigus respuunt vestimenta; sed in conspectu sponsi festiuam eam exhibent ornamenta. Quia verò quam solemnis in oculis sponsi apparuerunt, quam festiua non permittit nos videre cæcitas oppressiua, hic ille non expressit vestimentorum numerum, non decorem; sed ne totum taceat, facit transitum ad odorem.* Vt scilicet innuat, tam sublimia esse virtutum Virginis ornamenta, vt sit vel Deo ipsi ineffabilis quodammodo illorum decor: vnde solùm à longe homines illorum odore vix tenuiter potimur. *Quantum enim vel ardeat Maria ex charitatis virtute, vel virtutum odore Deo placeat, non sentimus; sed odorem vel tenuem tanquam longè positi vix haurimus. Quia thure liquefacto ad sponsi altitudinem fumus tendit: odor, & opinio ad nos latitudine se extendit. Illa igitur virtutes, quibus Virgo honestatur quædam sunt vestimenta non operiendæ necessaria nuditati, sed conuenientia præferendæ necessarius honestati;* vnde velamen hoc ex thuris vaporibus apparatur. Habes hinc, totam notitiam, quam de Deiparæ virtutibus assequimur, quasi lenem fumum vel vaporem esse, si cum occulta illarum qualitate componatur.

Tam sublimes sunt Mariæ virtutes, vt Deo ipsi quodammodo sint ineffabiles.

De Maria virtutibus plus ignoramus, quam agnoscimus.

265. *Mel & lac erat sub lingua, non in lingua Mariæ, dum non expressit illa verba: Fiat mihi.* Guillelm. Luc. 1.

Mel & lac sub lingua tua. Cur non dixit, *In lingua tua*, sed *sub lingua?* Quia Maria Gabrieli exquirenti consensum illius ad Incarnationis mysterij perfectionem (nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa) nondum linguæ adiecerat verbum illud: *Fiat mihi*, vnde mel & lac adhuc erat sub lingua, in lingua non erat. Eleganti Guillelmi sententia hanc mentem illustro. *Hilari ergo fide, ô Virgo* (inquit Angelus) *da illi de te, quod in salutem omnium expendatur. Nisi fidem ore expresseris, non accipiet de te Dominus hostiam salutis. Dic ergo verbum dulce, noli tuo silentio salutem mundi suspendere. Ecce os tuum respiciunt Angeli hominum*

amatores

amatores, sancti Patriarchæ, & Prophetæ apud inferos positi expectant verbum tuum quasi imbrem serotinum: omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc sub expectatione verbi dulcissimi. Adhuc labia tua sicut mel in faui cera, quia non erupit verbum dulcissimum; adhuc sunt labia tua sicut fauus, sed distillans, id est, occulta dulcedinis aliquid emittens, dicendo: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Adhuc mel & lac sub lingua tua: verbum nempè illud dulcissimum, quod erit mel Angelorum, & lac mortalium. Vt ergò latentur Angeli, latentur homines, non sit vlterius tam dulce mel, & tam dulce lac sub lingua tua; sed potius in lingua tua. Nec morata Virgo, ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc planè est verbum dulcissimum, quod & Angeli, & homines desiderabant audire. Hoc est verè in lingua Virginis mel & lac, quod sub lingua prius aderat.

266\. *Dulcissima eloquia Mariæ, quia ex dulcissimo corde procedebant.* Rupert.

Fauus quidem Virginis labia, quia eius dulce eloquium, sed simul animus hac dulcedine exundabat. Ideò additur: *Mel & lac sub lingua tua*, hoc est, in distincto membro, quod lingua non sit, nempè in corde, siue in anima. Sic locum Rupertus exposuit. *Parum erat, quod dixi, eloquium tuum dulce. Quia nimis parum est, dulcedinem esse in eloquio, nisi dulce etiam sit cor. Tu dulcis in ore, dulcis & in corde. Hoc est, quod nunc dico. Fauus distillans labia tua, subiungens, Mel & lac sub lingua tua, id est, in anima tua. Ibi tibimet ipsi dulciter sapit fauus eloquij tui, fauus distillans à labiis tuis.* Ideò itaque dulcia admodum Mariæ eloquia, quia à corde dulcissimo procedebant; lingua etenim de cordis loquitur abundantia.

267\. *Mariæ eloquia videntur diuinitatem hallare.* Rupert.

Profectò dulcedo cordis Mariæ Deus erat, vnde vox illius Deum stillabat. Itaque eius eloquium Deus de Deo videbatur. Pulchrè Rupertus. *Fauus tuus* (Deus ait) *ego sum, mel tuum & lac tuum ego sum; quia Deus tuus, & Filius tuus sum ego. Hoc tua sentit anima, hoc tua sonant labia. Aliud loqui non potes, quam id, quod in pectore habes. Ex abundantia cordis labia tua loquuntur.* Virgo igitur Deum fonet in corde, & Deum ore exponit. Vnde Mariæ eloquia diuinitatem hallare videntur.

268\. *Mariæ opera, quæ minima videbantur, magna Dei oculis erant, quia de magno charitatis igne procedebant.* Rupert.

Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. De pannis, queis Deipara Iesum recens natum inuoluit, id Rupertus exposuit. *Quid, inquit, de pannis dicam, quibus me inuoluisti, & in præsepio reclinasti? Nimirum id, quod verum est: quia odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Omnium namque vestimentorum, scilicet bonorum operum tuorum, quæ in me materna, & plus quam materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta, quæ tunc in me, vel tunc propter me operata es, de magno, & valido charitatis igne cum suauitate humilitatis venerunt: rectè dixerim ego, rectè consenserunt amici, quia odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Cuncta Virginis opera, vel ea, quæ minima videntur, magna admodum in Dei oculis aderant, quia *de magno, & valido* charitatis igne, incensi instar, auolabant.

269\. *Dum Maria pannis Iesum inuoluit, sacrificium Deo gratissimum offert.* Rupert.

Sicut odor, ait, *thuris.* An-non thus Domino pro gratissimo sacrificio offertur? Ita planè, dum ergò Deipara infantem Iesum pannis recèns natum inuoluit, gratissimum Deo litat sacrificium. Pulchrè Abbas. *Odor pannorum, seu vestimentorum illorum sicut odor thuris. Sic enim in omnibus his famulata es mihi Mater & Virgo fidelis, tanquam Deo, cui soli debetur odor thuris in sacrificio suo, quamvis essem ego paruulus tuus, paruulus homo.*

270\. *Cum Maria precatur quasi Christo velut labiis precatur, vnde à Patre illicò exauditur.* Hailgrin.

Profectò Cardinalis Hailgrinus hîc pulchræ excogitationi circa efficaciam intercessionis Mariæ ansam offert. *Fauus*, inquit, *est mel in cera, & significat Deitatem in carne. Labia igitur Matris Iesu Christi in precibus suis distillant magnitudinem Filij, qui exauditus est pro sua reuerentia, vt in fauum tanti Filij ipsa digna sit exaudiri.* Labia itaque Mariæ sunt sicut fauus, id est sicut Christus Deus & Homo. Si ergo labia Mariæ velut Christus sunt: quidquid Maria petit ipso Christo veluti labiorum voce petit: vnde veluti si Christus loqueretur, digna est exaudiri.

271\. *Mariæ preces efficaciores sunt, quam preces omnium Angelorum, & hominum simul sumptæ.* Hailgrin.

Hinc collige, Mariæ preces efficaciores omninò esse ad interpellandum pro hominibus, quam omnium Angelorum, & sanctorum simul sumptæ precationes. Id innuit sponsus dum addit, *Mel & lac sub lingua tua.* Vbi Cardinalis adiecit. *Hæc præpositio* sub *comparatiuè tenetur. Mel siquidem quod de cœlo trahit originem, Angelicam naturam demonstrat; lac, quod de carne nascitur, in sanctis hominibus vitæ candorem designat. Et hi omnes inferiores sunt in precibus, quam lingua Matris Christi.* Vnde mel & lac nempè Angeli & hominis sub eius lingua sunt, quia lingua illius omnes superat in efficacia exorandi.

272\. *Si tam efficax est vocalis intercessio Mariæ, quid cum simul illius merita deprecantur?* Hailgrin.

Subdit Hailgrin. *Ad precum efficaciam potentem accedit odor vestimentorum, id est odor meritorum, quibus Virgo ornata refulget. Qui odor est, sicut odor thuris, hoc est, sicut odor fragrantis, & flagrantis orationis; nam ipsa pro peccatoribus non minus meritis, quam precibus intercedit.* Si igitur tam efficax est Mariæ intercessio vocalis, vt superet omnium Angelorum, & hominum intercessionis efficaciam, quia quodammodo Christo ipso veluti voce vtitur: quam ineffabiliter efficax erit, cùm illius præclarissima merita simul deprecantur?

273\. *Ardentissimâ charitate erga homines Maria precatur, vnde nihil non assequitur.* Carthus.

Ineffabilis planè est Mariæ in genus humanum pietas, postquam Dei Filium nostra indutum mortalitate aspexit. Vnde ex huius charitatis affectu cum precatur, quid non assequitur? Dionysius Carthusian. ad hæc: *Fons & causa vniuersæ suauitatis Deus eam, quam prælegit in Matrem, tanta repleuit suauitate, vt nec ratio capere, nec lingua queat explicare. Itaque labia intellectualia Virginis sacrosancta, quibus Deum suum intra cordis sui arcana assiduè alloquebatur, laudabat, orabat, suauissima esse noscuntur, & suauissimum fauum distillauerunt. Sub quibus sanctissimis labiis mel & lac continentur. Mel vtique ardentissimæ charitatis, & suauitatis internæ: lac quoque refectionis nobis salutiferæ, ex inspectione & dilectione humana Filij sui naturæ ex se desumptæ.*

274\. *Vt Mariæ pietas vbertim nobis effund-*

Sicut fauus distillans. Dixi superiùs, Mariam ipsam totam esse fauum plenam vtique suauitate. Vt autem mel fauo velut reclusum ceræ sigillo diffluat vbertim, requiritur non-

datur, fauum oratione nostra opus est comprimi. Richard.

nulla compressio. Huius vices gerit deuota egentis hominis inuocatio. Audi elegans Richardi Laurent. lib. 1. de laud. Mar. testimonium. *Si quis ad Mariam venerit toto corde & affectu, dicens: Aue Maria, numquid ipsius largitas ei gratiam poterit denegare? Saltem ex quo gratia plena est, vel aliqua gratiæ fragmenta largietur. Ipsa enim fauus melleus est, cui dicitur. Fauus distillans labia tua. Qui si bene compressus fuerit tactu labiorum deuotè orantis, dulcedinem melleam facilè distillabit.*

275. *Comprimatur prece Marianum vellus, ut stillet gratiam nobis.* Richard. *Flectatur precum aura virga Mariæ.*

Confirmat huiusmodi gerendam compressionem Doctor ex Gedeonis vellere Deiparentis typo ex Iudic. cap. 6. *Ipsa est vellus Gedeonis madefactum rore gratiarum, quod compressione leuissima deuotæ salutationis, & orationis larga distillabit stillicidia super terram cordis humani.* Et addit appositè. *Ipsa virga gracillima est per summam humilitatem, quæ flatu auræ tenuis, vel humilis salutationis, vel orationis facilè poterit inclinari: inclinata verè secum afferet florem, & fructum suum*, scilicet Christum precibus annuentem.

276. *Dum Maria illud verbum:* Ecce ancilla Domini *instillauit, eius labia fauum dulcissimum referebant.* Richard.

Licet autem Mariæ labia, quidquid loqueretur, melleam dulcedinem instillabant: sed præcipuè debent faui dulcedini esse similia, dum illud loquuta est verbum: *Ecce ancilla Domini*, tam gratum Deo, tam hominibus salutare. Ait Richardus lib. 2. *Labia Virginis comparabilia sunt fauo distillanti propter dulcedinem mellifluam, in quibus Spiritus sanctus singulorum charismatum diffudit abundantiam. Habito enim respectu ad illud responsum: Ecce ancilla Domini, &c. dictum est ei in Psalm. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis, quod sic exponitur: Gratia collectiuè, id est, vniuersitas gratiarum diffusa est, non solùm pro te, sed diffusa est abundanter, seu distributa per te toti mundo.*

277. *Labia Mariæ commendantur à Filio ob dulcia oscula, & ob suauem pro peccatoribus intercessionem.* Richard. August.

Verùm idem Doctor lib. 5. locum hunc præclarè ad litteram & ad spiritum de Deipara exposuit. *A dulcedine labiorum commendat Filius Matrem dicens: Fauus distillans labia tua, &c. Credibile est enim, quod Virgo Mater sæpissimè deoscularetur Filium suum tam dilectum: & è conuerso Filius Matrem suam, quasi satisfaciens illi maternæ petitioni, osculetur me osculo oris sui, & maximè cum paruulus esset, & sederet in gremio eius. Vnde B. Augustinus* serm. de Assumpt. *O felicia oscula labris lactentis impressa, cum inter crebra indicia reptantis infantiæ, verus ex te Filius hominis tibi Matri alluderet, cum verus ex Patre Deus Dei genitus imperaret! Ideò commendat eam à dulcedine labiorum ad litteram. Et mysticè à dulcedine eloquij distillantis; quia communiter (quod notatur in huius faui distillatione) Deum exorabat pro genere humano; propter quod dixerat ei paulo superius. Eloquium tuum dulce.* Hinc colligo, quam efficax sit Virginis intercessio; Deus enim, qui petitionis eius dulcedine fruitur, simul afficitur ad præstandum, reddens optata ei, à qua tanta afficitur voluptate.

278. *Maria est vera promissionis terra lacte & melle exundans.* Richard.

Mel & lac sub lingua tua. Num Deipara terra est illa promissa, quæ lacte, ac melle exundans scribitur? Ita planè; Hebræis materialis illa terra fluens lacte, & melle promittitur: Christianis veris promittitur Maria dulciori melle, puriori lacte eos cibatura. Ait Richardus lib. 2. *Ecce duplex dulcedo, scilicet lactis, & mellis. Vnde dictum est Virgini postquam conceperat Filium Dei: Mel & lac sub lingua tua, id est, Deus & homo intra viscera tua. Et ideò promissa est filiis Israël terra fluens lacte & melle: id est veris Christianis videntibus Deum oculis fidei & dilectionis, promissa est Beatissima Virgo.* Promissionis terra vitam signat æternam; vnde cum veris Christianis Maria promittitur, item prorsus est, ac si vita æterna illis promitteretur. Si Virginem verè corde accipis, si pio eam foues affectu, crede, te vita æterna esse potiturum. Affectum enim ad Mariam, æternæ salutis pignus validum esse quis dubitet?

Qui Mariam pio fouet affectu, signus salutis validum habet.

Pergit Pater versari locum, & lib. 4. in mellis ac lactis redundante suauitate suauissima verba Mariæ contemplatur valde hominibus salutaria. *Rectè labia Mariæ comparantur fauo distillanti. Nam sicut fauus melleus attactu leuissimo distillat mel: sic de plenissima redundantia dulcedinis eius accipiunt vniuersi sitientes ipsam tangere fide plena, dilectione sincera, oratione deuota. Et nota, quod fauus etiam sine tactu, vel motu aliquo tunc distillat, quando plus habet mellis, quam capiat theca eius. Maria siquidem ad mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & superfluentem accepit in sinu suo charitatis, & humilitatis de melle cœlesti quod est gratia Dei plenitudinem. Quod designatur per hoc, quod dicitur, Aue gratia plena. Postmodum vero dicit ei Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te.* Luc. 1. *Ad quid ergo in plenam gratia superuenisset Spiritus sanctus, nisi ut faceret eam redundare? Distillans inquam fauus, siue in diuersas partes stillans labia Mariæ, supra Angelos, qui per partum eius sunt redintegrati. Infrà ad captiuos, qui per ipsam ab inferis sunt extracti. Dextrorsum ad iustos, qui donis gratiæ per eam sunt illustrati. Sinistrorsum ad iniustos, qui per eam sunt iustificati. Labia tua. Hoc dicitur, habito respectu ad illud responsum, quo salutatus est mundus, scilicet: Ecce ancilla Domini, fiat mihi.* 279.

Mariæ verba hominibus admodum salutaria. Richard.

Spiritus sanctus Mariam plenam gratia, facit illam redundare ad hominum cunctorum utilitatem.

Prouerb. 16. dicitur: *Fauus mellis verba composita, dulcedo animæ & sanitas ossium.* Annon verba Mariæ fauus hic, cum de lingua illius, qua verba efformantur, inquit sponsus. *Mel & lac sub lingua tua?* Audi Richardum inibi: *Fauus mellis sunt verba composita Mariæ, de quibus dicitur Eccli. 43. In sermone eius composita sunt omnia, septem enim illa verba B. Virginis, de quibus legitur in Euangelio, composuit cœlestis Artifex, id est, Spiritus sanctus, qui eam repleuit. Et ideò sicut sunt septem dona Spiritus sancti: sic habentur in Euangelio septem verba Mariæ, quæ dicuntur fauus mellis. Quia sicut in fauo est cera luminis instrumentum, & dulcedo mellis reficiens gustum: sic in verbis Mariæ est veritas illuminans intellectum, & omnimoda bonitas reficiens affectum.* Si septem Mariæ verba totidem donis Spiritus sancti respondent: hinc colligo verba Mariæ cuncta esse hominibus cœleste donum; vnde cum Maria loquitur, simul dona superna largitur. 280.

Septē Mariæ verba à Spiritu sancto efformata fuere.

Cum Maria loquitur, simul dona largitur.

Premens autem Doctor illa verba: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* lib. 11. ea aliis eiusdem capitis fecit hærescere, scilicet. *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, & adiicit in Virginis encomium. 281.

Quam medicinalis, quam odorifera Maria pro peccatoribus oratio!

Vnguenta

Richard. *Vnguenta medicinalia sunt & odorifera; thus significat orationem. Nihil anima infirmæ medicinalius, nihil animæ delicatæ odoratius, quam quod B. Virgo tam pro iustis, quam pro peccatoribus Filium interpellet. Ideò dicitur ipsa coronari de cubilibus leonum* Cant. 4. *Leones isti sunt dæmones, quorum cubilia sunt peccatores, pro quibus orat assiduè, & inde ab omni rationali creatura glorificatur.*

282. *Virtutes Mariæ odorifera sunt vestimenta eius.* Richard.

Crediderim sanè hæc odorifera Virginis vestimenta esse virtutes, quibus ornatur. Scilicet *eius virginalis humilitas*, (cum Richardo citato loquor) *& humilis virginitas, cuius votum prima emisit. Quo* vestimentorum *odore suauissimo Dei Filium & illexit, & totum rapuit: qui illectus & totus raptus de sinu Patris saliit in Matris vterum. Nec solùm in ventre eius odorem virginitatis: sed & in mente eius humilitatis odorem reperiens, & his odoribus odorem suæ Deitatis admiscens, de ancilla fecit sponsam, & de creatura Genitricem.* O quàm suauis odor virtutum Mariæ, queis non dedignatur Verbum diuinum suæ Deitatis odorem admiscere!

283. *Mel & lac in Mariæ lingua Spiritus sanctus apposuit.* Bonauent.

Redeo ad melleam Mariæ linguam nunquam satis commendandam. *Linguam amoris melleam* Theocritus vocitauit. Verius mellea Mariæ lingua, quam amor ipse diuinus Spiritus sanctus regebat, & gubernabat? Mel & lac in verbis eius ille apposuit. D. Bonauentura in spec. lect. 11. fatur: *Maria non fuit fel & venenum diaboli in ore: sed mel & lac Spiritus sancti, iuxta illud Canticorum, Mel & lac sub lingua tua. Nonne Maria mundissimum lac habuit sub lingua, quando castissimum illud verbum ait: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nonne etiam Maria dulcissimum mel sub lingua habuit, quando illud mellifluum verbum dixit: Ecce ancilla Domini?*

284. *Mariæ vox fecit Ioannem in vtero exultare, & in cœlis Angelos.* Bernard.

O quàm dulcia expertus est esse Virginis verba ille, qui audiens illam materno exultauit in vtero: & Beati ipsi qui verborum Mariæ sono admodum recreantur! D. Bernardus serm. de Assumpt. *Virgo*, inquit, *hodie gloriosa cœlum ascendens, supernorum gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit augmentis. Hæc est enim, cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli nondum nati anima liquefacta est vt Maria loquuta est: quid putamus, quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beatæ eius frui præsentia meruerunt?*

285. *Vox Mariæ fuit Christus potus suauissimus.* Brigit.

Testor ipsum sponsum, cui Virginis vox fuit suauissimus ac dulcissimus condîtus melle potus. Hoc ille fatetur, dum B. Brigittæ lib. 1. cap. 6. Mariam alloquens dixit: *Verba tua sunt mihi suauia, & delectant intima cordis, tanquam potus suauissimus.*

286. *Vestimenta Mariæ sacrã modestiam spirabant.* Nyss.

Rursum vestimentorum Deiparæ expendo fragrantiam. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Cur thuris odori Virginis indumenta comparantur? Certè quia in eis nihil prophanum apparebat, nihil quod Virgini Deo sacræ dedecere videretur. Aptè D. Gregorius Nyss. *Talis est odor vestimentorum tuorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori est dedicatum.* Thus ea vestimenta non redolent, quæ solam iactantiam, ac superbiam præseferunt, inanique luxui potius quam Dei honori dedicari videntur.

287. *Vestimenta Mariæ virtutes sunt quarum virtute dæmones effugantur.* Amedæ.

Sicut odor thuris. Quare vestimenta thuris odori comparantur potius, quam alterius aromatis, quod gratiorem fragrantiam emittat? Num thuris meminit, quia oratio per ipsum significatur, quæ nostrarum vestium, seu actionum, virtutumque omnium odor esse debet? Certè hæ vestes Mariæ virtutes sunt, quarum odore tenebrarum spiritus effugantur sicut thuris odore fugere perhibentur. D. Amedæus hom. 2. de laud. Virg. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Asserunt, odore thuris dæmones effugari. Ego libenter dixerim, odore virtutum Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine huc illucque raptari.*

Vers. XII.

Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

288. *Antiquo paradiso melior paradisus Mariæ.* Philip.

Hortus conclusus soror mea.] Ad primi paradisi æmulationem Deus alium paradisum meliorem admodum in Maria plantauit, siue eam mirabilem paradisum cœlestium deliciarum effecit. Ait Philippus Abbas. *Quia in horto primo primam serpens mulierem supplantauit, hortum sibi alium Deus Dei Filius tunc plantauit, cum B. Virginem supra modum cæteris mulieribus attributum, sua repleuit gratia, multo non herbarum genere, sed virtutum.* Preme illud aduerbium: *Quia.* Quia supplantauit serpens primam mulierem in materiali paradiso, Mariæ paradisum Deus plantauit. Fœlicem dixerim illam supplantationem quodammodò, quæ causa extitit Mariani paradisi plantationis: quemadmodum fœlix vocitatur aliquando culpa, quæ Deum sortita est Redemptorem.

Fœlix Euæ supplantatio, quæ occasio fuit plantationis paradisi Mariæ.

289. *Paradisus Marianus omninò conclusus serpenti.* Philip.

Hortus conclusus. Ne autem serpens, qui primam mulierem supplantauit, ad Mariæ paradisum iniret ingressum, curauit Deus vndique esse conclusum. Addit Abbas. *Quem hortum ipse, qui plantauit, prudenti consilio voluit sic concludi, vt in eo non sicut in antiquo subdolè serpens serpat, fructus eius non toxicet, odorem non attaminet, & flosculos non decerpat.*

290. *Ineffabilis amoris Dei erga Virginem vis.* Philip.

Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus.] Non sine mysterio bis annotatur horti Mariæ paradisum esse conclusum. Excitat Philippus quæstionem. *Quid sibi vult, quod hortum conclusum semel sponso dicere non est satis; sed hoc ipsum ingeminat iisdem nominibus iteratis?* An id ortum habet ex ineffabili erga Virginem dilectione, quod eam viderit omninò serpentis liberam ab ingressu? Aptè Philippus, hoc agit in Deo *vis intemperantiæ amoris, nempè vt frequenter sermone repetitio magnitudinem gratioris affectus exprimat.* Gloriatur planè Filius quod maternus paradisus sit penitus primo hortui dissimilis.

291. *Bis clausus Mariæ paradisus.* Philip.

An verbum replicauit, vt ostendat Mariæ paradisum bis clausum exponi: semel in primo conceptionis instanti, cum in eam originale peccatum non habuit ingressum: (de quo

quo volum. 2.) iterum verò cum & venialia piacula, quo inirent Virginis animum timulam non innenerunt? Id Abbas confirmat dum inquit, *Fortè ob hoc hortum Mariæ dicere voluit bis concluſum, vt ſic oſtendat, malum duplex* (peccatum originale & actuale intelligo) *ab eadem Virgine fuiſſe excluſum.*

292. *Duplex Mariæ exercitamentum, contemplationis, & actionis.* Philip.

An duplicis cuſtodiæ geſſit mentionem, vt exprimat duplex Mariæ exercitamentum, contemplationis ſcilicet, & actionis. Audi Philippum. *Ideò hic hortus bis concluſus meruit appellari; quia ſic inuenitur Virgo duplex ſtudium amplexari actiua vitæ & contemplatiuæ. In exceſſum contemplandi dulcore melleo ſe ſuſpendit; ad colligendum proximum affectu lacteo condeſcendit: ab vtroque latere, vel potius in circuitu ſic munita.* Contemplatio itaque & actio hortum Virginis muniebant. Non dubito, contemplationem aptam valde eſſe ad claudendum Virginis hortum. De actione dubitarim, ſiquidem ad egreſſum ad proximos oſtium aperitur. Profectò Maria arctius recluditur, dum egreditur. Ex contemplatione enim diuinæ pietatis proximorum ſaluti dat operam; vnde actio huiuſmodi poteſt contemplationis continuatio appellari.

Maria actiua ad proximorum ſalutem velut contemplatio erat.

293. *Maria paradiſus ſimul erat fons, vnde ſemper virens oſtenditur.* Philip.

Fons ſignatus.] Si Maria eſt paradiſus, cur fons vocitatur? fons enim irrigans paradiſum, vel hortum minimè hortus appellari valet, cum quid diſtinctum eſſe conſtet? Fatur Philippus. *Hortus indiget irriguo, ne areſcat, & ſyluescat, ſed abundet potius. At hortus Marianus non tam dicitur fonte irrigari, quàm expreſſiori ſignificantia vocari.* Quare precor? Crediderim, vt innuatur, Mariæ paradiſo tam agnatum eſſe non poſſe areſcere, vel ſyluescere: ſed ſemper fructibus vtilibus abundare, vt ipſe hortus fons irriguus exiſtat.

294. *Meritò ſignatus fons Maria appellatur.* Philip.

Quod autem Maria aptè valeat ſignatus appellari fons, ſic Abbas expoſuit. *Fons Virgo ſignatus ſatis congruè dici debet. Fons à fundendo, (vt nonnulli aſſerunt) nominatur, eo quod de occultis aquam viuam videatur effundere. Maria intelligentia non areſcit, non æſtu arido mons hebeſcit. Quæ profectò reuelatum ſibi Myſterium tanquam ſub ſignaculo diu celat, vbertatem viuidam minus capacibus non reuelat, fœcunditatis modum, nuptiarum formam clauſa tenet ſcientia veluti fons ſignatus. Nam qui talem illi ſcientiam, & tam ſingularem conſcientiam aſſignauit, non reliquit eam vt vas ſine operculo; ſed ſignauit; ne audientes, & non capientes, ſcandalo perturbarentur. Multa quidem copia, multa ſubtilitas eſt in fonte, vnda ſalit, ſaltus perpetuat, vena ex inferioribus prodeunte; ſed clauis Dauidica appoſita ſic videtur cunctis forenſibus operire, vt infidelibus omnino nihil: parum verò quid dignetur fidelibus aperire. Ipſum tamen quod parum eſt quantum ad reſiduam vbertatem, nobis ſic exuberat, noſtram ſic exſuperat paruitatem, vt illud nonniſi mens collecta, nonniſi amor capiat indiuiſus; quia ſerpentem liuidum huiuſmodi paradiſus non admittit.*

295. *Maria nonus nonarum plantationum paradiſus eſt longè præſtantior.* Rupert.

Maria itaque nonus nonarum plantationum eſt paradiſus longè antiquo præſtantior. Pulchrè id Rupertus oſtendit. *Ecce nonus paradiſus, nouæ plantationes, quas plantauit vnus, idemque antiqui paradiſi plantator Dominus Deus. Ille eſt paradiſus antiquus, paradiſus terreſtris: iſte eſt paradiſus nouus, paradiſus cæleſtis. In illo poſuit hominem, quem formauerat: in iſto formauit hominem, qui apud ipſum in principio erat Deus. Nec paradiſum illum homo cuſtodire voluit, nec paradiſus ille hominem cuſtodire potuit. Quoniam ergò non profuit illis parentibus primis, nec nobis introductio illa in illum talem paradiſum terrenum, non obſeruato præcepto, quod acceperunt: iterùm plantatur alius paradiſus, quem ingredientes, lignum vitæ æternæ comedamus, & non moriamur. Proinde dicamus, & nos fœliciter cum dilecto, dicamus omnes corde credulo, & ore conſono: Hortus concluſus es, ô Dei genitrix hortus concluſus, fons ſignatus.*

Vndenam verò Maria hortus? Reſpondet Pater. *Inde nominatur hortus, quod ſemper aliquid oriatur. Quia cum terra ſemel in anno aliquid creet, hortus nunquam eſt ſine fructu. Vnde ergo hortus es tu ô dilecta, niſi quia ex te natum eſt aliquid quod nunquam deſinit, & fructus tuus nunquam deficit, aut marceſcit.* Quid natum ex Maria? Chriſtus Dominus. Quinam Mariæ fructus, qui maciei non ſunt obnoxij? Cunctæ virtutes. Nec tantæ horti huius vbertati ſufficeret Chriſtum Dominum protuliſſe, niſi ſimul omnium virtutum germina proferret. 296.

Hortus Maria Chriſtum germinauit, ac ſimul omnium virtutum fructus protulit. Rupert.

Quare verò Maria *hortus concluſus*, appellatur, ſi neceſſariò hortus ſaltem aditum exhibet olitori? Audi Rupertum hanc quæſtionem pulchrè excitantem. *Maximè hoc mirum eſt, verum, atque iucundum, quod de horto hoc prædicatur, quod ſit concluſus. Quomodo enim hortus ſi concluſus? Nunquam ſimile huic auditum eſt de omni noſtrorum multitudine hortorum, nec poteſt dici, vel eſſe hortus non habens aditum, per quem vnus ſaltem intraret, & exiret hortulanus. Hic hortus vnus, vel ſolus eſt & concluſus. Hic vterus vnus eſt & fœcundus, & incorruptus.* 297.

Maria hortus non dat humano olitori aditū, & tamen fœcundiſſimus oſtenditur. Rupert.

Requirens autem Doctor. *Cur* Maria bis *concluſus dicitur hortus*? reſpondet. *Videlicet & propter conceptum, & propter partum. Quia in vtroque mirabile eſt, & fidelium mentibus amabile miraculum, quod neque corrupta fuit in conceptu, neque in partu violata.* Illud pondera: *Eſt fidelium mentibus amabile miraculum.* Quidquid enim ad Mariæ gloriam commendandam pertinet, illius fidelibus cultoribus maximè debet eſſe amabile. 298.

Maria bis hortus concluſus, nempè in conceptu, & in partu. Rupert.

Quidquid ad Mariæ gloriā pertinet, debet eius cultoribus eſſe amabile.

Pergit Abbas *Vnde autem* Maria *fons ſignatus? Quo vel quali ſignaculo ſignatus?* Et reſpondet. *Nimirum ex eo, quòd Spiritus ſanctus ſuperuenit in te,* ô Virgo. *Quia vterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio acceſſibilis: & mens tua nulli vitio, nulli ſpirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Vt Maria hortus concluſus verè diceretur, videtur ſufficere, ſi virginitate indemni, conciperet, & pareret. Cur ergo addidit Abbas: *Et mens tua nulli vitio fuit vnquam penetrabilis*? Certè quia pluris facit Maria, clauſam fuiſſe nequitiæ, quam Dei extitiſſe parentem.

Pluris æſtimat Virgo clauſam fuiſſe vitio, quam Dei extitiſſe Matrem.

Si noſcere cupis qualis ſit Marianus hortus, ex fructu licet apertè colligere. Dixit Dominus. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Matth. 7. *A fructibus* ait, illos dignoſcendos, non *A fructu*. Si ergò Mariæ hortus vnico fructu ornatur, quonammodò eius vbertas maxima cognoſcenda? An quia vnicus ille fructus 299.

Ex vnico fructu dignoſcitur ineffabilis horti Mariæ vbertas. Matth. 7.

fructus omnia vtilia germina continet? Ita planè. Elegantèr Guillelmus Abbas scripsit: *Vnus est fructus horti huius, sicut & hortus hic est vnus; sed in vno illo fructu quantus est fructus? In ipso vno omnis est suauitas, omnis est sanitas ipse Deus, & ipse homo. Et ideò in ipso duplex refectio ciuis, & peregrini. Ciuis Angelus ipso vescitur ad iucunditatem: peregrinus homo ipso vescitur ad sanitatem. Extra ipsum sanitas non est nisi falsa: iucunditas non est nisi mortifera. O fructum singularem, propter quem dicitur horto, qui genuit eum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui! Verè ex fructu suo hortus iste cognoscitur.*

Guillelm.

300. *Hortus conclusus.* Videtur superfluere hæc particula, *conclusus.* Nam si hortus Maria est, fructus cœlestis parens, consequenter noscebatur debere esse conclusum. Excogitauit id Guillelmus, *Si nosti, quis sit fructus huius horti, nosti, quod sit ipse conclusus. Nam Deum non decuit, nisi de Virgine Matre nasci. Signatus fons est, & hortus virginitatis perpetua signaculo habente imaginem sponsi cœlestis ex impressione annuli eius, de quo sancta quædam anima.* (Agnes) *Annulo, inquit, suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus. Nempè tunc sigillum virginitatis sponsi imagine insignitur, cum annulo amoris eius imprimitur; & tamdiu sponsi seruat imaginem, quam diu virginitas sponso custoditur. Verùm si gloria humana, vel quid aliud quæratur præter sponsum, in eodem sigillo imago sponsi cœlestis illicò oblitteratur. Sigillum autem, quo signatus erat fons ille, de quo nobis, saluo eodem sigillo, salus manauit, tam altè fuit impressum, & tam profundè cœlestis sponsi imaginem imbiberat, vt nullo modo, imago posset oblitterari: sicut nec idem sigillum temerari poterat.* O quam ineffabilis erat Virginis in sanctitate persistentia, si tam impossibile quodammodo erat illam non esse sanctam, quam impossibile erat, Dei sigillum temerari, seu maculari.

Sufficit scire, Mariam esse hortum, vt dignoscamus, esse conclusum.
Guillelm.

Tam impossibile erat, Mariam non esse sanctam, quã erat impossibile, Dei sigillum temerari?

301. Profectò Alanus sic Mariam hortum conclusum commendauit: *Hortus fuit Maria, in quo non rosa patientiæ, nec lilia virginitatis desunt. Conclusus, quia vtrobique clausus studio bonæ intentionis, & consideratione rationis. Conclusus, quia vallo charitatis signatus, nè malignus posset irrumpere. Conclusus, quia Angelorum custodia circumseptus. Hortus conclusus bis ideò repetitur.* Licet verò tot custodiis esset Maria circumsepta; vt secura persisteret, sufficeret quidem, tam impenetrabilis charitatis vallo esse signatam.

Maria hortus diuersimodè conclusus.
Alan.

302. Profectò sex optimi horti in Maria proprietates inueniri Alanus affirmat. *Conuenit, ait, horto, vt sit æqualis, septus, satus, distinctus, rectus, & vber. Æqualis, vt rigetur: septus, vt seruetur: satus, vt fructificet: distinctus, vt delectet: rectus, vt capiat aërem: vber vt copiam præbeat. Et tu ô Virgo Dei genitrix fuisti vber copia plenitudinis.* Non autem alias boni horti quinque proprietates in Maria memorat reperiri. Cur ita? Certè quia ex vbertate illius apertè colligitur aliis præditam esse proprietatibus. Hortus enim, qui fructum omnimoda stipatum plenitudine germinauit, non potuit non optimis reliquis proprietatibus insigniri. Ideo Doctor vnius vbertatis aptè memoriam gessit.

Sex boni horti in Maria proprietates.
Alan.

Ex vbertate hortus Mariæ colligitur apertè, reliquis boni hortus proprietatibus ornari.

303. Fontem autem simul esse Deiparam sic idem Auctor expressit: *Fons Maria est, in quo ineffabilis misericordiæ flumen, in quo gratiarum omnium irriguum. Fons, qui in sinu suæ pietatis recipit lachrymarum nostrarum profluuium. Signatus verò fidei sigillo, & Euangelicæ veritatis signaculo: & virginitatis pessulò, ita vt neque hæretici, nec dæmones in ea fidem, vel Euangelij veritatem possint infirmare.* Preme particulam, *In quo ineffabilis misericordiæ flumen.* Assolet ex fonte riuulus profluere, non flumen; mare namque fluminum patrem esse asseritur. Tam immensus autem est pietatis Mariæ fons, vt non iam riuulum sed fluuium misericordiæ vberrimè emittat.

Maria fons est, è quo non riuulus, sed fluuius misericordiæ profluit.
Alan.

304. Vidimus totam Virginem fuisse hortum antiquo paradiso meliorem. Nunc assero solum Mariæ vterum hortum ineffabiliter primum paradisum superasse. Id probo ex eleganti Hailgrini Cardinalis sententia. *Sub figura, ait, horti conclusi, & fontis signati commendat Matrem suam Dominus. Plantauerat siquidem Dominus à principio hortum voluptatis, scilicet paradisum, in quo posuit lignum vitæ, cuius vsum amisimus, quia non fuit conclusus hortus ille. Vnde de satana dicit Iob: Non conclusit ostia ventris, qui portauit me: nec abstulit mala ab oculis meis.* Cap. 3. *Ac si diceret, Aperuit satanas ostia paradisi, de quo quasi fœtus humani ventris exiuit. Quæ ostia si non aperuisset, ablata essent mala ab oculis meis. Sed in remedium tanti mali, fecit Dominus alium paradisum, Beatæ Virginis vterum, in quo plantauit lignum vitæ: quando ex ea Filius Dei, qui vita est, carnem assumpsit. Sed hunc paradisum sic conclusit Dominus, vt nulli hosti maligno eius pateret ingressus. Nec tantum semel, sed etiam iterum vocatur hortus conclusus, & est ipsa iteratio confirmatio veritatis.*

Vnicus Mariæ vterus paradisi primi mala exclusit.
Hailgrin.

Iob 3.

305. Profectò non solùm bis hortus conclusus Mariæ vterus vocitatur, sed & tertio cum additur, *Fons signatus.* Vterus enim Mariæ etiam in fonte designatur. Crediderim itaque triplicem hanc clausulam, seu vteri Virginis custodiam Beatissimæ tribuendam Trinitati. Audi Cardinalem. *Conclusit hunc hortum tota Trinitas, quoniam potentia Dei Patris muniuit Virginem contra diaboli violentiam. Sapientia Filij contra hostis fraudulentiam. Bonitas Spiritus sancti contra eius malitiam.*

Tota Trinitas Mariani paradisi, seu vteri custodiam egit.

306. Vt autem Beatissima Trinitas Mariani vteri paradisum custodiret, haud Cherubino flammeam romphæam ostentanti ministerium commisit: sed Saluatorem Christum ei pro muro impenetrabili apposuit. Vnde Isaias præcinit cap. 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.* Sic Hailgrinus exponit: *De conclusione, & munitione huius horti dicit Isaias: Vrbs fortitudinis nostræ, &c. Ac si dicat, O Sion, id est Ecclesia, nuncio tibi, quod vrbs fortitudinis erit tibi. Et quæ vrbs sit illa, ostendit per verba sequentia, dicens: Saluator ponetur in ea murus. Nam si Saluator in ea ponitur, intra ipsius vterum concluditur, & si murus ei ponitur, concludit eam. Hæc ergò descriptio vrbis Virgini specialiter conuenit. Nam in ea conclusus est Saluator per Incarnationis mysterium. Et ipse conclusit eam sicut murus per defensionis ministerium.*

Beatissima Trinitas paradiso Mariæ custodiendo, Christum loco Cherubini apposuit.
Isai. 26.
Hailgrin.

307. *Christus est sicut Gedeon, vterum Mariæ circumiit, vt eum velut paradisum custodiat.* Hailgrin.

Memini, me apud Hebraicæ linguæ magistros legisse, *Gedeonis* vocabulum idem esse ac *conterens*, & *circumiens in vtero.* An dixerim, Christum Dominum vterum Virginis circumire, vt illum custodiat conterens hostis astum? Ita planè. Imò patronum huius cogitationis fortior Hailgrinum. *Ipse Christus per Gedeonem figuratus est, qui interpretatur, circumiens in vtero. Christus enim in vtero Virginis quantum ad humanam circumscriptus naturam; nihilominùs per incumscriptam diuinæ potentiæ naturam omnia circuibat.* Vnde Matris vterum deliciarum Dei paradisum custos vigilans circumibat. *Vt esset nobis* Mariæ venter circumdans virum, & à viro circundatus, *Vrbs refugij, & defensionis fortitudo.*

308. *Maria signatus fons, è quo Christus vt flumen profluxit, sine clausulæ iniuria.* Hailgrin. Eccl. 24.

Porrò hortus hic conclusus Mariani vteri simul fons signatus appellatur, è quo sine iniuria sigilli Christus riuus prodiit. Cardinalis idem ad hæc: *Ipse quoque vterus dicitur fons signatus, id est, sigillatus: cuius fontis sigillum fuit castitas virginalis. Per quod sigillum absque ruptura processit Christus tanquam riuus nostræ salutis. Vnde in* Ecclesiast. cap. 24. *dicit Filius de seipso: Ego quasi fluuius Dorix, & quasi aquæ ductus exiui de paradiso. Appellat paradisum Virginis vterum, quam Spiritus sanctus tanta gratiarum vbertate profudit, quòd eius vterus factus est Dei Filio paradisus deliciarum, & hortus voluptatis. Exiuit autem de hoc paradiso, vt fluuius Dorix, qui interpretatur medicamentum generationis. Nam partus Virginis humanæ generationis medicamentum fuit.*

Ex vtero Mariæ exiuit Christus vt fluuius Dorix in peccatorum medicamentum.

309. *Horti Mariani deliciæ, fontis signati puritas.* Carthus.

Dionysius Carthusian. Mariani hortus, & fontis sic delicias describit: *Maria hortus conclusus, & fons signatus. Hortus fuit deliciosissimus, & vernantissimus, in quo sunt omnium arborum spiritualium species plantatæ. In quo lignum sapientiæ requieuit, sol iustitiæ plenissimè radiauit, nulli venti, nullæ pluuiæ, nec flumina vitiorum vnquam potuerunt locum habere. Hortus hic produxit eum, qui Creator est omnium; qui inuiolabilis virginitatis signaculo indesinenter clausus, & signatus permansit. Fons etiam Maria est gratiæ, & post Deum origo, & Mater largitrix vniuersorum. Ei namque Regnum misericordiæ est commissum: & per manus ipsius dat nobis, & dare disponit Deus, quidquid gratiæ tribuit nobis.* Consonat Del-Rius noster, *Hortum vocat propter fœcunditatem, conclusum propter integritatem. Hortus fuit, quia Mater: conclusus, quia Virgo. Hortus conclusus, quia Mater & Virgo. Dignum miraculum, quod ter inculcetur. Nam & fons quia genitrix: & signatus, quia incorrupta.*

Del-Rio.

310. *Qui laudant Mariam, vel ei seruiunt, debent esse immaculati.* Richard.

Cæterùm Richardus de S. Laurent. lib. 2. asserit his verbis innui, nos ad laudandam Virginem, vel ad seruiendum ei, debere magna nitere puritate. Debent esse mundi, & immaculati laudatores, vel serui Mariæ. *Ipsa est enim hortus conclusus, & fons signatus. Nec intrandum est in hortum floridum, & deliciosum pedibus lutulentis: nec aqua purissimi fontis sordidis est manibus haurienda. Ad agendum enim de B. Virgine, vel ei seruiendum, non est nisi mundo corde, & purificatis cogitationibus accedendum: vt cum ea dicere valeat* laudator *eius*, vel *seruus. In habitatione sancta coram ipso, id est, Filio: vel coram ipsa, scilicet Matre ministraui.* Eccli. 24. *In habitatione sancta, id est, munda conuersatione. Qui enim immundi sunt, non laudant, non ministrant in sancta habitatione: nec coram ipsa, id est, reuerenter coram tanta Domina.*

Eccli. 24.

311. *Maria fons misericordiæ cum sigillo iustitiæ.* Richard.

Fons signatus Maria meritò appellatur propter suam in peccatores exuberantem pietatem. Lege innumerabilia Virginis, quæ à Doctoribus miracula circa argumentum hoc scribuntur. *Ipsa* (loquor cum Richard. lib. 4.) *multos de sua damnatione iam certos, multos in aquis suffocatos, multos ex improuiso mortuos liberauit, qui dum viuerent, ipsius patrocinio se commendauerant; multos, qui sine pœnitentia discesserant in mortali, ab ipsius diaboli faucibus potenter eripuit: & vt possent agere pœnitentiam ad vitam reduxit. Ipsa namque ingeniosa est, & subtilis ad saluationem peccatorum, sicut diabolus ingeniosus est, subtilis ad eorum damnationem.* Addit pulchrè: *Qua autem iustitia, vel quo iure ipsa saluet damnabiles, & sine pœnitentia defunctos in mortali, quis sufficiat enarrare? Constat autem quod & ita facit, & quod salua iustitia facit. Et ad huius rei euidentiam dicitur Maria fons signatus. Nam sic exuberans est iste fons misericordiæ, quod semper fluunt miserationes eius: integro tamen, & illibato sigillo iustitiæ. Quia sic ingeniosè scit facere misericordiam, quod non frangit iustitiam.* Et lib. 9. *Maria est fons misericordiæ, signatus sigillo iustitiæ. Sic enim eius misericordia exuberat, quod semper fluunt ad miseros miserationes eius: salua tamen iustitia.* Ingeniosa enim & subtilis sic media disponit, vt exuberante misericordia ius non violetur.

Quam ingeniosa, & subtilis sit Maria ad consequendam peccatorum salutem.

312. *Misericordia Mariæ iugiter effluunt, sed fere in silentio.* Richard. Isai. 8.

Crediderim quidem aptè etiam Virginem fontem dici signatum. Quia etiamsi quotidiè tot è Maria miserationes effluant, à paucis imo à nullo vis eius misericordiæ comprehenditur. Adiicit ibidem Doctor; *Signatus fons dicitur* Maria, *id est, clausus. Quia paucis cognita est multitudo miserationum eius. Hic est fons Siloe, cuius aquæ fluunt cum silentio.* Isai. 8. *Siloe fons est iuxta montem Sion, qui iugiter manat, sed quandoque silet.* Iugiter Mariæ miserationes in peccatores semper effluunt, sed tam profundo silentio, vt omnino à cunctis ignorentur.

313. *Maria est fons sua pietate irrigans peccatorum spinas, vt vertat in flores.* Richard.

De hoc miserationis fonte dicit Ioël c. vlt. *Fons egredietur de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum.* Quinam hic fons? quænam domus? quænam spinæ? Crediderim fontem esse Deiparam de domo Domini, seu de Dauidis familia exortam, vt peccatores, spinas quidem æterno igni iam ferè addictas irriget ad salutem. Appositè Richard. lib. 9. Maria *est fons de quo Ioël dixit, fons egredietur*, &c. *Domus Domini sunt Patres antiqui Abraham, Isaac, Dauid, de quibus egressa est Maria. Sed ad quid egredietur? Ad irrigandum torrentem spinarum, id est, peccatores, qui sunt quasi torrens cito decurrens in mare amaritudinis æternæ. Qui bene dicuntur spinæ, quia se erigunt per superbiam, lacerant per auaritiam, pungunt per luxuriam.* Hos sua intercessione piissima *irrigat* Maria, *ne possint comburi.* Non dixit: *Ne comburantur*, sed, *ne* comburi *possint.* Tanta est enim intercessionis Mariæ vis, vt quodammodò potentiam à peccatoribus adimat, ad damnationem incurrendam. Spinas itaque Maria haud rigat inutiliter, eas enim pulcherrimos mutat in flores.

Tanta est vis intercessionis Mariæ, vt quodammodo peccatoribus potentiam adimat ad damnationem incurrendam.

Rursum

314. *In Maria ve-clusum hortu nil terrenum intrat, sed solum cœlestibus influxibus ibi patet ingressus.* Richard. Ierem. 2.

Rursum quæsierim, cur Maria hortus conclusus vocitetur? Richardus quæstioni respondet lib. 12. *Rectè B. Virgo dicitur hortus conclusus, quia sicut in horto concluso nihil infimum subintrare potest, aut terrenum: sed ea tantummodò, quæ veniunt de supernis; sic factum est in Maria. In hunc enim hortum non intrauit homo purus, cum ipsa sit terra, per quam non ambulauit vir.* Ierem. 2. *Nec bestia, nec reptile, quibus vitia designantur. De supernis autem in eam cunctæ virtutes descenderunt in gratiæ plenitudine iam accepta* ab vtero, *in Spiritus sancti superuentione, in Filij inenarrabili conceptione. Quibus omnibus charismata Spiritus sancti, & omne datum optimum descendens à Patre luminum designantur.*

315. *Maria hortus est omnis generis arboribus, seu omnimoda virtute à Deo consitus.* Richard. Eccle. 2.

Denique eodem lib. 12. Richardus de Mariano horto profatur: *Quoniam in horto concluso multæ solent arbores, & maximè fructiferæ arbores reperiri, de hoc dicit* Ecclesiast. cap. 2. *Salomon, Plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus. Maria siquidem hortus, siue pomarium Domini est, consitum manu sapientiæ omni arborum genere, id est, omnimoda virtute.*

316. *Maria corpore hortus conclusus, anima fons signatus.* Rupert.

Hortus conclusus Maria dicitur, & fons signatus. Hortus quidem, quia natus ex ea Christus Dominus: conclusus, quia eius virginitas illibata. Sed cur adiicitur, *& fons signatus?* Quisnam horti, ac fontis nexus? Certè vt intelligeremus non solùm integram corpore Mariam fuisse, sed & incorruptam extitisse mente. Appositè Rupert. *Soror & sponsa mea* (Dominus ait) *corpore hortus conclusus, mente vel anima fons signatus.*

317. *Bis Maria ab Angelo nominatur Virgo ob corporis, & animæ puritatem.* Luc. 1.

Hanc duplicem corporis, & animi virginitatem in Maria Lucas innuit, dum bis eam vocitat *Virginem.* Cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem: & nomen Virginis Maria.* Bis Virginem memorat, vt tacitè duplicem illius virginitatem commendaret. Veram illam dixerim virginitatem corporis, quæ ex cordis, seu animi pullulat virginitate. Vulgare est in sacris litteris lilio comparari: cuius radix cordis formam refert, vt innuatur, virginitatem debere radicem in corde, seu in animo habere, nè facilè corporis puritas depereat.

Vers. XIII. & XIV.

Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis.

318. *Emissiones, seu fructus horti Mariæ sunt compensatio malorum paradisi primi emissionum.* Philip.

EMissiones tuæ paradisus malorum punicorum.] Emissiones, seu fructus, quos emittit Mariæ hortus ad vitam hominum, compensatio est emissionum, seu fructuum mortis, quos primus paradisus germinauit. Fatur Philippus Abbas, *Fuit quidem paradisus prima serpentinæ suasoria prauitatis, fraudis nouæ conceptoria, peremptoria sanctitatis: in qua vir fœmina molli consilio cessit fortis. Ista verò paradisus, quæ de horto, vel fonte Virginis est emissa, recompensat potentius, quæ in illa curiosius sunt amissa: existens malorum punicorum, quæ intra niuei, extra rubei sunt coloris: & pomorum aliorum, quæ comedentibus saluberrimi sunt saporis.* Illud pondera: *Ista paradisus, quæ de horto Virginis est emissa.* De horto-nè integer paradisus emittitur? Ita quidem, nec enim Mariæ hortus vnam aut aliam virtutis arborem germinat: sed quælibet illius emissio integer paradisus virtutum appositè potest vocitari. Tot Mariæ paradisos videbis, quot hortus Mariæ intueberis emissiones.

Qualibet emissio horti Mariæ integer paradisus omnium virtutum est.

319. *Virtutes Mariæ ex humilitate sublimiores apparent.* Philip.

Cypri cum nardo.] In Cypro excellentia virtutum, & priuilegiorum Mariæ designatur: Nardus autem exigua arbor eiusdem signat humilitatem. Cyprus itaque cum nardo in Mariæ elogium colligatur, vt appareat virtutum Virginis altitudinem, ac cœlestem sublimitatem ex humilitatis exiguitate altiorem, sublimioremque exponi. Ad hæc Philippus: *Nardus, quæ est arbor minuscula Cypris adiungitur, cum virtutum excellentia humilitatis respectu deprimitur. Certè quò magis inter mulieres Virgo titulis singularibus est euecta, eò suis in oculis plus apparet humilis, & despecta. Hinc illius charismatum Cypri altiores apparent. Quia respexit* (ipsa ait) *humilitatem ancillæ suæ, ideo ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vndenam hæc tam celebris benedictio: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, &c.* Luc. 1. En Cypriorum altitudo in humilitatis Mariæ exiguo nardo ostentatur. Addit Doctor: *Benè igitur Cypri cum nardo in hoc medicinalium arborum catalogo sunt præmissæ, quæ instar paradisi, de horto Virginis sunt emissæ. Qui virtutum excellentiam adiuncta humilitas sic commendat, vt securè tanta confectio ad nostram notitiam se extendat.* Ac si propter nardum humilitatis cypriorum, seu virtutum ac charismatum omnium Deiparæ altitudo cunctis euulgaretur.

Luc. 1. *Magnalia, quæ Virgo à Deo accepit, ex humilitate dignoscuntur à cunctis.*

320. *Mariæ virtutes adeò sunt Christi virtutibus similes, vt eius emissio virtutū Mariæ sit quasi Christi virtutum germinatio.* Philip.

Cum vniuersis lignis Libani.] Ex nonnullorum mente Doctorum Christus in monte Libano adumbratur: ligna autem montis huius fructifera illius virtutum typum agunt. Hæc vniuersa ligna dicuntur in Mariæ horto reperiri, seu inter illius emissiones annumerari. Cur ita? Respondet pulchrè Philipp. *Christus, quem plerique aiunt Libani nomine figurari, vult suarum virtutum seriem ad nos per Virginem deriuari. Et quod multis retrò temporibus prophetalis dixit promissio, ad effectum nostris in manibus virginalis duxit emissio.* Quomodo autem Christi virtutes emissiones esse Mariæ possunt? An quia Mariæ virtutes adeò sunt Christi virtutibus similes, vt emissio, seu productio virtutum Virginis, sit velut Christi virtutum germinatio? Sic audens asseruerim.

321. *Vnica Mariæ virtus sufficiens est ad pretiosissimum vnguentum conficiendum.*

Nardus. Vbi idem Doctor: *Ex sola nardo sine altera specie, vel mixtura fit vnguentum laudabile, & confectio profutura. Et Maria Magdalene pedes Domini vngere voluit hoc vnguento, sicut satis innotuit lectionis Euangelicæ documento.* Quod gessit Maria illa (innuit Philippus) vt melioris Mariæ humilitatem in nardo expressam commendaret. Sola enim, seu vnica Virginis virtus sufficientissima est ad pretiosissimum vnguentum conficiendum. Quid quæso, si confectio fiat *cum omnibus,* aliis virtutum Mariæ *primis vnguentis?*

322. Per manus Dei beneficiorum pondus hominibus deriuatur. Philip.

Myrrha & aloë. Adhuc Philippus. *Rectè Nicodemus in Euangelio ferens misturam myrrha & aloës libras centum carnem Christi mortui vngere voluit hac mistura. Quod autem mistura huius libras centum Nicodemus legitur attulisse, innuit Christum in pondere, & numero suum nobis beneficium contulisse.* E pulchrè addidit: *Fallor si Virgo misturam huiusmodi non confecit.* Quid sibi vult, hanc misturam à Maria fuisse perfectam? Profectò si centum hisce myrrhæ & aloës libris pondus, & numerus beneficiorum Christi in homines designantur: huiusmodi vnguentum apposite Virgo conficit; quia per eius manus cuncta Dei beneficia hominibus conferri, quis dubitet?

323. Dum Maria fit Iesu salutis omnium fontis, fit omnium prædestinatorum simul Mater.

Emissiones tuæ. Guillelm. *Emissiones Mariæ sunt fructus ex ea, horto concluso, emissi.* An-non Virginis conclusus vterus vnicum fructum emisit Christum Dominum. Quomodo ergo *emissiones* illius, & non potius *emissio* vnica memoratur? Profectò quia dum Christi Mater Maria efficitur, qui prædestinatorum omnium est salus, eos omnes ipsa germinat ad salutem. Acutè Abbas. *Vnicus fructus Mariæ est, qui ab efficacitate salutis dictus est Iesus. Sed in vno illo fructu multiplex est fructus. In vno Saluatore omnium Iesu plurimos Maria peperit ad salutem; pariendo vitam multos ad vitam peperit. Eo ipso quòd Mater est capitis, multorum membrorum Mater est.* Eo ipso quòd Maria est Mater capitis omnium eius membrorum Mater est. *Mater Christi quia caput, & corpus vnus est Christus corporaliter caput pariendo, spiritualiter membra peperit. Vnde ab omnibus Mater appellatur, & ab omnibus cultu debito vt Mater honoratur.* Quare merito non dicitur: *Emissio tua*, sed *emissiones tuæ.*

324. Nihil è cœlo nobis virtutis prouenit, quod Mariæ intercessioni non debeamus.

Cypri cum nardo, nardus, & crocus, &c. Hisce arboribus omnes virtutes, cuncti sancti, egregia eorum gesta designari existimo ex Laureto & aliis. Omnia autem hæc *emissiones*, seu fructus Mariæ aptè dicuntur; quia & ipsa cunctis virtutibus exornatur, & per ipsam intercedentem cuncti Diui accipiunt, quod rectè operentur. Hanc puto esse mentem Dionysij Carthusian. scribentis: *Omnes virtutes, & virtuosæ personæ, clarissimique effectus,* (seu opera illustria illorum) *per mala punica, pomaque alia, per nardum, crocum, fistulam, cinnamomum, thus, myrrham, & aloë; ac cætera in textu expressa, gloriosè ac eminenter emissa sunt, & prodierunt ex ea.* Nihil enim nobis è cœlo virtutis prouenit, quod Virginis intercessioni non debeamus. Carthus.

325. Ex Mariæ paradiso septē Spiritus sancti dona hominibus germinantur.

Recolens emissiones Mariani horti, quæ hîc specialtim memorantur, septem esse comperio, nempè *Cyprum, nardum, crocum, fistulam, cinnamomum, myrrham, & aloë.* Memor verò, septennarium Spiritus sancti septiformis esse symbolum: dixerim septem Paracliti Spiritus sancti dona ex Deiparæ horto germinari. Vt appareat Mariam verè esse Spiritus sancti æmulatricem. Vel planè illius vicariam, vt per ipsam cœlestia septem illa dona hominibus ille largiatur. Ideo Virgini Angelus dixit, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Luc. 1. Vt scilicet per te fidelibus illius dona diffundantur. Ex Ruperto confirmo: *Emissiones tuæ, vel paradisus vnus cyprus cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, myrrha, & aloë. Herbarum aromaticarum iste numerus, scilicet numerus septennarius amicis nostris verè est cognitus quòd maximè ex Spiritu sancto sit sacratus Spiritu septiformi. Qui hoc ipsum operatur requiescendo super me florem primitiuum horti huius. Operatur hoc ipsum in te, quòd emissiones tuæ paradisus talis, & tam pulcher sit, sicut ex istis speciebus septem animaduerti potest.* Pulcherrimum equidem dixerim Mariæ paradisum, è quo septem Spiritus sancti dona hominibus germinantur. Luc. 1. Rupert.

Nisi excogitare magis libeat, in hoc herbarum aromaticarum septennario numero innumerabiles Mariæ virtutes designari: cum septennarius numerus in sacris vniuersitatem designet. Ait Rupertus, postquam septennarium herbarum illarum numerum virtutes & dona, quæ Maria à Spiritu sancto accepit exprimere asseruit: *Iste numerus septennarius verè est cognitus, quòd vniuersitatem designet.* Parum erat Mariano paradiso septem virtutes germinare: sicut parum erat septem solummodo dona cœlitus accepisse; si hoc septennario numero virtutum, & donorum vniuersitas velut innumerabilis designaretur. 326. Innumerabiles virtutes Mariæ, quæ innumeralilia à Spiritu sancto dona accepit. Rupert.

Cur autem in hoc septennario virtutum Mariæ numero solius nardi bis memoria peragitur, *cypri cum nardo, nardus & crocus?* An quia in nardo Mariæ designatur humilitas, quæ specialissimè conditori placuit? Ita id meditatus est Rupertus, dum sponsum sic loquentem inducit: *Inter septem has herbarum species principalis est nardus, & ideò bis prædicari, & enumerari meretur, cum dico: Cyprus cum nardo, nardus cum croco. Nam ipsa est humilitas tua, quæ valdè oblectauit Altissimum, oblectauit me Regem dilectum tuum, sicut ipsa dicis: Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* 327. Mariæ humilitas specialissimè inter alias eius virtutes Deum oblectauit. Rupert. Cant. 1.

Quid si in hoc arborum, & herbarum aromaticarum numero virtutes, gratiæ, dona signentur, quæ à Patre luminum in totum terrarum orbem iam profluxêre, & adhuc profluent? Salutaria hæc germina nobis per Mariam impenduntur, vt tribuli ac spinæ queis exundabat mundus, in hæc vitalia germina commutentur. Pulchrè idem Abbas. *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt. Vt vbi erant prius spina, & vepres, cardus, lappa, tribuli, vrtica, & paliurus, & vniuersitas nequitiarum: ibi sit cyprus cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum, myrrha, & aloë, seu vniuersitas gratiarum.*

Profectò Mariani horti fœcunditatem ineffabilem apertè ostendam, si asseruero, ex multis illius emissionibus vnam fuisse integrum paradisum, quo tota Ecclesia significatur. *Emissiones tuæ* innumerabiles sunt, sed vna illarum *est paradisus malorum punicorum.* Pulchrè Hailgrinus Card. *In his verbis horti Mariani fœcunditas demonstratur. Nam vna emissio huius horti dicitur esse paradisus. Et designatur per paradisum Ecclesia.* Quanta hortus Mariæ fœcunditas, si Ecclesia tota, cuncti fideles, sanctitas, mysteria, Sacramenta vna emissione protulit. *Fideles in Ecclesia, & eorum virtutes, sacramentorum quoque vnguenta emitti, & procedere dicuntur ex hoc horto.* 328. Totus Ecclesia paradisus vna fuit ex horti Mariani emissionibus, seu fructibus. Hailgrin.

Sed

329. *Nonnullæ virtutum specialia germina, quæ hortus Mariæ emittit.* Hailgrin.

Sed quia dixi fructibus, arboribus, & herbis aromaticis Virginis virtutes significari operæpretium est ostendere speciatim, quænam virtutes hisce plantis designentur. Audi id Cardinalis ex ore. *Per fructus malorum punicorum, in quibus sub vno cortice multa grana clauduntur, fructus Collegiorum, vel Congregationum in Ecclesia figurantur*, id est vnio, pietas, & religio. *Per fructus verò pomorum signantur merita singularum personarum. Per Cyprum, quæ est arbor candida, & odorifera, castitas designatur. Per nardum humilitas. Per crocum, qui in colorem suum res, quibus admiscetur conuertit, charitas exprimitur, quæ est omnium forma virtutum. Fistula, quæ purpurei coloris est, & sanguinem Dominicæ passionis repræsentat, compassionem significat. Per Cinnamomum coloris cinerei, mortis exprimitur recordatio. Per Myrrham, & Aloëm, maior & minor carnis mortificatio demonstratur.* En nonnullæ Deiparæ ex innumeris, quibus floruit, virtutes: nempè vnio, pietas, religio, sanctorum illustrium merita, virginitas, humilitas, charitas, in Christi passione compassio, eiusdem passionis, & mortis Dominicæ continua memoria, & corporis castigatio, non vt noxias mortificaret passiones, quas non habuit: sed vt nobis mortificationis necessariæ exhiberet exemplum.

330. *Mariæ dilectio, agnitio, timor & sancta spes.* Eccli. 24. Richard.

Præterea ex hoc Mariæ horto pullulant illæ celeberrimæ quatuor virtutes, scilicet pulchra dilectio erga Deum, agnitio, timor, & spes sancta, de quibus ipsa. Eccli. 24. inquit: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & timoris, & sanctæ spei.* Ac si diceret, meo ex horto hæ quatuor virtutes emittuntur. Richardus de S. Laurent. lib. 6. ait: *Hæ virtutes à Maria quasi riui à fonte*, quasi ab horto emissiones *incessanter, & abundanter processerunt.* Exponit autem horum nominum essentiam. *Pulchra dilectio est, quando anima nullum admittit amatorem præter Deum, quem toto corde diligit. Pulchra est agnitio, quæ est ex fide, & sacra Scriptura scientia. Timor pulcher, est ille Dei timor, qui nihil agit de omittendis, & nihil de agendis omittit, sancta & pulchra spes est ex fide de meritis proueniens.* Has sibi ipsi primùm emissiones hortus Mariæ germinat: & generationes pia Mater parit.

331. *Maria quatuor has virtutes dilectionem, timorem, agnitionem, & spem nobis imitandas emittit.* Richard. Eccli. 24. Rom. 5.

Profectò eas simul nobis æmulandas exponit Mater Maria. Addit Richardus. *Hæ sunt pretiosæ generationes, quibus Virgo promittit se adimplere transeuntes ad se, dum* Eccli. 24. *dicit: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me: & à generationibus meis implemini.* A generationibus meis, id est, ab emissionibus horti mei, qui est Mater huiusmodi generationum. Bellè Richardus. *Dilectio est ad præmiorum acquisitionem. Timor ad acquisitorum conseruationem. Agnitio ad desiderij inflammationem, spes (quæ non confundit* Rom. 5. *) ad confirmationem. Istæ autem generationes sunt illæ emissiones, de quibus legitur* Cant. 4. *Emissiones tuæ*, &c. Sic Mariæ virtutes, quæ ex ipsius horto emittuntur, imitabimur.

332. *Binæ & binæ virtutes ab horto Mariæ emittuntur, vt in nobis vna altera roboretur, & conseruetur.* Richard.

Annotarim, quod emissiones illæ binæ annumerantur Cyprus cum nardo: Nardus cum croco: *Fistula cum cinnamomo: Myrrha cum aloë.* Fatur Richardus lib. 12. *In arboribus, herbis, floribus, aromatibus hisce signantur Virginis virtutes, & charismata, quibus non solùm plena est in se; sed & eisdem implet humiles. Et nota, quòd in hac serie hæc quæ enumerata sunt, copulantur*, id est, binæ & binæ emittuntur. Vt nos doceat Maria, vnam virtutem alterius fulcro persistere, & germana societate vnam & alteram conseruari, & augeri. Primò coniungit cyprum cum nardo. *In cypro (ait ille,) quæ habet semen candidum, notatur castitas: in nardo, quæ est arbor calida, charitas. De quibus duobus* Sap. 4. *ô quam pulchra est casta generatio cum charitate!* Sap. 4. Charitas enim, seu erga Deum amor profani amoris flammas igne fortiori extinguit. Secundò emittit nardum cum croco. *Quia in nardo, quæ est arbor parua notatur humilitas: in croco, qui habet crines aureos, notatur sapientia. De his duobus* Prouerb. 11. *Vbi humilitas ibi sapientia.* Prouerb. 11. Licet enim *scientia* humana *inflet: scientia diuinorum efficit supercilium profundè submitti.* Sapientia igitur humilitatem tuetur incolumem. Tertiò fistula cum cinnamomo socia emittitur. *In fistula, quæ habet in medulla totam vim, & purgat suauiter interius, notatur pietas: in cinnamomo, cuius virtus est exterius in cortice, notatur eleemosyna. De his duobus* Isa. 58. *Cum effuderis esurienti animam tuam (per pietatem) & animam afflictam repleueris (per beneficij corporalis exhibitionem) orietur in tenebris lux tua.* Isai. 58. Vt ergò luce cœlesti perfruamur, requiritur pietas, quæ quidem virtute eleemosynæ roboratur. Denique Virgo emittit myrrham cum aloë. *In myrrha, quæ corpus conseruat, notatur abstinentia cibi & potus: in aloë, quæ purgat intus, patientiam, per quam anima possidetur. Vnde* 2. Pet. 1. *Ministrate in abstinentia patientiam*, id est, simul 2. Petr. 1. hæ duæ virtutes abstinentia & patientia imitandæ à nobis emittantur. Patientia enim ieiunij labor leuior obiicitur. Ita suas nobis virtutes binas & binas imitandas, conseruandasque pia Mater emittit.

333. *Hortus virginitatis Mariæ innumerabiles Virgines germinauit.* Albert.

Dixit Magnus Albertus sup. Missus est, cap. 82. *Beata Virgo est Mater omnium virginum in virginitate; quia prima sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit: per quod omnes virgines per imitationem virginitatis genuit.* Hæ igitur sunt emissiones clausi horti Mariæ. Vix de illa sponsus dixerat, *Hortus conclusus* ob integerrimam eius virginitatem, cum protinus addidit. *Emissiones tuæ paradisus.* Nam à Dei Matre plurimæ virgines ortæ, quas illa peperit, quas velut paradisi arbores emisit. Perpulchrè D. Hieronymus lib. 1. cont. Iouinian. Hieronym. *Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis: & tamen perpetua est Mater Virginum. Sequitur enim: Emissiones tuæ paradisus, &c.*

334. *Salutaria admodum Deiparæ verba.* Alcui.

Verba illa: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* Alcuinus (apud Del-Rio hîc) intelligit de rectis operationibus, & salutaribus Mariæ verbis. *Bona Virginis operationes sunt paradisus, id est, delectabiles. Et quidem paradisus malorum punicorum. Quia sicut malum punicum exterius rubrum est, & in vno cortice multitudinem habet granorum: sic in Virgine multitudo bonarum operationum intra fidem Dominicæ passionis tenetur inclusa.* De verbis adiicit. *Cum pomorum fructibus, hoc est, honestis, & pudicis eius*

locutionibus, ex quibus in mentes fidelium fructus informationis processit. Adeò quidem vt meliores illi euaderent, qui Mariæ verba exciperent.

335. *Quàm pulcher virtutibus Mariæ paradisus, quàm cunctis salutaris!* Amedæ.

Profectò D. Amedæus hom. 7. de laud. Virg. eleganter admodum Mariani horti emissiones describit. *Maria residens in arce sublimissima virtutum, & pelago diuinorum, affluens charismatum: abyssum gratiarum, quæ cunctos excesserat, credenti, & sitienti populo largissima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, & animis medelam afferebat, potens suscitare à morte carnis, & animæ. Quis vnquam ab ea æger, & tristis abiit? Quis non lætus, & gaudens rediit ad propria, impetrato à Matre Domini, quod voluit? Mariæ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, & quò fauens se verteret, paradisus erat. Emissiones tuæ (ait sponsus) paradisus malorum punicorum, &c. Habet paradisus B. Virginis mala punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet & cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam: ob sobriam ebrietatem sensuum, & suauè fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fistula expoliationis carnis, cinnamomum suauitatis: cum vniuersis lignis Libani, per quæ virtutum vniuersitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloes incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effusis in oratione ab illo vnguento, quod consistens in capite,* (seu Deo Patre) *descendit in barbam Aaron non veteris, & significantis: sed noui, & significati* (id est Christi) vti inde per Mariam, *in oram vestimenti eius, quod est Ecclesiæ, descendat.* Hactenus ille.

Vers. XV.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium: quæ fluunt cum impetu de Libano.

336. *Tam abundantes salutares fontis Mariæ aquæ, vt possint innumerabiles hortos irrigare fidelium.* Philip.

F*Ons hortorum.*] Non dicitur Maria horti vnius, sed plurium hortorum fons, quia tanta est vis aquarum eius, vt possit abundè omnium fidelium, qui sunt Dei horti, corda irrigare. Id meditatus est Philippus Abbas, dum scripsit. *Sicut emissiones tuæ mala sunt punica, vel cætera, quæ sequuntur, quæ de horto voluptatis vel ad edendum, vel ad medendum congrua proferuntur: sic emissio ò* Fons *tua non est horti vnius, sed potius fons hortorum, quo amant irrigari corda fructificantia plurimorum.* Quomodo enim fructus vtiles possent germinare, si Mariani fontis, si Mariæ pia intercessione non irrigarentur? *Quisquis enim vult hortus fieri, & campo sterili se præferre: qui decorem floridum, & vtilem vult proferre: ad hunc fontem conspicuum, & illimem debet studiosius se conferre.* Campus erit sterilis, qui fontis huius caret irrigatione.

Campus erit sterilis, qui Mariani fontis caret irrigatione.

337. *Quàm prompta est cunctis, quamque facilis accedentibus Mariæ pietas!* Philip.

Sed cur hæc Mariæ beneficia fontis typo signantur? Crediderim, vt nullus bibendi auidus, non audeat accedere, hauriendi difficultate præpeditus. *Ad hoc* (addit Abbas) *Virginis beneuolentia nobis infirmioribus tanquam fontem voluit se præbere: ne quibus suadere videtur auiditas spem bibendi, repulsam duriorem difficultas ingerat hauriendi.* Illum itaque *non exasperat*, sed illi *magis se attemperat fonti similis plenitudo, & iam quidem auidos, sed adhuc inualidos eius suscipit latitudo.* Quàm facilem ad Mariæ pietatem peccatores sortimur accessum!

Si verò fonti tam accessibili Mariæ pietas assimilatur, quare simul putei symbolo effertur, qui non tam accessibilem aquam sitientibus offert, cum necessarius sit eam hauriendi labor? An vt sitientibus constet plenitudinem pietatis Mariæ non defuturam, siquidem eis sub putei profundioris symbolo exponitur? Ita Philippus. *Sed quia grandioribus, qui ardent plenius exaudiri fontis plana tenuitas videtur citius exhauriri: eisdem sapientia Virginis se subducit, & eos ad vberiorem plenitudinem introducit.* Non deficiet pietatis Mariæ vnda, si non solum fons, sed puteus ostentatur. 338. *Plenitudo pietatis Mariæ haud deficere potest.* Philip.

Si autem quis cupiat pietatis Virgineæ aquis satiari vberius, vberiorem ad eas hauriendas laborem adhibeat; puteus enim profundus est admodum. Adhuc ille. *Illi verò quo amplius considerant, quod desiderant remoueri: & sperant in puteo largiorem aquarum copiam contineri: accensi desiderio, instantia valida, se accingant: scientes quod profunda nonnisi hauritorio attingent. Eo igitur non contenti quod videtur quasi patulum in* fonte *pluribus,* & commune in profundum putei demittant longo fune hauritorium, seu precibus vberiori instent cordis affectu. 339. *Qui vult vbertim Mariæ pietate potari, laborem vberiorem adhibeat.* Philip.

Puteus aquarum viuentium.] Cur putei aquæ viuentes dicuntur, si proprium aquis putei est sine motu mortui instar, statiuas recludi? Ideò quidem Mariani putei aquæ viuæ dicuntur, vt à communis putei statiuis, & ideò putridis aquis distinguantur. Opportunè id Abbas ille obseruauit. *Cum autem aquæ capiant vitium, nisi moueantur in fundo huius putei non statiuas, non situ degeneri, non standi vitio corruptas; sed modo mirabili reperiunt, reperientes hauriunt aquas viuas, sicut multæ plenitudinis, sic & miræ dulcedinis ostensiuas. Ad has quidquam morticinum, quidquam noxium non accedit, non serpens insibilat, non venefico flatu lædit, non lapsus desuper ramus turbat, limus influens non succedit, custos earum sponsus, quidquam inesse turbidum non concedit.* 340. *Mariani putei aquæ viuæ dicuntur, quia nihil in ea quod mortem oleat, reperitur.* Philip.

Quæ fluunt cum impetu de Libano.] Vnde existimas Marianum puteum vim gratiarum, charismatum, & pietatis hominibus communicandæ accepit? Planè ex Libani vertice, id est, ex sponso, qui in Libano candido figuratur. Rursum audi Philippum. *Ipse sponsus, qui est Libanus semper candens niuibus non solutis, ex se ipso fundit aquas, & aquarum affluentiam spiritualem, & occulto replet virginalem puteum. Quisquis tamen pensare præualet, qua vbertate Libanus aquas fundit, nouit quanto impetu earum abundantia huic puteo se infundit.* Estnè aliquis ita sapiens, qui Libani, id est Dei gratiarum pelagum mente comprehendere valeat? Nullus quidem mortalium est. Ergo impossibile omnino obiicitur, ab homine comprehendi, quanta sit vis donorum cœlestium, quæ in Mariæ puteum è Deifico Libano deriuatur. Illam preme particulam. *Ex se ipso fundit aquas, & aquarum affluentiam* 341. *Maria ex Deo vberrimè accepit gratiæ, & pietatis plenitudinem.* Philip.

Impossibile omnino, intelligere, quanta donorum cœlestiũ copia Mariæ puteus impleatur.

Gratiæ, quæ in Virgine insunt Deitatis sapiunt.

affluentiam ſpiritualem in Mariæ puteum. *Ex ſe ipſo?* Ergò gratiæ, dona, chariſmata, quæ in Virginem deriuantur, ſapiunt Deitatem.

342. Concludit hinc Doctor, quanta ſit Mariani horti excellentia fonte ac puteo irrigati. *Bonus hortus, qui fontis, & putei vocabulum eſt ſortitus, multo pomorum genere & ſpecierum medicinalium inſignitus. Aqua diues irrigua non ſitu putrido vermeſcentis, ſed impetu fluentis de Libano, & in vitam vigore viuido ſalientis. Cuius horti ſponſus tenetur tanta ſollicitudine, & tanta cura profectus accumulans: & tam perfectè remouens nocitura: vt non ſolum concluſum ſignauerit, nè furi, vel prædoni pateret violento; ſed protexerit deſuper, ne tangeretur, vel ad modicum nequam vento.*

Quam ineffabilis horti Mariæ excellentia fonte, ac puteo irrigati! Philip.

343. Rupertus autem aſſerit Mariam eſſe fontem & originem omnium Eccleſiarum, hortorum quidem Domini: & puteum ſapientiæ, ex quo ſacræ Scripturæ profluunt. *Tu fons hortorum, & puteus aquarum viuentium. Fons, inquam hortorum, & Mater Eccleſiarum. Puteus aquarum viuentium, id eſt, ſecretarium ſanctarum Scripturarum. Quæ videlicet aquæ viuentes fluunt cum impetu de Libano, id eſt, ſanctæ omnes Scripturæ, quæ ſolæ dicuntur, & ſunt Canonicæ, manauerunt de populo antiquo, populo Iudaico. Nobilitas quippè illius populi per Libanum ſolet myſticè deſignari. De quo populo ego, & tu. Soror mea ſumus progeniti: cuius terræ terminus ex vno latere eſt mons huius nominis.* Si Maria ſcientiæ ſacræ puteus, qui voluerit ſcripturarum aſſequi intelligentiam, neceſſum eſt, ad puteum Marianum accurrere.

Maria eſt Eccleſiarū fons, puteus Scripturæ ſacræ.

Scripturarum intelligentiā à Maria require.

344. Sacrarium Scripturarum Maria eſt, & viuentes illæ aquæ cum impetu, ſeu velociſſimo curſu ad ſacrarium Virginis ſe recipiunt, vt ab hæreticis, qui eas conſpurcare nituntur, defendantur. Audi Rupertum. *Cunctæ viuentes aquæ de iſto Libano fluunt, cuncta eloquia Dei huic populo noſtro non quomodocumque, ſed cum impetu cucurrerunt. Oportebat enim huiuſmodi aquas cum impetu fluere, oportebat eloquia Dei fortiter currere; quia multi nimis erant, qui conabantur obſiſtere: & multi nimis adhuc ſunt, qui obnituntur, & audent contradicere. Aquarum igitur viuentium puteus, id eſt, ſacrarum Scripturarum ſacrarium ſoror mea ſponſa tu es. Eres el ſagrado, adonde ſe acogen las Eſcrituras ſagradas*, vt ab hæreticorum ictibus liberentur. *Tu* enim ô Mater *cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo.*

Sacræ Scripturæ ad ſacrarium Mariæ cum impetu currunt, vt ab hæreticis liberentur, quos Virgo interimit. Rupert.

345. Profectò quia Mariæ puteus ſacrarium eſt Scripturarum è puteo aquæ hæ viuæ aſcendunt ad fontem, vt Eccleſiæ paradiſus vbertim irrigetur. Bellè Rupertus. *Quia ſacrarium Scripturarum ſacrarum ô ſponſa tu es: hinc eſt, quod dico, quia emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Sicut enim in initio fons aſcendebat de terra irrigans omnem ſuperficiem terræ: ſicut inquam, fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita: ſic ex te ô anima, ô benedicta fons ille aſcendit, qui apud Deum erat, & vera lux erat. Sicut ſcriptum eſt. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Itaque tota ſcripturarum ſcientia, quæ in Mariæ puteo adeſt, Chriſtus eſt, Deus eſt; vnde cum Chriſtus ſit lux, errorum tenebris aufugientibus, Euangelia lux viuos per Mariam radios emittet, quia totam ipſa ſcripturam quaſi profert, cum Chriſtum enititur. Pergit eleganter Abbas. *Fons, inquam, ille aſcendit ex te, non principium, ſiue initium ex te habens, ſed ex corde Patris per occultas vias cum omnibus aquis viuentibus, id eſt, cum omnibus ſcripturis veritatis veniens in te, & æternum ſapientiæ fontem, ſiue puteum faciens in te, atque hoc modo aſcendit ex te.* Ex te aſcendit? An Maria Patris ſinu eleuatior? An qui è ſinu Patris deſcendit, Mariæ aſcendit ex vtero? O mirabilem Mariæ vteri ſublimitatem! *Ad quid autem aſcendit? Vtique ad irrigandam ſuperficiem terræ, ad excolendam, ſeu inſtruendam terram, id eſt Eccleſiam per vniuerſum orbem terræ. Ad hoc egreditur fluuius de loco voluptatis, ſcilicet ad irrigandum paradiſum. Ad hoc, inquam, ex te ô voluptas, ſiue locus voluptatis Dei initium accipiet ſanctum Euangelium, vt per vniuerſum mundum ſpiritalem irriget paradiſum. Et diuidetur in quatuor capita, id eſt, in quatuor neceſſaria ſalutis Sacramenta, quæ videlicet ſunt hæc: Incarnatio, Paſſio, Reſurrectio atque Aſcenſio mea.*

Maria totam ſacram Scripturam profert ad Eccleſiæ irrigationem cum Chriſtum enititur. Rupert.

Ex vtero Mariæ aſcendit Dei Filius, qui ex Patris corde dicitur deſcendere. An Maria Patris ſinu eleuatior?

Euangelium in totum orbē ex Maria deriuatur.

346. Quæſieris, cur Chriſtus Eccleſiæ Magiſter non profuderit immediatè Euangelij aquas, ſed eas prius quaſi ſtagnarir in Deipara? Crediderim, vt legis amaritudo per Mariæ dulcedinem ſuauis hauſtui redderetur. Quod quidem primi paradiſi fontis exemplo pulchrè Abbas oſtendit. *Aquæ ſuaptè natura ſalſæ erant, & amaræ: aſcendendo autem per illam quaſi terræ mammam ſcilicet paradiſiacam terram, verſæ ſunt in dulcedinem, vt irrigarent totam terræ ſuperficiem. Similiter aquæ ſcripturarum ex te ſoror mea ſponſa, dulceſcunt: ex vtero tuo, ſiue per vterum tuum viuentes factæ ſunt. Aliàs autem valde amaræ, imò & mortuæ, & mortificantes ſunt. Littera enim occidit, ait quidam amicorum noſtrorum. Etenim quid aliud eſt quidquid Moyſes loquitur, quidquid de Prophetis legitur apud filios matris noſtræ, qui pugnant contra te, niſi littera ſine ſpiritu, & ſine anima corpus?* Idcircò bibentes *aquas mortuas, moriuntur.* Aquæ itaque hæ atque amaræ & mortuæ per Mariam magnæ Eccleſiæ mammam dulciſſimam, ac viuificam tranſeuntes, dulciſſimæ iam ac vitales erumpunt.

Amaræ legis aquæ in Maria ſtagnatæ dulcorantur, & vitales fiunt. Rupert. Gen. 2.

347. Exiſtimarim præterea, Mariam fontem ſimul, & puteum ideò appellari, quia inſtar putei continet ſupernarum gratiarum abyſſos, quos quidem ſibi ſoli non auara retinet, ſed piè prodiga, fontis in morem in Angelos, & homines pro eorum captu profundit. Excogitauit ſic Guillelmus paruus, dum ait: *Eſt fons hortorum Maria eos rigando: eſt puteus aquarum viuentium aquas continendo. Continet ſibi abyſſos vitæ, & immortalium gaudiorum; ſed non ita continet ſibi, vt non effundat & aliis. Effundit Angelis, & hominibus participationem pro captu ſingulorum. Angelis quidem torrentem voluptatis, hominibus autem in hac peregrinatione riuulos ſanctitatis, & ſuauitatis. Sic tamen effundit, vt non minus contineat. Itaque propter Angelos & homines dicitur fons hortorum; nam & Angeli ſunt horti Dominici, horti cæleſtes, & deliciarum referti ſuauiſſ-*

Maria eſt ſibi puteus gratiarum, Angelis & hominibus ſimul eſt fons, gaudiorum Angelis, ſanctitatis hominibus. Guillelm.

suauissimis obedientiæ fructibus, quos ad beatè viuendum perenniter rigat hic fons vitæ. Et electi homines in terra Dominici sunt horti, quia ad viuendum benè quotidiè irrigat fons vitæ ad fructum iustitiæ. Illam particulam expende: *Sic tamen effundit, vt non minus contineat.* Tanta enim est vis aquarum, vis gratiarum Mariæ, vt semper effundens, semper plena remaneat.

Tanta est gratiarum Mariæ vis, vt semper effundens, semper plena remaneat.

348\. Ideò verò semper remanet plena, dum semper profundit, quia cum impetu cœlestium aquarum abyssi à Deo in Marianum puteum dilabuntur. *Aquæ hæ* (adiicit Doctor) *dicuntur cum impetu fluere de Libano, hoc est, de monte candoris, nempè à Patre luminum. Cum impetu, hoc est, copiosè. Tantus est impetus fluentis gratiæ.* Vnde semper fluens fons aquas à puteo accipiens, semper puteus plenus obiicitur.

Semper manet plena dum semper effundit, quia à Deo recipit, quod det, & retineat.

349\. Certè non minus placet Cardinalis Hailgrini mens asserentis Mariam esse fontem irrigantem hortos, riuum à fonte emissum esse Christum Dominum, hortum Ecclesiam. *Maria fons est hortorum, id est, fons, de cuius riuo rigantur horti. Nam cum dixisset Filius de seipso* Eccli. 24. *Sicut aquæ-ductus exiui de paradiso, subiungit: Rigabo hortum meum plantationum. Maria igitur est fons, Filius riuus, hortus plantationum est Ecclesia, quæ rigatur fluuio, qui manat de fonte signato.* An-non ex aquæ qualitate & abundantia fons commendatur? Ita quidem. O quam commendabilis Maria fons, ex quo Deus ipse vti riuus egreditur!

Commendabilis ineffabiliter Maria fons, è quo Deus vti riuus egreditur.
Hailgrin.

350\. Puteum simul gratiarum esse Virginem Cardinalis inquit, quæ quidem cum impetu fluere dicuntur è Virginis pietate in homines, vt constet, haud posse ab eorum hostibus impediri, ne vberrimè fluant. Maria quoque propter inscrutabilem profunditatem gratiarum, quæ in ipsam congestæ sunt, puteus est aquarum viuentium, id est, gratiarum salientium in vitam æternam. Quæ gratiæ præstando beneficia hominibus, fluunt copiosè, fortiter, & cum impetu, cui resistere non possunt aduersarij nostri maligni spiritus. *Fortiter*, inquam, & *cum impetu fluunt*, quia gratiæ & dona, quæ ex Mariæ pietate nobis communicantur sunt fortissima aduersus inuisibiles hostes arma ad nostram protectionem.

E Mariæ puteo fluunt gratiæ in homines cū impetu, ne possit earum in nos profluxio à diabolo impediri.

Dona Mariæ in nos collata sunt simul arma contra hostes.

351\. Si dixit sponsus aquas illas viuentes è Libano fluere, quomodo Hailgrinus asserit in homines è Deipara fluere? Planè quia Deipara mons Libanus est. Addit Doctor. *Fluunt autem de Libano, id est, de ipsa Virgine, quæ dicit de se ipsa in Ecclesiastico* cap. 24. *Ego quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam. Ipsa enim sine incisione cum integritate virginitatis Filium peperit. Sicut Libanus arbor thuris vaporem emittit odoris. Et attende, quod dicit. Vaporaui habitationem meam. Ac si diceret, illam sine læsione produxi, qui habitauit in me corporaliter: & ego spiritualiter habitabam in eo.*

Maria est Libanus, è quo in homines gratiæ fluunt.

352\. Aliter verò Honorius existimat Christum esse fontem Sacramentorum, & sapientiæ puteum: fontem autem & puteum hunc ex Virgine in homines profluxisse. *De te fluxit fons hortorum, per te venit Baptisma fidelium, & puteus aquarum viuentium, id est, Christus, qui est sapientia sacrarum Scripturarum. Et hæ cum magno impetu de Libano fluunt, quia cum magna abundantia sancti Spiritus de candore tuæ castitatis, & sanctitatis inundauerunt.* Dona etenim, quæ ad nos per Mariam à cœlo immittuntur ineffabili abundantia effluunt, semper inundantia prædicantur.

Dona quæ per Mariam ad homines mittuntur è superis, semper sunt inundantia.
Honor.

Alanus autem sic locum exponit: *Meritò ô Virgo, tali arborum & aromatum decore decoraris; quia in te est fons saliens in vitam æternam. Qui fons puteus est, id est, inexhaustibilis, & profundus. Nec tamen ex te fluunt aquæ viuæ, sed de Libano, id est, Christo, qui omnium virtutum decore candidatus est, & dicit: si quis sitit, veniat, & bibat.* Aquæ itaque fontis & putei Mariani à Christo, à Deo procedunt, & in puteo seu fonte stagnantur. Quia omnia dona, quæ è superis descendunt ad homines, per Mariam vult Deus eis communicari. Vnde sitiens veniat ad puteum, veniat ad fontem, ad Mariam satiandus accedat. 353.

Per Mariam fontem & puteum cœlestia bona hominibus communicantur.
Alanus.

Del-Rius noster hærens Ruperto hæc verba: Fons hortorum de Maria intelligit, non quatenus sit mysticus fons irrigans Ecclesiarum hortos, sed quatenus est fons & origo, ex qua nati, ac producti sunt horti Ecclesiarum. *Quæ vnquam*, ait, *meliori iure fons dicta, quam Maria, quæ in Iesu peperit tot hortos Ecclesiarum, & tot hortulos animarum: quæ peperit, cum vitam peperit, tot fluentia viuentium aquarum. Nonne fons, cum effudit aquas viuas in Effusore viuentium aquarum: & pariendo largitorem gratiarum? Nonne puteus, in quo latuit veritas, donec eam tempus extraxit, hoc est, donec venit plenitudo temporis?* 354.

Maria fons, seu origo omnium Ecclesiarum, & puteus, in quo veritas latuit.
Del-Rius.

Cum Angelus asseruit Mariam esse *gratia plenam* Luc. 1. innuit planè esse aquarum cœlestium puteum & fontem. Quod Richardus de S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg. sic exposuit. *Angelus Mariam esse gratia plenam expediuit, per quam quasi per canale quoddam diuina gratia ad vniuersitatem humani generis redundauit. Si igitur ô fidelis anima, gratia tibi defuerit, ad ipsam plenitudinem gratiæ confugere necesse est tibi. Ideò vocatur ipsa fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Si ergò aridum est cor tuum, si irrigari indiget, curre ad fontem hortorum, qui omnes hortos irrigat: curre ad puteum aquarum viuentium. Non potest cor non virere, quod huic fonti & huic puteo proximum fuerit. Quoniam igitur gratia gratis datur, (* alioquin iam *gratia non esset.* Rom. 11. *) curre ad plenam gratiæ, quæ dat omnibus affluenter, cui dare, gaudium est.* 355.

Maria gratia plena, instar putei, dat omnibus affluenter, fontis instar.
Richard.
Luc. 1.
Rom. 11.

Num si omnes ad fontem pietatis Mariæ accurramus, eius gratiæ plenitudo imminuetur? Minimè, quia simul est puteus, & *Mater pulchræ dilectionis.* Imminutionem fons amoris non patitur. Quod citatus Doctor pulchrè confirmat. *Ne verò dixeris: si de illa plenitudine tantum ad nos defluxerit, minuetur plenitudo? Absit. Hæc enim plenitudo talis naturæ est, quod quanto amplius de ea effluxerit, tanto amplius abundabit. Sicut de amore palam est. Quanto enim amplius aliquem amabis, tanto de amore tuo amplius effluet in illum, quem diligis: & quanto amplius amabis, tanto ampliore dilectione abundabis. Vides igitur, quod ipse* 356.

Non minuetur plenitudo Mariæ, licet ad fontem per singula momenta accurramus, quia puteus, & Mater dilectionis est.
Richard.

fons

fons amoris de ipso fluxu crescat ita, quòd effluendo augeatur. Ideò Maria vocatur fons, & puteus. Bernardus serm. 3. de Annunc. Id est, *plena* sibi, vti puteus; *nobis* vti fons, *superplena & supereffluens. O diues in omnes, & super omnes Maria.*

Bernard.

357. *Maria est fons quantum ad beneficia communia: puteus quantum ad specialia collata his, qui magis erga eam afficiuntur.* Richard. Zach. 13. *Et fons Zachariæ. Cisterna Bethleem, & petra aquas profundens.* Isai. 41. 2. Reg. 23. Num. 20.

Paulò inferiùs Richardus ita de hoc fonte ac puteo scripsit. *Ipsa est* fons Zachariæ cap. 13. In die illa erit fons patens. Ipsa est fons hortorum, & puteus aquarum viuentium. Maria enim fons est, quantum ad communia beneficia, quæ exhibet omnibus; puteus quantum ad profundas, & spirituales deuotiones, quas suis spiritualibus subministrat. Est puteus, seu cisterna Bethleem, in quantum ab ipsa profluit refectio peccatoribus. Est *iuxta portam* cisterna hæc. 2. Regum 23. Quia omnes transeuntes vult quantum in se est, satiare. Hanc aquam concupiuit Dauid, ô si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, &c. Isai. 41. Egeni, & pauperes quærunt aquas. Si aquas quærunt, accedant ad Deum, qui eos edocebit, quonammodo eorum sitis affatim extinguetur. *Loquimini*, Deus ait, *ad petram, & dabit vobis aquas.* Num. 20. Ad quæ Richardus: *Dominus Moysi, & Aaron dedit consilium quid facerent* siti æstuantes. *Loquimini ad petram, id est, ad B. Virginem duram contra tribulationem, grauem contra instabilitatem; & dabit vobis aquam. Tunc aperuit eis Dominus thesaurum suum fontem aquæ viuæ de cisterna Bethleem.*

358. *Maria fons excipiens à superna gratiarũ aquas, eas ad nos inferius effundit.* Richard. Eccli. 24.

Idem Richardus lib. 9. sic locum exposuit: *Maria est fons, de quo dicitur* Cantic. 4. *Fons hortorum, id est irrigatiuus. Horti isti Ecclesia, & conscientia iustorum. Huius fontis riuus Christus Dominus qui ait* Eccli. 24. *Dixi: Rigabo hortum plantationum. Maria etiam rigat hos hortos, sed riuo suo, id est, Filio mediante. Dicitur autem fons à fundendo, quia promptè aquam suam exponit. Sed inter hunc fontem & alios fontes hoc distat. Quòd alij fontes, quia aquas suas hauriunt ab inferiori, redundant superius. Iste autem fons, quia aquas suas, id est, dona, & charismata recipit à superiori, redundat ad nos inferius. Propter hoc dicitur, quod aquæ viuentes, id est, animas viuere facientes, fluunt impetu de Libano, id est, Christo, qui est candor lucis æternæ.* Sap. 7.

Sap. 7.

359. *Maria terra riuorum, & fontium, & Libanus gratiarum.* Richard. Deuter. 8.

Idem lib. 11. fatur: *Ex affectu misericordiæ, & pietatis Mariæ procedit iugiter in amatores suos irrigatio gratiarum. Vnde* Deut. 8. *appellatur ipsa terra riuorum aquarum, & fontium, in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi. Ipsa etiam est mons Libanus, ex quo oriuntur eiusmodi fontes, quibus irrigatur terra promissionis. Quare dicitur* Cantic. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano, & quæ se extendunt spiritaliter per vniuersum mundum.*

360. *E Virginis pietate accepimus iustitiæ, & pacis abundantiam.* Amedæ.

Cæterùm si requiras, quænam sit hæc gratiarum, ac bonorum affluentia à Virgine vniuersum mundum inundans? respondeo, esse gratiarum flumina, & pacis abundantiam. Audi, precor, D. Amedæum hom. 7. de laudib. Virg. *His ergo tantisque donis exuberans Maria sponsa, sponsi Mater; & charissima in deliciis, vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano à monte Sion vsque ad circumfusas quasque, & exteras nationes pacis fluenta, & gratiarum emanationes cœlica infusione deriuabat. Vnde B. Dauid, cum de Filio eius Domino nostro loqueretur. Erit, inquiens, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Psalm. 71. *Aptè de Maria mox intulit: Donec auferatur Luna. Luna ipsa est, quæ cœlo, terrisque irradians, astris Sanctorum longè superior corruscat. Donec, ait, auferatur Luna, quæ eleuato sole iustitiæ, stetit in ordine suo, prima Ecclesiæ primitiuorum effulsit.* Et adiicit: *Tradit fides maiorum iuxta veritatem historiæ, à morte Saluatoris vsque ad transitum gloriosæ Virginis terrarum accolas, sopita armorum rabie, continua, ac tranquilla pace quieuisse.* Vereor, nè bellorum, quibus his temporibus agitamur, in causa sit, affectum nostrum erga Deiparam non ea viuacitate vigere sicut antiquitùs. Resurgat viuax ille cordis in Virginem affectus, bella interibunt, *tranquilla pace* potiemur.

Dum vixit Maria, orbis pace potitus est, omni bello sopito.

Ferè bellorũ causa est, affectum nostrũ erga Deiparã non ita viuacem vti olim existere.

Verſ. XVI.

Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluant aromata eius.

SVrge *Aquilo.*] Per Aquilonem designatur diabolus, & cuncta mala iuxta illud: *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ierem. 1. Vult Deus ab horto deliciarum suarum Maria omnem impugnationem diaboli, omne malorum spiritalium periculum remoueri: vt postmodum vtiliùs Auster omnium bonorum aduocetur. Philippus appositè, *Pulcher ordo; prius quidem alloquitur, & longè remouet Aquilonem* insidiantem: *ne festinus praeueniat, & praeoccupet regionem: ne per campos lati aëris liberè se diffundat, & horto fructibus diuiti flatus graues, siue grandinem superfundat. Tu, ait, qui tibi posuisti sedem quasi Regiam ad arcturum, disponens imperare, & mundum tibi subdere seruiturum: Surge, nec diutius teneat hæc præsumptio te securum, quem volo procul cedere, & non super horti pulchritudinem sæuiturum. Putasti similem te fore altissimo, quia tantùm Lucifer dicebare, cum soli qui solus est, non sit par alterum luminare. Surge igitur, & huius sessionis spiritus tumidos iam compesce. A sede pulsus tumida in auras tenues euanesce: tibi in horto sanctitatis non est locus, qui Euam corripuisti rudens, & præualens in eo paradiso. Virgo, vel hortus Virginis claudit tibi iam deriso ostium.* Preme particulam, *Ne diutius teneat hæc præsumptio te securum.* Qui permissus fuit præsumere posse se similem reddi in potestate Conditori: non permittitur vel præsumere; posse se Mariæ hortum noxiis flatibus inficere. Tantum

361. *Omnis diaboli impugnatio, omne mali periculum à Maria eius rat Deus remoueri.* Philip.

Permittitur diabolo præsumere se posse Deo esse similem: & nõ permittitũ, præsumere se posse Mariam inficere.

est Deo studium circa Mariæ horti custodiam.

362. *Cuncta Spiritus sancti bona curat Deus in horto Mariæ inueniri, quæ in nos exundent.* Philip.

Aquilone itaque omnium malorum origine recedente, omnium bonorum Auster ab sponso aduocatur scilicet Spiritus sanctus, vt Mariæ hortus virtutum germinibus oppleatur. Philippus ad hæc, *Veni Auster, Aquilone longius remoto, cuius præsentia, cuius vicinia est grauis, veni Auster, veni horto saluberrimus, & suauis; quem axis Meridianus, & sol tepidior huc transmittit, cuius transmissio Aquilonem frigidum non admittit. Mittit ergò Spiritum Filius horto, siue thalamo virginali, vt veniens ille spiret, & aspiret, & flatu eum leniat spiritali:* & cum dulci spiramine mirabilem illi virtutum suadelam hortus aromatizans fluat: & nobis tanquam *superfluat ad medelam. Et fluant aromata eius.*

363. *Diabolus & omnia mala prouocantur ad bellum cum Virgine, vt ab ea Dei protectione vincantur.* Philip.

Surge Aquilo. Aptiùs in Virginis singulare elogium crediderim Aquilonem, seu diabolum hîc, malàque omnia ab horto Mariæ tentando non remoueri: sed potiùs prouocari, vt pugnans insurgat, à fortissima Virgine facilè debellandus. Quam mentem elegans admodum idem Philippus sic illustrat. *Si cui magis placet, in prædictis verbis ipse sponsus non prorsus remouet Aquilonem: sed volenti surgere, liberam concedit optionem. Quia etsi plenus ille malitiâ, non tamen ad nos venire præualet nisi missus: neque ad opus nequam exurgere, nisi data licentia sit permissus. Videns igitur hortum Virgineum sponsus conclusione incomparabili satis fortem, nec timere minas horribiles, vibrantem gladium, sæuam mortem; assultuum, vel impulsuum molestiis non deficere, sed probari: ad eum se conuertit, qui persequutor fieri semper gaudet, & nesciens rei finem, in quosvis iustos mittere manus suas simul audet. Surge, ait, Aquilo, erumpe de latibulo prauitatis: exere totas vires, & peruersæ malitiam voluntatis; intona, fulgura, perstrepe, ingere turbines, grandines, & procellas quascumque potes: adde veteribus & nouellas. Sed ne putes aduersus Virginem effrenata malitia præualere. Tu Aquilo surge, & insurge, & foris persona violenter.*

364. *Pugna Spiritus sancti cum irruente Aquilone, & Maria triumphat.* Philip.

Iam verò in campum Aquilone instructo armis exeunte, Auster cum eo pugnaturus in arenam descendere aduocatur. Opportunè Abbas, *Tu Auster intro spira, da quod ille personuerit, sufferri patienter: sic affectu vario, & effectu contrario Auster, & Aquilo conseruntur, & aduersa fronte, instar belligerantium colliduntur.* Quid autem tunc Mariæ hortus? *Quo conflictu, qua pressura Virgo non vt cremium exarescit; sed sicut oliua fructifera medicinaliter impinguescit, ex qua fundat oleum, quod omni pretiosius est vnguento: digna fluunt aromata, non auro comparabilia, non argento.*

365. *Decepit diabolus Euam sedens, sed surgens pugnauit cum Maria, & victus corruit.* Rupert.

Contra primam mulierem Aquilo diabolus non pugnauit, sed leui eam sibilo decepit. Sedens verò expectabat alterius fortissimæ mulieris aduentum, qua cum erat pugnaz surrecturus. Ventura ergò Maria diabolum calcaneo eius insidias molientem prouocat ad certamen inclamitans: *Surge Aquilo.* Audi Rupertum, *Quis ille est Aquilo? Ille nimirum, qui dixit, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ille, de quo dictum est per Prophetam, ab Aquilone pandetur omne malum. Vnde iste talis Aquilo surget? & quomodo surget? Surget de occultis insidiis, vbi iacebat olim, & serpebat lubricus anguis: quando primam mulierem decepit, sicut illa dixit, serpens decepit me, & comedi. Non ibi surrexit, vt impugnaret; sed serpendo sibilauit, vt deciperet. Inter te & illum soror mea sponsa Deus inimicitias posuit, & idcircò de te omninò desperauit. Dic ergò illi: Surge Aquilo. Quid iaces in terra? Quid insidiaris calcaneo nostro? Surge, viribus vtere. Surge igitur Aquilo, id est, age, quod agis. Non enim præcipio, vt agas malum; sed permitto surgere, quia vis. Quando surgere cœpisti? Nimirum antè quàm fieret hæc altera mulier, contra quam decipiendo nihil poteris.* Illam preme particulam: *Quid insidiaris calcaneo nostro?* Verba Christi Filij ac sponsi Deiparæ sunt. An serpens Aquilo Christi calcaneo struebat insidias? Profectò collocans Matri eas, simul & Filio collocabat; quia si Maria victa à diabolo primo hoc in certamine fuisset, quodammodo hostis posset iactitare, se à Christo reportasse triumphum.

Si Maria fuisset victa à diabolo, quodammodo Christus in ea victus fuisset.

De Austri autem aduentu sic Doctor inclamat: Surgente ad bellum, & debellato Aquilone. *Veni Auster, veni sancte Spiritus, cui diabolus Aquilo contrarius est, persla hortum meum, & fluent aromata illius: fietque quod antè dixi: Emissiones tuæ paradisus, quod nunquam ita factum est. Nunquam enim ô Auster, ita contra Aquilonem venisti, vt perflando hortum meum,* (Matrem meam) *nouum faceres fluere paradisum.* 366.

Flante Spiritus sancti Austro Mariam nouum paradisum fecit. Rupert.

Porrò Guillelmus sic locum exposuit. *Aquilo ille satanas malè perflauit protho-parentes nostros. Ab eis in omnem posteritatem transfusum est malum. Verùm cum diu fortis iste armatus custodisset atrium suum, in pace seruans ea, quæ possidebat, Dei Filius ad desponsandam sibi Ecclesiam in mundum venturus, ait: Surge Aquilo, qui sedes super solium Regni tui, qui sedes quasi imperans in securitate. Surge, & prapara te vel ad pugnam, vel ad fugam: ecce venio fortior armatus. Impleto autem tempore, venit Filius Dei ad Virginem.* Vt autem meliori Adamo melior paradisus appararetur, cœlestis Austri aduentus indicitur. *Ideo missus est Angelus ad Virginem, qui congrua salutatione præmissa. Ecce, inquit, concipies, & paries: citò de vtero tuo fluent aromata cœlestia, tanquam de horto voluptatis Dei. Nam Spiritus sanctus superueniet in te. Et sicut hortum Dei decet, Austro perflaberis, vt fluant aromata tua.* 367.

Dei Filius veniens ad Mariam, fugato hoste semper ei insidias moliente, eam Spiritu sancto perflante, facit virtutum germina producere. Guillelm.

Hailgrinus verò sic: *Surge Aquilo, veni Auster. Ac si dicat ad* Spiritum *nequam, qui per Aquilonem designatur. Surge, ne incumbas Ecclesiæ, vt eam deprimas; sed recede, & cede victus à te fortiori superueniente. Tu autem Auster, id est, inspiratio sancti Spiritus, persla hortum meum, id est, Matri meæ perseueranter insuffla gratiarum abundantiam: vt ab ipsa abundanter, & indeficienter defluant ad infirmos beneficiorum remedia.* 368.

Perflante Spiritu sancto in Mariam, in nos fructus eius exundant. Hailgrin.

Si Auster aduocatur ad Mariæ hortum, cur non dicitur consequenter Aquilonem à Maria

Diabolus ad Mariam accedere non audet.

ria surgere, & recedere, sed ab Ecclesia? An quia nunquam diabolus ausus est ad Mariam accedere, licet à longè eius calcaneo apposuit insidias? Ita planè. Quare verò Auster non aduocatur ad Ecclesiam, vt eam ab impugnatione diaboli liberet, & inflicta ei vulnera medeatur? An quia Deus disposuit, nobis cuncta cœlestia bona Mariæ manibus exponi? Quis dubitet?

Cuncta cœlestia bona nobis Mariæ manibus impenduntur.

369. *An propter solius Mariæ honorem Verbum fuerit incarnatum?*

Honorius Augustod. Abbas pressè, sed pulchrè. *Surge Aquilo; id est, diabolus locum te ô sponsa, tentandi, non habeat. Sed Auster, id est, Spiritus sanctus te hortum meum possideat, & fluant aromata eius, id est, per te meus incarnetur Vnigenitus.* Quasi soli Mariæ Verbi Incarnatio tribuatur. Quasi propter Mariæ solius gloriam Verbum incarnaretur: vt homines cuncti deberemus quodammodo Mariæ simul cum ea fuisse redemptos. *Per te,* seu *propter te,* ait, *meus incarnetur vnigenitus.*

370. *Mariæ plena gratia, adhuc quasi in ipsam gratiam conuertitur, vt Dei Mater esset.*

Veni Auster. Existimo, Verbum diuinum ante Incarnationem Spiritum sanctum aduocasse, vt Mariam Dei hortum ita cœlesti flatu versaretur, vt non solum plena gratia existeret, vt eam antè Incarnationem Angelus inuenit, dum diceret, *Aue gratia plena*; sed adhuc Spiritu sancto superueniente (*Spiritus sanctus superueniet in te*) in ipsam gratiam conuerteretur: vt posset verè dici: *Gratia Christum concepit.* Fauet meæ excogitationi Richardus de S. Laurentio lib. 3. de laud. Mar. citans Augustinum. *Conceptum Christi gratia operabatur. Vnde Augustinus, Filium Dei Mater gratia generauit. Videtur enim Filius, ideo dixisse Spiritui sancto: Veni Auster, perfla hortum meum.* Pulchre planè.

Richard. August.

371. *Aromata Mariæ sunt virginitas, humilitas: seu virginitas cum fœcunditate.*

Et fluent aromata illius. Hæc aromata sunt Mariæ virtutum vniuersitas. Richardus lib. 4. *Dicit Filius Spiritui sancto. Veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata eius, id est, spirabunt virtutes Virginis; scilicet virginitas, humilitas, & cætera vniuersa.* Nisi lubeat speciatim hic virginitatem cum fœcunditate commendari. Vnde addit Doctor: *Propter hoc dicitur Maria.* Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici; (quoad fœcunditatem) vallatus liliis, (quoad virginitatem.) Liliis pluraliter; quia fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum. Vel liliis pluraliter; quia illibatam virginitatem custodiuit in suis sensibus vniuersis.* Richard.

372. *Desiderium Virginis diuinam voluntatem implendi nauis velo Austro Spiritus sancti pleno signatur.* Richard.

In naui Mariam designari, cantat Ecclesia: *Quasi nauis institoris, &c.* Huiusce nauis velum Spiritus sancti Austro implebatur. Dixerim, velum hoc esse Mariæ desiderium Dei voluntatem implendi, quod nauim fœliciter magno hominum commodo cœlestem perduxit ad portum, Audi eundem Richardum lib. 11. *Velum hoc dependebat ab antena charitatis. Certè per velum congruè designatur sanctum desiderium eius* implendi Dei voluntatem, *quod inspirabat Spiritus sanctus iuxta illud: Veni Auster, perfla. Idcirco cum ex vehementia huius desiderij responderet: Ecce ancilla Domini, fiat mihi, venit Auster, id est, Spiritus sanctus, & flauit, & velum intumuit. Et sic nauis ista versus portum vitæ perpetuæ iugiter mouebatur.* Dicitur autem velum à volatu iuxta illud Poëticum, *Velorum pandimus alas. Benè itaque velum signat Virginis desideria, quæ exeuntia à corde ipsius, statim volabant in cœlum.*

373. *Tria Mariæ aromata, quæ hominibus ex eius horto fluunt.*

Et fluent aromata illius. Quænam hæc? Respondet Richardus lib. 12. *Tria principalia sunt. Primum* aroma *sapientia. Secundum spiritualis gratia. Tertium immarcescibilis gloria. Verbis enim suis, & exemplis docet suos veram sapientiam; quia doctrix est sapientia* Dei. Sap. 8. *Peccatoribus impetrat gratiam. Honorantibus se promittit gloriam. Vnde dicit* 1. Reg. 2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Addit Doctor, *Propter hoc triplex commodum currendum est in odorem aromatum* MARIÆ: *& sic exorandus est à nobis Spiritus sanctus: Veni Auster, perfla hortum Christi, id est, Mariam, vt fluant aromata illius.*

CAPVT QVINTVM.

VENIAT dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi. Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum: comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſaphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt Cedri. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

Verſ. I.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.

1. *Maria hortus proprius Dei, non alterius.* Philip.

VENIAT dilectus meus in hortum ſuum.] *Suum* quidem, non alienum. Nec enim alius in Mariæ floridiſſimo horto Dei hæreditate ius aliquod potuit acquirere. Pulchrè Philippus Abbas: *Ergò dilectus veniat in hortum non alterius, non in ius alienum; ſed in ſuum.*

2. *Mariano horto Deus ſe oſtendit amabilem, & gratum, flores colligit, & fructu veſcitur.* Philip.

Cum quis Princeps deliciarum ſuarum hortum ingreditur, alacer, & gratus iam flores colligit, iam fructibus veſcitur. Nihil Deo gratius, quàm hortus Mariani ſui & carpere flores, & fructibus ſuauiſſimarum virtutum cibari. Ad hæc Abbas, *Suo ſponſus cœleſtis horto ſe oſtendat amabilem, & ſerenum; & gratum habens quod in eo viderit vtile, & honeſtum. Mane carpat flores: imo & comedat* fructus: *niſi forte ſenſerit intempeſtum*, hoc eſt, niſi immaturi fortaſsè fructus ei obiiciantur.

Profectò Mariæ fructus nunquamnon maturi ex arbore pendent. Id B. Virgo diuino ex munere dignouit, dum addit: *Poma mea vt arbitror, ad colligendum congrua ſe oſtendunt. Mea* dixi? Minus equidem congruè; ſi enim hortus illius eſt, ſua etiam ſunt hortus germina. Veniens itaque in hortum ſuum ſuis pomis veſcatur. *Poma*, ait ille, *mea ſua ſunt, quæ maturitatem ſuam, niſi ſuo munere non prætendunt.* 3. *Nunquamnon maturi Mariani horti fructus.* Philip.

Mox Abbas fructus hortus Mariani qualitatem, ſic Virginis ex ore deſcribit. *Poma hæc mea, imo ſua non ſunt ſicut nonnullorum, quæ viſa placent: & tacta protinus euaneſcunt. Sed odore ſapido, & ſapore ſolido matureſcunt. Horum pomorum non ſolùm ſuperficiem oculis ſpecioſam, ſed potius maturitatem auido guſtui fructuoſam comedat ille veniens, ſibi aſſumere delectetur.* O quàm ineffabilis eſt pomorum, ſeu virtutum Mariæ dulcedo, quæ poteſt Dei auiditatem acuere, & guſtui eius vtilitatem exponere! 4. *Admirabilis qualitas fructuū Marianā horti.* Philip. *Dulcedo virtutum Mariæ acuit Dei auiditatem.*

Porrò Philippus meditatur, Virginem hiſce verbis Deum precari, vt veniat ad ſe illius deliciarum hortum, & fructum iam maturum 5. *Poſtulat Maria vt fructus*

cœleſte;

fui horti iam maturi ad cellam celestē colligantur ad Dei gloriā magis quam ad sui requiē. Philip.

cœleste transferat ad cellarium. *Comedat ille vemens, id est, sibi assumere delectetur. Tollat de medio, & in suo recondere secretario delectetur. Etsi enim manere hic ad acquirendum meritum est necesse: ibi tamen gaudere premio magis optimum duco esse, & ideò non tam in agro laboris, quam in quietis horreo vellem esse, meumque Agricolam pasci, & refici sua messe.* Itaque Maria non vult à corpore dissolui, vt labores fugiat, sed vt Deus sui hortus, suæ hæreditatis fructibus delectetur. Vera etenim amans, si Deo placeret, gloriam patiendi, fruendi felicitate lubens præponeret.

6. *Maria sponsū non sicut Eua ad fructum alienum, sed ad fructum proprium inuitat.* Rupert.

Hinc Maria dissimilem sese Euæ manifestat. Illa enim sponsum suum ad comedendum ex arbore alieno inuitauit: Maria autem sponsum cœlestem ad hortum suum, vt sua poma comedat, fidelis inuitat. Excogitauit Rupertus, dum ait: *Non quomodo Eua inuitauit virum suum, ego inuito dilectum meum. Illa inuitauit virum suum ad comedendum pomum non suum, pomum alienum, pomum interdictum. Ego inuito dilectum meum ad hortum suum, ad comedendum fructum non alienorum, sed fructum pomorum suorum. Et quid tam propriè suum, quàm ego, quæ sum prima de primitiis pomorum suorum: imò etiam fons hortorum.*

7. *Desiderium Deiparæ è sæculo ad superos migrandi.* Rupert.

Mox Doctor verba flectit ad desiderium Virginis, vt ex hoc sæculo ad cœlos transferretur. *Veniat igitur in hunc hortum suum, & me transferendo in illud tertium cœlum, in illum tertium paradisum, quò abiit, me vidente, & ascendit, comedat fructum pomorum suorum. Quando ita venies in hunc hortum tuum, ad illam quam dicis esse fontem hortorum? Quando ita veniens ad me, vt vbi tu es, illic & ego tecum sim?* Preme illud: *Me transferendo in illud tertium cœlum.* Cur non dixit in cœlum

Non petit transferri ad cœlum Empyreum, sed ad tertiū cœlum, cupiens hic amplius pro Filio laborare.

Empyreum, sed in tertium cœlum, ad quod raptus fuerat Paulus? Crediderim, quia Virgo diutius cupiens laborare pro Filij gloria, volebat non tam plenè gloria cœlesti potiri; sed paululum cum Christo Filio Pauli instar recreari, vt ardentiori affectu ad laborum sustinentiam descenderet.

8. *Desiderium Mariæ concipiendi & pariendi Saluatorem.* Guilelm.

Non autem ineptè verba hæc ad Incarnationis mysterium accommodari posse reor. Guillelmum audi. *Vox est hæc gestientis in partum Virginis. Quippè Angelo nunciante didicerat, se ad magnum illud pietatis Sacramentum manifestandum in carne singulariter esse delectam: & quasi hortum Dei austro perflandam, vt Filium Dei procrearet. Itaque assensum hilariter præbuit. Prædicis, inquiens, ô Angele, vterum meum fore hortum deliciarum, gignendo fructum vitæ, in quo omnis suauitas, & omnis sanitas. Necesse itaque est, vt verus sit nuncius veritatis: vt non sit tantum Dominus mecum; sed etiam vt sit in me: & carnem sumat ex me. Hoc eum velle ex tuis verbis intelligo; fiat mihi secundum verbum tuum. Veniat in hortum suum peculiari iure ipsi dicatum. Verbum ex me carnem sumat, Deus ex me corporetur. Cur? Vt comedat fructus pomorum suorum.*

9. *Fructus Mariani horti sunt emrei ad gloriam electi fideles.* Guillelm.

Quinam, quæso, hi fructus, ad quorum suauissimam participationem Maria Verbum inuitat? Existimo esse cunctos Ecclesiæ fideles. Eo enim ipso quod Maria Mater est capitis, omnium membrorum eius velut Mater efficitur. Ineffabile prorsus Mariæ encomium vterum eius simul Christum, & omnes saluandos eniti. Addit bellè Guillelmus. *Comedat fructus pomorum suorum: incorporet sibi omnes electos suos; hæc enim est Incarnationis eius causa. Ipsi ergò incorporentur, vt saluentur, quos Deus ad salutem præordinauit. Hoc est, ipsi vniantur tanquam cibus comedenti: in ipsum sic transeant, vt eius membra fiant, & de spiritu eius viuant. Sanè in vtero Virginis per humanæ assumptionem substantiæ factus Christus est caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est: ibi comedit fructum pomorum suorum: ibi incorporauit electos suos: ibi traiecit eos in se; vt non in seipsis, sed in ipso viuant. Sicut enim Adam, quando præuaricatus est, contaminauit omnes ex se carnaliter nascituros: Sic & Christus, quando de Virgine incorporatus est, incorporauit sibi omnes non fictè credituros. Sic eius ex nostri generis fœmina Incarnatio, nostra in eum traiectio est.* Ergo necessarium est ad salutem, vt ex Mariæ vtero procedamus, id est, vt filiali affectu illam vt Matrem veneremur. Illius enim pietatis venter est ille, de quo Christus Nicodemo asseruit: *Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Ioan. 3. Nisi in ventrem Mariæ remicare cures, vt eius filius efficiaris, fortè excides à salute, pressus à piaculis, è quibus illius intercessione fuisses liberatus.

Necessarium nobis est ad salutem, vt in Mariæ vterū intremus, & ex ea filij procedamus? Ioan. 3.

Aliquandò Christus Dominus fame affectus ad ficulneam accessit, vt subsidium acciperet, sed nihil in ea nisi inutiles ramos inuenit Matth. 21. Huius memor Deipara, Filium ad suum hortum inuitat, vt fructus comedat apparatos. Accedat dilectus & sine foliorum reuolutione, vt requirat, an fructus adsint, comedat. Nunquam enim Maria sterilitate laborauit. Hailgrinus Card. appositè. *Audierat Mater, se vocari hortum: & memor quoque illius ficulneæ, quæ pro eo, quod Christus in ea quærens fructum non pastus fuerat, ab eo fuit maledicta, & aruit: inuitat dilectum, vt veniat & comedat, & delectetur in fructu pomorum, id est, in operibus virtutum, quas in ipsa plantauit.* Hinc Mariæ erga homines pietatem obiici video. Christum meritò iratum ob humanæ ficulneæ ingratitudinem, quæ suum satorem famescentem non pascit: ipsa vberrimos suos fructus offert, vt nostram suppleat vacuitatem, & Filium extrahat à vindicta.

10. *Maria nunquam sterilis, inuitat Filiū ad fructus, sterilis humanæ ficulneæ memor.* Matth. 21. Hailgrin.

Supplet Maria humanæ ficulneæ sterilitatem, suos Deo fructus offerens.

Dionysius Carthus. ad Incarnationis mysterium recurrit. *Virgo ex lege, & Prophetis, ex illuminatione diuina, ex annuntiatione Angelica agnoscens Vnigenitum Patris Incarnandum: hoc ipsum humillimè, & feruentissimè cupiens, dixit: Veniat dilectus meus in hortum suum, id est, in vterum meum descendat, corpusque assumat humanum. Felicissimè itaque Virginis venter hortus fuit pulcherrimus. Veniat ergo dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum. Quemadmodum enim Christus in vtero fuit conceptus, ita & in vtero nutriebatur sanguine purissimo, tanquam dulcissimis pomellis.*

11. *Christus in Mariæ vtero sui horti fructibus nutriebatur.*

Ad Incarnationis etiam mysterium Richardus de S. Laurent. lib. 12. de laud. Virg. hanc refert sententiam. *Audierat, inquit, Maria hortum se vocari in superioribus verbis: Veni*

12. *Maria Verbum diuinū carnem suo in vtero su-*

intre precatur in hominum remedium ægrotantium. Richard.

Auster, & persla hortum meum, id est, Matri mea perseueranter insuffla abundantiam gratiarum, & ab ipsa abundanter & indeficienter defluant beneficiorum remedia ad infirmos. Auditis autem huiusmodi verbis Virgo, & memor illius ficulnea, qua maledicta est, quia Christum fructum quarentem in ea, non pauit: statim inuitat dilectum ad delicias suas dicens: Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus, seu delectetur in operibus virtutum, quas in me plantauit.

13\. *Vt veniat Verbum ad hortum suum, Maria quatuor nuncios immittit.* Isai. 9. Richard.

Vt autem hæc Virgo consequatur, immisisse quatuor nuncios, piè Richardus meditatur. *Et nota*, ait, *quòd B. Virgo ad fructum inuitat Filium suum, tanquam puerum. Quia paruulus natus est nobis* Isai. 9. *Et mittit ad eum quasi quatuor nuncios, vt veniat citò ad prandium nobiscum. Hi sunt meditatio, qua Dominum quarit: contemplatio, qua quasitum inuenit: oratio, qua inuentum inuitat: humilitas, qua inuitatum adducit.*

14\. *Maria cupit, vt cuncta beneficia à Deo sibi accepta, in hominum vtilitatem refundantur.* Amedæ.

Porrò D. Amedæus pulchrè hanc sententiam Deiparæ homil. 1 accommodat. *Virgo Virginum vernans in floribus, & in fructuum suauitate delicians apparet: & velut arbor plantata in medio paradisi attollit verticem in altitudinem cœli: & de superno rore concipiens, fructum refert salutarem, fructum gloria, fructum vita, de quo qui ederit, viuet in aternum. Et vt clarescant, qua dicta sunt, hortus est, ad quem inuitat dilectum. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomiferarum suarum. Hortum namque dilecti se nominat, quem riui donorum inebriant: vt maritata amore spiritus latetur, & stillicidiis eius germinans, gaudeat in multorum filiorum prole tanquam in germinum suorum vbertate.* Hisce fructibus cupit Virgo vesci dilectum. Nam cuncta, quæis cœlitùs Maria donatur munera, cupit in homines refundi. At vt homines Dei cibus esse possimus, necessarium est, vt prius hortus Mariæ germina efficiamur.

15\. *Quid Maria est, simul est Dei, nil sibi arrogat fidelis sponsa.*

Tam perfecta sunt Maria virtutes, vt Dei virtutes esse videantur.

Veniat, inquit Maria, *dilectus meus in hortum suum.* Græcè autem. *Veniat dilectus in hortum meum, & comedat fructus pomorum meorum.* Quomodo cohærent hæ particulæ: *Meum & suum, suorum* & *meorum?* Aptè quidem; quia quidquid Mariæ sponsæ est, id & Christi, seu Dei est sponsi. Hortus dilecti est dilecta; omnia communia cum Deo Maria habet; quidquid est Mariæ, Dei est, nil sibi arrogat fidelis sponsa. Addo cunctas Mariæ virtutes tanta perfectione nitere, vt esse Dei ipsius virtutes esse videantur.

16\. *Maria semper seu in quolibet vita instanti se fructibus virtutum exponit onustā.* Matth. 21.

Quæsierim verò, cur non indicet sponsa, quando sponsus cœlestis debeat ad suum hortum aduentare: sed absolutè dicat: *Veniat dilectus?* Crediderim, quia semper Maria plenam se fructibus exponit onustam. Non sicut ficulnea illa, quæ cum *non erat tempus ficorum*, fructum non offerebat Domino famescenti. Matth. 21. Omni Deipara tempore fructus virtutum habet, quos dilecto possit offerre: nullo instanti temporis fuit Virgo hisce pomis destituta.

17\. *Deus non inuitatus venit ad Deiparæ animum, tam feruens illius in eam affectus.*

Veni in hortum meum soror mea sponsa.] Aduocat Maria sponsum Deum in hortum suum, in animum suum deliciarum illius paradisum, & ipse asserit, se iam venisse: *Veni in hortum meum.* Non expectauit, vt veniret, vt à Maria inuitaretur. Tam feruens Dei affectus in Mariæ horto commorandi. Abbas Philippus pulchrè. *Tu ô Virgo* (Deus ait) *sollicitè petis, vt veniam; sed iam veni, & supra quam rogares, & peteres, festinaui, & meum hortum mea ipsius præsentia visitaui. Nec enim dignum est, vt quem manu propria consitum ordinaui, mea nudum præsentia infirmarem.* Si Deipara sciret se tam speciali dilecti honorari præsentia, non tam anxiè illum ad se venire postularet. Hinc colligo, multa in Maria fuisse charismata, quæ vel ipsa ignorarit, ex agnatæ quidem humilitatis affectu. Philip.

Multa extitere in Maria charismata, qua vel ipsa ex humilitatis affectu ignorarit.

18\. *Mariani paradisi nō Cherubinus, sed Deus ipse custos apponitur.* Gen. 3. Philip.

Exturbatis è terreno paradiso primis parentibus, Deus *collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, ad custodiendam viam ligni vita.* Gen. 3. Præcelsiori admodum paradiso præcelsior admodum custos deputatur. O quàm ineffabiles Deo paradisi Mariani deliciæ, cuius se Deus ipse voluit custodem constituere? Adiicit Philippus. *Quem hortum feci, virtutes varias inserendo, eundem meum reddidi, custodiam virilem conferendo. Quomodo enim sororem, quam cognato affectu mihi Pater vnicus obtulit diligendam: quomodo sponsam, quam syncero commercio suasit mysterialis vnitas amplectendam: quomodo, inquam, mea sollicitudine, mea præsentia defraudarem: & non bona magis initia meliore termino collaudarem?*

19\. *Ineffabilis Maria in exaltationibus humilitas.* Philip.

Messui myrrham meam, &c.] Venit itaque sponsus Deus ad hortum Mariæ, inuenitque in ea mirabiles admodum virtutum fructus, quos iam matutitati addictos, metere posset. Specialiter tamen asserit se messuisse myrrham, seu fœcundam Mariæ illibatam Virginitatem, quæ in myrrha adumbratur. Id eleganter Philippus scripsit. *Districta*, ait, *castigatio, abstinentia fortis austeritas, continentia virginalis, tam corporis, quam mentis integritas mira satis vnctione ab aterna lasione Virginis carnem seruant, & suprà ius natura meritorum congeriem coaceruant. Cuiusmodi myrrham in hortum suum veniens sponsus iam messuit. Quia Matris continentia sic Filio perfectè complacuit, vt eo incarnato, cum natura miraretur inenarrabilem genituram: rei tamen nouitas non inferret extollentia cariem, non vermiculum, non lasuram.* Hinc quidem ineffabilius extollitur humilitas Mariæ, quam priuilegium virginitatis & fœcunditatis, quæ naturam in admirationem traxit, non potuit extollere, non potuit ei elationis vermem ingerere. Ipsa enim Virginitas myrrha erat præseruationis. *Fœcundam quippè* (addit ille) *integritatem cunctis ante & postea virginibus inconcessam tulit spiritus de area, tanquam inhorreum iam demessam; cum suo eam beneplacito, & custodia voluit sic munire, vt ad eam non posset agri bestia, non auis alta sapiens introire. Voluptas carnis, qua fœcunditatem consueuit bestialiter praeuenire, miratur, nil suum in conceptu Virginis inuenire: & in terreno campo messem crescere tam maturam, & sublatam velut furto nil populatorium perpessuram. Volatilia cœli, qua honestum aliquid, vel vtile saluti non seminant; sed aliorum sata edaci auiditate plerumque exterminant; indiscreta præsumptio, & inanis elatio, qua ex bonorum profectibus solent nasci, & innata auiditate, & prauitate illorum defectibus gaudent pasci, à prædicta myrrha messe dolent, quasi de medio sic subduci; vt ad eam* non

Ita Deus fœcundam Maria virginitatem custodiuit immaculatā; vt nec bestia agri, seu delectatio carnis eam potuisset maculare. Philip.

Nec auicula cœli, seu elatio ex tam singulari priuilegio eam posset vel minimum ab humilitatis affectu separare. Philip.

non violentia, non fraudulentia vel ad modicum valeant introduci. Conqueruntur auiculæ, se fuisse diutius debito somnolentas, & metentis amore, studioque vigili se præuentas; nunc verò ad rapinam manus habere vigiles, & extentas: sed clausura horrei, & sera irreserabili se retentas. Inimicum hominem, qui super triticum zizania plerumque seminauit, qui lædere vitam non præualens, famam saltem bonorum attaminat: à contactu Virginis ouante manu custos eliminat: & hostem pudicitiæ à pudoris claustro procul exterminat. Non vult enim vt eius opinio rodolentior aromatibus, vel vnguentis deturpari valeat argumentis, quin eam Virginem & fœcundam teneat fides certa, & prædicet re veraci, quamvis cæteris inexperta. Itaque fœcunda Mariæ Virginitas tam myrrhea est ad corruptionis præseruationem, vt nec delectationis bestia, nec elationis auis, nec homo inimicus infamiæ perleuis in eam possent vel minimam maculæ notulam introducere.

Nec inimicus homo, seu sinistra opinio posset odoriferam eius famam obnubilare. Philip.

20. *Comedi fauum cum melle meo.*] Vndenam fauus mellis in horto? An apiarium horti floribus, odoriferisque graminibus aderat nutriendus? Profectò ipse Marianus hortus apiarium est Deo, virtutibusque Virginis, vt dulcissimo mellis fauo pascitur. Audi id vberius ex melleo ore Philippi. *Miro loquendi genere, quam myrrham, & aromata dixerat in metendo, nunc fauum inuenit, nunc mel esse perhibet in comedendo. Quia gustui comedentis nil melle dulcius exponitur: & nulla Christo gratior quam Matris integritas inuenitur. Nostis fauum quendam veluti thecam repositoriam appellari, quam cereis distinctam cellulis, inuenitur apis sagacior operari, quæ operandi callida quodam tectorio se abscondit, in quo fauum, & in fauuo mel miro studio recondit. Huiusmodi fauum, cuius protectio diligit operire, & cura peruigili totum in circuitu custodire: ipsum, inquam, lædi non sustinet, arescere non permittit; sed cum melle insitò ad mensam propriam ad suum beneplacitum intromittit. Fauus quidem tenerior durè læditur, & arescit: & negato sibi melle, ariditate perditus euanescit, cum carnis integritas amore Christi sapiendo non dulcescit. Maria verò Dei conspectui, eiusque fidenter esui præsentatur, quæ melle copioso quæ amore gratioso plenius impinguatur, cuius pingui dulcedine, siue dulci pinguedine comedens sponsus hilarescit: & quò magis epulatur, eò ditior cibus inualescit.* Salomon inquit Prouerb. 27. *Anima saturata calcabit fauum.* Deus autem quò magis ex Mariæ dulcissimo fauo comedit, eò auidius ad illius epulum apparatur: nunquam enim è tam dulci cibo satur excedit.

Maria Deo fauus mellis est dulcissimus ob immaculatam virginitatem. Philip.

Cum Deus semper Mariæ virtutum fauo vescatur, nunquam satur excedit. Prouerb. 27.

21. Primus Adam introductus in hortum non suum, furto quidem fructu alieno vescitur, ideoque ex horto deturbatur. Gen. 3. Vt autem homo horti cœlesti, è quo per furtum excesserat, restitueretur, Deus hominem sumpturus in Marianum hortum *suum* venit, & fructu *suo* vescitur. *Veni in hortum meum.* Pulchrè Rupertus. *Descendendo in vterum tuum*, ô Virgo, *homo factus veni in hortum meum. Quid enim non meum? Quid enim non meum? Per me enim facta sunt omnia. Et ille paradisus, de quo scriptura dicit: Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis à principio, per me plantatus est. Et tu hortus alius, hortus conclusus per me factus es. Propterea te dixi hortum meum. At non sic primus ille homo, de quo sic scriptum est: Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Non, inquam, sic ille dicere poterat. Veni in hortum meum. Non enim paradisum ipse fecerat, siue plantauerat: sed neque in paradiso ipse formatus fuerat. Ego hortum feci, & in horto natus sum; & vt aliis verbis vtar: Ego & ciuitatem condidi, & in ciuitate natus sum, sicut scriptum est: Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Psalm. 86. *Non suus paradisus erat, atque eo magis operari, & commissum custodire, illum condecebat. Quod quia non fecit, necessarium erat, vt venirem ego in hortum meum, & vltra debitum operando, ac seruiendo, corrigerem illius peccatum, qui nec operatus est debitum.* Igitur tota nostra felicitas ex eo prouenisse constat, quòd Maria semper fuit Dei hortus, nunquam alienæ obnoxius possessioni. Vt veniens Deus in hortum suum, & fructu suo vescens nostram salutem operaretur. *Messui* (addit Doctor) *myrrham meam, id est, expandi manus meas in cruce, vt saluarentur omnes mei, quos ille metendo mortem animæ suæ* (ex arboris alienæ esu) *perdidit.*

Deus veniens in hortum suum, seu in Mariæ vterum, & fructu suo vescens, Adamum, & filios cœlesti horto restituit.

Psalm. 87.

Tota nostra felicitas inde obuenit, quod Maria semper fuerit Dei hortus, nunquam alienus.

22. *Veni in hortum meum.* Deus in Mariæ vterum descendit, inibique Ecclesiam sibi duxit sponsam, cœlestium bonorum vinum nobis affatim propinauit. Maria autem pleno calice fuit potata vsque ad spiritus ebrietatem. Nec enim in his nuptiis, deficiente vino, ei datur occasio suggerendi: *Vinum non habent.* Ioan. 2. ob ineffabilem cœlestium gratiarum exundantiam. Guillelmus ad hæc. *Austro flante, hoc est, Spiritu sancto operante, ianuis clausis ingressus est locum voluptatis* Christus, *vbi factus est caput Ecclesiæ: vt essent duo in carne vna. In vtero Virginis, vt in thalamo nuptiali despondit sibi Ecclesiam, & nuptias celebrauit ibidem in multis deliciis per dies ducentos septuaginta quatuor: anima Virginis proculdubio in eisdem nuptiis solemniter accubante, & bibente vinum sanctæ iucunditatis vsque ad profundam ebrietatem. Hac nuptiali celebritate egressus est sponsus de thalamo suo, egressus est dilectus de horto suo, vestitus veste nuptiali, in qua scriptum erat: Rex Regum, & Dominus dominantium. Egressus est ianuis clausis, sicut fuerat ingressus: vt quam non deflorarat conceptus, nec partus denigraret. In egressu tunc aromata eius effluxerunt in odorem suauitatis. Ideò Angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Pondera illam particulam. *Ideò*, id est, quia Marianæ integritatis aromata suum effluxere suauitatis odorem. Deo gloria sacratur, pax hominibus promittitur. Tanti enim pretij apud Deum existit Mariæ perpetua virginitas, vt Angeli, qui Deum laudare nituntur, conscij huius diuini affectus, quasi obliti Christi Dei & hominis admirabilis natalitij, Deo gloriam ex Mariæ virginitate attribuunt, simul asserentes per eandem Deiparæ integritatem Deo tam gratam pacem veram hominibus stabiliri.

In Mariæ horto Deus nuptias cum Ecclesia celebrauit, & Virgo cœlestium gaudiorum vino potatur vsque ad ebrietatem. Guillelm.

Quia Maria peperit seruata integritate, Angeli cecinere: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.

23. Profectò *pax bonæ voluntatis*, qua per virginitatem Mariæ in conceptu & in partu, fuere homines donati, in eo sistit, quòd Dei voluntas

Maria Deum antea inimicum hominibus fratrem exposuit.

Guille'm.

voluntas auerſa ab hominibus ob eorum peccata ita ad eos conuerſa eſt, vt pro eorum ſalute naſci, ac mori decreuerit. Deſcribit ineffabile hoc ad pacem inter Deum & homines beneficium idem Guillelmus, eleganter dum adiicit: *Comedi* (inquit ſponſus) *fauum meum cum melle meo; quia in meſſione myrrhæ in Aſſumptione humanæ naturæ pro mortalium ſalute delectatus eſt ſicut in omnibus diuitiis: iucundum ſibi viſus præ omnibus deliciis. Quia præcipuæ eius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum: gratiſſimæ diuitiæ mori pro ſalute fratrum ſuorum.* Quos inimicos olim odio proſequebatur iam fratres appellat. Quam debitores ſumus Virgini, quæ Deum antea inimicum nobis fratrem enititur! *Tunc bibit vinum ſuum cum lacte ſuo, quia fecit homines viuere vita ſua: & ſic incorporauit ſibi ad vitam, quos Adam ſibi ad mortem incorporarat quoſdam comedendo, & quoſdam bibendo. Bibendo eos, qui facilius ad pietatem conuertuntur; hos enim ſine magno labore, in corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, tranſmiſit: vt Petrum, Andream, Iacobum, Ioannem, & Matthæum, qui vocantem continuò ſunt ſequuti. Comedendo verò eos: qui difficilius obtemperabant, vt Saulum, quem contra ſtimulum calcitrantem quibuſdam quaſi caſtigationis dentibus comminuit, vt manſum, & contritum in corpus ſuum traiectum de Saulo Paulum faceret. Conuerſio hæc hominum eſt lac, mel, & vinum Deo, &c. Ideò nunc Angelos & homines ad conuiuium lætitiæ inuitat, dicens: Comedite amici, & inebriamini chariſſimi.* Angelos appellat amicos, homines autem chariſſimos fratres. En pacem, quam Mariæ fœcunda virginitas inter Deum, Angelos, & homines æternum ſtabiliuit.

Quàm eo ex caritate Virgini ſumma debitores!

24. *Omnia bona, quæ Chriſtus mundo præſtitit, ex Maria ducunt originem.* Honor.

Honorius verò ſic ſententiam expoſuit: *Veni in hortum meum, carnem de te ô Virgo, aſſumendo, meſſui myrrham in carnem meam, mea paſſione Martyres colligendo, cum aromatibus meis, ſeu cum Confeſſoribus. Comedi fauum meum cum melle meo. Per fauum corpus, per mel Chriſti anima accipitur. Fauum quidem cum melle comedit, cum reſurgens corpus de Virgine ſumptum vltra non moriturus animæ annectens, reſumpſit. Lac cum vino bibit, cum aſcendens de Virgine humana carne genita homines cum Angelis ſociauit. Ad quos mox gratulabundus dicit: Comedite amici, & inebriamini. Quaſi dicat: Angeli amici mei, ſicut conuiuatores de varijs epulantur, iucundantur, & de amicorum præſentia gratulantur: ita vos congaudete, & congratulamini, quia gaudium veſtrum numeroſa hominum frequentia adauxi.* Addit pulchrè. *Inſuper noua feſta contuli, dum Matrem meam, veſtramque Reginam veſtris gaudijs induxi.* Itaque cuncta hæc gaudia Angelis & hominibus apparata ex Maria ducunt originem. Si Chriſtus in carnem ſuam Martyres & Confeſſores aſſumit, eam traxit ex *Virgine.* Si fauum cum melle comedit reſurgens, corpus ex *Virgine* ſumptum animæ annectit. Si aſcendens Angelis homines ſociauit, caro de *Virgine* genita ad eam pacem interuenit. Si denique noua feſta apparantur choris Angelicis, hiſce gaudiis quaſi neceſſariò Virgo Regina illorum inducitur.

25. *Deus peccatis Angelorum, & hominum quaſi defeſſus, venit ad hortum Mariæ, vt recreâretur.* Hailgrin.

Quid ſi Deus homo futurus Angelorum & hominum iniquitatibus quaſi defeſſus, & defatigatus venerit ad Virginem requie, & tranquillitate potiturus: quemadmodum homo, qui poſt laborioſæ occupationis moleſtias venit ad hortum vt leuamen recipiat? Hanc excogitationem ex Cardinali Hailgrino didici, qui ſic ſcripſit: *Ad ſimilitudinem hominis venientis in hortum ſuum, vt ibi iucundetur poſt labores: ſic ego*, ait Deus, *ab illis, quos mihi præſtant in iniquitatibus ſuis*, Angeli rebelles, & praui terricolæ, *veni in hortum meum, vt iucundarer in meritis, & virtutibus Mariæ. In hoc horto meſſui cum abundantia, & collegi myrrham cum aromatibus. Quæ autem ſunt hæc aromata, ipſa determinat in Eccleſiaſtico: vbi cum myrrha iungit cinnamomum, & balſamum, dicens: Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & ſicut myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* Cap. 24. *Illa myrrha electa eſt, quæ ſine vulnere amaram carnis mortificationem deſignat, quam profert anima nullo vulnere ſauciata. Talem myrrham meſſuit Dominus in B. Virgine, quæ licet peccati vulnus non haberet; ſe ipſam mortificare curauit. Et ſicut cinnamomum odorem dedit. Nam ſicut cinnamomum quantò gracilius eſt, tantò melius eſt, & odoratius, ſic ipſa gracilis, & tenuis facta per abſtinentiam, & Deo acceptior, & mundo odoratior fuit. In balſamo ſignatur odor, & opinio ſanctitatis. Ipſa vero dedit odorem balſami non corrupti, ſicut ipſa dixit in Eccleſiaſtico: Balſamum non mixtum odor meus.* Cap. 24. *Corrumpitur quidem balſamum, ſi cum lacte, vel oleo miſceatur. Similiter ſanctitas corrumpitur, cum pro oleo inanis gloriæ geritur, de quo dicit Pſalmiſta, oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Pſalm. 140. *Id eſt, mentem meam. Corrumpitur quoque ſanctitas vitæ, cum geritur pro acquirendo lacte delectationis humanæ.*

Quænam ſint hortus Mariani aromata? Eccli. 24.

Myrrha mortificationis in Maria.

Cinnamomũ abſtinentiæ in horto Deiparæ.

Sanctitatis balſamũ non mixtum in Mariæ horto reperies. Eccli. 24.

Hominis defatigati leuamen ſolet eſſe cibis membra reficere. In Mariano horto Dominus dulciſſimam refectionem inuenit. Maria enim (ſimul & Martha) illi fauum mellis contemplationis, & actionis edendum miniſtrauit. Rurſum Cardinalem audite. *In hoc quoque horto ſe dicit Dominus inueniſſe refectionis dulcedinem, dicens: Comedi fauum cum melle meo. Vbi Virginem ſibi complacuiſſe demonſtrat in duplici vita contemplatiua, & actiua. Nam mel eliquatum deſignat puræ contemplationis dulcedinem; fauus verò, qui rudem ceram repræſentat exterius, & in ſuis cellulis mel occultat, vitam ſignificat actiuam, quæ licet in operibus rudis appareat, per ſingulas operum cellulas dulcedinẽ præſtat præmiorum.* Dixerat Pater dulcedinem contemplationis in melle deſignari, actionem in cera, quæ quidem mel in cellulis continet. Vt oſtendat, Mariæ actionem haud eſſe à contemplationis dulcedine alienam. Vnde non poterat ei dicere Dominus, dum actionis opera gerebat: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima: Maria optimam partem inuenit.* Io. 10. Maria enim dum Marthæ miniſteriis incumbit, ſimul Mariæ ſororis operam dat neceſſariæ contemplationi.

26. *Inuenit Dominus in horto Mariano contemplationis, & actionis dulciſſimã membris defatigatis refectionem.* Hailgrin.

Maria opera pietati gerens, ſimul vacat contemplationi. Ioan. 10.

Nec ſolùm cibus defatigatus Dominus cibum inuenit, reperit & potum. Cum enim ſumptio cibi ſitim acuat, opportunè Maria potum ſitienti refecto ſponſo propinauit. De quo ipſe. *Bibi vinum cum lacte meo.* Quis autem ignoret lac defatigato corpori ſomnum inducere

27. *Maria potum lactis & vini Deo præparat irato, vt ei ſomnum & ſpiritualem*

ebrietatem inducat, ne puniat peccatores. inducere: vinum verò menti ebrietatem. Mari Deo contra peccatores iratum lactis, & vini præparat potum, quo & somno affectus, & spiritualiter ebriatus iracundiæ cōceptæ obliuionem inducat. Pulchrè Hailgrin *Quid autem in hac refectione Dominus biberit, ostendit, dicens: Bibi vinum cum lacte. Nam qui propter iniquitates hominum, sic erat tactus dolore cordis intrinsecus, vt æterni supplicij mundo diluuium præpararet; postquam lac bibit de Virgine, quasi vino potatus, & lætificatus corde, tanquam oblitus tristitiæ, quam induxerant mundi malitia, à suppliciis ad misericordiæ se contulit beneficia.* Hinc Deiparæ piissima vbera commendantur, quorum lac purissimum simul est vinum optimum, quo Deus potatus tristitiæ conceptæ ob hominum crimina lætitiam inducit, vt supplicia hominibus præparata in beneficia eis exhibenda conuertantur.

Hailgrin.

Mariæ vberū lac simul est vinum Deum lætificans, vt supplicium hominibus præparatum in beneficia conuertat.

28. Tanta verò abundantia Virgo Deū cibauit, tanta redundantia potum præparauit, vt ipse noluerit solus tam abundanti adesse conuiuio, sed amicos, & charissimos suos ad illius participationem inuitarit. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Vult enim vt omnes electi Mariæ piis vberibus admoneantur, vt promissam eis fœlicitatem ineant. Eleganter id Cardinalis expressit, ponderans illas particulas: *Myrrham meam, fauum meum, vinum & lac meum, &c. Christus,* inquit, *benè refectus in horto suo omnes amicos suos ad horti huius refectionem inuitat. Videri siquidem poterat, quod Dominus sibi soli appropriasset omnia, quæ delectare poterant in horto, cum nomen appropriatiuum significans singulis adiecisset, dicendo: Myrrham meam, fauum meum, vinum & lac meum, & sic de reliquis. Sed licet ipse quasdam habeat delicias speciales in Virgine, vtpotè qui eius prærogatiuas nouit, quas mens nostra non capit: nihilominus tamen vnusquisque nostrûm iuxta mensuram gratiæ, quam accepit à Domino, inuenit in B. Virgine, quid comedat, & quid bibat: inuenit, vnde pascatur, & in bono confirmetur: inuenitque, vnde inebriari valeat. Dicit ergo: ô amici, comedite, & delectamini in fructibus huius horti; bibite, & inebriamini de vino illius vineæ, quam peperit illa vitis, quæ dicit: Ego quasi vitis fructificaui.* Eccli. 24. Deus enim *vitis* vera Marianam vineam velut generauit, & peperit. Tanta autem est fructuum abundantia huius hortus, vt famem Dei infiniti, sitimque valeat exsatiare: & in ea adhuc cibi ad satietatem, ad ebrietatem vinum hominibus superfit. Premens denique verba illa: *O amici, comedite & bibite,* colligo, cum Deus cunctos inuitat amicos, ad amicorum Dei numerum minimè pertinere, qui ausi fuerunt inuitanti dicere: *Habe me excusatum.* Id est, qui Mariæ aufugiunt deuotionis obsequium litare.

Suos amicos charissimos Deus inuitat ad cōuiuium, quod ei Maria suo in horto apparauit.

Hailgrin.

Eccli. 24.

Mariæ in vīta est cibus ac potus abundantia, vt Dei famē ac sitī exsatiata, cibus & potus superfit hominibus.

Inter Dei amicos non annumerantur, qui Mariæ obsequium non præstant.

29. Profectò Dionysius Carthus. verbum illud: *Veni* non ponit in præterito, sed in imperatiuo; vt sit sensus, venire me ô Virgo precata es in hortum tuum, vt comederem pomorum meorum, & simul tuorum fructus? *Veni tu quoque in hortum meum, in paradisum cœlestem deliciosissimum contemplando gaudia ciuium supernorum: potissimè mei Filij tui post Ascensionem illicò præsidentis, & secundum vtramque naturam gloriosissimè residētis. Veni insuper in hortum meum, id est, Militantem Ecclesiam frequenter ingredere statum eius considerando, & pro ea rogando, eamque tanquam potentissima aduocata tuendo, ac adiuuando in omnibus.* Ex contemplatione enim gloriæ cœlestis fidelibus hominibus apparatæ Virgo piissima afficiebatur ad preces profundendas, vt homines ab illa fœlicitate non caderent? Quid ergò ex eius pietate non sperabimus, cum iam fœlicitate illa potitur, & in Verbi immaculato speculo nostras aspicit egestates?

Maria ex cōtemplatione gloriæ cœlestis, pro nobis exorat; quid cum iam in gloria in Verbo nostras aspicit egestates?

Carthus.

Quæsierim autem, quare Dominus dixerit: *Bibi vinum meum cum lacte meo?* Vinū quidem Eucharisticum, quo Christus fuit nocte cœnæ nouissimæ potatus, sanguis illius erat, in quo etiam corpus per concomitantiam continebatur. At vndenam lac suum vocitat purissimum liquorem, quem è Mariæ vberibus suxit? Crediderim, quia Mariæ vbera lac à Domino accipere, & solus Dominus (nunquam alius) sacra vbera suxit. Aptè Richard. de S. Laur. lib. 4. de laud. Mar. *Sola Maria lac Virgo habuit, & vocatur lac istud cœleste, non terrenum, vel carneum, propter suam excellentissimam dignitatem. Vnde canit Ecclesia: sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno. Nec de eius lacte gustauit alius, quam Filius Dei. Vnde & ipse singulariter gloriatur* Cant. 5. *dicens: Bibi vinum meum cum lacte meo, quod totum fuit meum,* & quia dedi, & quia solus suxi. Lacte materiali vberum Virginis solus Christus Dominus fuit potatus: lacte autem illius pietatis potamur cuncti fideles serui; specialissima verò dulcedine D. Bernard. quia eum ipsa specialem adoptauit in filium. 30.

Solus Christus suxit materiale vberū Mariæ lac, spirituale omnes fideles illius serui, specialissimè verò D. Bernardus.

Richard.

Hinc ineffabilem Mariæ puritatem recognouerim. Nec enim Christus illius vberibus lactari pateretur, nisi eam puritatis ipsius fontem esse cognosceret. Ait Saluian. lib. 5. de pronid. *Nutrices mores suos vel bonos, vel malos in pueros, quos alunt, cum lacte transmittunt.* An à non pura, à non sancta Virgine Christus lactaretur? Exhibet Maria Dei Filio vbera, quæ ille libentissimè premit, & sugit. Euidenter colligo à lactantis qualitate nutricis, & Matris puritatem. 31.

Ex eo quod Iesus lacte Mariæ reficitur, eius puritas colligitur.

De Mose asserunt Ioseph. Lyran & alij, prauarum mulierum vbera à labiis licèt auidis ablegasse, nec ab alia, quam proba matre lactari voluisse. Et Dei Filius pateretur, nisi à cunctarū fœminarū purissima lactari. Audi Richard. lib. 2. eadem ferè verba, quæ num. proximo dedi transcribentem, sed adiecta particula, quæ confirmat argumentum. *Sacris vberibus ministrauit lac Dei Filio Maria, quo pastus est ipse solus, nec alius inde bibit. Vnde ipse, Bibi,* inquit, *vinum meum cum lacte meo, lacte virginali. Et propter hoc ipse designatur per Moysem.* Exod. 2. *Qui nullius alterius mulieris, præterquam Matris propriæ, mammas voluerit sugere.* Ad tam sublime ministerium, vel inter mulieres puritate nitentes sola Maria pura, reliquæ velut impuræ reputandæ. 32.

Repelleret Dominus Mariæ vbera, si ipsa purissima non fuisset.

Richard.

Legi in vita B. Ruperti Abbatis, eum adhuc infantem ab impuræ mulieris vberibus se subduxisse eiulatus emittētem. Idem de Catharina Senensi Surius scribit. At Christus infans non solum nō respuit Mariæ vbera, sed auidè suxit. Ergo purissima vbera, & ipsa, quæ præbuit. Pulchrè Guarric. sic Virginem loquentem inducit: *Cum paruulum tenebam inter brachia, quoties osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat: nunquam faciem auertebat, nunquam Matrem repellebat.* Sic ille serm. de Assumpt. 33.

Nunquā Mariæ auertit faciem, sicut alij diui à Mariæ vberibus.

Guarric.

Vers. 11.

Ego dormio, & cor meum vigilat: Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

34. *Virgo in contemplatione fuit velut Angelus independens à corpore.*

EGo dormio, *& cor meum vigilat.*] Quæsierim, cur Maria non dixerit: *Ego dormio, & ego vigilo:* sed *vigilat cor meum*? Actiones quidem sunt suppositorum, & Virgo actionem vigilandi non attribuit toti supposito, seu supposito, dicens: *Ego vigilo*; sicut actionem dormiendi sibi toti attribuerat, dictitans: *Ego dormio.* Respondeo, somnus passio vtique corporea exerceri non potest, nisi in toto composito ex anima & corpore. At vigilia prout in præsenti sumitur, nempè pro rerum cœlestium contemplatione, solius animæ est propria separatæ, & à corpore independentis. Vnde Angeli in Scriptura sacra *vigiles* appellantur. Maria itaque loquitur de anima sua, proinde ac si esset Spiritus quidam Angelicus independens à corporeis imperfectionibus. Sicut ergo nomine *vigilum* Angeli intelliguntur: sic cor & anima Angelicæ Virginis eodem sit vocabulo vocitanda.

35. *Maria dormiens Christo dormienti assimilatur. Vnde colligo eius animam esse diuinitatis æmulatricem.* Matth. 8. Ambros.

Profectò hoc ex capite Maria non Angelis solum, sed & Christo Domino assimilatur. Ascendente eo in naniculam, *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nanicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat.* Mat. 8. *Ipse*, id est, totum suppositum, (seu corpus & anima Domini) somnio indulgebat. At tunc diuinitas eius vigilabat. Apposite Ambros. lib. 6. c. 8. in Luc. ait: *Christus dormiebat in naui, quiescebat corporis somno, cum intenderet diuinitatis mysterio. Exprimitur securitas potestatis; omnibus timentibus solus quiescebat intrepidus. Etsi corpus dormiebat,* vigilans *operabatur diuinitas.* An Mariæ anima vigilans, dum corpus, imò totum compositum, seu suppositum somno potitur, vigilanti Christi diuinitati assimilatur?

36. *Dormiente Maria, anima illius, qui est Christus, pro eius securitate excubias agit.* Ambros.

Premo illam D. Ambrosij particulam: *Exprimitur securitas potestatis.* Poterat-nè Maria simili securitate potiri, dum somnio indulgeret? Ita planè, quia ipsa dormiente, pro eius securitate diuinitas sponsi vigilabat. *Ego dormio,* ait, *& cor meum vigilat,* id est, anima mea pro mea securitate vigiliam agit. Asseruit Simeon Luc. 2. Iesum esse animam Matris Mariæ. *Tuam ipsius animam gladius pertransibit:* id est, animam tuam, quæ quidem est anima Domini *ipsius.* Dum itaque: *Ego dormio*, inquit, *cor*, seu anima mea, qui est Filius meus, pro mea securitate omnimoda excubias agit: vnde à cunctis incommodis spiritualibus dormio secura.

37. *Maria sibi ipsi est cinnamomum quod eam vel dormientem fecit semper nostris precibus respondere.* Nyssen.

Fatur D. Gregor. Nyssen. ad c. 4. Cant. de cinnamomo: *Si dormienti imponatur cinnamomum, nulla re impediri dormientem, quominus interrogatis respondeat.* An-non cinnamomum Maria? *Ego sicut cinnamomum.* Eccli. 24. Si Deipara ipsum cinnamomum est, quid mirum quod somnium capiens simul & vigilet? Nunquam sic dormiuit Maria, quòd non posset peccatorum *interrogatis*, id est, precibus respondere.

38. Conuenientius verò adhuc locum expendo, asserēs cum pluribus, ita Deiparam dum viueret hîc somnio indulsisse, vt corpore dormiente cor, seu anima minimè (vt nobis assolet) somnio correpta, ex Dei specialissimo priuilegio, vigilaret; vnde ab omni nocturna impugnatione secura dormiebat. Audi precor ex ore Philippi Abbatis aureo quidem: *Pulso negotio, vel negotij sollicitudine perstrepentis, inter amplexus sponsi eò auidius, quò suauius Maria obdormiscit: & in illum deficiens, defectuque proficiens, sola insensibilia concupiscit. Manens in corpore, ab iis, quæ sunt corporis aliena, curarum obliuiscens in excessum rapitur mens serena, euecta raptu placido, gaudet quidquid est inferius obliuisci: in his dormiens & quiescens, quæ præcipuè diligit adipisci. Ne verò dormitio videatur incurrere negligentiam vel torporem, & hostium insidiis præbere fiduciam, & aditum pandere laxiorem: ponit Virgo vigilem, qui excubias celebret indefessè: qui à longè præuideat, quidquid obstrepit inconcessè. Ea quippe dormiente, & in sponsi amplexus teneros resoluta, oblitáque posteriorum, & à curis temporalibus absoluta: cor ipsius vigilat, procul à somno pellens nubes phantasmatum, inanes phantasias, graues mundi strepitus, syrenarum seductibiles melodias.* Somnum itaque corporale Deiparæ aptius dixerim fuisse dulcissimum spiritualem raptum, & sui ipsius vigilem custodiam.

Maria dormiente, illius anima semper vigilabat cōtemplationi vacans, & sui ipsius custodiæ intendens. Philip.

39. *Nos Maria docet, ob omnibus sæculi abstrahi curis, cum orationi vacamus.* Rupert.

Nos Deipara edocet dormire, id est, ab omnibus curis sæculi abstrahi, dum *cor vigilat*, seu cœlestium contēplationi ac meditationi vacat. Vnde Rupert. ait, *Quid hoc est aliud: Ego dormio, & cor meum vigilat, nisi illud ipsum, quod alibi dixit habitatrix pectoris tui, sapientia Dei: in omnibus requiem quæsiui.* Eccli. 24. *Et quid sunt hæc: Ego dormio, & cor meum vigilat, & in omnibus requiem quæsiui, nisi optimam partem elegi, relictis cunctis sollicitudinibus, & curis sæculi? Et quidem filiæ multæ, seu multæ animæ taliter dormierunt, & dormire cupierunt. Sed tu ô Virgo dormitionis huius totum obtines magisterium: & vigiliarum cordis totum obtines principatum. Quid aliud nobis in* Psal. 45. *loquitur dilectus dicens: Vacate, & videte, quia ego sum Deus? Idem est, ac si diceret: Vos dormite, & cor vestrum vigilet.*

40. *Maria cunctos homines superauit in somno obliuionis omnium sollicitudinum sæcularium; & in somno corporis, cum simul anima contemplationi vacaret.* Rupert. Genes. 28.

Dormiens itaque sic, & vigilans Maria patrem suum Iacobum fuit æmulata, de quo dicitur Gen. 28. dormiisse quidē eo somno indulgens, qui vigilia aptiùs poterat appellari. Ruperti ex calamo percipe. *Intelligimus ergò, quid dicas, ô Virgo, cum inquis: Ego dormio, & cor meum vigilat; quia talem nobis, vt sequamur, vitam tuam esse insinuas, qualis in patre tuo Iacob quasi per vmbram significata est. Qui & ipse, quando dormiuit, tunc cor eius vigilauit, sicut scriptum est. Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Multarū animarum fuit, & est, non solum secundū illam similitudinem otio sancto dormire, id est, à terrenis curis vacare, & in cœlestibus per contemplationem corde vigilare: veruntamen eodem modo (quo & Iacob tunc dormiuit) secundùm corpus dormire, & secundum animam per somnium cœlestia videre. Sed ô tu scalam Dei, vnica sedes Domini, in*

vtroque

vtroque vigilandi modo cunctis hominibus longè eminentior extitisti. Longè studiosior ad contemplandum eum, in quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti. Quid tu loqui, vel conuersari cum mortalibus, vel Apostolis? Cur non potiùs tanquam turtur castissima, turtur solivaga, solitudinem expetisti remotior quam Ioannes Baptista, secretior, quam Elias; vt soli te scirent, tibique famularentur Angeli sancti? Certè quia in mediis vrbibus Apostolis, & fidelibus comitata, inter hominum turbas contemplationis somno indulgebas, tibi ad hoc exercitamentum vbique præparans *solitudines.* Sic dormiens, ô Virgo vigilabas, sic degebas. *Donec completis* (Abbas adiicit) *tuis diebus, ad transferendam te in æthereum cœlum, non vnus tantum currus igneus, sed totus cum Rege Filio tuo veniret, atque occurreret Angelorum exercitus.*

Maria in mediis ciuitatibus, in medijs turbis ad contemplationem sibi parabat solitudines.

41\. Vel quidem *dormio*, inquit Virgo, contemplationis exercitamento vacans: & simul cor meum ad hominum necessitates leuandas vigilat. Quod expressit Hailgrinus hisce verbis: *Ego à curis huius sæculi quieta dormio in sinu dilecti mei, in Dei contemplatione; sed quia amore langueo, per amorem proximi cor meum vigilat ad opera charitatis.* Nec enim verè Deum amat, nec eius pietatis in contemplatione vim perpendit, qui ex meditatione illius velocior non surgit, vt egenti proximo succurrat.

Dum contemplationi dat Maria mentē, opus ad nostras egestates impendit. Hailgrin.

42\. Nec incongruè per illam particulam, *ego dormio*, mors Deiparæ designatur: & addens è superis ipsa: *Et cor meum vigilat*, promittit viatoribus suam semper viuentem protectionem, indicans ipsius animum semper esse intentum ad eorum vtilia commoda procuranda. Aptè Hailgrin. *Potest tamen quod dicit: & cor meum vigilat, ad illam sollicitudinem referri, quam nunc etiam gerit Virgo pro Ecclesia. Nam licet in seipsa dormiat, & requiescat, pro nobis tamen est piè sollicita in precibus ad Filium, & in defensionibus contra inimicum.*

Dum Maria in cœlo dulcissimo gloriæ somno fruitur, promittit hominibus protectionem. Hailgrin.

43\. Ad hæc D. Amedæus homil. 4. eleganter describit continuam Deiparæ hîc degentis à sensibus, & corporeis egestatibus abstractionem, vt dulcissimo contemplationis somno potiretur. *Sæpè*, ait, *vt credimus, oblita esus, ac potus, spretáque carnali necessitate, noctes insomnes agebat, vt Christum mente cogitaret, Christum carne videret, cuius ardebat desiderio: cuius flagrabat obsequio. Sæpè agebat, quod in Cantico Canticorum scriptum est: Ego dormio, & cor meum vigilat. Carne quippè dormiens, animo vigilabat nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat: & vigilans in eisdem se inueniebat: & artus sopori concedens, in pace in id ipsum dormiens quiescebat. Vbi erat thesaurus eius, ibi & cor: vbi gloria, ibi & conscientia.*

Abstractio Mariæ à cunctis sensuum curis, vt hic dulcissimo contemplationis somno vacaret. Amedæ.

44\. Quatuor Ezechieli obiectis animalibus Deipara à Guillelmo, & aliis comparatur. Quia videt vt Aquila? fortis est vt bos? humanitatem exhibet vt homo? Certè speciatim, quia instar leonis, etiam cum dormiebat, apertos ostentabat oculos: hoc est, dormiebat corpore, sed corde ad succurrendum hominibus vigilabat. Pulchrè ait German. serm. de dormit. Virg. *Etsi corpus tuum dormiat, cor tamen tuum vigilat: & quamvis ineuitabilem mortis necessitatem humana conditione acceperis, non dormitabit, neque dormiet custodiens nos oculus tuus.*

Maria quatuor Ezechielis animantibus similis leonem refert, quia apertis oculis dormit, nostras prospiciens necessitates. German.

An hac proprietate Deo leoni Iuda leo Maria assimilatur? De leone Deo cecinit David: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Psal. 120. Maria ergò leoni Dei, qui dulcissimo gloriæ somno indulgens oculos habet apertos, vt Israëlitas custodiat, se æmulatricem gerit, dum gloriæ capiens somninm, simul apertis oculis nostræ custodiæ vigil incumbit. *Non dormitabit custodiens nos oculus tuus.* 45.

In hoc se leoni Iuda Deo similem ostendit. Psal. 120.

Profectò Deipara, par quodammodo beatis semper mentem in Deum dirigebat. Mihi semper arrisit eorum Doctorum sententia assentium, Mariam amoris actum, quem in primo Immaculatæ Conceptionis instanti inchoauerat, nunquam interrupisse. Vnde affirmare, ei hærens placito, teneor, in perpetua cœlestium rerum contemplatione Virginem extitisse adeò, vt nunquam ita occupata fuerit, aut somno correpta, quin mentem in Deum dirigeret, Deum cogitaret, in hoc quæ par beatis obiiceretur. Richard. de S. Laurent. lib. 4. *Maria virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est. Vnde de ea dictum est* Sap. 18. *Cœlum attingebat stans in terra.* Dormiebat itaque, non solùm quia à terrenis curis soluta altissimæ contemplationi vacabat, vt nunquam aliena cogitatione à diuina contemplatione distraheretur; sed etiam quia nec corporis somnus eius meditationem intersecaret, aut obtutum in Deum impediret. D. Ambros. lib. 2. de Virg. *Cum quiesceret Mariæ corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat.* Ergo si in somno continuat, quæ somnus assolet in hominibus interrumpere: sequitur Mariam, quæ vigilans contemplationi semper vacabat: eam & dum dormiret, gessisse occupationem, actu illo diuini amoris à puncto Conceptionis elicito, ad obitum vsque continuato, continuando equidem in æternum. 46.

Maria semper dum viueret, mentem in Deum dirigebat, par beatis. Richard. Sap 18. *Corporis somnus nūquam mentem Mariæ à contemplatione separabat.* Ambrof.

Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi sponsa mea, amica mea, immaculata mea.] Non pulsat Dominus ad Mariæ ianuam, vt ingrediatur, & sit vbi non erat; nunquam enim à Maria vera Dei domo sponsus cœlestis absuerat; sed vt eam excellentissimo nouo modo domum suam iniret. Si enim pulsat, & clamat vt dilectus, & eam vocat amicam: iam intus aderat per gratiam, iam necessariò intus commorabatur. Pulsat igitur, vt aditum sortiatur ad illam excellentiore modo, quam antea. D. Hieronym. Epist. 10. *Dominus tecum, inquit Angelus ad Virginem. Mira res, iam cum Virgine erat, qui ad Virginem mittebat Angelum.* Cum autem (vt ex Patrum sententia videbimus) hîc Incarnationis mysterium exponatur, petit sponsus ianuam aperiri, seu voluntatis consensum Virginis reserari, vt qui iam intus aderat, quasi de nouo ineffabili gratiarum auctario ingrederetur. 47.

Deus qui in Maria iam per gratiam aderat, ad eam quasi de nouo ineffabili gratiarū auctario ingreditur Incarnationis die. Hieronym.

Verba, quæ Virgo auribus percipit, sunt Angeli Gabrielis procurantis illius ad Incarnationis opus assensum. Cur ergo Maria clamat, *Vox dilecti mei pulsantis?* Certè quia sponsus per suum legatū loquebatur. Guillelm. *Sanè tunc pulsabat Deus per Angelum, cœlestis sponsus per cœlestem paranymphū. Erat in voce paranymphi annunciantis vox sponsi pulsantis.* Et quidem 48.

Dum Angelus Mariæ loquitur, vocem Dei illa audit, quia Angeli Dei vox appellantur. Guillelm.

Varia Angelorũ nomina pro miniſteriorum varietate. appoſitè Angelus Dei *vox* appellatur. Angeli enim prout diuerſis muneribus fungi aſſolent diuerſa vocabula ſortiuntur. Quatenus Deo ſemper aſſiſtunt *lucernæ* dicuntur *ante Dei thronum ardentes.* Quatenus Deus per eos noſtras preces exaudit, *Dei aures* appellantur. Quatenus ad auxilium hominum armati, veloces quæ accurrunt, *Equites, equitatus Dei, caſtra Dei, Dei pedes* nominantur. *Oculi* autem, *& vigiles,* cum per illorum miniſterium Deus humanis prouidet indigentiis. *Columnæ Dei,* quia in bono ſunt ſemper ſtabiles. Quid igitur mirum, Gabrielem, qui Verbi incarnandi negotia gerebat, *Dei vocem* à Virgine appellari?

49. *Maria ob votum virginitatis porta erat clauſa vel ipſi Principi Deo.* *Aperi mihi.* Profectò Maria porta erat clauſa per virginitatis votum, quod prima emiſit, vel ipſi Principi Deo homini futuro. Verè clauſa erat ipſi Deo, quæ à Gabriële eius nuncio requiſita, vt incarnando Verbo aſſenſum exhiberet, Deique Mater fieret, reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco.* Luc. 1. (Luc. 1.) Ac ſi, Authore Bernardo, Maternitati Dei nuncium remitteret, ſi Mater futura erat virginitatis læſione. Vnde Angelus, *Spiritus*, ait, *ſanctus ſuperueniet in te.* Ac ſi diceret, hoc opus Spiritus ſancti erit, qui clauſæ portæ nouas ſeras adamantinas quidem adiiciet. Ad hæc Guillelmus ipſum ſponſum (Guillelm.) loquentem inducit: *Aperi mihi, inquit Deus, oſtium fidei tuæ: nam oſtia carnis tuæ perpetuò clauſa manebunt. Clauſis oſtiis carnis, per fidei oſtium ingrediar in hortum meum. Aperi ô terra virginea, & germina Saluatorem.* (*Non aperiret portam conſenſus Maria, niſi indemni virginitatis voto.*) Conſenſum itaque exhibuit, dum aperta fidei porta, credidit, myſterium illius indemni integritate, gerendum.

50. *Annunciationis inſtantia Maria, & vocem Dei: & manum ipſius operatricem gratiarũ audit, & experitur.* Annotarim hic mentionem fieri, & voce loquentis, & manu pulſantis. Vt innuatur, in Maria tunc vocem, & manum Dei ſuam admirabilem vim exercuiſſe. In ſalutatione Mariæ ad Eliſabeth duo contemplor, & vocem ſalutationis in auribus illius, & Dei manum Ioannem ſanctificantem. *Etenim manus Dei erat cum illo.* Luc. 1. (Luc. 1.) Haud aliter mox ac auribus Mariæ inſonuit per Angelum dilecti vox, ſimul Dei manum munificentiſſimam ſeſe in gratiarum collatione præſtitit. Ideò Angelus inclamat, *Aue gratia plena, Dominus tecum, tu in mulieribus* ſpecialiſſimè *benedicta.*

51. *Deus non requiſiuit Adami aſſenſum ad Euæ formationem, requiſiuit à Virgine ad Incarnationem Verbi, vt ex Mariæ voluntate quodammodo mundi ſalutem pendere videretur.* *Aperi mihi.* Quæſierim, cur Deus ex Adamo dormiente, & ab ipſo conſenſu minimè expetito Euam formauerit: vt autem Chriſtus conciperetur, conſenſum à Virgine poſtulารit. *Aperi mihi?* An-non poterat Dominus myſterium hoc haud aſſentiente Maria operari? Poterat quidem, ſed in magnam Virginis gloriam eius aſſenſum expectauit. Pulchrè Guillelmus: (Guillelm.) *Tulit Dominus de dormiente Adam coſtam, ex qua Euam formauit. Non ſtetit ad oſtium eius, & pulſauit: conſenſum, & cooperationem eius minimè flagitauit: noluit, conſcium eſſe occultæ operationis ſuæ. Potuit etiam Incarnationis myſterium, Maria neſciente, celebrare, nec ſentiente, nec conſentiente, nec carnem dante voluntariè, ſicut ſumpſit de Adam, vnde formauit Euam. Sed maluit ſumere non tantum dè ipſa; ſed ab ipſa ſciente, ſentiente, & conſentiente, & offerente: ad cumulum maternæ gloriæ.* Et quinam tunc fuit maternæ gloriæ cumulus? An-non vt ex illius conſenſu illius myſterij ineffabilis operatio, & hominum redemptio penderet? Ita Abbas. *Poterat dilectus, non aperiente ſponſa, introire in virginalem vterum; ſed ad maiorem Matris gloriam, quam maluit ſponte, & hilariter aperire, ſtetit ad oſtium, & pulſauit.* Stetit ſcilicet, expectans Virginis conſenſum, è quo voluit, *ad maiorem Matris ſuæ gloriam,* illud opus admirabile ad mundi redemptionem pendere. Addiderim, quia cum Virgine Adamum ineffabilibus incrementis ſuperante, nobiliori modo ſeſe Deus gerebat; ſeruus enim erat Adam, Maria verò Domina omnium creaturarum erat à Deo conſtituta. (*Digniter admodum, quam Adã Maria, digniori modo à Deo tractanda erat.*)

Sponſa mea, Amica mea, Immaculata mea, aperi mihi. 52. (*Deus Mariã nũquam hic, & in Euangelio appellauit Matrẽ, vt ex virtutibus, non ex Maternitate commendaretur.*) Video in hoc Epithalamio Mariam decies *amicam* vocari, ſexies *ſororem,* quinquies *ſponſam, Matrem* autem nunquam. Non mirarer, Deum hoc *Matris* vocabulo non vti, quando in Cantico hoc per vmbram de Virgine loquitur; niſi viderem in Euangelio, à Deo iam homine facto nunquam *Matris* vocabulum vſurpari. In Chana nuptiis: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Ioan. 2. E cruce pendens: *Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 21. Cur ita? Profectò ne intelligeremus, Mariæ gloriam ſolummodo in propinquitate conſtitiſſe. Eius enim dignitas ex virtutibus, naturæ propinquitatem longè admodum ſuperauit. Ideò Dominus cum pia illa fœmina elata voce inclamitauit. *Beatus venter, qui te portauit?* reſpondit: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Luc. 11. (Luc. 11.) vbi Chryſoſt. (Chryſoſt. Beda.) *Non eſt reſponſio repudiantis Matrem: ſed oſtendentis, quòd nihil ei partus profuiſſet, niſi fidelis fuiſſet.* Et Beda, *Dei genitrix inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra temporalis; ſed inde multo beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna.* Aptè quidem, ſed aptiùs fortè crediderim, Chriſtum, dum viueret, ab appellatione *Matris* vocabuli abſtinuiſſe, quia adeò apud ipſum venerabile erat, vt non niſi externa etiam reuerentia expoſita pronunciari deberet. (*Non vocat Chriſtus Mariam Matrẽ, ne cogeretur ſpecialẽ reuerentiam externam etiam exponere.*) Quæ quidem viſibilis reuerentiæ oſtentatio à Mariæ humilitate reſpueretur, & à modo vulgari, ac ſimplici, quo Dominus inter homines verſabatur, aliquatenus videbatur aliena.

Soror mea, Amica mea, Columba mea, Immaculata mea. 53. (*Maria ad quadrum perfecta dicitur.*) Quater ſponſus Mariam vocitat *meam*, vt omni modo poſſibili ſuam eſſe oſtenderet: &, (preſſius dicam) vt ad *quadrum* perfectam eſſe declararet. Maria Dei domus eſt ex omni latere, *Conceptione, Natiuitate, Vita, Morte.* In Conceptione, Deus ait: *Soror mea* gemella per gratiam. In Natiuitate *Amica mea* per Spiritus ſancti ei noua munera addita. Dum viueret, fuit *Columba mea* per morum ſynceritatem. In *morte* denique extitit *Immaculata mea*, poſt tot enim annos tranſactos nullam in ea vel linceis oculis maculam inuenit. Cap. 6. quater ſponſus (Cant. 6.) clamitat: *Reuertere, reuertere, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Ex quatuor lateribus domum Marianam inſpicit Deus, vt aduertat, an aliquo eorum eam non ſuam deprehenderit: & poſt periculum accuratè factum, concludit: Ex quocumque Mariam Dei domum latere inſpicio, eam ſemper *meam* fuiſſe reperio.

An-non

54. *Maria est cœlestis illa ciuitas in quadro perfectionis ædificata.* Apoc. 21. Guillelm.

An-non hæc est domus illa, seu ciuitas, quam Ioannes vidit è superis descendentem? Apoc. 21. Certè ciuitas illa *in quadro posita* obiiciebatur. Hic cœlum empyreum designari quadratum quidem, vt cœlestis beatitudinis stabilitas designetur, multorum est sententia. Maria igitur augustius cœlum *in quadro* stabilitur, vt innuatur, nullum in ea vnquam repertum fuisse, aut futurum fore gratiæ defectum. Acutè Guillelmus hanc quadratam Virginis perfectionem in Angelica salutatione meditatur. *Non aliud*, ait, *dicebatur in Canticis, quàm quod hìc dicitur, sororem designauit, quod vtique est per gratiam adoptionis, cum dixit, Gratia plena. Amicam, cum dixit. Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; talis enim fuit *per amoris prærogatiuam. Columbam, cum in prænuntiatione futuræ fœcunditatis dictum est ei: Ecce concipies in vtero, & paries Filium fœcundata à superueniente Spiritu sancto; vt sis vnici pulli Mater. Et idcirco immaculatam designauit. virginitate perpetua. Sic enim in Angeli verbis pulsauit sponsus.* Et sic in *quadro*, seu in omnimoda perfectione positam se Mariа cœlestem Ierosolymam ostendit.

55. *Ideò Maria immaculata, quia in nullo corrupta.* Hieron.

Immaculata mea. Fœcundus quidem est Patrum, & Doctorum discursus, in hoc epitheto Virgini aptando. D. Hieronymus tom. 4. Epist. 10. *Ideò immaculata Maria, quia in nullo corrupta.* Nam si vllam vel minimam corruptionis particulam Deiparæ animus incurrisset, haud verè immaculata appellaretur.

56. *Christus impollutus ex Maria impolluta.* Thaumat.

D. Gregorius Thaumatur. Orat. de Annunc. *Cum speciosa* Matre *speciosus* Filius *præ filiis hominum. Cum impolluta*, seu immaculata *ille qui sanctificat omnia. Aue flos immaculatus.* Ac si, vt Christum florem immaculatum sine cunctatione appellaret, necessarium fuisset præmittere ex Maria impolluta & immaculata ortum dixisse. Qualis enim arbor, talis assolet germinari fructus. Impollutam itaque Mariam Doctor appellat, quia Paulus impollutum, & immaculatum Christum vocitauit. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus. Hebr. 7.*

Hebr. 7.

57. *Maria columba à cæno communis diluuij aufugiens.* Isich.

Isichius Ierosolymit. orat. 2. *Maria est columba immaculata.* Ad columbam Noëmiticam alludens, quæ à cæno, & cadaueribus post commune diluuium aufugiens, minimè maculam vllam contraxit.

58. *Superlatiui superlatiuo vtendum est, ad explicandam animæ Mariæ puritatem.*

O quàm libera à sanguinibus seu piaculis illa, è cuius sanguinibus Christus corpus suscepit! Damasc.

D. Damascenus orat. 2. de Nat. Mar. carnem Mariæ immaculatissimam appellat, asserens Christum fructum esse *immaculatissimæ carnis suæ.* Si explicat carnis puritatem vsus superlatiuo, *Immaculatissimæ*, vt ostenderet animi munditiem, quis dubitat, Patrem superlatiuo superlatiui vsurum fuisse? Subdit. *Vestem, hoc est, carnem nostram Deus induit ex immaculatis ac virgineis sanguinibus tinctam.* Vt Regia Christi puritas appareret Regio Mariæ immaculato sangüine purpurata. Idem orat. de dormit. Mar. *Cuius primitiai ex purissimis, ac illibatis, & prorsus immaculatis sancta Virginis sanguinibus suscipis.* O quàm à sanguinibus, seu piaculis libera, cuius tam purissimis, tam illibatis, tam immaculatis sanguinibus corpus constituitur! Vt quid tanta inergia ad explicandam corporis Mariæ puritatem, vtetur, si aliquam suspicaretur inesse, aut in fuisse animo impuritatem?

Audi Odonis Cameracen. pulchram sanè sententiam in expos. Canonis Missæ. *Hostiam immaculatam, id est, sine omni macula culpa, vtpotè concepta, & nata sine peccato de pura Matre ab omni macula. Ab immaculata ergo sumpta est hæc hostia, ideò omnino ipsa immaculata.* Quasi euidenter puritas hostiæ, siue Christi ex puritate Virginis immaculatæ farinæ colligatur. Subdit autem. *Ex hoc loco admonemur, quod panis appositus altari debet esse candidissimus, & in quo nulla possit inspici macula.* Nam sicut ex hostia minus pura macula impuritatis in farina, ex qua confecta erat, argueretur, & ex hostiæ omnimoda puritate puritas farinæ omnimoda arguitur, haud aliter ex immaculatæ pane Christo, immaculatam omninò esse farinam, seu Matrem colligeremus. Doctus quidam concionator, cuius auctoritas apud me, & alios æstimatur, è suggestu asseruit ex graui alio Auctore, quod apposita altari quædam hostia consecranda, miraculosè dispatuit, quia in ea cinifex apparuit, qui fortè in farina ceciderat, ne in eiusmodi infecta massa Christi corpus conficeretur. Quod volumine altero de immaculata Mariæ conceptione ponderandum redibit.

59. *Puritas hostiæ Eucharisticæ ex immaculata farina Mariæ colligitur.* Odo Camer.

In huius puritatis Mariæ documentum, monemur vt hostia Eucharistica fiat ex farina, in qua nulla macula adsit.

Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.] Ros hìc, ac noctium guttæ Patribus sunt lachrymæ suspiria, ac preces sanctorum, aut in limbo existentium, aut adhuc in hac lachymarum valle habitantium, qui diuini Verbi Incarnationem maturari expetebant. Hinc illud Isaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et illud Zachariæ Ioannis Baptistæ parentis. *Illuminare iis, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Luc. 1. Dicit itaque sponsus ad Mariam, Age, Virgo immaculata, nè moreris assensum exhibere petitum, vt tandem tuis in visceribus induas humanitate. En ros, & guttæ hominum lachrymantium in tenebris ob Redemptoris aduentum quasi exundantes desideriorum meorum comam madefaciunt. Vel aptius in capillis Domini iusti designantur, qui tunc in sinu Abrahæ, vel in sæculo aderant. Hi capilli Dei capiti hærentes madefacti lachrymis ostenduntur precantes Redemptoris aduentum. Guillelmus appositè. *Prædestinati* (Dominus ait) *adhuc mihi tanquam proprio capiti, tanquam capilli per charitatem adhærent. Sed nullo redimente, & saluos faciente, torpent adhuc in frigore* (seu nocte) *peccatorum. Et illi, qui mihi olim per iustitiam, dum viuerent in terris, adhæserunt nullo adhuc ianua Regni cœlorum aperiente, lachrymosis apud inferos suspirijs inadidantur. Ego plenus sum misericordia, & electi mei pleni sunt miseria.* Eia igitur, aperi dilecta Redemptori, miserere plorantibus; & dum me vides misericordia plenum, illosque plenos miseria; mei æmulatrix, hosce tuos misericordes oculos ad illos conuerte illo expetito: *Fiat mihi secundum verbum tuum.*

60. *Cuncti homines profusis lachrymis ad Mariam accurrimus, per eam salutem recepturi.* Isai. 9. Luc. 1.

Guillelm.

Pulsat sponsus, instat, vt ei ostium aperiatur, sed clausum gaudet inuenire. Opportunè Philippus Abbas inquit: *Ipse quoque sponsus, cum ad idem ostium vult venire, clausum*

61. *Sanctos Maria edocet, à claustro ad ministeria, vbi*

sum

Sacrâ non prodire nisi pulsante ad ostium cælesti præceptore. Philip.

sum potiùs, quam apertum inuenire diligit, eiusdemque tam tenax, tam insolubile signaculum experiri, vt nunquam prorsus nouerit, nisi cum ipse pulsauerit, aperiri. Mens enim sancta intra spiritualem sese cohibens officinam, sic studium contemplandi, sic amplecti debet otij, vel silentij disciplinam: vt non sibi claustrum aperiat, non prorumpat ad officium prædicantis, nisi pulsata fuerit, & imperantis vocem hauserit. Ideo Virgo dormiens, & somno delectabili delinita, claustro gaudens coërceri, tanquam maculis mollioribus irretita, non solùm non cuivis, sed neque sponso festinat aperire, nisi cum tandem pulsata præcipitur, & præcepto cogitur obedire. Quæ nimirum præceptorem, vt præcipiat non reposcit; sed pulsantis vocem vel tenuem citiùs recognoscit, & sicut ad aperiendum non audit, vel exaudit qualibet monita deceptoris: sic aurem non obturat, cum vox insonat præceptoris.

62\. *Maria post orationis studium ad proximorum ministeria prodis instruens concionatores: vt oratione præmissa ad eadem præparentur.* Philip.

Cum autem Maria futura esset Apostolorum, omnisque Ecclesiæ Magistra, eam, (nosque in ea) Deus instruit, quonammodò ad spiritnale id Magisterium præparandus sit animus: scilicet, minimè ad ministeria procedendum, nisi post meditationis, seu orationis exercitamentum, quo præmisso, vtiliter lingua diffundit, quem spiritus rorem à cœlo recepit. Eleganter id Philippus persequitur. *Aperi mihi. Tu, quæ prædoni maleuolo mentis cubiculum obfirmasti, quæ claustrum virgineum, quæ custodiam vigilem aduersus quæque confirmasti: mihi non tumido, sed cupido tui, tuorumque profectus, & corona, laxa fores, paulisper otium, vel silentium iam sepone. Surge, vigila, meam pulsantis salubriùs vocem audi: excute poste seram, mihi quippè nihil penitùs debet claudi. Verùm cum adsto, & pulso diligentius ad clausuram; cum vox mea insonat, & dari sibi postulat aperturam: non est consilij, sub vmbra silentij diutiùs te latere; sed stare ad mandatum, & ei subditam te præbere. Aperi ergo mihi, somni dulcedine paululum intermissa, non proiecta; vt quod in cubiculo percepisti, prædices super tecta.* Hinc docentur qui proximorum ministerio incumbunt, ad id non prodire debere, nisi prius orationis exercitamento præparentur.

63\. *Maria à Deo appellatur* Soror, & Amica, *quia* columba, *est*, & Immaculata. Philip.

Soror autem, & *amica* Maria à Deo appellatur, quia *columba* syncera, & omninò *immaculata* diuinis oculis præsentatur. Rursum audi Philippum. *Denique non est, cur debeat claudere soror fratri* ostium, *qui hæredes, imo etiam cohæredes vnà militant summo Patri: quos carnis cognatio, quos coniungit præpotens vis naturæ, quos amor vnus, vna concordia iusto iure reddit vnanimes. Sicut igitur claudis & rectè claudis ostium vecte sollicitudinis inimico, sic amica detrahe vectem, seram excute fratri, pariter & amico.* Vndenam autem duplici hoc *Sororis*, & *Amicæ* honorificentissimo titulo ornetur, explicat adiiciens: *Quia soror, & amica facta es animi diligentia, vinculo charitatis, custos fida secretorum. Et quia non sicut pauo cæca oculorum gaudes pulchritudine, vel tumescis, sed mea irradiante gratia innocentiæ spiritu mansuescis, vnde rectè diceris columba spe futurorum hilaris, eisdem nondum præsentibus, gemibunda. Et quia in his, & aliis meo satis munere circumspecta Immaculata iustè diceris, & perfecta, tota pulchra adeo, vt macula non sit in te. Tu igitur, quæ huiusmodi nominibus, imo ipsa re nominis insigniris, quæ in eorum largitate munerum me tam propitium experiris, vocem pulsantis audi, aperi fores clausas, & ne putes otiosam pulsantis instantiam causas vide.*

Quænam quæsierim, causæ Deum alliciunt, vt tam valida instantia homo futurus postulet voluntatis seu consensus Virginis ostium aperiri? Profectò præter ipsius Dei gloriam vnica causa fuit hominum salus, quàm volebat nos per Mariæ Magisterium obtinere. In cuius explicationem ex Philippi mente. *Caput Christi Deus est, ros vero, quem nox terra gelida superfundit, infidelium frigus est, & subtilis malitia perfidorum, qua tenentur Nationes, & friget iniquitas Iudæorum. Quidem Christum hominem & Deum esse, Deique Filium non intelligunt, non fatentur: quid nisi caput eius grauare, & offendere non verentur. Cincinni, capillorum globi, siue congeries appellantur, qui capiti radicitus inhærentes, foris quodam propinquitatis fœdere sociantur. Qui dum locum singuli seruant debitum, vel tenorem, ipsi præbent capiti tegumentum, vel honorem. Per quos, vt video, sancti non incongruè designantur, qui ad fidem de diuersis vel locis, vel Nationibus conuocantur, quos eiusdem firmitas fidei facit capiti tenaciùs inhærere, & fraterna foris propinquitas, instar apum sibi inuicem cohærere.* Itaque Deus, qui caput est Christi & prauis hominibus pergrauatur, & honoratur probis. Vt vero & conuertantur praui à sua iniquitate, & probi sua in iustitia conseruentur. Deus ad Mariæ ostium pulsator accedit, eique suadet, vt quæ de Christo Filio arcana nouit, iniquis reuelet, vt ad fidem adducat, & iustis frequenter aperiat, vt in accepta fide probis expressis moribus persistant, Deus enim vult cuncta hominibus dona per Deiparæ manus elargiri. Bellè adiicit Abbas *Vt igitur contra hostes, & hostium grauamina cincinni fidelium muniantur, & non vel ignorantia, vel consensu voluntario nequiter opprimantur: monet sponsus Virginem, vt eis aperiat ianuam secretorum; & noua edisserens, mentes instruat proximorum.* Queis monitis improbi resipiscant, & probi in sanctitate confirmentur.

64\. *Deus monet Mariam, vt Magisterio suo impios reducat, & iustos in fide, & pietate confirmet.* Philip.

Deus vult, cuncta bona per Mariæ manus hominibus elargiri. Philip.

Equidem dum audio Christum Dominum tam anxiè postulare à Virgine, vt ei ostium aperiat: eum contemplor nimis defatigatum, & non habentem vbi caput reclinet in terra, nisi ad Mariæ domum diuertat. Mentem hanc ex Ruperto concepi profante: *Dilectus meus* (ait Virgo) *foris est, & quasi sub dio est, tectum non habet, domum non habet. Inquit* Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Domum ergo non habens suam, & nondum adeptus alienam, id est, à Iudæis repulsus, & Gentibus nondum cognitus, quodammodo stans foris, & pulsans, rogat intus suscipi. Et hæc vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, &c. Soror per fidem, amica per spem, columba per charitatem, immaculata per omnimodam corporis, & animæ incorruptionem: Videlicet quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Extraneus quippè factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ: & sicut is, qui foris est,*

65\. *Christus non habens vbi caput reclinet, ad vnicam Mariæ domum recipiendus diuertit.* Rupert. Matth 8.

& tectum non habet, meum caput plenum est rore: aperi igitur. Verùm Maria non solùm Christo domum, vbi requiesceret tutus exhibuit, sed suis precibus, & intercessione obtinuit à Patre, vt innumeræ domus eius requiei præpararentur. *Aperi igitur* (addit ille ex Christi ore) *os tuum*, ad preces profundendas, *& facito, vt in quibuscumque locum habeam, ibi reclinem caput meum.* Vtinam ô Virgo tuarum precum vi cuncti peccatores dilectissimo Filio tuo placidam in corde domum præparemus.

Per Mariæ preces innumerabiles domus ab hominibus Christo præparantur. Rupert.

66. Quid si in rore illo, quo suam perfundi comam sponsus asserit, signentur cuncta cœlestia dona, quæ Christus gestit dilectissimæ Matri suæ communicare? Audi Dionys. Catthus. *Aperi mihi soror mea charissima, amica mea familiarissima, fidelissima columba mea pudicissima, & simplicissima immaculata mea, quæ nec minima culpæ maculam incurristi. Quia caput meum plenum est rore, id est, omni cœlesti benedictione, ac omni diuino charismate. Ideò de vniuersa plenitudine gratiæ, & gloriæ mea paratissimus sum tibi præ omnibus liberalissimè & affectuosissimè communicare.* Addit Doctor. *Hoc modo sponsus cœlestis omni hora pulsauit ad ianuam purissimæ mentis suæ virgineæ præcordialissimæ genitricis: eandem ad indesinentem in omni sapientia, & virtute profectum excitando.* Si omni hora accedebat, & pulsabat sponsus, Matri cœlestes thesauros gratiarum & charismatum communicando: parum dixerim, si Mariam gratiarum abyssum vocitaro.

Christus Mariæ offert, & communicat cunctarum gratiarũ cœlestium ineffabilem vbertatem. Catthus.

Per horas singulas Christus Mariæ gratiarum celestium thesauros communicauit ô quam diues illa euasit! Carthus.

67. Pulcher admodum est Rabi Salomonis commentarius horum verborum. *Caput meum plenum est rore, &c. Ego plenus sum, & venio ad te plenus affectu*, ô Virgo; *spiritus Abrahami patris tui, eiusque opera habui perinde grata, atque rorem. En me, qui ad te venio onustus benedictionibus, & donis ad rependendum opera tua.* Ac si diceret: Ego qui opera Abrahæ, quæ mihi fuere velut stilla roris vbertim rependi, venio ad rependendum opera tua plenus, imò *onustus benedictionibus, donis*, gratiis, charismatibus. Quia in te contemplor meritorum abyssum. An egregia quidem Abrahæ gesta stillæ minimæ comparantur? An-non meritò fontis, imò fluminis vocabulo signari debuissent? Profectò in Mariæ conspectu angusta quæque sanctitatis perfectio instar guttulæ, instar stillæ reputatur.

Deus venit ad Mariam onustus gratiis, vt eius opera rependat. Rab. Salom.

In conspectu sanctitatis Mariæ angusta quæque sanctitas velut guttula reputatur.

68. Dauid Aben-Esra apud Genebrardum verbum Hebræum *Dophech*, quod Latino *Pulsantis* respondet, sic legit, & exponit: *Vox dilecti mei arctantis ostium, seu arctantis se ad ostium.* Quasi diceret Maria. Ita pulsat dilectus per vocem Archangeli, vt ad Incarnationem assensum præbeam, vt simul me securam reddas, quod nec in ingressu, nec in egressu ostium aperietur: imò amplius arctabitur adeò, vt in conceptu, & in partu magis quodammodo possim illibata, ac intemerata appellari. Item *vox dilecti mei arctantis se ad ostium.* Tam ardenti affectu Deus expetit in tabernaculo meo requiescere, vt ingressurus suam immensam maiestatem arctet ad ostium: & in vtero meo fit: *Verbum abbreuiatum*: & fœmina valeam virum Deum *circumdare.*

Maria post partum magis illibata. Aben-Esra.

Se quasi arctat Deus immensus, vt eum Maria excipere valeat.

Lucas Abbas ait, *Cincinni capitis Dominici Angeli sunt.* Ac si diceret sponsus. Aperi ô Virgo consensus tui ad Verbi Incarnationis ostium, quia Angeli cælicolæ tua indigent ope, vt eorum sedes instaurentur. Hinc D. Anselmus lib. de orat. Virginem alloquens, inquit. *Per te elementa renouantur, homines saluantur, & Angeli redintegrantur.* Et D. Vincentius Ferrar. serm. 2. de Natiu. ait: *Maria bona Angelis; quia per eam reparantur eorum cathedræ.* Et Richardus de S. Laurent. lib. 10. *Maria Angelis data est in resurrectionem.* Vnde (vt lib. 1. dixerat.) *Tam Angeli, quam homines iugiter respiciunt in Mariam.* A cuius consensu tanta eis fœlicitas præparatur. 69.

E Virgine pendebat sedium Angelicarum redintegratio. Luc. Abb. Anselm. Vincent. Richard.

Ostium, quod Dominus sibi reserari petebat, erat os Virginis consensum exhibentis ad Incarnationis perfectionem, dum diceret: *Fiat mihi.* Luc. 1. Ergo clausa erat ianua, dum pulsat sponsus, nec os Mariæ aperitur vel Deo, nisi Deus pulset, excitetque ad loquendum. Placuit quidem sponso hæc ianua, quia clausa. Audi pulchram D. Ambrosij lib. 3. de Virg. sententiam. *Ianuam tuam temporibus disce obseruare nocturnis: non facilè quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse, dum pulsat. Ianua nostra os nostrum est: Christo propemodum soli debet aperiri: neque aperiatur, nisi ante pulsauerit Dei Verbum.* Certè vni Verbo multa verba non placent: vnum *Fiat mihi* Mariæ amat, quia & ipsum vnum est. 70.

Maria oris ostium clausum ita habebat, vt soli Deo pulsanti id reseraret. Luc. 1. Ambros.

Rogata, & ab ipso Deo Maria semper locuta est, & parcissimè quidem. Rogat ergò Christum Mater, vt oris claustra aperiat in multorum vtilitatem. Rupertus opportunè. *Aperi* (ait Dominus) *mihi scilicet os tuum, loquere prout ad confirmandum pertinet Euangelium: & in hoc optata tibi quietis patere suspendium, vt gratum singulari pudicitiæ tuæ propter me rumpas silentium.* Maria silentij amica ægre silentium rumpit, adeò vt ad oris eius reserationem, necessum fuerit Deo ipsi illam addere particulam: *Propter me rumpas silentium.* Vt cum aliquid difficile volumus ab aliquo exquirere, dictitare solemus: *Por amor de Dios, que hagais esto.* 71.

Rogata vel ab ipso Deo Maria ostium oris reserat ad loquendum. Rupert.

Septies locuta Virgo in Euangelio scribitur: septies etiam Christus Dominus fuit in cruce locutus. An id caret mysterio? Planè crediderim innui Mariæ fuisse in cruce velut affigi, vel septem illa verba proferre, quæ in Euangelio memorantur. In cuius elogium Christus septies in cruce loquitur. Et quidem ex Auctore haud notæ vulgaris accepi, turbatam fuisse Mariam Angelum loquentem exaudiens, quia ei deberet respondere. 72.

Velut cruci Maria suffigitur, cum loqui cogitur. Adeò amans silentij.

Vers. III.

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa: laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.

EXpoliaui me tunica mea (inquit Maria Gabrieli) *quomodo induar illa?* Per vltroneum virginitatis votum integritatem corporis mei cœlesti numini consecraui, & licet 73.

Maria per votum virginitatis se exuit ab

Iosepho

agnato illo in Israel affectu procreandi filios. Iosepho per eiusdem dispositionem sum nupta, ipso etiam virginitatem Deo sacrante ab vsu coniugali remouemur. Quomodo igi-
Hailg in. tur rursum ad agnatum affectum prolis suscipiendum procedam. Sic Hailgrinus exposuit. *Omninò me expoliaui omni seculari sollicitudine, quomodo me iis implicabo? & cogitabo, quæ sunt mundi, & quo pacto placeam viro* in educatione filiorum? Et quidem quemlibet natiuum affectum *tunicam*, seu vestem intimam
Plato. Colos. 3. appellari à Paulo, & à Platone asseritur. Ille Colos. 3. ait: *Expoliantes vos*, velut tunicam, *veterem hominem*, siue affectus, *cum actibus suis.* Hic apud Euagrium lib. 1. de Hist. Eccles. de vanæ gloriæ affectu scripsit: *Sic inanem gloriam anima postremam omnium tanquam vltimam tunicam solet exuere.* Hoc quidem de agnato ad prolem coniugalem affectu ostendam ex Zachariæ cap. 3. Vbi Iesus Iosedech
Zach. 3. Sacerdos magnus introducitur indutus *vestibus sordidis*: & Dominus dixit ad Angelos: *Auferte vestimenta sordida ab eo.* Quænam
Strab. hæc sordida vestimenta? Respondet Strabus. *Vestis hæc sordida erat, quod legitur in Esdra, & Malachia, quòd iste Iesus cum ceteris alienigenam duxit vxorem*, è qua filios susceperat.
Interl. Interlinealis. *Vestis sordida erat coniugium illicitum.* Addit autem. *Ecce abstuli à te vestimenta sordida, & indui te mutatoriis, id est*, adiicit, *abiecta coniuge alienigena, copulaui tibi coniugem Israeliticam.* Ita cum inquit Virgo. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Idem est, acsi diceret. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Exui enim me per virginitatis votum ab innato illo affectu in Israelitico populo laudabili admodum filios procreandi.

74. *Laui Maria pedes affectus agnati inter Hebræos prolem procreandi, & quidquid terrenum sapit.* *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*] Sacræ Scripturæ phrasi, & Patrum loquutione, per *pedes* intelligitur inferior pars hominis *concupiscibilis* scilicet, & *irascibilis.* Sicut enim in corpore pedes materialiter sumpti sunt pars inferior, superior autem caput: sic in animo ratiocinatio est pars capitalis superior, inferior verò concupiscibilis, & irascibilis. Eo modo quo in Christo Domino diuinitas se per modum capitis habet iuxta illud: *Caput autem Christi Deus*, & Humanitas per modum pedum. *Adorauimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Christus ait Ioan. 13. Qui
Ioan. 13. August. lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet. Ad quæ D. Augustinus in Cat. D. Thom. *Pedes, seu humani affectus, sine quibus in hac vita non viuitur.* Profectò in Maria pars hæc inferior, quæ pedum nomine signatur, nullam arguit imperfectionem. Homines enim in statu innocentiæ concupiscerent delectabilia corpori, fugerentque nociua, cum debito tamen rationis ordine. Omnis quippè ratio peccati, aut vitij in concupiscentia inordinata consistit. Explicat iam illa verba: *Laui* pedes meos,
Hailgrin. quomodo inquinabo illos Cardinalis Hailgrinus. *Ac si diceret: Per virginitatis propositum laui pedes meos, seu affectus ab omni carnali opere, & eius concupiscentia: Quomodo inquinabo illos in commixtione viri? Hoc est, quod ipsa dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et Dionys. Carthus. *Cum benedictissima Virgo audisset à Gabriele: Ecce concipies, & paries, dicere potuit: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ab omni affectu carnali abstinere proposui, quomodo pedes ab eiusmodi mundos affectu iterum inquinabo, siue? *Quomodo fiet istum quoniam virum non cognosco?*

Monerim verò, Virginem dicere, se pedes diluisse suos, non quod affectus ille Israeliticæ fœminæ ad prolem quo se gloriatur per votum virginitatis ablutam aliquam maculam innuat; sed quia respectu suæ ineffabilis maiestatis virgineæ, minus purum, minus decens videbatur vel naturalis, vel Israeliticus ad coniugij prolem affectus. Communis namque sacræ Scripturæ phrasis impurum, immundumque nominat, quod licet purum omninò sit, maiori admodum munditiei, ac puritati comparatur. Ita Iobus cap. 4. *Stellæ non sunt munda in conspectu eius: & in Angelis suis reperit prauitatem.* Dum scilicet cum diuina puritate, ac sanctitate componuntur. 75. *Non diluit Maria pedes affectuũ, quia haberet maculam.* Iob. 4.

Crediderim ego, Mariam pedes mysticè diluisse ad se magis, ac magis nitidam reddendam. Quemadmodum fœminæ nobiles assolent aquis aromaticis alluere faciem mundam iam & emaculatã, non vt maculas emundent; sed vt illam reddant nitidiorem. Sic Iob dixit cap. 29. se aliquando lauisse pedes *butyro, aut lacte.* Lactea enim lotio non tam pedum maculis abstergendis, quam nitidioribus reddendis poterat deseruire. 76. *Sed vt pulchrior redderetur.* Iob. 29.

Porrò vt ad alios mysticos sensus diuertam, dum video Mariam differre ostij reserationem, quando à sacro sponso ad proximorum ministeria vocatur, (vt superiùs vidimus) vt quî Maria in contemplationis eleuatione fuerat, ad Marthæ iam exercitamenta diuertat: assero Virginem sic contemplationis addictam dulcedini esse, vt difficile admodum ei, imo quodammodo impossibile videatur, ad externa licet pia ac sancta procedere. Existimo hanc fuisse Abbatis Philippi mentem profantis. *Postquam, inquit Maria, posita sollicitudine, in qua laboriosius desudaui, à perplexa exteriorum tunica me pacis intuitu denudaui, quomodo suauitatem affluentæ dulcedinis intermittam, & ad proximorum curas me remittam? Non recuso mandatum, obedientiam non abiuro; sed timeo rursum subdi oneri grauaturo. Gustatis interioribus, exteriora reuisere non curabam, & tamen imperanti aurem, instar aspidis, non obturo. Deposueram quidem spolia grauitatis, mihique inueneram pura nuditatis gaudia: lætabar, vbi fueram, & profectò satis placido nuda nudis Angelis interesse. Oblita visibilium, inuisibilia gratius intuebar, molestias nesciebam, angustiis repagulis non vrgebar, quod amo, quod cupio, mihi largius assistebat. Libera igitur à sollicitudine pannosa, quomodo externis muneribus implicabor? Quo fructu aliorum vtilitati proprio grauamine me supponam? Sed dum hæsito, dum dubito, modum quasi nesciens inuenire: dum gaudens silentio diuerti differo ad grauamen: Ecce dilecti manum intromissam sentio per ostij foramen*, vt ipse aperiat, egoque eius imperio ad ministeria proximorum accurram. Vnde prompta Mariæ obedientia exprimitur, eiusdemque pietas ardentissima declaratur, quæ vt hominum subueniat miseriis, à dulcissima contemplationis quiete retrahitur. 77. *Mira oledientia Mariæ abstrahentis se à dulcissimo contemplationis somno, vt proximorum vtilitati, subeundo labores incumberet.* Philip.

Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? 78.

Purissima

Prudenter Maria suos purissimos pedes, seu affectus ab inquinamento custodit, etiam cum ad sponsum ei erat eundum.

Purissima quid timet sponsa? Mundos admodum suos esse pedes, hyacinthoque calceatos Virgo sciebat Spiritus sancti protectione: eos tamen ipsa curat custodire. Quærebatur ab sponso cœlesti, ad sponsum debebat procedere: & tamen pedum inquinationem timet. Itanè? ad sponsum ire veretur sponsa, ne pedes inquinari contingat? An-non idem ille est, qui pedes Discipulorum lauit? Timet equidem, quia licet ad sponsum eundum sit, per terram tamen necessario dirigenda erat profectio. Pulchrè August. *O admirabile sacramentum! ô grande mysterium! Ergonè timet inquinare pedes veniens ad eum, qui Discipulorum pedes lauit? Timet certè, quia per terram venit.* Addiderim, & quia pedes Discipulorum, qui Christum assidui comites sequebantur lotione indiguère, nullus adeò perfectus per terram incedens sibi promittere debet securitatem.

August.

79. *Patres non audent hæc verba: Laui pedes meos, &c. Deiparæ accōmodare, quia nonnihil imperfectionis indicant.* Del-Rio.

Mirabar quidem ego, Doctores, qui vbertim scripsere, dum Deiparæ elogiis alias Canticorum sententias accommodarent, hanc pedum lotionem, imò tunicæ expoliationem minimè accommodasse. Cum autem causam vestigarem, legi nostrum Martinum Del-Rio sic scribentem: *Quia certum est, nec venialem quidem culpam Deiparæ adscribendam: & mora, & tergiuersatio perfectioni obedientiæ illius repugnat: ideò malo dicere hìc deficere hunc sensum mixtum, quam vllam moram fateri cum Ruperto, & Honorio.* Indicauit itaque hic sapientissimus Auctor, impossibile esse hæc verba explicari de Virgine, dum videntur innuere vel eius ad obediendum cunctationem, vel nimium timorem inquinandi pedes, quæ se tam protectam à Spiritu diuino esse sciebat.

Vers. IV.

Dilectus misit manum suam per foramen: & venter meus intremuit ad tactum eius.

80. *Variæ Manus, & foraminis acceptiones.*

Dei manus Spiritus sanctus, Angeli, Dei potentia, & cœlestes benedictiones. Tres Patres. Ierem. 1. Maldonat.

Dilectus meus misit manum suam per foramen.*] Variæ sunt in sacra Scriptura *Manus*, & *foraminis* acceptiones. Manus enim significat Spiritum sanctum. Tres Patres apud Theodoret. *Dilectus meus misit manum suam, id est, dimisit à Patre procedentem ab eo Spiritum sanctum sibi consubstantialem, cuius tanquam manu peragit diuersa gratiarum munera.* Significat Angelos diuini imperij executores. Ierem. cap. 1. *A, a, a, Domine, nescio loqui, quia puer ego sum. Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Vbi Maldonatus & alij existimant manum Dei hìc appellari Seraphinum aliúmve spiritum ad Prophetam immissum. Significat potentiam, ad aliquid perficiendum. Dauid, *Emitte manum tuam de alto,* seu præpotens auxilium, *& eripe me.* Psal. 143. Significat cœlestes benedictiones. Dauid, *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ.* Psal. 79. Per foramen autem significatur spelunca. Exod. 32. *Ponam te in foramine petræ:* dixit Deus Moysi, vt eum transeuntem aspiceret. Et volucrum nidus, Cant. 2. *Columba mea in foraminibus petræ.* Ierem. 48. *Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Et fenestra. Ezech. 8. *Ecce foramen vnum in pariete*, quasi fenestra. Et oculi. Zach. 14. *Oculi contabescent in foraminibus suis.*

Psal. 143. Psal. 79. *Foramē significat speluncam, volucrū nidum, fenestram, oculos.* Exod. 32. Cant. 2.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Ezech. 8. Zach. 14.

82. *Mariæ in Verbi Incarnatione plena Dei manu cœlestia dona accepit.* Luc. 11. Tres Patres.

Profectò si Spiritus sanctus in manu intelligitur, Maria fatur: Dilectus meus Spiritum sanctum immisit super me, manum quidem Dei, cui collatio donorum omnium cœlestium tribuitur. Alibi Spiritus sanctus Dei digitus appellatur. *Si in digito Dei*, ait Dominus, *eiicio dæmonia.* Luc. 11. Tres Patres apud Theodoret. asserunt, verbis illis: *Dilectus meus misit manum suam*, &c. Incarnationis mysterium intelligi, vbi Spiritu sancto in Mariam superueniente, ipsa plena manu illius immensurabili cœlestia dona accepit. Cum aliis diuis sese Spiritus sanctus vti digitum exhibet singulis, singula priuilegia attribuens, vti Paulus ait: Aliis *gratiam sanitatum*: aliis *genera linguarum*, aliis *interpretationes sermonum*, &c. 1. Corinth. 12. At cum Virgine non sic Spiritus sanctus se gessit, sed omnes simul digitos colligens, gratias quas in singulis diuis sparserat, manu plena illi contulit. Vnde vulgare illud D. Hieronym. & D. Bernard. *Aliis gratia communicatur per partes*, seu digito Spiritus sancti distribuitur: *sed in Mariam sese infudit tota gratiarum plenitudo*, velut tota Spiritus sancti operatrice manu.

1. Cor. 12. *Spiritus sanctus in aliis sanctis digito operatur, tota manu in Maria.* Hieron. Bernard.

83. *Spiritus sanctus Mariam Dei cœlum manu extenta affirmauit, non sic Angelos, non sic homines in aquis & terra significatos.* Isai. 40.

Vt Isaias exponeret excessum penè immensum in magnitudine, & maiestate supremi cœli respectu terræ & aquarum, ait: *Qui appendit tribus digitis molem terræ: & mensus est pugillo aquas: & cœlū palmo ponderauit.* Cap. 40. D. Ambrosius pro palmo legit *extenta manu.* Ac si diceret: Quantum tota manus extenta, quæ est palmaris mensura excedit tres digitos, aut pugillum contractum: tantum, imò amplius quidem cœlestis sphæra terræ, & aquæ superat elementa. In aquis Angelos contemplor, in terra homines. Spiritus sancti digitus in hos, & illos gratiam contulit: sed in Mariam plena manu extentáque cunctas gratias, & charismata effudit; est enim cœlum empyreum Dei specialissimo habitaculo præparatum.

84. *Incarnationis instanti Dei potētia exercitur ad munera in Virgine cumulanda.* Luc. 1.

Aliter dilectus Filius meus (iuxta secundam *manus* significationem) mecum vsus est omnipotentia sua, in genere gratiæ mihi communicās quidquid possibile puræ est creaturæ. Fecit enim mecum, seu in ordine ad Dei Maternitatem in me *potentiam in brachio suo.* Luc. 1. Angelis & hominibus gratia quasi per riuulos impertitur: sed tota Dei manus quasi totius gratiæ fontem in Virginē profudit, imò totum abyssum. Ad Gedeonis preces totum vellus laneum fuit cœlesti *rore* imbutum, quem etiam terra proxima bibit. Iud. 6. Huius miraculi memor Dauid de Filia eius Maria iuxta Patrum sententiam cecinit: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Psal. 71. Si in verbis Dauid alludit ad Gedeonis vellus, quare verba immutauit? Legimus enim Gedeonis vellus non pluuia, sed rore suffusum, Dauid autem asserit pluuia plenum fuisse. Cur ergo non dixit: *Descendit sicut ros in vellus? sicut de terra sine immutatione vocabuli dixit. Sicut stillicidia stillantia super terram?* Crediderim, quasi Dauidem erubuisse, clarius forsam agnoscentem vellus hoc Deiparæ esse symbolum, & apertè prophetantē Verbi in eius vterum eius descensum, & Spiritus sancti in eius animum aduentum: plenitudinem gratiarum, quibus

Iud. 6. *Quasi erubuit Dauid dicere in vellus Marianum Incarnationis die gratiam nomine roris excidisse: ideo eam pluuiæ nomine expressit.* Psal. 71.

 quibus

quibus tunc eſt donata à Deo nomine roris explicare; ideoque eam vberrimæ *pluuiæ* appellatione expreſſit.

85. *Per antonomaſiam vocatur Dei opus formatio Mariæ, & Incarnatio Verbi.*

Miſit item *manum ſuam*, id eſt omnimodam cœleſtem benedictionem (vt de tertia *Manus* ſignificatione loquar) prout dixit Gabriël: *Benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1. vel *Miſit manum ſuam*, id eſt, Angelum Gabriëlem adminiſtratorium quidem Spiritum, qui fuit quaſi quædam manus ſollicitè operoſéque ad Incarnationis myſterium præparandum ſe exerens. Aut denique *Miſit manum ſuam*, ſeu in me opus perfecit, quod per antonomaſiam Dei opus debet appellari. Iſai. 28. *Vt faciat opus ſuum.* Abacuc. 3. *Domine, opus tuum, viuifica illud.* Geneſeos autem 2. dicitur: *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.* Legunt alij, *In ſeptimo die ceſſauerat Deus ab omni opere ſuo, quod creauerat; vt faceret.* Si fecerat omnia Deus, quid *vt faceret* reſtabat? Certè vt faceret Mariam, & Deum hominem in illius vtero opus quidem, reſpectu cuius quaſi nihil factum eſſe putabat.

Iſai. 28. Geneſ. 2.

86. *Maria mira humilitate ſe vilem æſtimans eſſe foramen auium nidulum.* Honor.

Per foramen. Aptè Honor. *Deus, quem elegi præ omnibus, miſit manum ſuam, id eſt, Filium ſuum per foramen. Per me, ait Deipara, quæ facta ſunt ei ad homines venienti foramen, humilitate anguſtum, caſtitate lucidum, & ideò illi ſoli peruium.* Pulchrè planè humillima Maria anguſto foramini ſe comparauit. Se enim omnium rationalium creaturarum viliſſimam agnoſcebat, imò non ſe viliſſimæ fœminæ comparat, ſed foramini deſpecto admodum, quod vilis volucri nidulo deſeruire aſſolet. Vnde ſponſus Mariam non iam mulierem prædicat, ſed columbam, quæ quidem humilitatis affectu, ſe in foramen niduli abſcondit: *Columba mea in foraminibus petræ.*

87. *Tanta eſt Mariæ humilitas, vt illud ſe Dei Matrē videre, ſit ſe ancillam auribus perforatis agnoſcere.* Hailgrin. Guillelm.

At Cardinalis Hailgrinus ſic expoſuit: *Dilectus eſt Deus Pater. Miſit manum ſuam, id eſt, Filium ſuum per foramen, id eſt, per aurem meam. Vnde canit Eccleſia: Concipies per aurem Deum, & paries hominem.* Et Guillelm. *Voluit Dominus manum mittere per foramen, id eſt, per aurem Virginis ſonum prædicationis Angelicæ illabi in mentem eius, alliciendam, quæ diuino myſterio cooperaretur, fidem.* Quaſi alludat Virgo ad legem illam, qua Hebræi imperantur ſeruorum *auriculas perforare*: ſeque ancillam profiteatur: *Ecce ancilla Domini*, qui meas perforauit aures, dum Filium ſuum, manum vtique ſuam per humilitatis, ac vilitatis meæ foramen meum miſit in vterum. Tanta enim Mariæ humilitas, vt illud ipſum ſe Dei Matrem videre, ſit ſe ancillam auribus perforatis, agnoſcere.

88. *Chriſtus ſe ſeruum eſſe clamat, dum audit Mariā ſe ancillam profiteri.* Pſal. 39.

An-non Chriſtus huiuſmodi humilitatem ex Matre traxit? Dauid Pſalm. 39. cecinit: *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi: Tunc dixi: Ecce venio.* Noluiſti ô Pater, vt pro hominum redemptione ſacrificia Hebræorum ſufficerent: ſed me venire ad terras verum tibi ſacrificium litandum voluiſti: *Ecce venio* ad tuæ voluntatis executionem; tuo enim decreto meas *aures perfeciſti.* Ex Hebræo alij, Meas *aures perforaſti*, vt ſcilicet inſtar mancipij, auribus perforatis, opus iniunctum exequerer. Filius enim ſum Mariæ, cuius aures manus tua perforauit, vt verè ſe tuam ancillam eſſe clamaret, cum in Dei parentem eligitur. Probus Filius gaudeo probæ Matris humilitatem æmulari, dum inſtar ſerui, profiteor meas eſſe aures perforatas: *Aures autem perforaſti mihi.*

89. *Arctatur Verbum immenſum, vt id Maria poſſit excipere.*

Non miror, Iſaiam Verbum diuinum hominem futurum Verbum *abbreuiatum* appellaſſe cap. 10. *Abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ*, id eſt, in Maria, terra ſcilicet benedicta, cuius in vtero Deus *ſalutem operatus eſt* hominum. Non inquam miror, dum video immenſum per Virginis aurem ingreſſum aptaſſe *arctantem ſe ad oſtium* (vt ſuperius vidimus.) Profectò modus hic exponendi Verbi Incarnationem à Patribus approbatur. Proclus Conſtantinopol. orat. de Natin. *Ita de vtero eſt Chriſtus egreſſus, ſicut fuit per aurem ingreſſus. Verbum eſt per auditum illatum.* Gregor. Thaumat. ſerm. 3. de Annunc. *Loquere in auribus arcæ meæ ratione prædita, vt auditionis mihi paret ingreſſum.* (Verbum diuinum Gabriëli dixit.) *Quem comprehendere non valent intellectu cunctæ virtutes cœleſtes. Ingreſſum per auditum pollicetur.* Ambroſius in fragm. de Salomon. *Verbum Dei efficax, & viuum per aurem ad viſcera penetrat: & ſine læſione aure concipitur.* Fulgentius ſerm. de Virg. *Sermo eſt maritus, & vxor auricula.* Eleuterius Tornacenſ. ſerm. 3. de Annunc. *Ibi auricula vxor fuit, Angelicus autem ſermo maritus extitit.* Hiſce quidem metaphoricis eloquutionibus Patres vtuntur, vt illibatam Mariæ virginitatem commendare excelſiùs valeant.

Vt Maria virginitas glorioſius commendetur, Patres per aurem Verbum conceptum fuiſſe myſticè aſſeruere. Proclus. Thaumat. Ambroſ. Fulgent. Eleuter.

90. *Cœli porta per Mariam reſeranda.* Iſidor. Clar. Rab. innom.

Archangelum Gabriëlem per cœli foramina, ſiue feneſtras proceſſiſſe affirmarim memor illius *foraminis* præmiſſæ ſignificationis. Iſidorus Clarius *per foramen cœleſte* ait, Archangelum iter ad Virginem apparaſſe. Et Rab. innominatus apud Genebrard. *Per feneſtram firmamenti*: Dauid cecinit, cœli ianuas fuiſſe reſeratas, vt Mannæ pluuia ſtillaret in terram. *Ianuas cœli aperuit Dominus.* Pſal. 77. Quanto potiore iure aſſerimus foramen, ſeu feneſtram, imò ianuam fuiſſe in cœlis apertam, vt Dei Nuncius ad Mariam deſcenderet? Id quidem factum in documentum, quod cœli portæ hominibus per Mariam eſſent reſerandæ.

91. *Antè Mariam Deus velut per feneſtras cœli miſerias hominum aſpiciebat, poſt Mariæ aduentum cœleſtes portæ reſerantur.*

Antequam Deus ad Mariæ deſcenderet vterum, cœli portæ obſeratæ adeò erant, vt vel perfectiſſimis hominibus Dauidi, Abrahæ, Iſaaco, Iacobo aditus ad ſuperos omninò præcluderetur. Stricta fateor in cœlis aperiri tunc foramina, aut feneſtrulas, cum velut à longè Deus miſerias hominum aſpectabat, & cum Angeli aliquando ad opem eis ferendam è ſuperis ad terras volitabant. At cum Maria in Dei Matrem eligitur, iam non feneſtræ, ſed portæ cœleſtes aperiuntur.

92. *Imò non ſolùm reſerantur, ſed quaſi à cardinibus euelli eas fecit Maria Chriſtum dum peperit.* Pſal. 23. Auguſt.

Dixerat Regius Vates Domini Aſcenſionem præuidens: *Attollite portas Principes veſtras: & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Pſalm. 23. Quæſierim, cur ad aſcenſum Chriſti cœli ianuæ non aperiri, ſed tolli, & velut à cardine reuelari dicuntur: & id in Verbi diuini ad terram deſcenſu non dicitur? quia ex vtero Mariæ Verbum quodammodo maius eſt factum? Audi D. Aug. ſerm. 56. ex Ducent. *Exultauit vt gigas, id eſt, reſurrexit, vt gigas ille famoſus Samſon,* qui

qui giganteis viribus portas ciuitatis sustulit, & ascendit. Quis est iste Rex gloriæ, propter quem dictum est Principibus. Attollite portas, eleuamini? Magnus est, angustæ estis: non capitis, eleuamini. Magnus, inquit, *est*, seu Maior ascendit; quia ex Mariæ vtero procedit diuinus & humanus. Cœli porta aperitur tot sæculis obserata, cum Verbum ad Mariam descendit, cum autem cœlos inire præparat, non aperiuntur, sed omnino tolluntur portæ, fores reuelluntur, vt Filius Virginis ingrediatur. Tu ò Virgo beatissima, Christum pariens patens iam cunctis sine ianuis cœlum exponis. Ait D. Ambros. *Auferte* Principes custodes *portas è cœlo, quia iam necessariæ non erunt. Cœlum enim, quod claudendum iam non est, portis non indiget.*

Per Mariam cœlum iam fores non habet. Ambros.

92. Cæterùm non incongruè dixerim, per foramen, vel fenestram vel (vt legit Ambrosius) *per prospectum* historialiter hìc intelligi fenestram illam sacerrimæ domus Nazareth, modò Lauretanæ, per quam (vti pia fert traditio) ingressus fuit Archangelus Gabriël ad Virginem salutandam, quæ nunc Laureti colitur, & plus quam cœli fenestræ à fidelibus adoratur. Gabriël itaque Dei manus per fenestram illam in Mariæ domum immittitur: *Misit dilectus meus manum suam per foramen.*

Per fenestram domus Nazareth Angelus ingressus fuit ad Virginem.

93. Perpulchram ad hæc ex Andreæ Ierosolymitani sententia excogitationem attexam. Serm. de Annunc. sic Virginem ille salutat: *Salue dioptra perspectiua, per quam qui in tristi peccatorum vmbra sedebant, respicienter desuper cum gloria venientem iustitiæ solem, mirabiliter illustrati sunt.* Eodem ferè conceptu Proclus vtitur. Profectò *Dioptra perspectiua* est, quoddam Mathematicum instrumentum ab *explorando*, & *perspiciendo* dictum. Id Astrologi habent in vsu, ad mensurandam distantiam cœli, & stellarum, solis altitudinem, planetarum ortum, occasum, magnitudinem: alioque nomine *Astrolabium* vocitatur. Fabrica autem Dioptræ perspectiuæ, seu Astrolabij ex tabula parua componitur, & linea rectissima (quæ ab Astrologis appellatur *linea fiduciæ*) absque vlla minima obliquitate. Habet etiam *Foramen* quoddam, per quod linea visualis ad obiectum dirigitur, seu ab obiecto ad videntem. Lege Stophlerinum de Dioptræ, seu Astrolabij fabrica. Aptissimè quidem Maria ab Andrea Ierosol. ac Proclo Constantinopolit. Dioptræ perspectiuæ, siue Astrolabio comparatur. Per illam enim tam à veteribus Patribus prophetice cognitam, quam à nouis post Euangelium adoratam perscrutamur cœli magnitudinem, beatitudinis excellentiam, Dei infinitatem, Spiritus sancti dona, priuilegia, solis iustitiæ ortum. In Maria est linea gratiæ rectissima ad nihil flectens tortuosum. Est linea fiduciæ, per quam peccatores ad Deum fiducialiter accedimus; vel in qua Deus maximè fidet, vti sponsus Cant. 4. profitetur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* LXX. *Fidere me fecisti.* Ipsa denique per profundissimum humilitatis actum, quo se Dei agnouit *Ancillam*, dum Regina prædicatur; strictissimum Dioptræ foramen ostenditur, per quod Deus factus homo piissimè respicit.

Maria est Dioptra perspectiua, siue cœleste Astrolabium. And. Ierosol. Proclus. Strophler. Cant. 4.

94. *Venter meus intremuit ad tactum eius.*] In Scriptura sacra *venter* sæpè pro *corde*, aut pectore sumitur. Psal. 39. *Et legem tuam in medio cordis mei semper.* Hebr. *In medio ventris mei.* Isaias cap. 16. *Venter meus ad Moab sicut cithara sonabit.* Alij, *pectus meum.* Cor, seu pectus Virginis verè intremuit ad vocem Archangeli, quia *turbata est, & cogitabat, qualis esset salutatio* illius, qui coram castissimâ Virgine omnimodæ puritatis voto adstricta de conceptu, & partu loqueretur. Gulielm. *Ad huius suauissimæ vocis contactum, id est, ad verba salutationis Angelicæ memoria Virginis obstupuit, & expauit pro cautela voti sui.* Ildephonsus lib. de virginit. Mar. cap. 1. *Turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annunciatione.* Verè timuit, & intremuit cor Mariæ, cui Angelus dixit: *Ne timeas.* Luc. 1. Nec mirum, quod per *tactum* intelligam vocem. Nam sicut manu tangitur corpus, sic & animus voce pulsatur. Hinc verecundiam, & puritatem ineffabilem Mariæ commendo, cuius fortissimum virginitatis cautela fecit contremiscere.

Maria ad vocem Angeli intremuit propter cautelam voti virginitatis. Psal. 39. Isai. 16. Gul'elm.

95. Addiderim, fortassè hunc timorem ortum dixisse ex contemplatione Maiestatis Dei, qui ad eius vterum erat descensurus vt homo fieret. Humilitatis enim affectu respondit: *Ecce ancilla Domini.* Mecum D. Chrysologus serm. 140. *Vide & Virginem quam leuiter visus Angeli sollicitauerat; nimirum turbauit auditus; & quam missi præsentia parum mouerat, concussit toto corde mittentis authoritas.*

Contremuit Maria recolens Dei ad eius vterum venientis Maiestatem. Chrysol.

96. Cœlum Virgo à Patribus sæpissimè appellatur. Richardus de S. Laurent. lib. 7. de laud. Virg. *Cœlum Maria est* vnde dicitur Ierem. 23. *Cœlum & terram ego impleo, id est, animam & corpus Mariæ. Prius dicit cœlum, quam terram, quia prius concepit eum mente per fidem, & dilectionem; quàm in ventre per naturæ vnionem. Item* Psal. 102. *Dominus in cœlo, (id est in Maria) parauit (ministerio Spiritus sancti) sedem suam.* Si cœlum est Maria per Verbi incarnationem, quid mirum intremuisse. Vt enim verum cœlum debebat habere motum illum *trepidationis*, quem Astrologi in octaua sphæra dignoscunt. Card. Hailgrin. *Venter meus Dei cœlum effectus propter reuerentiam tanti hospitis trepidauit ad tactum eius, cum me scilicet tetigit omnipotentia suæ manus: & de carne mea separauit carnem, quam sibi in corpus formauit humanum.*

Maria est cœlum, & ideo cum conceptura esset Christum, habuit motum Trepidationis. Richard. Hailgrin.

97. Legerunt Theodoretus & Symmachus pro *Venter meus intremuit, cor meum calefactum est. Cor meum ebulliit*, ad ignis diuini præsentiam, ad Verbi in meum vterum aduentum. Ardens quidem semper erat cor Mariæ; sed tunc Spiritus sancti addito vbertimè igne, cor Virginis supra modum efferbuit. Vti aquæ iam calidæ accidit, cum communi flammæ plura ligna adiiciuntur. Appositè quidem ebullire dicitur cor Mariæ, tanto cœlesti igne superaddito. Vnde D. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 13. exclamat: *O diuitias Mariæ Virginitatis! quasi olla efferbuit. Vti olla aurea, seu è cœlesti materia compacta*, addita tanti diuini amoris in Filij conceptu materia ineffabilibus incrementis efferbuit: haud excitato concupiscentiæ fumo.

Maria igne Spiritus sancti superueniente cum iam calida esset, exerbitans ebulliit. Theodor. Symmach. Ambros.

98. Dionysius Carthusian. sic sententiam exposuit: *Dilectus meus misit manum suam, per foramen. Quia non virili semine, sed mystico spiramine*

Gaudia Deiparæ in conceptu Filij.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

ramine, Altissimi virtute obumbrante, illum concepi. Et venter meus intremuit ad tactum eius, id est, ipsum vnigenitum Patris concepi cum gaudio cordis exuberantissimè redundante in corpus meum. Concepi, inquam, ad tactum eius, id est ex spirituali, & causali contactu omnipotentiæ suæ. Alanus eisdem fere verbis loquitur de Maria. Rupertus & Philippus nihil singulare de hoc versu scripsere.

Carthus.

99\. *Maria mystice per aurem concepit, quia credidit, & fides ex auditu.* Richard.

Vidimus superius, particulam illam. *Per foramen* aliquos de auris foramine intellexisse: Virginemque quodammodo concepisse per aurem, vt eius intemerata puritas inniteretur. Quod vberius confirmo. Audi Richardum à S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg. *Per fidem concepit, vnde per aurem dicitur concepisse, id est, per fidem dictorum, quia fides ex auditu. Ideò dicitur ei* Luc. 1. *Beata, quæ credidisti.* Et lib. 3. *Beata, quæ credidisti, quoniam ea perficientur, quæ dicta sunt tibi à Domino; & ita concepit per aurem, quia fides ex auditu* Rom. 10. *Et hoc est, quod ipsa dicit* Cant. 5. *Dilectus meus, id est Deus Pater misit in me manum suam, id est Filium suum per foramen, auris scilicet meæ.*

100\. *Maria mustellæ instar concepit mysticè aure, & ore peperit.* Aristhæ.

Vel concepit ore, & peperit aure. Damian.

Nec peregrina videbitur mystica hæc per aurem Mariæ conceptio, cum de naturali mustellæ conceptione hæc Aristhæas scripserit: *Auribus concipit, quod & ore parturit. Qui mos hominibus perniciosissimus est, vt quæ ipsi auribus accipiunt, eadem verbis exaggerantes maioribus malis inuoluant, instantemque turpitudinem omnibus ipsi modis auctam inique fœdant.* Petrus Damianus Opusc. 52. cap. 77. vt virginalis fœcunditatis imaginem exponat, ait: *Sed cur nos virginitatis fœcunda miraculum in volatilibus, tantùm prædicemus, cum in vilibus quoque reptilibus conceptum simul & partum non leuius admiremur? Mustella quippè sicut Physici perhibent, per os quidem concipit, sed per aurem parit.* Vbi licet virginalem integritatem in hoc conceptu & partu agnoscat, ab illo tamen quod dixit Aristhæas differt; nam ille affirmat, mustellam aure concipere, & ore parturire: Damianus verò contra ore concipere, & aure parere. Profectò Deipara potest appositè dici ore concepisse, peperisse aure. Quia ore proferens illa verba: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, statim Filium Dei verum concepit; aure autem peperit, dum in omnibus Deo paruit, in opera vertens, quod aure concipiebat. Vnde monemur, eos, qui Dei verba aure concipiunt, ea debere in opus producere, si Aristhææ credamus. Si verò Damiano, verba sacra in ore Concionatoris non parienda, sed concipienda & meditanda, vt in aure auditorum vtiliter parturiantur.

Vers. V.

Surrexi, vt aperirem dilecto meo; manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

101\. *Non admisit Maria fieri Dei Matrem, nisi virginitate illæsa.* Guillelm.

SVrrexi, *vt aperirem dilecto meo.*] Cum ab Angelo exaudiui, me Matrem Filij Dei futuram sine virginei mei voti læsione, illicò me diuino placito aptaui. *Surrexi* enim, seu mentem à turbatione erexi, vt voluntis meæ ianuam aperirem. Guillelmus ad hæc. *At Maria vt intellexit, virginitate salua, id futurum: quia non vreret illam ignis malus, vt gigneret peccatorem, sed inflammaret mea* (Moysi rubum) *ignis diuinus, vt gigneret Saluatorem: apertura per fidem remouit pessulum consentiens, fieri Mater.*

Profectò licet verba illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi*, fuerint ex ineffabili humilitate coborta, aptè tamen dixit. *Surrexi*; quia de more tantæ humilitatis sublata fuit Virgo ad illum dignitatis, & excellentiæ gradum, quo nulla vnquam creatura peruenit, vt esset Dei Mater, Angelorum Regina, & hominum Corredemptrix. Surrexi, inquit, ad immensum gratiæ culmen, ad cumulum quodámodo participatæ Deitatis conscendi. Hunc Deiparæ ascensum Patres egregiè ponderant. D. Hieronymus tom. 4. epist. 10. *Beata, & gloriosa Virgo Maria, quamvis dudum incomparabilis esset vniuersis, quæ sub cœlo sunt, virginibus: tamen cum gratia repletur, cum Spiritu sancto perfunditur, cum virtute altissimi obumbratur fit pretiosior meritis, celsis sublimior fastigijs, pulchrior sanctitate, gloriosior suorum prærogatiua meritorum, itavt nullis iam sit vsibus aptè mancipanda, nisi diuinis.* Ergo Maria quodammodo fuit à fœmina in Deum commutata.

102\. *Maria cum fuit Dei Mater effecta, quodammodo fuit ex muliere in Deum commutata.* Hieron.

103\. *Maria ventris sui alis surgit vsque ad Dei thronum.* Zeno.

Surrexi. Ventris alis Maria surrexit ad supremam Maiestatem, eius enim vterus Maiestate diuina intumuit. Zenon. Veron. serm. 1. de Natiu. *Elisabetha sterilis fœcunditate tumet feliciter venter, Maria venter Maiestate.* Diuina quidem, Maiestate enim Dei tumet, & surgit vsque ad Deitatis thronum. Vnde Maria ventris alis ineffabilem ad gradum sublimatur. Idem serm. 3. *Mira res, concepit Maria de ipso, quem parit. Tumet vterus Maiestate. Per idem tempus duæ cognatæ concipiunt, illa præconem portat, hæc iudicem. Gaudete fœminæ, prouectionemque*, seu eleuationem *vestri sexus agnoscite: Ecce per Mariam iungimur cœlo.* Si alis Mariæ terricolæ miseri vsque ad cœlos surgimus, an non Maria perniciori volatu ventris, seu Maternitatis Dei pennis ad eleuatiorem, ad supremum thronum exsurgeret?

104\. *Super Angelos & Diuos eleuata Maria, proxima Deo efficitur.* Ildephons. Damasc.

Surrexi. Fit Deiparæ sanctitas omnium Angelorum ac hominum sanctitate excellentior. Vnde omnes sanctos admodum superans, non potuit non Deitati proxima fieri. D. Ildephonsus lib. de virginit. Mar. cap. 1. *Ad nouitatem inaudita gloria proueheris, ô Virgo electa à Deo, & proxima Deo.* Quomodo non Deitati proxima, quæ super omnium surgit sanctitatem? Damascenus orat. 1. de Assumpt. *Creata omnia superat sancta illa, & beatissima, & omnibus generationibus, atqueadeò omnibus rebus conditis excellentior.* Vnde altius adhuc exsurgens fit *proxima* conditori. Idem orat. 1. de Natiu. Mar. Mons Dei clarissimus est Maria: mons, inquam ille, qui colles omnes ac montes, id est, Angelorum, & hominum superat sublimitatem. Mons Sina sanctior, quem

quem non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens *ignis contegit*. Si Altissimus in Mariano monte inhabitat, vsque ad ineffabilem Dei altitudinem quodammodò surgit. Amedæus hom. 7. de laud. Virg. *At illa residebat in arce sublimissima*, seu altissima, *virtutum*, vt Altissimi habitaculum esse posset.

105. *Vt diabolus similis esset Deo, Mariæ sublimissimam sedem consequi appetebat.* Isai. 14. Bernard.

Surrexi. Adeò Deipara surrexit, tam similis facta ex virtutibus fuit Altissimo, vt luciferi suprema superbia posset sedem Mariæ appetere eleuatissimam, vt Deo similis appareret. *In cœlum*, ait, *conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti: similis ero altissimo*. Isaiæ 14. An Lucifer cum audiens Verbi Incarnationem Christum diuinum & humanum adorare contempsit, suæ causam ruinæ: subodorauit ineffabilem Matris Dei sublimitatem: ideoque vt similis Altissimo esset, sedem Mariæ paratam exambiit? Indicat id D. Bernardus, dum serm. de laud. Mar. exclamat: *O altitudo Mariani cœli! Hanc altitudinem vsurpare volebat dæmon, dicens: Super astra cœli, super altitudinem nubium ascendam: & similis sic ero Altissimo.*

106. *Non exprimit Maria quantum fuerit eleuata postquam Mater Dei fit, quia res est ineffabilis.* Albert.

Surrexi. Quantum ô Virgo, surrexisti? quantum ascendisti? Cur non exprimis? Certè quia prorsus est ineffabilis, & incomprehensibilis sublimitatis gradus, ad quem surrexi Dei Mater effecta. Volens Albertus Magnus id explicare, *super Missus cap.* 161. hæc scripsit. *Super id quod modo est, veniet Spiritus sanctus, de superno veniens, plus omnibus veniet, præter solitum veniet; veniet, & plusquam veniet, à summo veniet, & ad summum actum veniet*. Id est, veniet ad Mariam à summo Maiestatis vertice, vt eam ad summum verticem surgere, & eleuari actu omnipotenti faciat.

107. *Eleuata fuit Mariæ dum fit Mater Dei supra semetipsam.* Andr. Cret.

Surrexi. Vno verbo dicam, mei ascensus eleuationem surrexi, & eleuata sum super me ipsam. Aptè quidem etenim de Mariæ eleuatione angustius dici minimè quidquam potest. Per Verbi enim Incarnationem semetipsam excessit Virgo maiori ineffabiliter incremento, quam ipsa antequam Dei Mater fieret, cunctas rationales creaturas excedebat. Igitur Maria supra semetipsam surgit, & eleuatur. Andreas Cretens. Orat. 1. de dorm. Mar. *Quod si hæc parua videantur, si conferantur cum exemplo eius, quæ à nobis laudatur* (de Maria loquitur) *sibi ipsi certè ipsa sufficiet suâ sibi conferens, & assimilans*. Non quidem *sufficiet* ad explicandam Mariæ eleuationem vlla, vel augustissima comparatio, nisi cum Maria ipsa comparatio fiat, dum clamemus: Maria super semetipsam surrexit.

108. *Nulla eleuatione potest Maria sublimitas exponi, nisi eam dixeris, super semetipsam eleuari.* 2. Reg. 3. Eccli. 27.

Profectò in scriptura sacra quando Spiritus sanctus vult indicare, rem aliquam esse maximam, & in genere mali aut boni singularissimam, haud illam rei extraneæ comparat, sed cum eadem ipsa gerit comparationem. Vt Deus exponeret, quam maximus Dauid fuerit & Dux & Rex, inquit: Ibat *Dauid* quotidie *se ipso proficiens*. 2. Reg. 3. Id est semetipsum in profectu quotidie superabat. Quasi iniuria Dauid inureretur, si profectus illius, cum aliorum licet augustissimorum profectibus conferretur. Vt inueret Spiritus sanctus Eccli. 27. quanti debeat amicus bonus æstimari, ait: *Sicut homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui*. Ac si diceret. Non inuenio rem, cui possim adæquatè bonum amicum assimilare, nisi amici ad ipsum amicum fiat comparatio. Vt verò idem spiritus indicaret, quàm graue malum sit litem gerere, maximè cum potentiore, inquit Eccli. 8. *Ne litiges cum homine potente, ne constituat litem tibi*. Quasi non inueniret aliud prius vel æquale malum, cui litem compararet, nisi cum ipsa lite comparatio gereretur. Haud aliter Virgo sacerrima post Verbi Incarnationem se supra seipsam indicat surrexisse. Alia enim comparatione haud posset tanta sublimitas surrectionis explicari.

Eccli. 8.

109. *Postquam Maria Mater Dei efficitur, non tam mulier de terra sed de cœlo est appellanda.* Exod. 3. Iosu. 5.

Surrexi, adeò post verbum meo in vtero carne indutum, vt non iam mulier de terra, sed quasi de cœlo sim appellanda. Dixit Moysi in terra montis Dei Oreb existenti iuxta rubū sine combustione flagrantem Angelus. *Solue calceamenta de pedibus tuis, terra enim, in qua stas, terra sancta est*. Exod. 3. Ad Iosuë autem in terra promissionis existentem Angelus inquit. *Solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, sanctus est*. Iosu. 5. Moysi dicitur, Terra, in qua commoraris licet sancta, sed tamen *terra est*. At Iosuë verò, siue Iesum non dicitur *Terra*, in qua stas, sed *locus sanctus est*. Cur ita? Profectò Iesus Naue typum gerebat Iesu Christi Domini, qui descenderat iam ad veram promissionis terram Mariam. At ita sublimis erat Virgo post Verbi Incarnationem, vt Angelus indecens iudicarit, eam Terræ nomine compellare; quia iam super terræ conditiones videbatur ad cœlestes, atque diuinas surrexisse.

100. *Maria vt Dei Mater super spatia imaginaria quodammodò eleuatur.* Abac. 3.

Surrexi adhuc, seu super omnem altitudinem possibilem, super ipsa spatia imaginaria Mater Dei sum eleuata. Propheta Abacuc. in illo Cantico, qui *Pro ignorantiis*, inscribitur, ait: *Altitudo manus suas leuauit. Sol & Luna steterunt in habitaculo suo*. cap. 3. Hoc vocabulum *Altitudo* ita absolutè dictum tam iuxta rethoricæ humanæ, quàm diuinæ leges stat pro omni possibili altitudine, vltra quam non sit alia imaginabilis. Ideò LXX. pro *Altitudo*, legerunt, *Phantasia manus suas leuauit*, quasi hæc sit omnis imaginabilis altitudo, seu quam possit humana phantasia considerare. Si ergo hoc vocabulum altitudo emphaticè & antonomasticè signet omnem imaginariam altitudinem, quomodo dicitur à Propheta, quod hæc altitudo manus suas leuauerit, cum leuari non possint manus, seu extolli, nisi ad aliam eleuatiorem altitudinem? Quænam igitur hæc sit tam admirabilis altitudo requiro? Iam respondit Propheta, dum addidit, *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo*. D. Hieronymus, *Sol est Christus, Luna Maria*. Duo hæc maxima luminaria adeò meritis & gratia surgunt, ita eleuantur, vt Christus per naturam, & Maria Christi Mater per gratiam suum habitaculum super ipsam imaginabilem & velut à phantasia excogitatam altitudinem apposuerint.

Hieron.

111. *Maria ex maternitate Dei super omnem imaginabilem altitudinem, seu*

Paulò superius sententiam Zenonis Veron. expressi, qui serm. 2. de Nat. dixit. *Mariæ superbus emicat venter, non munere coniugali, sed fide. Mariæ vterus tumet Maiestate*. Hæc vocabula *Superbus*, & *Tumet*, sunt significatiua excellentiæ singularissimæ. Isai. de gloria Euange

ſuper ſpatia imaginaria eſt eleuata. Zeno. Iſa. 6.

Euangelicæ Eccleſiæ prædixit. *Poſui te in ſuperbiam ſæculorum.* Cap. 6. id eſt, in excellentiſſimam Maieſtatem. *Venter* itaque Mariæ *ſuperbus* & *tumens,* hoc eſt, Maternitas in ventre & vtero ſignata adeò Mariam euexit, vt ſupra omnem imaginabilem altitudinem ſit eleuata. Euehitur enim vſque ad Deum. Vt declararet Ioannes cap. 1. ineffabilem, immenſam, & infinitam Verbi diuini altitudinem, dixit: *Et Verbum erat apud Deum* De Maria verò dixit Archangelus Luc. 1, *Inueniſti gratiam apud Deum. Deus* quidem *erat Verbum.* Maria verò non erat Deus; ſed Gabriël exponit quam excellens ſit Maria, cuius gratia *apud Deum* inuenitur, vbi Verbi gloria, imo diuinitas locum habet: *Et Verbum erat apud Deum.*

Ioan. 1.

112. *Nullatenus poteſt inueniri, aut explicari verbis altitudo Matris Dei.* Gen. 3.

Innui paulò ante Deiparam efficacius ſuam eleuationem declaraſſe illo verbo: *Surrexi*, non exprimens, quò ſurrexiſſet. In ſacris enim voluminibus excellentium rerum maieſtas aſſolet per ſuſpenſionem, vel indeterminationem verborum magis declarari. Poſt Adæ piaculum dixit Deus. *Nunc ergo, ne fortè Adam mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Gen. 3. Quis non videat hanc ſententiam eſſe imperfectam. Quid quæſo ô Altiſſime Deus facturus es, ne Adamus mittat manum ſuam, & comedat? An ſupplendum ſit: *Eum de paradiſo eiiciam?* Sunt qui putent, hac clauſulæ indeterminatione voluiſſe Deum ſuam ineffabilem miſericordiam indicare, dum potens apertè ei exilium è paradiſo indicere, id non expreſſit, ſed ſacro ſcriptori Moyſi addendam illam particulam: *Et emiſit Deus hominem de paradiſo voluptatis.*

113. *Incomprehenſibilis quodammodo eſt Maria ex Maternitate ſublimitas.* 2. Reg. 23.

Volens Dauid Verbi diuini Incarnationem, & proſapiam de ſuo genere decantare, ſic incipit: *Sicut lux auroræ, oriente ſole manè abſque nubibus, rutilat: & ſicut pluuiis germinat herba de terra.* 2. Reg. 23. At illicò tacet, nec clauſulam perficit, cum deberet adiicere *Sic ex genere meo, Sol iuſtitiæ exorietur, & flos ille cæleſtis germinabit*, vel quicquam ſimile. Porrò vt exprimeret myſterij illius magnitudinem veluti inexplicabilis: incepit dicere, nec finiuit. Haud aliter immaculata Virgo dicit. *Surrexi*, nec vlterius exponit quò aut quantum ſurrexerit; vt indicet ineffabilem, incomprehenſibilem eſſe illam ex Dei Maternitate ſuam eleuationem.

114. *An Maria eleuetur adeò, vt Chriſti Filij Dei, & ſui dicatur æquare eleuationem?* Brigit.

Denique liceat mihi hac exaggeratione Deiparæ eleuationem explicare. Chriſtus Dei & Matris Filius ineffabilem altitudinem neceſſariò tenet, & Matrem ſecum duxit ad eandem. Audi Brigittam, quæ lib. 1. cap. 51. hæc ſe à Domino de ſurrectione ſeu eleuatione Chriſti, & Mariæ ſe accepiſſe, teſtatur, dum introducit Ieſum ad Virginem loquentem: *Mater mea, flos creuit in vna valle, circa quam vallem erant montes alti. Et creuit flos ipſe cum recto haſtili. Vallis quoque excreuit cum flore ſuo ſuper iſtos montes, & floris folia dilatauerunt ſe ſuper omnem altitudinem cœli, & ſuper choros Angelorum. Tu dilecta Mater mea tu es vallis illa propter humilitatem tuam, quam præ aliis habuiſti: hæc excreuit.* Quantum excreuerit illa innuit particula: *Vallis quoque excreuit cum flore ſuo.* Ergo ſi ſimul flos Chriſtus & vallis Maria excreſcunt, & eleuantur dicendum-ne eſt, æqualem eſſe Chriſti & Mariæ eleuationem? Abſit, Chriſtus enim eleuatur vt Deus, Maria vt creatura Dei Mater. Sed hæc exaggeratio ſatis indicat quàm ineffabilis extiterit Deiparentis eleuatio.

115. *Surrexit Maria poſtquam Dei Mater fit, ad gratiarum actionē & ad proximorum ſalutem.* Luc. 1. Carthuſ.

Surrexit præterea Maria ad gratiarum actionem pro tanto ſibi oblato munere, & poſt Verbi Incarnationem illicò ſurrexit ad illud donum hominibus immenſa charitate communicandum iuxta illud: *Abiit in montana Iudæa.* Luc. 1. Sic Dionyſius Carthuſ. hanc clauſulam expoſuit. *Surrexi deuotiſſimè, & humillimè regratiando pro beneficio tam immenſo mihi exhibito: vt aperirem dilecto meo, & in thalamum vteri, & ſimul mentis meæ introducerem eum per ardentiſſimum amplexum, & per gratiæ totius ineffabile incrementum. Surrexi quoque orando pro aliis. Surrexi amplius, & ſurgens abij ad cognatam meam Eliſabeth ad montana Iudææ, vt mentem eius, & cor infantuli eius nondum nati aperirem Filio meo, vt cognoſceretur ab eis.* Vix Maria Dei Mater efficitur, cum ipſa Maternitas eam cogit (ſic dixerim) ad orandum pro hominibus, & ad Chriſtum ad eos adducendum. Ac ſi Mater Dei fuiſſet effecta in hominum ſolummodò vtilitatem. Vnde ab ea quodammodo è iuſtitiæ rigore poſſumus exigere protectionem.

A Maria quodammodo è rigore iuſtitia poſſumus protectionem exigere.

116. *Maria roſa inſtar, voto virginitatis clauſa, ſoli iuſtitiæ oſtiū conſenſus aperuit indemni voto.* Richard.

Pulchram dabo Richardi Laurent. lib. 12. de laud. Virg. loci huius expoſitionem. Comparans enim Mariam roſæ, ait roſæ in morem prius clauſam ex virginitatis voto, integra adhuc dilecto ſoli iuſtitiæ oſtium conſenſus aperuiſſe. Totam do ſententiam. Maria Roſa fragrantiſſima *ſpinis adhæret, licet omnino eis diſſimilis. Et Maria peccatoribus, qui ſunt ſpinæ, pietate adhæret, & compaſſione, licet à peccato omninò immunis. Prius clauſa ad ſolis radium aperitur. Cum enim vouendo virginitatem conſenſum animi conceptioni clauſiſſet, & generationi: Soli tamen iuſtitiæ aperuit, cum intellexiſſet, ſe Dei Filium poſſe concipere, & parere, manente Virgine. Vnde dixit, Fiat, &* Cant. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Nec quidem conſenſus ianua alij qui Sol iuſtitiæ non eſſet, aperiretur. Vnde prius credidit, poſſe concipere, & parere virginitate illæſa, quam oſtium conſenſus reſeraret.

117. *Maria tota plenum myrrha ex paſſionis Chriſti præſcientia, vt eam per manus & digitos profundat.* Pſal. 143. Pſalm. 8.

Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.] Cum ſcriptura ſacra in aliqua exprimenda actione eam manu, & digitis attribuit, id agit, vt operis exactiſſima profectio declaretur. Dauid Pſalm. 143. *Benedictus Deus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Seu qui me perfectiſſimum, exactiſſimumque fecit bellatorem, qui me vſque ad vngues, & capillos (vt ſic dicam) militem fecit, pro ſui nominis gloria præliaturum. Et Pſalm. 8. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, & alibi, *opera manuum tuarum ſunt cœli.* Id eſt, cœli ſunt exactiſſimum potentiæ tuæ opus. Inquit ergo Maria. Vbi Mater Dei fui effecta, per conſequens tantam vim myrrhæ ſeu amaritudinis corde concepi, vt vſque ad ſummos digitos, vſque ad extremos capillos fuerim oppleta. Sunt enim qui exiſtiment, Mariam mox à Filij conceptu ex reuelatione dignouiſſe Chriſtum ad crucem pro ſalute hominum ſubeundam ſe eſſe parituram. Eo

igitur

Igitur modo dicuntur manus, ac digitos Deiparæ myrrham ſtillare, quo Ieſu labia *ſtillantia myrrham primam* referuntur. Nam quemadmodum cum ex vaſis è labiis liquor effunditur, ſignum eſt illud eſſe plenum: tam plenus dicitur eſſe Chriſtus à primo conceptionis inſtanti myrrha ex paſſionis iam præuiſæ amaritudine, vt myrrha ipſa per pleni vaſis labia diffundatur. Haud aliter adeò plena Maria fuit amaritudine ex einſdem paſſionis Filij cognitione, vt vſque ad ſtillationem per manus, & digitos myrrha exorbitare videatur.

118. *Facta eſt Maria ſecundarius quidā gratiæ fons, ex quo omne accipimus, maximè à Verbi Incarnatione.*

At ſi per myrrhæ abundantiam, ſeu redundantiam ſignetur (vti alij exponunt) gratiæ Mariæ plenitudo, aptè per manus, & digitos illius exundans oſtenditur. Statim (ait Virgo) ac in meo vtero Deus factus eſt homo, fui tam copioſè à Spiritu ſancto *gratia plena*, vt foras ad manus & digitos vberrimè exundarit, & facta ſum ſecundarius quidam gratiæ fons plenus quidem, ex cuius redundantia cuncti homines acciperent. Id vbertim Patres exponunt. Ildephonſus ſerm. 5. de Aſſumpt. *Maria poſt Verbi Incarnationem eiuſdem gratiæ fuit muneribus conferta.* Qui modus loquendi illa nempè particula: *Eiuſdem gratia* Chriſti *conferta*, mirè indicat ſummam plenitudinem. Antè quàm Verbum in meis viſceribus carnem ſumeret vocata fuit ab *Angelo gratia plena.* Luc. 1. At poſtquam facta eſt Dei Mater, ita Spiritus ſanctus *ſuperuenit* in eam, vt *ſuperplena* iam nobis debeat vocitari. Vnde Bernardus. *Ante Incarnationem gratia plena erat ſibi, poſt Incarnationem nobis ſuperplena*, ſeu communis fontis vndæ, oſtentatur.

Ildephonſ.

Luc. 1.

Bernard.

119. *Omnes gratiæ in Mariam aggregantur, vt in nos refluant.*

Bonauent.

Ad hæc D. Bonauentura lib. 1. de concept. Mar. cap. 18. *O fœmina, plena & ſuperplena gratia, de cuius plenitudinis excellentia exundanti reſperſa reuiuiſcit omnis creatura!* Per manus verò & digitos myrrham ſtillantes Pater intelligit diuerſos ordines, & gradus gratiæ, qui in Deipara fuere. Et in ſpecul. Mar. cap. 3. poſt vulgare illud: *Omnia flumina intrant in mare, id eſt, omnia flumina gratiæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum intrant in Mariam*: addit noſtrum argumentum ſpecialiter confirmans: *Vnde ipſa dicere optimè poterit illud* Eccli. 24. *In me omnis gratia. Quid ergo mirum; ſi in Mariam omnis gratia confluxit, per quam tantum gratiæ ad omnes defluxit?* Quid etiam mirum, ſi omnia flumina gratiæ in Mariam intrauerunt, quod ad manus & digitos ipſius inſtillauerint cunctis expoſita hauriturìs?

120. *Maria innumeras manus ad largiendū exerit.*

Bonauent.

Idem Doctor lect. 7. ad B. Virg. exclamat. *O mare magnum, & ſpatioſum manibus!* Maria *mare magnum manibus ad largiendum.* Cum autem Mariæ manus innumerabiles, immenſo maris ſpatio coæquandæ ad largiendum hominibus aperiuntur, licet ſibimetipſi ſtillent myrrham, hominibus mel ſtillare munerum cœleſtium non deſinunt. Et ſi myrrham aliquando ſtillant, eſt compunctionis amaritudo, quam à Deo impetrat animarum ad gaudium. Tonat mare virgineum nobis horrorem incutiens peccatorum. Bellè adiicit Doctor. *Tonat ergo mare hoc magnum & plenitudo eius. Audiamus hoc mare contra vitia tonare.*

Stillant Mariæ manus mel plerūque; ſed ſæpè myrrham amaritudinis, ad peccatorum compunctionem.

Tonat mare contra ſuperbiam, dicens: Ecce ancilla. Contra ingratos; Magnificat anima mea Dominum. Contra luxurioſos. Quoniam virum non cognoſco.

Vt autem hominum ſaluti proficiat hoc magnum mare plenum vtili amaritudine in eorum animos dum exundat: operæpretium eſt, vt id moueri ſeu tumeſcere faciamus. *Moueatur* (ille ait) *mare Maria, & plenitudo eius ſuſpirijs, orationibus, & eleemoſynis, vt nobis de ſua plenitudine effundat*, diſtillans myrrham compunctionis per manus & digitos, qua veniam conſequi valeamus. Id confirmat D. Bernardus apud Bonauent. vaſis comparatione. *Vas liquore plenum, ſi moueatur, de facili ſubuertitur, & effundit liquorem. Sic B. Maria ſi moueatur precibus effundet liquorem gratiæ in nobis.* 121.

Orationibus, & ſuſpiriis mouendum, ſeu excitandū eſt Deiparæ mare, vt contra vitia noſtra tonet.

Bernard.

Bonauent.

Ex plurium Doctorum mente per myrrham hìc ſanguis Chriſti in hominum redemptionem profuſus innuitur: qui quidem quodammodo ſimul funditur à Maria, vt corredemptrix hominum valeat appellari. Dauid Pſalm. 71. cecinit. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Ad quæ D. Hieronymus Epiſt. 10. Hoc eſt, quod Dauid canit: *Deſcendit ſicut pluuia in vellus. Cæleſtis planè imber in Virgineum vellus placido ſe infudit illapſu; & in carnem tota diuinitatis vnda ſe contulit. Deinde per patibulum crucis expreſſa, terris omnibus pluuiam ſalutis effudit.* An-non totus ſanguis, quem Chriſtus Dominus ſtillauit in cruce, ex Virgineæ carnis vellere accepit? Quis dubitet? Igitur ſi ſanguis Dominicus effuſus in cruce fuit mundi redemptio, corredemptricem non immeritò Virginem vocitabis, & dum è manibus myrrham profundit, quodammodo eam dixeris redemptionis opus exercere. 122.

Sanguis Chriſti ad hominum redemptionem effuſus, quodammodo funditur à Deipara.

Hieron.

Quid ſi in myrrha cum aliis velis cœleſtem gratiam ſuperna munera deſignari? Profectò quidquid, gratiæ, quidquid cœleſtium munerum homines accipiunt, per Mariæ manus eis deriuatur. Nam ſi (vti Hieronymus citatus addit) *aliis gratia datur per partes, Mariæ tota ſe infundit* prius *gratiæ plenitudo*, vt ex fontis exundantia aliis profunderetur. En magnum illum paradiſi fluuium, de quo Moſes: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Gen. 2. Tota gratia hominibus communicanda, cuncta munera, Mariano ſtagnantur in fluuio, vt inde hominibus diuidantur, pleno ipſo manente. Pulchrè Petrus Cellenſis lib. de panibus cap. 12. Fluuius, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, inde diuiditur in quatuor capita. *Quia ſemel collecta gratiæ* (communicandæ hominibus cunctis) *plenitudo nullatenus creatura humana capacitate poteſt comprehendi, in capita dicitur diuidi. Priuilegio tamen Filij ſui, ſupra totius creaturæ meritum Mater Dei aſperſione Spiritus ſancti diuinitus tota* illa *gratia eſt ſuperfuſa.* Vt ſcilicet ex magno Mariæ fluuio in homines diuideretur gratia, quam Deus ſtatuit humanæ creaturæ communicari. 123.

Quæcumque munera à Deo homines accipiunt, per manus Mariæ eis deriuantur.

Hieronym.

Geneſ. 2.

Eſt Maria paradiſi fluuius, ex quo gratiarū riui in homines diuiduntur.

Cellenſis.

Digitos Mariæ plenos eſſe *myrrha probatiſſima* cum exaudis, intellige, Virginis opera perfectiſſima fuiſſe, queis nullius creaturæ 124.

Maria opera, etiam minima non manum in-

puta

tegra, sed cum extremitate digitorũ gerit actiones, non sunt probata solùm, sed probatissima.
Philip.

puræ potuerint opera comparari. Id vt explicet Abbas Philippus, ait: *Duplex est myrrha probata, & probatissima. Probata, seu probabilis illa congruè potest dici, cui nostra laborantium studet conuersatio sic addici, vt quidquid lutulentum sibi contrahit interruptio præsentis officinæ, diligenter concoquat superducta disciplinæ seueritas. Cæterùm Virgo myrrham, qua digitos plenos intimauit, non probatam, sed potiùs probatissimam nominauit, innuens fortè, eam, quæ probata est, cæteris cum gratia laborantibus posse dari; sibi verò veraciter, sibi specialiter assignari probatissimam.* Ac si diceret. Quantumcumque alij perfectè diui digitis, imò plena manu laborent, omnium opera perfecta fortè erunt. At opera Mariæ vel cum non tota manu, sed digitorum extremitatibus gerit actiones, semper probatissima esse inuenientur.

125. *Omniũ diuorum sanctitas probata, Mariæ verò probatissima, seu excellentissima.*

Certè myrrham probatam crediderim esse hominum sanctitatem, quæ quidem ex naturæ corruptæ ingenio agnata est imperfectionibus, & piaculis; vnde multum proficit, si consequitur esse probatam. At myrrham sanctitatis Mariæ, quæ nullam vnquam vel leuissimam maculam, nullam imperfectionem contraxit, solummodò dixerim esse probatissimam. Audiendus Philippus. *Myrrha, seu sanctitas probata est, quæ corpus inquietum castigat, & castigatum subiicit seruituti, nè lex membris insita resistat vitæ penitus, & saluti, quæ motus incompositos, & passiones corporis incentiuas pullulantes reprimit, nec esse patitur oppressiuas. Probatissima est, quæ non solùm manus opus illicitum non committit; sed mens longè purior quidquam reprehensibile non admittit, cum non solum legi carnis fortior spiritus non consentit; sed iam caro, quam spiritus quidquam dignum venia non persentit. Huiusmodi myrrha etsi à nostris finibus videatur procul abesse: eam tamen certum est huic tantæ Virgini non defuisse: sed dono excellenti sic eius digitis præsto esse, vt eos plenos esse asserat* myrrha sanctitatis *probatissima.*

Philip.

126. *Myrrha seu sanctitas Mariæ non solum probata Deo, sed probatissima omnium ore prædicatur.*

An quia Virgo asserat suam manum, digitos suos, seu suam sanctitatem myrrhæ probatissimæ comparari, eius suspectum videtur esse testimonium? Absit. Myrrha enim, seu sanctitas hæc *probatissima* dicitur siue ab ipso Deo mirum in modum approbata. Pulchrè Abbas Guillelmus: *Myrrha Mariæ non vt aliorum probata tantum; sed probatissima: id est, Deo commendatissima. Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.* 2. Cor. 10. Adiicit Del-Rius. *Cuius Maiestatem Virgineam puritatis myrrham Deus in Ecclesia tot hymnis, tot festiuitatibus, tot miraculis, tot prædicatorum vocibus, tot piorum scriptis, tot sodalitiis commendat.* Non igitur semetipsam Maria commendat; sed ab ipso Deo commendatur. Vnde haud suspectum potest esse illius supremæ sanctitatis myrrhæ planè probatissimæ testimonium.

Guillelm.
Virgo non se ipsam commendat, sed à Deo commendatur.
1. Cor. 10.
Del-Rius.

127. *Ineffabilis gratiarum, & charismatum abundantia in Maria.*

Cum autem planum sit, hoc testimonium de *probatissima* Mariæ sanctitate ipsius Dei esse, quod ipsa de se non dat, sed datum à Deo refert: rursum eam ex ore Richard. de S. Laurent. lib. 5. audiamus. *Manus meæ distillauerunt myrrham, &c. Nam in spirituali gratia sic absorpta sum, quod nihil in me vixit de carnali, vel mundana concupiscentia; quin potius manus meæ, & digiti mei, id est opera mea, & operum meorum discreta distinctio perfectæ mortificationis testimonium proferebant.* Adiicit Doctor. *Et nota, quod superius dixit Filius de Matre: Messui myrrham meam. In verbo metendi notatur abundantia. Et ideò benedicit, quod digiti sui pleni sunt myrrha probatissima, & talis myrrha propriè Domini est. Vnde dicit: Messui myrrham meam. Per manus* quidem *opera* (paulò superius dixit) *per digitos operum discretio: myrrha probatissima perfectissima carnis mortificatio innuitur. In his autem verbis ostendit Maria, quod Angelus ei promiserat, dicens: Spiritus sanctus superueniet in te.* Luc. 1. *Spiritus enim sanctus superuenit in eam, & sic eam vestiuit desuper, quod totum quod in ipsa erat* (quasi de nouo) *absorptum est ab spiritu, & solus in ea spiritualis affectus dominabatur.*

Richard.
Maria tota erat à Spiritu sancto absorpta.
Luc. 1.
Richard.

Ibidem Richardus Eccli. 24. *Dicit Maria. Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Illa myrrha electa, seu probatissima est, quæ sine vulnere, & sine scissione corticis manat ab arbore, & illam amaram carnis mortificationem designat, quam profert anima nullo peccati vulnere sauciata. Talem myrrham messuit Deus in Virgine, quæ licet vulnus peccati non haberet, se ipsam tamen multipliciter mortificare curauit, & ideò dicit, quod digiti sui pleni sunt myrrha probatissima.* 128.

Maria sine peccati vulnere, vltrò mortificationis myrrham stillauit.
Richard.
Eccli. 24.

Denique idem Doctor lib. 12. inquit: *Maria myrrha comparatur. Quia sicut myrrha corpora inde peruncta conseruat à corruptione: sic Maria per gratiam meritorum exemplorum, & orationum suarum seruat familiares suos à corruptione luxuriæ. Myrrha probata castitas coniugalis; probatior continentia vidualis; probatissima castitas virginalis. Quàm Maria præ cæteris elegit in exterminium legis, quæ virginitatem habebat opprobrio. Ideò ipsa dicit* Cant. 5. *Digiti mei, id est, discreta cogitationes, & affectiones meæ, pleni sunt myrrha probatissima, quia de virginitate cogito. Et ideò non solum dedit odorem per exemplum virginitatis; sed odoris suauitatem, vt multas ad virginitatis propositum alliceret. Odor enim non allicit, sed suauitas odoris. Vnde* Psalm. 44. *Adducentur Regi Virgines post eam.* 129.

Maria est, myrrha præseruans familiares suos à luxuria corruptione.
Richard.
Exterminauit Maria legem, quæ virginitatem ducebat opprobrio.
Maria Virginum Ductrix.

Non autem incongruè ex hisce verbis: *Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima* commendarim exempla virtutum, quæ Deipara vidua (post Christi maximè ascensum) Viduis imitanda exposuit. Quis igitur viduarum & myrrhæ nexus? Magnus quidem. Maria post Filij discessum & marito, & Filio vidua remansit in terris: omnibus planè, se speciatim viduis obiectura virtutum exemplum. Vnde cum semper mortificationi addictissima fuerit: præcipuè ei studium expediit, postquam Filius ascenderat. Ideò dicit. *Digiti mei pleni sunt myrrha* mortificationis: *at ille declinauerat, atque transierat.* Id est, postquam Filius transiit de hoc mundo ad Patrem cunctæ meæ actiones viduitatis mortificationem exprimebant viduarum in exemplum. Rupertus appositè. Manus meæ distillauerunt myrrham, &c. *Oportebat namque, vt maximè relictis credentium, atque Apostolorum vitam imitantium viduis manifestum dare exemplum omnis mortificationis.* Vt cæteræ 130.

Exempla virtutum, quæ Maria vidua viduis imitanda exposuit.
Rupert.

viduæ

viduæ myrrham non aufugerent, sed amarent, delicias, & vitia abominarentur, operæpretium fuit, vt manus & digiti Dei parentis viduæ exempli myrrham in earum actiones stillarent.

Vers. VI.

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt locutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.

131. *Pessulum voti virginitatis, seu consensum referat Maria, vt Mater sit, sed permanet Virgo.* Isi lor Clar. Guilielm.

PEssulum ostij mei aperui dilecto meo.] Isidorus Clarius *cor humanum aut seram ostij, seu animi* appellat. Consequenter tamen ad ea, quæ hûc vsque diximus, pessulum ostij sui Maria vocitat virginitatis votum, quo sese obstrinxerat. Non obstante itaque voto virginitatis meæ (ait Virgo) certa quòd minimè erat violandum, pessulum ostij mei cœlesti dilecto referaui. Inquit Guillelm. *Ostium Mariæ non tantummodo clausum notat, sed & pessulo intus obfirmatum. Ostium carnis immobili virginitatis perpetuæ proposito obfirmabat. Hunc pessulum Virgo non remouet; quia votum hoc nunquam animo, & re mutauit. Non aspernabatur bonum prolis, sed malum libidinis, sine qua non consistit bonum prolis. Statuerat, non esse Mater, ne esset mulier. Pessulum ergo remouit consentiens esse Mater. Aperta est porta consentiendo in partum, porta,* inquam, *id est assensus, portam vero carnis, vt Princeps clausam inueniret, clausam reliquit.* Aperuit itaque Maria ad partum pessulum assensus, voto non obstante: sed in ipsa signacula pudoris salua permanserunt. *At ille declinauerat, atque transierat*, nempè Verbum diuinum iam *inclinauerat cœlos*, atque descenderat: iam à diuinitatis Maiestate ad humanitatis humilitatem, meo assensu audito, declinauerat.

132. *Pessulus voti Virginitatis Mariæ apertus simul & clausus.* Guillelm.

Cum verò dixerimus, in pessulo virginitatis votum designari; & videatur votum solui, seu violari, dum pessulus aperiri dicitur: Oportet, accuratius pessuli aperti, & non aperti mysterium explicare. Audi rursum Guillelmum Abbatem. *Habebat sacer iste Hortus* Marianus *ostia duo, ostium carnis, & ostium spiritus. Ostium carnis voto virginitatis perpetuæ obfirmarat. Ad ostium carnis non pulsarat sponsus, quia hoc ostium perpetuò clausum manere volebat; in conceptu, & in partu Matrem simul Virginem inuiolatamque relinquere Filium decebat. Hunc pessulum Virgo non remouit, quia votum hoc nunquam animo, nec re mutauit. Sed sponsus ad ostium spiritus pulsabat, quia fidem, & consensum Virginis in futuram Incarnationem postulabat, Angelo interloquutore. Verùm vbi Maria intellexit, virginitate salua id futurum, quia non vreret illam ignis malus, vt gigneret peccatorem: sed inflammaret eam ignis diuinus, vt Saluatorem gigneret: apertura per fidem, pessulum remouit, consentiens fieri Mater. Sic semel ad ingressum* Ezech. 44. *Principis aperta est Ezechielis porta, consentiendo in partum: amplius nec per consensum quidem aperienda. Quia post huius magni Principis ortum nunquam amplius consensit in partum. Portam verò carnis idem Princeps vt clausam inuenit, clausam reliquit: & ea in honorem Principis nunquam aperta, semper clausa permansit.* En voti virginitatis pessulus apertus simul & clausus.

133. *Deus in Maria cor immensa gratiarum sarcina per momenta singula quasi de nouo ingreditur.* Carthus.

Porrò Dionysius Carthusianus ex his verbis: *Pessulum meum aperui dilecto meo*, omnimodam Virginis sanctitatem commendari contemplatur. *Pessulum* (ait Virgo) *ostij mei aperui dilecto meo. Quoniam non solùm maiores, sed etiam minimas culpas vitaui prorsus: ita quòd cor meum iugiter fuit ei reseratum, nunquam clausum.* Si Virgo semper dilectum secum retinet iuxta Angelicum illud: *Dominus tecum*, claudat ostium pessulo valido, ne è domo egrediatur; cur *nunquam clausum* cor esse dicit? Profectò quia certa, quòd Deus nunquam præcordia deseret, reseratum semper ostium habet, sciens eum per momenta singula immensa gratiarum aspersione quasi de nouo ingrediendum.

134. *Pessulum silentij soluit Maria, vt in fide, & in rebus moribus proximos instruat.* Philip. Rupert.

Philippus autem & Rupertus vno ore asserunt, pessulum aperiri silentij profundissimi, quo Deipara fidei mysteria custodiebat, abstinens à Magisterij officio, quod mulieres exercere, haud decens iudicabat. At pulsante Deo, hortantéque, vt post diuturnum silentium, iam ad proximos instruendos labia aperiret, ait: *Ei, quem diligit anima mea*, (loquor cum Philippo) *acquieui ostium aperire: hoc est, solui silentium, & aggressa sum proximos erudire*, in nouellis, & rudibus fidei iaciens fundamentum: in prouectis, & grandioribus editioris iustitiæ firmamentum *cumulans.* Et addit: *Ostij ergò nomine silentium non incongruè figuratur, sub cuius tegumento Virgo latet, & latibulo gratulatur.* Pessulum, qui silentium claudebat, aperit, silentium soluit in proximorum eruditionem, & salutem.

135. *Mariæ silentij ostio recluditur, cum oportet: & soluit silentium, cùm Dei gloria instat.* *Amor in Deum eam tacere, ac loqui facit.* Philip.

Si ostium silentij Maria aperuit ad hominum eruditionem, cur non dixit: *Pessulum meum aperui proximis meis*, sed *dilecto meo*? Certè quia ob Dei amorem ineffabilem Virgo homines edocendos, & protegendos suscipit. Vnde silentij ostium Deo aperit, cum ob eius dilectionem proximis sese Magistram addicit. Acutè id Philippus expressit: *Dilecto Maria aperit ostium, quia ipsius gloria agit curam. Pessulum*, inquit, *aperui dilecto meo. Cum pulsare ad ianuam quilibet inuenitur, non pessulum (sicut nostis,) sed magis ostium aperiri subnititur; & pessulum quidem retrò pellit, qui aditum pulsanti vult præbere. Hîc verò non ostium, sed ostij pessulum dicitur aperiri. Profectò pessulus qui apponitur ostio, ne voluatur, amor sponsi est, propter quem Virgo silentium amplexatur. Quod si dilectus pulsat, & sponsam postulat aperire, amorem suum vult in silentio reperire: probatque eum assumpti silentij causam esse; si propter quem gaudet silentio, propter eum Virgo sustinet forensibus proximis interesse.* Pessulus itaque, seu amor erga dilectum, & Virginem intra silentij ostium occludit, & eam ad proximorum Magisterium iussam soluto silentio egredi efficit. Id est amor erga Deum Mariam tacere facit, cum oportet, & ad ipsius glo-

tiam è silentij ostio egredi, cum loquendi tempus aduentat.

136\. *Maria ostij animi, & vteri pessulum aperit, vt Christum peregrinum recipiat hospitio.* Psal. 38. Hebr. 11. Richard.

An Maria ostij pessulum aperit, vt Christum aduenam in terris, & peregrinum hospitio recipiat? Dauid cecinit Psal. 38. Christi ex ore: *Aduena ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei* Abraham, Isaac, Iacob, &c. de quibus Paulus Hebr. 11. *Confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram.* Christum igitur peregrinationem apud terricolas agentem Maria excepit hospitio. Aptè Richardus Laurentin. lib. 4. de laudib. Virg. *Iob dixit (cap. 31.) quasi loquens in persona Mariæ: Foris non mansit peregrinus, id est, Dei Filius, qui dicit: Aduena ego sum, & peregrinus. Sequitur in persona Mariæ: Ostium meum viatori patuit. Et hoc est, quod ipsa dicit* Cantic. 6. *Ostij mei pessulum aperui dilecto meo.*

137\. *Christus quasi viator in animo Mariæ recipitur vt Deus, in vtero vt Deus, & homo.* Ierem. 14. Eccli. 24. Psal. 131. Richard.

Id ex Ierem. 14. Doctor confirmat: *De quo, scilicet, viatore dicit Propheta quasi loquens ad Dei Filium: Quare sicut colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es sicut vir vagus? Qui videlicet viator* (ille adiicit) *cum non haberet, vbi caput reclinaret, hospitatus est à Maria in domo, vel vtero virginali. Vnde ipsa dicit* Eccli. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. In tabernaculo scilicet animæ in quantum Deus: in tabernaculo corporis, in quantum Deus & homo. Propter hoc in Psalmis dicit ipse de Maria: Hæc requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Psal. 131.

138\. *Prudentia Mariæ non aperientis ostium consensus, sine prauia discretione.* Luc. 1. Richard.

Nec incongruè dixerim *pessulum*, in præsenti Virginis prudentiam, seu discretionem ad consensum ferendum Verbi Incarnationi significare. Antequam ostium consensus aperiret, pessulum aperis discretionis rogitans: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Ait Richardus lib. 12. *Ostium consensus est. Nisi consentiatur verbo, verbum non intrat ad cor. Pessulum est discretio. Quia non est consentiendum, nisi discretione prauia. Eua enim ita aperuit diabolo, quòd fregit pessulum; quia consensit verbo eius, antequam præcedente discretione diiudicaret verbum. Sed B. Virgo aperuit pessulum, non fregit, dicens, cum diu præcogitasset: Qualis esset ista salutatio? Quomodo fiet istud? Et post hoc expressit consensum dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi. Sic igitur aperta est terra, & germinauit Saluatorem.*

139\. *Vt Mariæ fidem acueret, & spem, sponsus recessit, cum ipsa ostium aperiret.* Philip.

At ille declinauerat, atque transierat.] Cur non expectauit sponsus, cur ab ostio recessit, cum anxiè instaret, sibi aperiri? An vt Mariæ fidem acueret? An vt cor diligentis vberius inflammaret? Pulchrè Philippus Abbas, *Pulsat dilectus sponsa, & sibi postulat aperiri: apertóque pessulo, inueniri non potest: mirùmque in modum ad illum huius præsentia se inclinat, & cum teneri iam putatur, ad sua refugiens mox declinat.* Quid causæ? *Fugit, inquam, Virginem non offensa culpabili, sed carne pressam corruptibili; & ab eius oculis auertit faciem inconcessam. Nec rem auferens, sed magis differens, spem reddit indefessam, fidem illius firmat, lucem habitans inaccessam. Venit itaque sponsus, cum Virginem fontem boni lucidum dat sitire; transit, cum non dat sitienti, id quod expetit plenius inuenire.*

Desiderium videndi Deum in Maria, erat quasi plena fruitio? Quid ipsa visio foret?

Proximam expendo particulam: *Venit sponsus, cum Virginem fontem boni lucidum dat sitire.* Id est, Maria Dei præsentia fruitur, cum ipso potiri sitit. Quomodo sitit, si Dei præsentia fontis iam dulcem haurit liquorem? An quia in Maria desiderium videndi sponsum iam est planè videre? O quàm ineffabilis gloria Mariæ in visione, & plena fruitione præparabatur, si vel desiderium videndi, seu fruendi ei erat velut plena fruitio!

140\. *Christus aliquãdo à Maria corporaliter recessit, nunquam spiritaliter.* Carthus. Sap. 10.

Dionysius Carthusian. locum exponit de variis Iesu viuentis in terra à Matre recessibus. *At ille declinauerat, atque transierat. Quia etiam nonnunquam me suam charissimam Matrem permisit durè affligi, & de sua passione tristari. Corporaliter quoque recessit à me, cum duodecim erat annorum; & passione instante; & quando ego, & fratres eius quærebamus eum. Corporaliter*, inquit, *recessit à me.* Spiritualiter enim non poterat recedere ab ea, qui patiebatur. Deus enim gloriatur, se laboribus actos specialissimè comitari. Vnde *descendit cum eo* (Iosepho) *in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap. 10.

141\. *Dei in Mariã de unctio, & transitus. Mariæ humilitatis exaltatio.* Richard.

Denique Richardus lib. 12. sic verba explicauit: *Antequam dixisset Maria, Fiat mihi, iam dilectus declinauerat, vt scilicet fieret seruus, quia ancillæ filius:* & expresso consensu *transierat, id est, per ostium consensus intrauerat. Ideo ipsa dixit: Surrexi, vt aperirem dilecto meo. Surrexit, cum se humiliauit, dicens: Ecce ancilla Domini.* Summa enim illa Mariæ humilitas summa fuit surrectio, seu exaltatio. *Aperuit, cum dixit: Fiat mihi. Tamdiu igitur clausa fuit hæc porta ad consentiendum, donec intellexit, quòd posset concipere, & parere manens Virgo.*

142\. *Maria in Verbi Incarnatione liquefacta est anima; vti metallum igne.* Hebr. 1.

Anima mea liquefacta est, vt loquutus est.] Ex communi sacræ Scripturæ more loquendi, per Dei loquutionem potest diuini Verbi Incarnatio intelligi. Dupliciter enim Deus loquitur. Primò ad intra; hæc autem interna loquutio est Verbi diuini ex mente Patris generatio. Secundò ad extra; hæc autem est Incarnatio Verbi in sacerrimo Mariæ vtero. De qua Paulus Hebr. 1. *Nouissimè diebus istis loquutus est Pater nobis in Filio.* Ait ergo Deipara, animam suam liquefactam fuisse mox ac Verbum diuinum suo in vtero fuit incarnatum. Certè Maria concipiens Dei Filium, in Filium suum ignea diuinitatis omnipotentia, (vti metallo potentia ignis accidit materiali) ita est affecta, vt omnia, quæ ad ipsam pertinent, quasi in Deum fuerint quodammodo transformata. Quid mirum, si præcordia illius fuere diuino igne calefacta?

143\. *Anima Christi, & anima Mariæ commista sunt sicuti duæ ceræ particulæ dilectionis igne.* Psal. 21.

An his verbis: *Anima mea liquefacta est*, animæ Christi & Mariæ spiritualis quædam identitas innuitur? Christus ait ore Dauidis Psal. 21. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei*, illius scilicet ventris, qui Christi erat, eius domicilio præparatus. Vnde dixit superius, *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* Quinam hortus nisi Mariæ vterus? ergo sicut hortus erat Christi, ita & vterus Christi erat, ideò appositè dicit: *In medio ventris mei*, qui quidem est Deiparæ vterus. Iam inquit Maria: *Anima mea liquefacta est*, vt cera, quia cor, seu anima Christi, vti cera liquefacta est. Quid inde? Hæ duæ ceræ liquefactæ igne amoris sic inuicem miscentur, vt anima

vnica

Luc. 2. vnica videantur. Vnde Simeon, *Et tuam ipsius animam gladius pertransibit*. Luc. 2. Tuam scilicet animam, quæ est anima *ipsius* Christi post hanc ineffabilem duplicis ceræ commistionem.

144. *Maria in vtero Deus olim erga homines velut ferreus, sicut cera est liquefactus.* Damasc.

Quid si ad exemplum Matris cuius *anima liquefacta est*, (cum iuxta Philosophum filij matrissent) Deus *in medio ventris*, vti cera, est liquefactus erga homines, qui antequam ad ventrem veniret, ferreus virga ferrea illos vulnerabat? Pulchrè Damascenus serm. de Annunc. *In huius Virginis vtero Maiestas Altissimi liquefacta est, sicut adipe & pinguedine repleta*. O quàm potens amoris ignis in Maria, qui Deum olim æneum in peccatores, potuit veluti ceram liquefacere!

145. *Ineffabili amoris in Deum igne Virginis anima liquefacta.* Exod. 3. Ildephons. Amedæ.

Profectò hic ineffabilis Mariæ erga sponsum Deum designatur. D. Ildephonsus serm. de Assumpt. Virginis animam amoris igne liquefactam ita describit: *Mariam, velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incendit, & igniuit*. Amedæus homil. 3. de laudib. Virg. *Ardebas, vt rubus, qui olim ostensus est Moysi, & non comburebaris; liquesiebas, & non consummabaris. Ardebas liquefacta supernis amoris ignibus. Liquefacta in igne, vires resumebas ab igne, vt semper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorem luminis exhibuit; ros luminosus vnctionem prabuit.*

146. *Maria sic maternitate fuit subtilizata, vt quodammodo fuerit in Dei Spiritum conuersa.* Guillelm.

In Incarnatione item *liquefacta est anima* Deiparæ, id est *subtilizata*, & *spiritualizata*, vt alij exponunt. Non quod eius anima antea non fuerit subtilissima, & spiritualissima; sed vt innuatur discrimen inter Mariam antè Incarnationem, & ipsam, postquam fuit Dei Mater effecta. Guillelmus, *Maria à seipsa resoluta (seu liquefacta) in amorem illius, quem concipiebat, vnus cum illo spiritus est excellenter effecta*. O ineffabilis differentia! mulier spiritualissima quidem & subtilissima, sic adhûc subtilizatur, & spiritualizatur, vt quodammodo sit in Dei spiritum conuersa.

147. *Maria sic liquefacta est amoris igne, vt à seipsa fuerit expulsa, sicut nix calore dissoluitur, & à culmine expellitur.* Antonin.

Ex Diuo Antonino 4. part. summ. tract. 15. cap. 44. §. 9. pro *liquefacta* est anima mea, possumus pulchrè legere, *expulsa est à se anima mea*. Quemadmodum nix, qua montium culmina pergrauantur, cum sole vrgente liquefit, à culminibus expellitur. Mariæ quidem tam potens amoris ardor, vt eam velut liquefactam à seipsa prorsus expelleret. Audi Præsulem Florentinum: *Superferuida anima Maria superferuidus amor ille est: dum per ignem amoris extollitur amans super se: & per vim amoris* quasi liquefactus, *se expellit à se. Hoc habuit B. Virgo Maria super omnes in summo. Ipsa fuit maximè expulsa à se per amorem, quo se totaliter Deo dederat. Et quanto plus gratia habuit in se, tanto minus habuit de se. Et sic cum gratia plena fuit, de se totaliter expulsa fuit. Vnde B. Hieronymus ait: Totam eam incanduerat diuinus amor, vt nihil esset in ea, quo mundus violaretur affectus: sed ardor continuus, & ebrietas amoris effusa.* Hieron.

148. *Ineffabilis vis amoris Mariæ animã sic eliquauit.*

Ignis potentia durissima efficit metalla liquefieri. Quomodo ergo potentissimi amoris ardore mollissima, instar ceræ, Deiparæ anima non *liquefacta* esset? Vis Mariani amoris vim agnoscere? Impossibile est, vt omninò agnoscatur. Bellè Hieronymus serm. de Assumpt. *Puto, quidquid cordis est, quidquid virtutis humanæ, si totum adhibeas, non sufficiet, vt cogitare valeas, quanto indesinenter Maria cremabatur pij amoris ardore*. Quid igitur tanta amoris vis efficeret in cera? Planè ita Virginis animam liquefecit, vt à propriis terminis prosiliens ad homines cunctos diffunderetur. *vt ad homines vbertim deriuaretur.* Hieronym.

149. *Anima Mariæ liquefacta egreditur ad peccatores, vt eos diuino igne succendat.*

Vnde alij pro *liquefacta est anima mea*, legunt: *Egressa est anima mea*. Quonam precor ô B. Virgo, tua egressa fuit anima? Certè ad homines requirendos frigore peccatorum rigentes, vt eos erga Deum amore succendam. Impossibile est enim, vt cor diuini amoris igne succensum sese intra terminos proprios contineat, quin exæstuans, ad eundemmet ignem in aliorum cordibus succendendum protinus egrediatur.

150. *Mira Deiparæ obedientia exprimitur.*

Ex hac particula: *Anima mea liquefacta est*, ineffabilem Deiparæ obedientiam licet contemplari. Nam vti metallum ignis vi eliquatum voluntati subest artificis, vt cuilibet formulæ accommodetur: sic Mariæ anima liquefacta diuinæ semper fuit voluntati subiecta. Pulchrè Cardinalis Hailgrinus: *Postquam dilectus loquutus est per Angelum, anima Maria exarsit, & liquefacta est sicut metallum eliquatum, vt formam acciperet, quam Spiritus sanctus artifex vellet*. Hanc Virginis obedientiam eleganter Ghislerius descripsit in præsenti. *Possumus*, inquit, *& alia via perfectam Maria resignationem sub hac liquefactionis metaphora designatam sumere ex Aristotelis doctrina; secundùm quam id quod liquescit nullo termino proprio clauditur. Quidni liquefactam dicam B. Virginis animam, qua nihil habens propria voluntatis, dixit: Ecce ancilla Domini, fiat non hoc, vel illud: sed generaliter, secundum verbum tuum: Ac si dixerit: Verbum tuum igne charitatis succensum meam liquefecit animam. Verbum ipsum tuum eiusdem anima mea sit terminus. Charitas ipsa tua, ô dilecte me liquefecit; charitas ipsa tua meam terminet, & determinet voluntatem.* Hailgrin. Ghislet. Aristot.

151. *Mariæ meritũ Filij Dei merito quodammodo mensurandum.* Periand.

Mox itaque ac Virgo Mater Dei fuit effecta, se *liquefactam* dicit, vt edoceat quonammodo debeamus iam excellentias mensurare ipsius Maternitatis. *Res liquida* (Periander ait) *non mensurantur mensura propria, sed aliena*. Haud aliter Mariæ excellentia postquam fuit Dei Mater effecta, non debet perpendi, vt Mariæ est in se solùm, sed mensurari termino alieno, scilicet Filij Dei. Vnde asserere quodammodo audebimus Mariæ meritum quasi esse infinitum. Mensura igitur meritorum Mariæ *aliena* sit. Imò sit propria; Mater enim, & Filius quasi vnica essentia reputantur.

152. *Quarebat Maria beatã visionis gloria frui, quã in instanti conceptionis Filij specialissimo munere fuerat potita.*

Quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.] Piissimam reputo, & probabilem admodum sententiam illorum, qui asserunt, Beatissimam Virginem verè fuisse beatam instanti illo, quo Filium purissimo concepit in vtero; visio enim beatifica tunc fuit ei reserata, sed breuissima duratione, vtpotè raptim infusa. In hunc sen-

Cant. 5. sum præcedentem versum expono. *Dilectus meus misit manum suam per foramen*, seu omnipotentiæ suæ dextera mentem meam eleuauit, vt quasi per rimulas quasdam mihi faciem suam, vt est in se, ostenderet. At specialissimus hic fauor tam raptim mihi fuit effectus, vt quasi *declinatio* ac *transitus* fuisse videretur. Ipse enim *declinauerat, atque transierat*. At *anima mea* fuit beatæ illius visionis dulcedine *liquefacta*. *Quæsiui* anxia *illum*, cupiens rursum, tam immensa potiri voluptate; *sed non inueni*, quod cupieram. Non quòd ipse me tali visione indicauit indignam; sed quia id viatricis expediebat statui. *Vocaui*, seu inuocaui *eum*, vt iterum claré aspiciendus appareret; sed meo desiderio non *respondit*.

Guillelm. Pulchrè Abbas Guillelm. *O grande miraculum! eum, in quem transformata erat, & cum quo vnum erat, quærebat. Sed ecce magis stupendum, hunc non inueniebat. Quid illum pia Mater quærebas, quem in vtero tuo te habere sciebas? Quæsiui non faciem carnis eius; sed rursum faciem diuinitatis eius.* Quam scilicet perbreui temporis interstitio iam videram.

153. *Iesus puer cũ Virgine aderat, etiam cum abiens apud Ierosolymam morabatur.* Luc. 2. Dionys. Alex.

Dionysius Alexandr. epist. ad Samosaten. hæc verba de Virgine anxiè Filium annorum duodecim apud Ierosolymam remanentem requirente exposuit. *Deipara quidem reuersa est, vt quæreret Dominum suum, & Deum factum Filium suum. Ipsa quidem pedibus circuibat, quærens non absentem, sicut ipse Dominus docuit, dicens: In iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse. At Maria erat res vnica Patris.* Vnde haud poterat à Virgine vnquam separari; apud ipsam aderat, etiam cum absens apud Ierosolymam morabatur.

154. *Præ amoris affectu Maria Deum quærit, quem possidet: sicut Deus Mariam possidens, eam præ amoris affectu quærit, ac si non possideret.* Philip.

Miror iam, Deiparam tam anxiè quærere illum quem possidet, nec ab ea potest ex affectu dilectionis separari. Sed mirantis occurrit memoriæ axioma illud Hispanicum: *Amo tanto este bien, que teniendole en las manos, no lo creo; y prosigo, en buscarle.* Hoc quidem more dilectus cum Maria se gerit. Nam cum Maria eum possidens, eum quærit, quasi non possideret: Dilectus possidens Mariam, à qua nunquam separatur, eam præ affectu amoris quærit, ac si non possideret. Do elegantem Philippi sententiam. *Illum* (*inquit Maria*) *toto corde, tota anima, viribus amo totis: vocare non desisto, iungo preces precibus, vota votis. Quæsitusque* (& inuentus) *statim subterfugit, necdum plenius dat, quod spondet. Vocatus etsi audit, meo tamen desiderio non respondet. Quid est ergo, quod cum ille loquitur, id est, eius mihi præsentis innotescit suauitas, mea degustans anima amore tota igneo iam liquescit: & cum quæro auidius, ille se absentat, vocanti non respondet, id est, quæsitam faciem* præsens *non præsentat?* Tantus equidem in Maria dilectionis affectus, vt Deum præsentem habens, eum quasi absentem requirat, ac si indicet eum quem possidet minimè possidere. An-non erga Mariam idem est dilectionis affectus. Bellè adiicit Abbas, *Sed dum quæro, quæsita sum: dum inuenio, sum inuenta.* Me enim dilectus possidens, ac si non possideret, præ amoris affectu quærit, & inuenit.

155. Profectò Abbas Rupertus totam sententiam exponit de lachrymis Virginis profusis iam in illa breui pueri Iesu absentia, quando *remansit in Ierusalem*: iam in longiori post obitum recessu: iam in ipsa passione, cum iuxta crucem Dominicum sanguinem fluere vbertim aspiciebat. *Anima mea liquefacta est. Quæsiui, & non inueni illum. Flebam quippè, & præ singultibus vehementer erumpentibus non poteram verba nisi conscissa, & voces nisi interscissas euoluere.* Anima enim mea liquefacta est in lachrymas. *Numquid etenim absque fletu poteram de illo* (recedente à me) *verba facere? Verùm fletus ipse consolatio mihi erat. Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte* (*Dauid dicebat*) *dum dicitur mihi: Vbi est Deus tuus? Quantò magis mihi, dum diceretur mihi. Vbi est dilectus tuus*, dum apud Ierosolymam remansit? *Siue dum dicerem ego: Me dimisit Deus meus, Filius meus.* Item quando, me vidente, ad Patrem rediturus, horribilem subiit necem? *Ibi ignis, ibi gladius; ignis amoris, gladius doloris: & anima mea victima erat holocausti. Vnde sicut adeps holocausti liquescit ab igne: & sicut fluit sanguis de gladij vulnere: sic anima mea liquefacta est non semel tantùm, vbi ipse moriebatur.*

Maria liquefacta est in lachrymas, cũ Iesus puer in Ierusalem remansit, & cum obiit in cruce. Rupert.

Adhuc profectò miror, quòd Deipara quærens dilectum, cum non inueniat, cum ipse cupiat admodum inueniri. Aliquando recedit, vt quæratur: sed mox quæsitus; redit aspiciendus: vti ipsi Deiparæ accidit, cum apud Ierosolymam Iesum puerum quæsitum inuenit. Cur ergo conqueritur, *Quæsiui eum, & non inueni*? Dauid mihi respondet Psalm. 104. *Quærite faciem eius semper.* Semper quærenda per fidem Dei facies, Dei visio nobis suo tempore concedenda. Sic Maria per fidem quærebat Dei beatifica visione potiri. Audi Guillelmum: *Quem ardenter diligebam, & sic quærebam, non inueniebam. Quærebam* enim nunc *per fidem, suo tempore per speciem inueniendum. Quæsiui faciem non carnis eius, sed diuinitatis eius. De qua Propheta: Quærite faciem eius semper. Sed aliud quærendi, aliud erat tempus inueniendi. Tunc etiam assiduè vocaui eum, sed non respondit votis meis. In votis mihi erat, inebriari ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius satiari; sed nondum tempus erat. Prius materna pietatis officiis ad annos vsque viriles mihi perducendus erat incolatus: mihi priùs iuxta crucem eius standum, & gladio compassionis animus meus transuerberandus erat: vt posteà clarificatus à Patre, me sibi conglorificaret, & iam inueniretur, & meis votis plenè satisfaceret.* Vt constet apertè Mariam, non quia Mater Dei præcisè, sed quia decorata virtutibus fuit, gloria potiri.

156. *Quærebat Maria per fidem aliasque virtutes diuinam in superis aspicere, non quia eius Mater erat.* Psal. 104. Guillelm.

Hailgrinus Cardin. ad Iesum in medio Doctorum inuentum, & Matri loquutum illa verba: *Vocaui eum, & non respondit mihi*, referens ait: *Vocaui, & non respondit. Cum inuenissem eum in Templo in medio Doctorum, vocaui eum, & dixi: Fili, quid fecisti nobis sic? Ipse verò non respondit mihi tanquam Matri, quasi materno satisfaciens affectui. Sed ait: Quid est, quod me quærebatis. Ideò quoque dicit. Et non respondit ei verbum,* quia

157. *Vocanti Mariæ Iesus puer non respondit; vt doceamur, anxiè vocare Deũ, licet nobis non respondeat.* Hailgrin.

quia verbum respondentis non intellexit. Ideò enim statim subiungit Euangelista: Ipsi non intellexerunt verbum, quod loquutus est ad illos. Si tibi Dominus anxiè non respondet deprecanti, recordare, quod Matri charissimæ non respondit.

158. *Maria liquefit, vt metallum parata decurrere in omnes diuinæ voluntatis modulos.* Richard.

Denique silentio non est tradenda Richardi Laurentini sententia, qua ponderat promptam Virginis obedientiam illis verbis. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est*, expressam. *Anima mea* (ait ille lib. 4.) *liquefacta est per incendium charitatis, parata videlicet, instar metalli liquefacti, decurrere in omnes modulos diuinæ voluntatis, vt dilectus loquutus est ad me per Gabrielem, postulans me in Matrem, cui me obtuli in ancillam.* Statim paruit, obedientiæ enim piaculum putauit, diù obsequium differre.

159. *Per Mariæ obedientiam accepit solutionem nodus inobedientiæ primæ matris.* Irenæus.

Profectò per promptissimam Virginis obedientiam abluenda erat inobedientiæ macula, qua se, suosque filios Eua leuis infecerat. Aptè D. Irenæus lib. 3. aduers. hæres. cap. 33. *Captiuus factus homo condemnationis vinculis, Euæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam Mariæ dicentis: Ecce ancilla Domini, &c.* Inobedientia non libertatis est, sed seruitutis: misere seruit, qui voluntati suæ obsequi vult, Dei neglecta voluntate.

160. *Maria velleri comparatur, quia facilis ad obsequiū.* Psal. 71. Ambros.

Promptissimam Mariæ obedientiam Dauid parens expressit Psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus.* Verbum in Mariam carnem sumpturum aduentabit. At cur Maria velleri comparatur? An quia ad morem velleris facilè flectebatur? dictis obediens erat? diuinæ voluntatis præscripto probatissima operatrix? Ita Ambrosius serm. 13. *Maria velleri comparatur, quia mollis ad obsequium.* Nulla creaturarum cœlestium, ac terricolarum vnquam tam mollis ad obediendum, nulla tam promptè diuinæ obsequi voluntati præparata.

161. *Maria ex obedientia Filio similis ostenditur, adeò vt si Christus totus est Auris ad audiendū præcepta & obediendum, tota est Auris Maria.* Hebr. 10. Hugo.

O quàm ex hoc capite Filio similis! Qui *factus est obediens vsque ad mortem.* Vt Christus suam obedientiam commendaret, Patri ait ex ore Pauli Hebr. 10. *Corpus autem aptasti mihi.* Quod Dauid sic extulit: *Aures autem perfecisti mihi.* Hugo Cardin. *Id est, perfectam obedientiam dedisti mihi.* Nimirum corpus, quod ex Virgine sumpsit *Auris* esse videbatur ad audiendam Dei Patris vocem, eique obediendum. Profectò & Maria *Auris* dicitur, quia Dei mandatis tam promptè paruit, vt tota auris esse videretur. Richardus lib. 2. *Virginem Dei aurem appellat, id est aurem, Christi, qui per obedientiam totus auris esse videtur, æmulatricem. Præparationem cordis eorum, audiuit auris tua, id est B. Virgo, quia ea mediante pauperes exaudis.* Sicut igitur Christus ad obediendum totus est auris, haud aliter Maria ob obedientiæ promptitudinem tota auris Christi æmulatrix ostenditur.

Vers. VII.

Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem.] Qui cap. 3. vers. 3. fuere ab sponsa vigiles appellati, hîc *custodes* vocitantur. Ambrosius lib. 3. de virginibus hos intelligit. *Custodes Angelos, qui ciuitatem Ierosolymam circuiendo custodiunt.* Tres Patres asserunt, *Angelos esse, qui cunctam naturam, velut magnam quandam ciuitatem circumeunt.* Et quidem Maria optimo iure dicitur ab Angelis inuenta, à quibus è mundi initio fuit quæsita, & desiderata. Pulchrè D. Vincentius Ferrar. serm. de Nat. Mar. *Reuelauit Deus parentibus primis, ex eis processuram Virginem sanctissimam, quæ afferet maius bonum, quàm ipsi perdidissent. Quare conceperunt Virginem Mariam, ipsam desiderando. Sancti Angeli conceperunt Virginem in mentibus suis, per quam eorum ruina repararetur: & inceperunt tripudiare, & facere festum magnum.* Quid mirum ergò, si Maria tantopere fuit ab Angelis quæsita, & expetita, quòd ab ipsis inuenta dicatur? *Inuenerunt me custodes.* 162. *Maria inuenta fuit ab Angelis, à quibus fuerat diu quæsita, & desiderata.* Ambrof. Tres Patres. Vincent. Ferrar.

Percusserunt me, & vulnerauerunt me.] Si Angeli cælicolæ sunt, qui quæsitam, & expetitam admodum Mariam inuenerunt, Angelicam ruinam reparaturam, quomodo Virgo queritur, se ab illis percussam? An ingrati eam ausi sunt vulnerare, à qua tanto donandi erant beneficio? Profectò Angeli, vt cognouerunt, Virginem quæsitam iam *inuentam* esse *in vtero* habere Saluatorem, facto agmine venerati sunt Dei genitricem, & in suæ Dominæ laudem dulcisonos fuere hymnos modulati. Quæ quidem laus humillimæ Mariæ instar percussionis fuit, instar vulneris, extitit. Dixerat Tertullianus, *patientiam Christi* fuisse *vulneratam* per vulnus Malcho à Petro inflictum. Haud aliter humilitas Mariæ laudibus, & encomiis, quæ Angeli concinerunt, fuit vulnerata. Equidem Christus humilium exemplar, qui dixit *discite à me, qui sum humilis corde*, in montem aufugit, ne raperetur in Regnum, & ne raperetur in crucem non solùm non fugit, sed potius sese cruci vltroneus obiecit. Ac si dirius humilitatis Magistro vulnus esset, ab aliis efferri, quam cruci suffigi. 163. *Humillima Mariæ audire ab Angelis laudes suas, fuit velut ab ipsis percuti, & vulnerari.* Tertul.

Haud incongruè dixerim, Virginem à Scribis, & Pharisæis Ierosolymæ custodibus, (nudo tamen titulo) percussam & vulneratam fuisse in Filio, quando ipse ab illis vulneribus afficiebatur. Erant etenim Christus & Maria per amoris affectum velut vnica essentia. Excogitationem hanc ex Hailgrino Card. confirmo. *Pontifices, & Pharisæi, qui ex officio debebant custodire ciuitatem, apprehenso vero custode Filio meo* (qui quidem *Samaritanus*, id est *custos* dicitur in parabola viatoris, qui in latronum manus *incidit*) *inuenerunt me in ipso. Percutientes eum, me percusserunt; & vulnerantes eum, vulnerauerunt* 164. *Maria eadem quodammodo essentia cum Filio percussa, & vulnerato ipsa à Iudæis, percutitur, ac vulneratur.* Hailgrin.

 me.

Maria quaſi corredemptrix.

me. Abſtulerunt pallium gaudij mei, & pro eo dederunt mœraris ſpiritum. Vulnerata ne & percuſſa Maria fuit, cum Chriſtus percutitur, & vulneratur, & cum moriente per compaſſionis affectum commoritur? Aptè ergo Patres eam corredemptricem quodammodo eſſe excogitarunt.

Vulneratur Maria amoris ſagitta, cùm ab Angelis dilectiſſimi Filij laudes exaudit. Philip.

165. Aptius dixerim, Virginem flagrantiſſimi amoris ſagitta vulnerari, cum ab Angelis Eccleſiæ cuſtodibus ſponſi ſui dilectiſſimi laudes exaudit. Appoſitè Abbas Philippus. *Prius inuentam Virginem inuenire iterum Angeli referuntur: illiuſque amorem feruidum fauore debito proſequuntur. Et quibus cura eſt, vt amantes excitent, & accendant, vt ametur amplius attollunt eum, qui diligitur, & commendant. Commendantes verò ineffabilem magnificentiam Creatoris, menti Virginea ampliorem ingerunt vim amoris. Qui dum narrare cupiunt, nec tamen ſufficiunt, quanta ſit eius excellentia, qui amatur: Virgo percuſſa fortiter acriori iaculo vulneratur. Eſt enim laus dilecti, quoddam iaculum, vel ſagitta, qua cùm mens Virginis fuerit appetita, non tam pungi grauiter, quam compungi grauiter gratulatur.* Pulchrè.

Vulneratur Maria diro gladio, dum cum Apoſtolis recolit ſui Filij paſſionis hiſtoriam. Rupert.

166. Nec minus appoſitè meditabimur, cuſtodes, & vigiles hoſce Apoſtolos eſſe, qui quæſita, & inuenta Dei Matre, cum ipſa conferunt diræ paſſionis Dominicæ hiſtoriam, cuius innouata memoria Matris animus fortiter vulneratur. Nobiſcum Rupertus. *Qui ſunt, vel erant illi vigiles, & cuſtodes murorum, qui circumeunt ciuitatem? Apoſtoli ſcilicet, & hoc erat illis vigilare, & muros cuſtodire, orationi, & miniſterio verbi ingiter inſtare. Quomodo quærebant, & quomodo inuenerunt me? Quærebant me vtique omnes pia ſollicitudine, & ille præcipuè, cui à dilecto fueram commiſſa. Quærebant hi multum ſperantes de me, quod eſſet in me aliquid dignum ſua inquiſitione; quippè qui nouerant, quod in me, vel de me fuiſſet factum: qualis Mater qualem Filium genuiſſem. Quærebant igitur, & inuenerunt me plenam gemitibus eſſe inenarrabilibus. Hæc nobis omnibus erat cauſa gemituum, atque fletuum, quod quò ipſe abierat, nos non poteramus abire. Hi percuſſerunt, ac vulnerauerunt me. Quomodo vel quibus armis? Conferendo ſcilicet, & colloquendo, & gemitus ſuos nimis violentos in medium iaciendo, percuſſerunt nos. Hæc erant iacula ipſorum, & iſti percuſſerunt, & vulnerauerunt me: percuſſi ipſi, & vulnerati à me viciſſim ſagittis acutis, quæ erant ſagittæ loquentis (* per illos *) ad me dilecti. Atque ita mutuis percuſſionibus, mutuis vulneribus percutiebamus inuicem, & percutiebamur, vulnerabamus, & vulnerabamur percuſſionibus ſuauiſſimis, vulneribus dulciſſimis: qualia qui expertus non eſt, profectò ſanitatem cordis non habet.* Quonammodo poteſt eſſe ſuauiſſimum, ac dulciſſimum vulnus de amariſſima Chriſti paſſionis colloquutione fidelibus? Planè quia omnem huius calicis amaritudinem exhaurire voluit, vt ſuis chariſſimis dulciſſimam ebrietatem propinaret: *Inebriamini chariſſimi.*

Maria & Apoſtoli ſeſe inuicem vulnerabant paſſionis dominicæ colloquio.

Dulcis percuſſio, ſuave vulnus de paſſione Ieſu loqui.

Vulneratur dire Maria, cum contra Chriſtum iactata à Iudæis opprobria percipit. Guilelm.

167. Vel ſe Maria percuſſam, ac vulneratam fuiſſe conqueritur, opprobria contra Chriſtum Dominum ab impijs iactata condolens exaudiuit, argumentum hoc Guillelmus eleganter perſequitur. *Scribæ, & Phariſæi, qui multam in populo, vtpotè Doctores legis authoritatem habebant, cœperunt de gloria noui Doctoris Chriſti grauiter anxiari, & fortiter malignari, multam ei inuidiam conflantes, & irreuerenter blaſphemabant eum. Quod audiens pia Mater, ob impiam Filij dulciſſimi ſuggillationem pijs exulcerabatur angoribus. Nam & in ipſam calumnia, & maledicta redundabant, dicentibus non paucis: Maledictus venter, qui ſeductorem illum portauit, & vbera, quæ illum lactauerunt. Denique clarificato iam Filio, ſodales eius familiariter alloquens, & benignè exponens eis, quæ circa eam ante paſſionem Filij euenerant, inuenerunt me (* inquiebat *) vigiles.* Addit Abbas. *Scribas autem & Phariſæos ironice vocat vigiles ciuitatis, & cuſtodes murorum, quod vtique arrogantes ipſi ſe eſſe credebant, quaſi per eos, & propter eos terrena illa Ieruſalem ſalua, & ſecura conſiſteret.*

Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.] Si cuſtodes erant Apoſtoli, & Euangeliſtæ, quonammodo Mariæ pallium ſuſtulere? Crediderim, quod auferendo ſilentij operculum, quo Maria Incarnationis myſteria, quæ intellexerat, & in corde occultauerat. Id appoſitè expreſſit Richardus Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Mater Chriſti quaſi ſub ſignaculo (* vti ait Gloſſa *) conſeruabat omnia verba hæc.* Luc. 2. *Omnia, quæ de Domino, vel à Domino dicta, vel facta cognouit, ſiue quæ intellexit, ſiue quæ nondum intelligere potuit, omnia memoriæ commendauit, vt cum tempus prædicandæ, aut ſcribendæ Incarnationis eius tempus aduenitet, ſufficienter omnia, prout eſſent geſta, poſſet quærentibus explicare. Et ita quatuor Euangeliſtis multa dictaſſe creditur eorum, quæ ſcribebant,* Lucæ præcipuè. *Ideò dicit ipſa* Cant. 5. *Tulerunt mihi pallium meum, id eſt, à me rapuerunt reſerationem ſecretorum Filij mei (quæ prius tegebam quaſi ſub pallio, ſeu velamine,* aut peplo *ſilentij, & erant occulta apud me) cuſtodes murorum, id eſt, Apoſtoli muros munientes Ieruſalem, id eſt, Eccleſiam.* Ex Ruperto tranſcripſit. 178.

Apoſtoli tulerunt pallium, ſeu velamen ſilentij, quo Maria Incarnationis myſteria obuelabat.

Richard. Gloſſa. Luc. 2.

At non incongruè per pallij ablationem intelligi datur omnimoda Mariæ à rebus temporariis nuditas. Adeò enim Deipara erat ab his curis abſtracta, vt vel à neceſſariis vitæ exigentiis nudaretur, vt ſolutior poſſet ad cœleſtia auolare. Excogitauit id Abbas Philippus, dum inquit: *Gaudet Virgo pallium ſibi tolli, cum mente velut nuda ſentit, in cœleſtibus ſe attolli: cum ſentit à vigilibus,* Angelis, Apoſtolis, & fidelibus *laudes ſponſi eximias prædicari, & incentiuo laudum à cura temporalium ſe nudari. Cuſtodes vigiles Virginem cum inueniunt amoris facibus æſtuare, vulnus vulneri ſuperponunt; ſtudentque illam amplius inflammare, tolluntque illi pallium quo naturaliter amicitur, id eſt, curam, qua ſe ipſam curare omnis mortalitas inuenitur.* Tam nudata Maria à cunctis mortalitatis agnaris curis, quaſi vitam iam degeret immortalem. 179.

Omnimoda Maria à rerũ temporalium nuditas. Philip.

Vel Virgo beatiſſima ſe reputat ſpoliatam ſuæ gloriæ ſtola, dum Filij ſui honorem audit à falſis cuſtodibus Phariſæis obnubilari. Ipſa Guillelmi ore conqueritur: *Exacuerunt illi vt gladium linguas ſuas, firmauerunt ſibi ſermonem nequam, infamauerunt Filium meum ad populum, & ſaluberrimum eius odorem coram* 180.

Virgo ſe reputat ſuæ gloriæ ſtola ſpoliatã, dum audit à Iudæis in Filiũ iniurias iactari. Guillelm.

vorum multis fætere procurarunt. Eo ipso, quòd famam dilecti mei gladio linguæ suæ tam crudeliter lancinauerunt, Maternum in me affectum inflictis dolorum vulneribus consauciauerunt. Præterea, quoad potuere spoliauerunt me stola gloriæ meæ, & pallio laudis, quo operiebar, cum diceretur: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ sugere dignatus es. Hac gloria me nudantes, quantum potuerunt, induerunt me diploide confusionis, infamando me tanquam pestilentissimi seductoris Matrem. O quanta animi mei exultatione hoc patientiæ munusculum cœlo litabam!

181. *Dum Maria propius ad Deum accedit, humilitatis affectu se quasi non omnino immaculatam quodammodo reputat.* Cant. 5.

Dixerat suprà vers. 3. Virgo. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Expoliatio hæc omnimodam indicat puritatem; nam & pedes abluerat. At subiicit illicò: *Inuenerunt me custodes: tulerunt pallium meum.* Te ô sponsa & Mater beatissima, omni veste spoliatam agnoscis, omni conspicuam aspicis Dei ex munere puritate, & sponsum quærens induta pallio à custodibus inueniris? Vndenam tibi hoc pallium? Profectò indicare vult nobis, quod quò magis ad Deum accedimus, eò plura nos videre in nobis, quæ dimittere oportet. Tam ineffabilis Mariæ immaculatæ humilitas, vt quæ Adami vestibus nunquam fuerit induta, proximior facta sponso, se haud à maculis liberam esse videretur. Ad hanc mentem allicio perpulchram Gregorij Nysseni sententiam, qui hîc hom. 12. fatur. *Quomodo ergo nudata vestimentis omnibus, ô fidelis anima* (dixerim: Quomodo nunquam Adami induta vestibus ô Maria.) *pallium habes, quod & nunc custodes ciuitatis adimant? Ea quæ iam antea tunicam veterem exuerat,* (ea quæ nunquam veterem induerat tunicam) *ab omni pallio immunis erat, vsqueadeo se ipsa fit purior, vt ad priora comparata hac recenti puritate non exuisse antehac pallium videatur: sed rursus inuenisse post nudationem illam, quod deponat. Sic adscensus ad sublimitatem illam diuinam semper aliquid ostendit rei crassæ, præter id, quod quovis tempore deprehenditur.* Ascensus in aliis sanctis aliquid crassitudinis diluendæ ostendit verè: in Maria autem haud verè ostendit maculam, quam minimè habet, sed ipsa ineffabili humilitate se putat habere. — Nyssen.

182. *Maria vulnerantibus, despicientibus, & percutientibus se nunquam irata, semper grata & benigna ostenditur.* Ignat.

Num Deipara se despicientibus, percutientibus, vulnerantibus iratam ostendit aliquandò? Minimè: imò se gratam præstitit, ac si ingens ab eis beneficium accepisset. D. Ignatius Martyr Epist. 1. *Maria Iesu*, in persecutionibus est hilaris, *iniuriantibus grata.* Quid mirum, si erat *Maria Iesu*, à quo clamante è cruce, *Pater ignosce illis*, hunc ebibit affectum.

183. *Maria erga se persequentes amore languet.* Cant. 5.

Porrò Deipara post percussionem post vulnera, post pepli ablationem affectuosè inclamat. *Adiuro vos, si inueneritis dilectum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. Læsa lædere minimè cogito, vindictam non cupio, nihil aliud post vulnera, post spoliationem inuenio, quam amoris igne ita meum cor succendendi, vt tota ardeam, tota liquescam dolens vicem persequutorum.

184. *Maria, quæ contumeliis, & vulneribus ad iracundiam non commouetur, meritò diuina appellatur.* Bernard.

Hinc Maria meritò à Patribus *diuina* appellatur. Contumeliis namque, & iniuriis non commoueri, quid diuinum proculdubio est. D Bernardus Opusc. de charitate, cap. 18. inquit: *Quid ita diuinæ tranquillitatis imaginem gerit, quàm anima, quæ sic ad omnium iniuriarum tolerantiam se obfirmat, vt eam contumeliæ illatæ non moueant, & mentem eius à statu suo nullæ comminationum aut iniuriarum machinæ deiiciant.* Preme particulā illam: *Quàm anima*, conuenientem in hanc: *Quàm Maria*; & sic Mariæ totam accommodans sententiam, colliges, quàm verè Maria à Patribus *diuina* vocitatur.

185. *Moyses didicit à Maria rubo flagranti sine combustione, iniurias adeò sustinere, vt quasi diuinus haberetur.* Exod. 3. Ambros.

Vidit apud desertum Moyses rubum flagrantem sine læsione. Exod. 3. Arbor hæc est Maria persecutionum igne exardescens, sed ita *hilaris*, (vti cum Ignatio loquar) vt iniuriarum flamma eam non torquere, sed potius lumine ornare videatur. D. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 7. sic de Mose scripsit. *Quantas Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias! & cum Dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter. Quam miti sermone post iniurias appellabat populum, solabatur in laboribus, deliniebat oraculis; fouebat operibus! Meritò æstimatus est suprà homines, vt vultui eius non possent intendere.* Opportunè ad hæc Nouarinus de Vmbra Virg. lib. 4. excurs. 79. adiicit: *Moses tam mitis euasit, quia ad Mariæ vmbram ad rubum, scilicet populi princeps est constitutus.* Didicit quidem à Maria inter persequtionum flammas minimè contra iniuriatores exardescente, eis gratus quasi beneficium accepisset, existere, vt sic in diuinum mutaretur ad exemplum Mariæ, quæ iniuriantibus *gratam* se ostendit.

Vers. VIII.

Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo.

186. *Maria moriendi ardens desiderium, vt Dei faciem aspiceret.*

ADiuro vos, *filiæ Ierusalem, &c.*] Per Ierosolymæ filias intelligo animas illas iustas, quæ ex mortali vita ad immortalem transeunt: quas Virgo adhuc superstes sic alloquitur: si ad superos data fuerit vobis auolandi fœlicitas prius quam mihi, renuntiate meo dilectissimo Filio meum ardentissimum illum aspiciendi desiderium. Præstat hoc vberius ex Ruperto exaudire. *Filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum ante me, vt sæpè fit: intromissæ ad conspectum eius, annuntiate ei, quia præ magno faciei eius videndæ desiderio, vitæ tædium patior, & vix præsentis exilij moras sustineo.* — Rupert.

187. *Nos edocet Maria, quam expetibilis mors nobis debeat esse, vt Dei visione potiamur.* Rupert.

At quantò magis, ô dilecta per temetipsam (adiicit Pater) *absque internunciis dicere id dilecto poteras. Quorsum tendit hæc adiuratio? Nonne vt percussa, percutiat? vt vulnerata vulneret? Vt audientes filiæ tantum in Matre vitæ futuræ, quæ non videbatur, desiderium, in morte præsertim, & ipsæ talem esse dilectum existiment, vt iure propter ipsum quærendum hoc sæculum fastidiant.* Itaque Virgo internunciis vult vti, vt nos edoceat hoc fastidire sæculum, dum illo ardentissimo affectu indicat, quàm expetibilis vel mors sit, vt animus à corpore solutus dilecti visione potiatur. Hunc Deiparæ affectum in nostram eruditionem

elegan

Hieroni.

eleganter D. Hieronymus tom. 4. Epist. 10. descripsit. *Considerate, quo incendebatur amore, quo desiderio aestuabat Virgo Nouis quotidiè praesentia absens, inflammabatur desideriorum affectibus. Tantò scilicet validius, quantò diuinis intus illustrabatur visitationibus. Quàm totam repleuerat Spiritus sancti gratia: quam totam incanduerat diuinus amor: itavt nihil in ea esset mundanum, quod violaret affectus; sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris. Fortassis ergo prae nimio amore in loco in quo sepultus dicitur dilectus, habitasse eam credimus, quatenus iis internus amor pasceretur obtutibus.* Quare in sepulchro eligit habitare? Planè vt iam cum Christo quasi consepulta, illos moriendi affectus piè posset illudere. Igitur hoc *considerate*, vt Magistrae dictamina piis moriendi affectibus aemulemini.

Maria habitaculum fortasse erat Christi sepulchrum. Vt viuens quasi illuderet moriendi desiderium.

188. Haec profectò Virginis adiuratio eò tendit, vt fideles animas iam dilectum amantes in eius dilectionem vberius accendat. Eleganter hoc Guillelmus Abbas expressit. *Filias vocat Ierusalem propter electionem gratiae eas, quae paulò ante, ira Dei manente super eas, fuerant filiae Babylonis, & haec mutatio dexterae excelsi. In hoc tamen, quod non filios, sed filias vocat, mollitiem notat filiae, quia molles, & delicatae; filiae Ierusalem, quia vita renouatae lauacro. Sic consultè loquitur aemulans eas Dei aemulatione.* (2. Cor. 11.) *& cupiens, eas feruore charitatis nubere vni viro Christo: quem corporaliter genuerat, & cui spiritualiter ipsa nupserat. Non enim potest Mater bonitatis spiritu zelotypia vexari, vt sponsum suum aliis inuideat: quin potius vasta beneuolentia, quantum in ipsa est, omnes ei vult nubere, & suauissimis amplexibus per sancti amoris incrementum propius, arctiusque colligari. Quin & ad hoc etiam nos praeclaro exemplo suo incitat, & vt vehementius accendamur, pia nos aemulatrix adiuuare non cessat*, simul inclamitans: *Filiae Ierusalem adiuro vos.*

Expetit Deipara omnes in Christi dilectionem succendere. Guillelm.

189. Pergit Pater & Deiparae amorem ponderare, & zelum, quo accenditur, vt omnes in Dei amorem exardescere gestiant. Vel verbum pulcherrimae huiusce sententiae praeterire, piaculum duxi. *Adiuro vos, dicit Deipara, si inueneritis; vtilem metum incutiens, vt cautè, & impigrè quaerant. Ac si diceret: Bonis initiis sponsum quaeritis adolescentulae, cui nubendo, in Reginas assumamini. Sed quia ad hanc gloriam multo labore, & variis persecutionum exprimentis pertingitur: vereor, ne rudis adhuc, & minus robusta intentio difficultate tanta frangatur. Opto vos inuenire sponsum, sed quantum hoc opto, tantum metuo, ne fortè tentet vos satanas propter mollitiem vestram, & bonum propositum impediat. Propterea scrupulosè dico: si inueneritis. Si contigerit vos eum inuenire. Nuntiate ei non quasi ignoranti, nihil enim ei incognitum est: sed quia gaudet, quae nouit de dilecta, etiam ex aliis intelligere.* Hinc edisce, iucundissimum Deo esse, cum concionatores (nunquamnon audiente Deo) suae sponsae ac Matris peruulgant, quae iam ipse agnouit, elogia. *Nuntiate ei, quia amore illius langueo; id est, exemplo meo vos languere illius amore nuntiate: quid ego sentiam sensu vestro aperite. Sentite in vobis, quod ego in illo.* Philip. 2. *Langueo in amore mei prae amore sponsi caelestis. Amor eius languidum, & remissum in me facit amorem mei ipsius. Meo amori mortua, viuo ego, iam non ego, sed viuit in me sponsus.* Galat. 2. *Me namque amo non amore mei; sed amore sponsi, qui me amat. Non amo me in me, sed me in ipso, & ipsum in me. Nuntiate ei, quod langueam, languendo, vt ego. Ante quàm eum inueniatis, non potestis languorem meum nunciare, donec crescatis in amore eius, non potestis mecum languere.* Pulchrè admodum.

Mariae adhortatio, vt nos in Dei amorem alliciat. Guillelm.

Cum timore speranda est salus.

Valde iucundum Deo est, à concionatoribus Mariae elogia audire.

Virgo in sui amore languet prae amore sponsi caelestis.

190. Cardinalis Hailgrinus ita exponit: Introducitur hoc loco Mater loquens ad mulieres, quaerentes Dominum in sepulchro, dicens: *Si inueniatis dilectum meum, ò filiae caelestis Ierusalem, adiuro vos, dicite ei, quia pro amore illius ex compassionis dolore langueo.* Non placet ad dolorem passionis referri, nec ad inuentionem in sepulchro; sed potiùs ad vehementiam amoris, & ad inuentionem in ardore contemplationis cum Honorio, vel clarae visionis cum Ruperto citato.

Mulieres quaerentes Dominum in sepulchro, & etiã Maria, vt ei referant suae compassionis dolorem.

191. Aptius referam illam particulam, *Amore langueo*, ad totam Deiparae vitam cum angore transactam. Nam si vim verbi illius *langueo* perpendas, dicit *longi angoris* passionem. Audi ex ore Richardi Laurent. lib. 3. vbi meam scitè confirmat excogitationem. *Languor dicitur quasi longus angor. Nunquam enim Virgo, ex quo Filium concepit, sine languore fuit. Languit enim timore à natiuitate Filij vsque ad passionem, cum semper vitam Filij appeti insidiis cognosceret. Languit dolore toto passionis tempore, donec rediuiuum reciperet: languit amore post Ascensionem quodammodo, desiderio pio faelicius, sed mirabilius cruciata; quia sedentem in caelo non teneret. Propter hunc* maximè *tertium languorem dicit ipsa* Cant. 5. *Filiae Ierusalem, id est, ò vos virtutes Angelicae nuntiate dilecto, id est, Filio meo, quia amore langueo. Sic enim Filius siue sit summi fons gaudij, tam longi factus est illi causa Martyrij, vt charissimam ipsius animam tot, & tam acuti sine cessatione gladij pertransirent. Gladij* inquit appositè. Nam praeter gladium doloris in passione Filij, & gladio timoris, & desiderij dilectum videndi gladio fuit vulnerata. Vnde Simeon aptius dicere potuit: Et tuam ipsius *animam gladij*, (& non solum *gladius*) *pertransibunt*. Luc. 2.

Maria dum viueret, longo angore cruciata fuit ob amorem in Filium. Richard.

Maria triplici gladio fuit percussa timoris, doloris, & desiderij. Luc. 1.

192. Paulò superius diximus ex Ruperto, Virginem scientem sui amoris affectum notum esse dilecto, qui corda scrutatur, vti voluisse internunciis, qui eum illi manifestarent: vt vulnerata ipsa charitate in sponsum, aliorum praecordia vulneraret: *Percussa percutiat, vulnerata vulneret*, Abbas dixit. Quonam precor iaculo, quanam sagitta. Planè se ipsa, quae quidem ad alliciendum nos, vt suum dilectum amemus, conuersa est in sagittam dulci nos vulnere affectura. Prius Maria vulneratur amore, vulnera in aliorum cordibus velut sagitta efficiens. Id Psellus cogitauit explicans verba illa. *Laeua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Ecce quae paulò ante mirabili sagitta saucia erat, amore langueo, amore vulnerata sum inquit. Nunc sagitta fit in manibus iaculantis. Laeua sub capite sponsae, dextera illam complectitur. Quandoquidem ad similitudinem volantis sagitta emissa fuisse dicta est.* Querentis Iobi illae voces erant:

Vt Maria alios diuino amore erga Deum inflammet, se ipsa quasi sagitta vtitur. Nullum enim efficacius ad nos erga Deum afficiendos, quam Virginis amantis exemplum. Rupert. Psellus.

Non querimur, vulnera-

ti Maria sagitta, sed gratias pro inflicto vulnere fundimus.

erant: *Sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Cap.6. Nos absque vlla querela numini voces laudis offerimus, si tanta nos fœlicitate donet, vt hac cœlesti sagitta compungamur, quæ sua vi mundialem omnino expellat ex corde affectum, idque ad cœlestium dilectionem accendat.

Maria nunquam, nec dū viueret, nec in morte corporea ægritudine, seu languore laborauit. Caietan.

193. Denique, quia *languor* infirmitatem significare solet iuxta illud: *Languores nostros ipse tulit*, opportunè hîc in quæstionem adduxerim, num Deipara alicui fuerit vnquam morbo subiecta? Negatiuè omnino respondeo, nec aduersus hanc veritatem vllum firmum fundamentum excogitari posse reor. Ait Caietan. opusc. 2. cap.3. *Dissonum est rationi, B. Virginem ægritudinem aliquam passam esse. Quia similis debebat credi Filio per omnia, quantum fas est.* Idque duplici ex capite oriri coniector. Primò ex naturali complexione, & humoribus ad æqualitatis libram compositis, ex quorum pugna assolent ægritudines exoriri. Secundò, ex speciali extrinseca Dei prouidentia, per quam fuit ab eiusmodi infirmitatibus præseruata. Henriq. de Hass.apud Dionys. Carthus.lib.2.de laudib.Virg. *Maria plena gratiæ, & optimæ compaginis naturalis fuit.* Gerson serm.de Concept. *Quod ad corpus attinet, conferimus ei omnem sanitatem, harmoniam, & temperantiam complexionis. Harmoniam* dixit? Ergo nullo perleui dolore corporis fuit affecta, ne harmonia illa perturbaretur; quæ facilè vocula dissona solet perturbari. De Christo Domino Brigittæ dixit Deipara lib.1. cap.10. *Optima & fortissima natura erat. De mea enim carne corpus mundissimum, & optimè complexionatum sumpsit.* Quasi ad id etiam optima corporis virginei, & materni fuerit suffragata. D.Thom. 3. p. q. 46. art.3. profatur: *Inconueniens erat, eum, qui sanaret omnium languores, habere proprium corpus languoribus affectum:* sic & erat alienum, vt Mater esset subiecta morbis, quæ carnem ministratura erat Filio alienos morbos sanaturo. Idem Doctor Angelicus 3.p.q.44.art.4. *Hi defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu; quandoque ex defectu virtutis formatricis: quorum neutrum Christo conuenit.* Quæ ratio haud dissimilem affert pro Deipara confirmationem. Lege plura apud nostrum Poza in elucid. lib.3. tract.10. Quòd si aliquando Virgo morbo videbatur afficienda, maximè in mortis instantia. At omnium sententia vehementissimo in Deum amore affecta diem suum obiit. Sic Suarius noster 3.p.tom.2. prout ipsa Deipara Brigittæ reuelauit. Circa communem Hebræorum traditionem summis Sacerdotibus illius populi legitimè ex Aaronis progenie obortis hoc priuilegium fuit à Domino concessum, vt nullatenus obirent ex morbo, sed ex Dei iubentis imperio. Horum moriendi modus in Moysis, & Aaronis obitu fuit dedicatus: at quanto maior est Deiparæ Maiestas, vt cognoscamus, in hoc genere præstantius ei priuilegium fuisse concessum.

Henriq. Carthus. Gerson. Brigit. D.Thom. Idem.

Maria vehementissimo in Deum amore affecta diem suum obiit. Suarius.

Vers. IX.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

QValis est dilectus tuus ex dilecto?] Duplicem hæc verba sensum admittunt. 194.
Primum, vt nomine *dilecti ex dilecto*, intelligatur Verbum diuinum, cui homini iam facto Pater æternus bis indidit *dilecti* vocabulum in Iordane, & in Thabor, dicens: *Hic est Filius meus dilectus*; cuique ex sua proprietate relatiua competit esse *dilectum ex dilecto*, seu *Deum de Deo*, Filium scilicet, qui originem ducit ex Patre prima Beatissimæ Trinitatis persona, & ingenita, vtpotè quæ à nullo procedit; vnde non potest *dilectus ex dilecto* appellari. Porrò Spiritus sanctus, qui est tertia persona, licet procedat vt amor, non tam propriè dici potest *dilectus ex dilecto*; quia cum procedat à Patre & Filio, *dilectus ex dilectis* dici deberet. Filius igitur, qui per æternam generationem à Patre ducit originem propriissimè *dilectus ex dilecto* appellatur. Igitur Angeli, Cherubini, ac Seraphini agnoscentes in Maria diuinæ sapientiæ thesauros esse absconditos, dum Beatissimæ Trinitatis mysterium aspiciunt, adhuc quasi id ignorantes, expetunt Mariæ esse Discipuli, ex eiusque ore percipere quale sit Verbum, seu *dilectus ex dilecto, Deus verus de Deo vero*: & qualis sit Christus Deus & homo. O ineffabilem Virginis sapientiam, à qua ediscere Cœlicolæ gestiunt!

Angeli expetunt Mariæ esse Discipuli, vt ab ea Diuina Sapientiæ thesauro recōdita diuinitatis Mysteria edoceantur.

Id confirmo ex Archangelo Gabriële ad 195.
Mariam immisso, vt Altissimi legationem gereret. Luc. 1. Postquam enim Virgini annunciauit Matrem esse futuram, & Virgo obiecisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus respondit, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Quasi ad Spiritum sanctum Mariam remitteret, vt modum illum ipso Dei Magisterio posset ediscere. Quasi Archangelus ausus non esset sapientissimam Virginem instruere, à qua vel superiores Cœlicolæ ediscere expetunt. Pulchram do Magni Alberti sententiam sup. Missus est, cap. 17. *Concedimus, quod iste Angelus Gabriël non fuit de maioribus, sed fuit Archangelus: & hoc in honorem B. Virginis. Quia si quis de superioribus mitteretur, ab ipso Maria illuminari, edoceri crederetur. De minoribus ergo mittitur, vt ostendatur, quod Angelus est tantùm negotij minister; & exterior delator. Deus autem per seipsum est negotij inuentor, & intelligentiæ inspirator*, aut Doctor. *Vnde Angelus requisitus de modo, transmittit eam ad Spiritum sanctum, dicens: Spiritus sanctus superueniet.* Tam sapiens Maria, vt solummodo possit à Deo infinita sapientia edoceri.

Angelus Gabriel ausus nō est sapientissimam Mariam instruere de modo Incarnationis, ideò eam ad Spiritum sanctum remisit. Luc.1. Albert.

Tam sapiens Maria, vt solummodo possit à Deo edoceri.

Solus Deus Mariæ potuit esse Magister. 196.
Ioseph Virginis sponsus semel & iterum ab Angelo edocetur in somnis, quid de profectu in Ægyptum, & de reditu in Palæstinam exeri oporteret. An non aptius Angelus

Ioseph ab Angelo docetur de fuga in Ægyptum, Maria nec ab

Angelo, nec à Iosepho; sed à Deo instruitur. Albert.

gelus immediatè Virgini apparuisset, vt de his eam instrueret? Equidem Angelus quodammodo ausus non est coram sapientissima Cherubinorum Magistra suum magisterium exercere. Vnde adiit Iosephum! An vt à Iosepho Virgo instrueretur? Respondet Albertus, vbi suprà: *Ioseph ab Angelo edocetur in somnis, vt sciret, quid facere deberet: non vt faciendum B. Virgini intimaret. Quæ prius quàm ipse sciebat, quidquid ad operandi necessitatem pertineret. Neque ad hoc aliquo indigebat documento ab homine, vel ab Angelo; quia illum habebat in gremio, qui est Doctor, & Magister Angelorum in cœlo.* A quo solum Doctore potest Maria dictamina ediscere: ab ipsa verò cunctæ sapientes admodum creaturæ interrogare possunt: *Qualis dilectus tuus ex dilecto.*

Ineffabilis amor pulcherrima Maria erga Deum sponsum manifestat infinita Dei merita tali digna amatrice. Del-Rius.

197. Secundus autem sensus horum verborum est, vt vox hæc non sit interrogantium Angelorum, sed cum admiratione affirmantium: *O qualis est dilectus tuus ex dilecto*, id est, ex dilectione tua! Ac si dicerent: Quàm pulcher, quàm amabilis, quàm plenus dotibus mirabilibus erit tuus ille sponsus, quem tu creaturarum omnium pulcherrima cum sis, tam ardenter diligis: Ex dilecto itaque, seu ex dilectione tua erga illum colligimus, quam dignus sit tuus Filius, & sponsus amore. Del-Rius noster id acutè digessit: *Pulcherrimus sit oportet, quem tu mulierum pulcherrima sic deposcas: & propter quem nos ita sanctè, & seriò fueris obtestata: quia sic adiurasti nos.*

Maria aptissimum med. ū est, nos manu ducens in attributorum Dei cognitionem. Chrysol.

Colligo hinc Mariam esse aptissimum omnium creaturarum medium nos manu ducens ad perfectissimam omnium attributorum Dei cognitionem. Vnde Angeli ex amore erga eum, seu ex sanctitate Mariæ indicant se Deum perfectius agnouisse. Hinc D. Chrysologus serm. 140. dixit: *Quantus sit Deus satis ignorat, qui huius Virginis mentem non stupet.* Id est, qui animæ Deiparæ amorem in Deum, sanctitatemve stupens non perpendit.

Maria Dei per antonomasiam dilecta (seu la Amada) debet appellari. Del-Rius.

198. Profectò Angeli à Maria non semel tantùm, sed & iterùm rogitant, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Quare precor? Quia per hanc bis repetitam particulam duplex natura sponsi diuina & humana insinuatur. *Persona* etenim Christi (vti ait Del-Rius) *Gigas est gemina substantiæ:* & sic vtrique naturæ sua respondet interrogatio. Vnde solidam putarim (licet Del-Rius non assentiat) speculationem illorum, qui quæritant, cur non dictum fuerit in secunda interrogatione, *Ex dilecta*, si in prima dictum est, *Ex dilecto?* Quia inquirunt diuinam generationem ex Patre, dicunt *ex dilecto?* Ergo cum inquirunt humanam generationem ex Matre, dicant *ex dilecta.* Vt hinc in gloriam Virginis colligamus, *Dilectam* (seu *la Amada*) à Deo per antonomasiam Mariam appellari. Quia plus à Deo Maria quam creaturæ omnes simul sumptæ, diligitur. Certè ratio, cur non dictum fuerit, *Ex dilecta* ea esse videtur, quia etiam secundum naturam humanam Incarnationis opus principaliter ex sancto Spiritu superueniente, & obumbrante extitit.

Tam eximia D. Iosephi merita, vt potuerit dilectus Mariæ per antonomasiam appellari.

199. Nisi velis, in hac secunda interrogatione Angelorum. Qualis est dilectus tuus ex dilecto D. Iosephum intelligi, qui vt sponsus fuit etiam dilectus Mariæ per excellentiam. Vnde explicare possimus vtramque particulam. Qualis est dilectus tuus Filius ex dilecto Patre Deo per æternam generationem: & qualis est dilectus Filius tuus ex dilecto à te sponso Iosepho hominum existimatione illius parente. Vnde in D. Iosephi gloriam elicio, tam eximia fuisse eius merita, vt in terris pulcherrimæ mulierum Mariæ *dilectus* per antonomasiam appellari potuerit.

Maria priusquā Dei Mater esset, quodāmodo Deiffauit, vt Dei Filius ipsa ex ea ortus homo matrissare dici posset. Guil'elm.

O pulcherrima mulierum.] O pulcherrima pulcherrimi Mater! An Christus pulcherrimus ex Matre pulcherrima? Minimè, sed è conuerso ex pulcherrimo Filio ex ea nascituro datum est ei, vt & antè eius conceptum, & partum omnium creaturarum pulcherrima existeret. Guillelmus ad hæc: *Verè pulcherrimam mulierem vocat, quæ speciosum forma præ filiis hominum peperit. Non quòd ex ipsa Filius pulcher; sed quia ex Filio* ex ea nascituro *ipsa pulchra.* Quàm ineffabilis Mariæ spiritualis pulchritudo, si eam ex Verbo diuino facto homine ex ea nasciturо traxit, vt quodammodo *Deissaret* Maria, vt Filius Dei *Matrissare* diceretur, iuxta Philosophi sententiam asserentem: *Filij matrissant.* 200.

Maria est Mater matrū, sicuti est virginum Virgo. Guillelm.

Nec te *mulierum* vocabulum adducat, vt cogites, id innuere Mariam post conceptum, & partum Virginem non perstitisse. Hoc enim vocabulo indicatur, Mariam matrum esse Matrem, quemadmodum virginum Virgo verè nominatur. Huic suspicioni Guillelmus occurrit, dum inquit: *Mulierum vocabulum hîc non deflorationem, sed sexum denotat. Vt intelligamus, non tantum inter virgines, sed inter matres eam esse pulcherrimam: nempè Matrem matrum, & Virginem virginum.* 101. [sic]

Persistendum nobis in Maria adoranda, & inuocanda, si assequi volumus, quod precamur. Guille'm.

Adiicit Abbas rationem, cur hîc illa interrogatio geminetur: *Qualis est dilectus tuus? Qualis est dilectus tuus?* Nempe vt ab Angelis doceamur persistere in Deipara veneranda, & in precibus ad eam profusis. *Denique (ait ille) hîc interrogatio geminatur: vt hac inculcatio nos doceat, in Virgine Matre adoranda*, seu in precibus ad ipsam profundendis *persistere debere. Nam qui alacriter, & instanter orant, hi demum exorant.* 101. [sic]

Mariam exoremus, vt nos doceat, quid nobis circa fidei mysteria sentiendum. Del-Rius.

Nec silentio prætereundam duxi opportunam in præsenti nostri Del-Rij sententiam, dum audit Ierosolymæ filias ediscere à Virgine procurare, quid de diuina, & humana natura sit fidei agnatum teneri. Nam cum tot in Ecclesia circa duas Christi naturas iam ab initio illius (vti Rupertus annotat) ortæ sint hæreses: & quàm facilè periculoséque quis aberrare possit à veræ fidei placitis: ideò necessarium est eis, qui vel meditaturi, vel docturi, vel concionaturi de his sunt, has Ierosolymæ filias imitari, & instanter orare Deiparam, quæ optimè nouit quid de Filio sentiendum sit; vt nos quoque id docere dignetur, & quo pacto de hisce mysteriis scribere, aut loqui debeamus. Adiicit Del-Rius aptè admodum: *Vnde apparet, quam laudabilis sit Catholicorum concionatorum consuetudo, initio concionis Mariam salutandi, & eius implorandi opem.* 203.

Laudabilis admodum concionatorum consuetudo Virginem sermonis initio salutandi. Del-Rius.

Profectò

204. *A Maria quærunt Angeli, ut eos doceat Christi Dei & hominis perfectionē, ut agnoscant, quantū ob eis debeat amari.* Philip. Profectò Angeli à Virgine curant edoceri de diuina & humana Christi Domini qualitate si quid ipsa agnouerit, quod illis nō fuerit manifestum, vt scilicet agnoscant quanto amore sint illa merita digna. Et quidem quænam ex creaturis potest aptius diuini amoris documenta tradere, quam illa, qui ardentius Deum quam omnes creaturæ rationales simul sumptæ dilexit? Graue tibi non erit longam, sed pulchram Philippi Abbatis sententiam perlegere. *Dic igitur, ô Virgo, qualis est ille, quem à nobis pariter vis requiri, cui nuncios nos allegas, si dederit inueniri? Dic, qualis est, ne in quærendo temerè, seducamur. Quia enim nos tam firmiter, tam amabiliter adiurasti, volumus non contemnere, sed magis attendere, quod rogasti; tantummodò dic, qualis est dilectus tuus ex dilecto. Scimus quidem quia Patrem diligis, cuius Filium sic affectas: & genito genitorem in diligendo iungere non defectas. Sed quia Patrem nisi Filius, & nisi per Filium nemo vidit: tibi autem idem Filius se ipsum non inuidit: dic nobis, si quid habes de eiusdem Filij qualitate, de cuius nil, aut parum vel audiuimus, vel intelligimus quantitate. Et quia ipsum, quem diligis, & nos diligere gratulamur, dilectionis gratia non semel tantum, sed iterum sciscitamur: vt cum audis, quod attenta huius inquisitio repetatur, prudenter intelligas, quo affectu diligentium requiratur. Ille quidem ex Deo Deus, lumen de lumine & ex carne caro est homo de Virgine, & quid cui debeamus, à te volumus edoceri, cum cuique substantiæ quod suum est proprium exhiberi debeat. Quapropter & congruè prædicta inquisitio replicatur: in quo duplex dilectio substantiæ duplicis explicatur. Quæritur ergo semel, quæritur & iterum qualiter gemina ille substantia gigas velit*, & debeat *amari.* Sola itaque Maria potest Angelos edocere Filij sui nonnullas qualitates, quas sola ipsa dignoscit?

Sola Maria potest docere Angelos nonnullas Christi qualitates, quas sola ipsa dignoscit.

205. *A Maria Angeli, & homines aptè edocentur diligendi Deum dogmata, quia ipsa dilexit eum, vt Deum, & vt Filium.* Philip. Nec mirum, Angelos, & homines debere Mariæ attribuere magisterium circa Christi dilectionem. Quia illum ipsa dilexit non solum vt Deum & hominem, sed vt Filium Deum & hominem quem genuit, & peperit: vnde cunctos in eum diligendo superauit. Philippus adiicit. *Dilectus ex dilecto dici potest, quatenus dicitur Filius hominis. Quia Virgo & Filium diligit, quod homo est; & eundem diligit ex quo est. Diligit quippe carnem suam; nemo enim carnem suam odio habet. Homines quidem illum diligunt, quia homo factus illorum particeps est naturæ. Virgo verò non solum factum hominem, sed factum ex se hominem amat illum, & ex qua homo factus est se ipsam magis diligit propter illum. Cuius cum humanatio dignè ab Angelo vel homine diligi mereatur; ei tamen amare plus competit in cuius vtero virgineo humanatur. Quod filiæ Ierusalem* cœlestis *videntur inquirentes innuere, cum non dicunt. Qualis est dilectus noster: sed. Qualis est dilectus tuus, dantes per hoc intelligi, quia dilectus ille Virgini rectè quasi specialiter assignatur, cuius dilectionem natura eum gratia potenter operatur.* Conuenienter igitur à Maria tam potenter Christum Filium diligente Angeli ipsi expetunt dilectionem edoceri.

206. Post Christi Ascensionem Virgo in terra ab ipso relinquitur, vt ad ipsam edocturi fidei occulta mysteria tanquam ad sapientiæ cœleste oculum accedamus. Dixit Rupertus. *Opportuna valde percontatio illa. Qualis dilectus tuus, &c. Si respiciamus ad illa tempora, de quibus nunc agimus, quando tu ô dilecta propter Euangelium dilecti præsens aderas, & in corpore detinebaris Magistra necessaria; testis valde idonea. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum Spiritus sancti sacrarium, scilicet pectus tuum, vt viua voce omnem necessario tenendam demonstrares regulam fidei cum testimonio Scripturarum, quas memoriter tenebas Prophetissa magna, & capax omnium Prophetarum, siue prophetiarum. Qualis est dilectus tuus, aiunt ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, idem Filius tuus Deus ex Patre Deo, qualis est ô Virgo virginum, ô sancta sanctorum?*

Maria ostium veritatis, & Dei oraculū, ad quod accurrimus, vt fidei mysteria occulta ediscamus. Rupert.

Maria Prophetissa est continens Prophetas, & prophetias.

Cardinalis Hailgrinus omnia, quæ hucusque diximus perbreui sententia complectitur. *O pulcherrima mulierum, quæ amore dilecti tui succensa sic adiurasti nos: responde nobis, quàm sit amabilis, quàm sit desiderabilis, quàm sit speciosus in vtraque natura. Et indica nobis, qualis sit dilectus tuus ex dilecto scilicet, qualis sit in Deitate, secundum quam est ex Patre, vt dilectus ex dilecto. Et illud etiam indica, qualis sit dilectus ex decore humanitatis assumptæ.* Sola Maria potest diuinitatis, & humanitatis Christi occulta mysteria, dum in terris habitat reuelare, quam Deus suorum secretorum sacrarium effecit, & quæ ex multorum sententia non semel dum viueret, ad visionem beatificam fuit eleuata. 207.

Sola Maria, dum viueret, poterat diuinitatis arcana reuelare, quæ aliquando hic visione beatifica fuit donata.

Redeo ad particulæ illius. *O pulcherrima mulierum* ponderationem. Pulcherrima dicitur, quia nulla in Maria spiritualis pulchritudo desideratur, omnium enim virtutum colligatio fuit. Aptè Richardus Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Quot virtutes, tot Maria habuit in se pulchritudines, & ideò pulcherrima mulierum dicitur* Cant. 5. *& ideo vocata est ab Angelo gratia plena, & hoc est nomen proprium nomen eius, sicut Maria.* Itaque cum audis *gratia plena*, idem sit tibi, ac si *Maria* audires; quia *gratia plena* tam proprium Virginis nomen est ac nomen *Maria.* 208.

Maria pulcherrima dicitur, quia omnium virtutum colligatio fuit. Richard. Luc 1.

Confirmat id Doctor ex cap. 62. Isaiæ: *Vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit.* Hoc est, os Domini, qui est Angelus Gabriel, vocauit tibi nomen *gratia plena*, quod nomen tibi proprium est, sicut Maria. Ideò Angelus Virginem sic salutauit. *Aue gratia plena.* Cur non dixit, *Aue Maria*? Planè, quia tam proprium nomen Virginis est *gratia plena*, quàm nomen *Maria.* 209.

Virgo duplici nomine appellatur, Maria, & gratia plena. Isai. 62. Richard.

O pulcherrima mulierum, seu omnium Angelorum, & Diuorum sanctissima. Angeli puritate nitent? Patriarchæ fide rutilant? Apostoli zelo accenduntur circa Dei gloriam, & proximorum salutem? Prophetæ cœlesti scientia donantur? Patientia Martyres splendent? Confessores sobrietatis exponunt exempla? Virgines innocentiæ, castitatis, & humilitatis magisterium tradunt? Deipara omnium pulcherrima, quia omnium virtutes vnà continēs, adhuc cunctos superat sanctitate. 210.

Maria omnium Angelorū, & Diuorū sanctissima.

Richard. Pulchrè Richard. *Ideò dicit Maria.* Eccli. 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis. Et benè, omnis gratia, quia nulla ei defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec scientia Prophetarum, nec Zelus Apostolorum, nec patientia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec innocentia, castitas, & humilitas Virginum.* Hinc *B. Bernard. Quantumcumque donum alicui Sanctorum sit datum, tanta Virgini non credimus fuisse negatum.* Ideò *pulcherrima mulierum*, seu Sanctorum omnium appellatur, quia in se omnium virtutes dono cœlesti colligauit.

211. *Vndenam Maria sanctorum pulcherrima.* Richard.

Quod si velis, exponam, vndenam Virgini tanta excellentia, vt *pulcherrima mulierum*, seu Sanctorum debeat appellari? Lege eundem Doctorem citatum, qui quidem ait: *Si verò quæratur, vnde Mariæ tanta excellentia? responderi potest. Vtique ex hoc, quòd Dominus fecit ei magna, qui potens est. Magna in terris, exaltans eam super omnes homines: magna in cœlis, exaltans eam super omnes Angelos: magna in infernis, subiiciens ei vniuersas tenebrarum potestates. Item ex eo, quod copiosa est spiritualibus diuitiis, conspicua bonitate, diserta sapientia, tremenda cunctis viuentibus potestate, genere illustris, forma desiderabilis, immensitate incomprehensibilis, æternitate indeficiens, cuius imperium attingit à mari vsque ad mare. Quæ etiam ex dono Filij sui attingit à fine vsque ad finem fortiter; & cum eo disponit omnia suauiter.* Sap. 7. *Item ex eo, quòd Virgo existens, in Matrem Domini electa est: vt immaculatus de immaculata nasceretur; & vt sicut in cœlo Patrem habebat immortalem æternus: sic in terra Matrem haberet Virginem incorruptus. Et quia in cœlo qualis Pater, talis Filius: ideò de terra qualis Mater, Filius talis. In cœlo cum Patre æternus, & immensus: in terra cum Matre immaculatus, & mansuetus. In cœlo cum Patre incorruptus, & sublimis: in terra cum Matre Virgo, & humilis. In cœlo imago Patris: in terra Matris imitator. Et ideò Maria excellentia ex eo quod Filius Dei secundum humanitatem dignatus est ei fieri consimilis. Ideò etiam talem fecit Matrem suam secundum quod Deus, qualis fieri voluit ex Matre secundum quod homo. Propter hoc de Maria, & Filio dicitur.* Oseæ 10. *Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei, id est, Maria frondosa est vitis: & fructus eius Christus ei est adæquatus.* Quid de Maria illustrius posset excogitari?

Potestas Mariæ in cœlo, in terra, & in inferno. Luc. 1.

Sap. 7. *Christus similis Matri esse dignatur.*

Sicut in cœlo qualis Pater æternus, talis Dei Filius: in terra qualis Mater Maria, talis est Christus?

Christus adæquari Matri Maria voluit.

212. *Quidquid virtutis alij Diui habuerunt in parte, Maria habuit in toto gradu superlatiuo.* Richard.

Denique idem Richard. *lib.* 5. hanc particulam, *Pulcherrima mulierum*, ita illustrauit. *In anima Mariæ fuit non solum pulchra, sed pulcherrima per virtutum omnium perfectam plenitudinem. Ideo dicitur pulcherrima mulierum.* Cant. 5. *& hoc bis ibi dicitur. Pulcherrima quidem, quia quidquid alij sancti pulchritudinis habuerunt in parte, habuit Maria in toto. Nemo enim sanctorum inuentus est illi similis in humilitate, nemo in charitate, & sic de singulis virtutibus. Verè enim pulcherrima, quæ tot habuit in se pulchritudines, quot virtutes, & singulas in superlatiuo gradu: & ideò verè dicitur, Virgo singularis.* Alibi plura.

Vers. X.

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.

Vers. XI. *Caput eius aurum optimum: Coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

Vers. XII. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.*

Vers. XIII. *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.*

Vers. XIV. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.*

Vers. XV. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri.*

Vers. XVI. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus: & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.*

Præmitto ex Del-Rio, & aliis, omnia, quæ de Christi pulchritudine hic dicuntur à Maria, etiam pulcherrimæ ipsi Matri conuenire, ex qua similis Filius fuit exortus. Ait Del-Rius, *Quando pia Mater Filium commendans, non se, sed ipsum describit, parum aut nihil esse videtur, quod laudem insonet genitricis. At licet nobis cogitare Filio pulchritudini animi, seu virtutibus Matrem simillimam fuisse.* Vnde quidquid Maria de hac Filij pulchritudine modulatur, nos de Matre ipsa dicta esse asserimus. Id calamo currenti confirmo. 213.

Quæ dicuntur de Christi pulchritudine, pulchritudini Mariæ conueniunt. Del-Rio. & alij.

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.] Ait Guillelmus, *Christus candidus, quia sine vlla macula peccati: Rubicundus, quia occisus propter peccata nostra.* An dicere audebo Christum candidum, & rubicundum prædicari, quia natus à Virgine candida, & rubicunda? Audi Richard. lib. 12. de laudib. Virg. qui ausus piè fuit scribere: *Amicus meus* (ait Maria) *candidus, & rubicundus. Natus est enim de Virgine purissima totus candidus, & purus.* Ex his verbis colligo, Christum ex candida Maria ortum duxisse. At non dixit ortum esse ex rubicunda? Dixit equidem, dum adiecit: *Ideò Isaias* cap. 35. dicit: *Gloria Libani data est ei: Decor Carmeli. Libanus* idem est ac *Candor*, Carmelus interpretatur *cognitio circumcisionis*, seu *vulneris agni.* 214. Isai. 35.

Christus ex Maria candida, & rubicunda candidus, & rubicundus prodiit. Guillelm. Richard.

Maria

Maria instar Libani candida ex puritate; instar carmeli rubicunda ex Filij patientis compassione.

Maria est ipsa candiditas, ipsa puritas. A quo autem cognouit ex Simeonis vaticinio Agnū suum esse pro hominibus vulnerandum, diro admodum compassionis gladio fuit vulnerata continuo quidem & interminabili dolore. Data igitur est Christo Filio *gloria Libani, & decor carmeli.* Quia ex Matre candida & rubicunda ex sanguine illius vulneris candidus, & rubicundus prodiit. *Electus ex millibus.* Verè Christus Dominus ex singularibus titulis debet ex millibus, imò *ex decem millibus*, (vti LXX. transtulêre) appellari. At in præsenti dixerim, electum *ex decem millibus vocitari* ex admirabili partu Mariæ. Pulchram accipe Nysseni sententiam. *Inter omnes homines in myriades, ex quo illi esse cœperunt, & quousque nascentur, solus hic noua partus specie in hanc lucem prodiit: cui ad nascendum natura non est cooperata, sed seruiit: cuius natiuitas de duorum coniunctione orta non est: partus minimè inquinatus: nisus doloris expers: thalamus Altissimi potestas, quasi quadam nubes virginitatem ipsam obumbrans: fax nuptialis Spiritus sancti splendor: cubile vitiorum expers conditio: nuptiæ puritas incorrupta. Matrem mortis decuit propter peccatum, in dolore concipere, & parere: Matrem vitæ vtrumque dedecebat, quæ gratia plena fuit. Sic electus ex decem millibus Christus vocatur propter partum omnis doloris expertem, &c.* Hoc igitur augustissimo titulo per Matrem ornatur.

Ex admirabili partu Mariæ Christus electus ex decem millibus prædicatur.
Nyssen.

215\.
Maria caput, seu anima fuit omnium diuitiarum Christi Dei & hominis gazophylacium, seu aurea vrna.
Honor.
Beda.
Gregor.

Caput eius aurum optimum: comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.] Honorius, Beda, & Gregorius sic ferè scripserunt: *Caput aureum Christi diuinitas iuxta Apostolum* 1. Cor. 11. *quæ purissima, perfectissima supra omnem naturæ artisque perfectionem fuit. Ab hac omnes bonitatis diuitiæ, vt ex fonte fluunt. Comæ hinc dependentes, & nascentes sunt sanctissimæ Domini cogitationes. Nigræ dicuntur sicut corui, quoniam consilia Dei abyssus multa.* Profectò Maria auri huius, harum diuitiarum, harum cogitationum fuit Gazophylacium. Ita Richardus Laurent. lib. 4. *Maria est vrna aurea continens hunc thesaurum. In qua scilicet vrna repositum fuit aurum Deitatis. Vnde* Cant. 5. *Caput dilecti mei aurum optimum. Ideò Deus ipse vrnam capitis aurei fecit auream esse. De multitudine harum diuitiarum, quæ non temporales, carnales, corruptibiles, sæculares: sed æternæ, spirituales, incorruptibiles, & cœlestes fuerunt, Maria dicit Spiritus sanctus* Prou. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Alij enim Diui partem cœlestium diuitiarum in vrna cordis receperunt; in vrna verò Mariana aurea, totum Deitatis caput aureum, omnes cœlestes thesauri recipiuntur. *Nigræ quasi coruus.* Per coruum hîc Adamus humani generis parens intelligitur, qui corui instar, ingratus omnes nos coruos ad sui similitudinem genuit. Solus Christus Dominus & Maria ex coruo columbæ nascuntur: attamen corui externa specie similitudinem traxerunt. Christus enim *in similitudinem carnis peccati* apparuit. Rom. 8. niger quasi coruus. Maria autem similiter dicere potuit. *Nigra sum* specie externa *in similitudinem carnis peccati*, sed in re *formosa* admodum, quasi columba. Debeo cogitationem hanc Guillelmo profundi: *Sed quis ille coruus, cui similes hæ comæ? Primus peccator & parens nostri generis. Non potuit coruus ille gignere nisi coruos, & ita genus humanum, quod egressum est de lumbis eius factum est genus coruorum. Coruus est, & niger quasi coruus, quicumque seminali ratione de coruo illo nascitur. Vnus sponsus, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.* Ioan. 1. *natus est, non est inuentus vnus coruorum; quamuis secundum aliquid, hoc est, in similitudine carnis peccati inuentus est niger quasi coruus. Ceterum qui solus natura non coruus est ortus de coruo illo, filiam corui Mariam, quæ verè per naturam existere debebat vt coruus, fecit quasi elatas palmarum per gratiam, augusto enim triumpho vicit naturam.* Quid illustrius?

Richard.

Sicut Christus solū specie externa vti coruus niger, sic Maria specie visibili nigra, sed in re formosa admodum.
Rom. 8.
Cant. 1.

Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.] Scribit Nicephorus, Christi oculos acres, subflauescentes, & valde esse gratiosos, lacte quidem lotos, vti candidæ columbæ albos in se, & alios respectu dealbantes, & candidantes. Porrò Richardus Laurent. lib. 4. has oculorum Christi proprietates ad Virginem transfert. Valde vtilis est nobis Maria respectu; vnde oramus: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Propter hoc Cant. 5. Comparantur oculi Mariæ columbis, quæ lacte sunt lotæ. Quia respectus eius pietatis & misericordiæ dulcedine profusus est. Audi Nyssenum eleganter planè Mariæ oculos describentem. *Præclara in hisce virgineis oculis laus est expers malitiæ, propria eorum, qui ambulant spiritu, & mundo sunt corde. Tales oculi per columbæ speciem exprimuntur. Siquidem etiam Spiritus sanctus visus est à Ioanne in tali specie super aquam volare.* Matth. 3. *Aquæ autem multiplices virtutes sunt. Fons vnus est temperantiæ, alius humilitatis, alius iustitiæ, alius fortitudinis, & sic virtutum cæterarum. Omnes autem* (attende) *in vnum confluentes alueum miram plenitudinem efficiunt.* Quisnam alueus hic, vbi virtutum & gratiarum mira efficitur plenitudo, nisi illa, cui dixit Angelus. *Aue gratia plena.*

216\.
Oculorum Christi proprietates refert Maria.
Niceph.
Richard.
Nyssen.
Matth. 3.
Maria alueus est, in quem omnium virtutum, & gratiarum confluit plenitudo.

Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis.] Beda Angelono. Honor. Alcuin. & alij per genas intelligunt Christi seueritatem mansuetudine, lenitatem maiestate mixtam; & horum comites pietatem, probitatem, hilaritatem, pudorem, honestatem, & totius animi ingenuitatem, quæ intrinsecus latentia solent se ingenuis prodere. En Christi virtutum areolæ à pigmentariis, seu à beatissima Trinitate consitæ. An-non genæ, siue virtutes Virginis has Filij areolas imitantur? Opportunè Richardus lib. 12. *Consitæ sunt areolæ Mariani hortus omnibus virtutum floribus. Vt de Maria dici possit, quod ipsa de Filio, dixit* Cant. 5. *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis, scilicet Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Ipsa enim designatur* Esther 1. *per hortum illum, qui de Regio cultu & manu consitus erat. In cuius vestibulo verus Assuerus conuiuium permagnificum præparauit.* Aliter Doctor *lib.* 5. hunc locum de Filio ac Matre exposuit. De genis sponsi Cant. 5. *Genæ illius &c.* Quod de Filio & Matre potest sic exponi: *Pigmentarij, qui pigmenta suauitatis, & deliciarum spiritualium in anima conficiunt, septem sunt spiritus, qui sunt ante thronum* Apoc. 1.

217\.
Virginis virtutes areolæ sunt à Deo consitæ ad similitudinem Filij virtutū.
Beda.
Angel.
Honor.
Alcui.
Richard.
Esther 1.
Pigmentarij ortus Christi & Mariæ sunt septem Spiritus sancti dona.
Apoc. 1.

 Spiritus

Spiritus scilicet sapientia, & intellectus, & cæteri. Isti pigmentarij in naturalibus potentiis animæ Christi; vel B. Virginis quasi in areolis ordinabiliter plantauerunt aromata gratiarum, & virtutum; in quibus ipsius animæ consistunt species sicut in genis decor faciei consideratur.

218. *Labia illius lilia distillantia myrrham primam.*] In labiis Christi diffusam esse gratiam Regius Vates cecinit. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Psalm. 42. Ideò debent esse perfectissima. *Quod sic exponitur* (ait Richardus lib. 11.) *Gratia collectiuè, id est, vniuersitas gratiarum diffusa est, id est, non solum fusa in te, sed diffusa pro toto mundo.* Pergit lib. 5. *De sponso dicitur labia eius distillantia myrrham primam. Pulchritudo oris consistit in debita labiorum coloratione, & moderata grossitie, & modesta ipsius oris fissione, vel apertione. Debita verò labiorum coloratio est, vt exterius habeant colorem lilij, interius rosæ. Vnde de sponsa dicitur* Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua. Hæc quidem Christi labiorum pulchritudo. Quod verè sentiendum est de labiis Virginis, quæ pudica erant, quoad lilium: charitatiua precibus, quoad rosam. A superflua grossitie præseruabantur per humilitatem, quando dicebat: Ecce ancilla Domini; à nimia tenuitate cum diceret: Beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. Candida itaque instar lilij, & rubicunda instar rosæ Mariæ labia labiorum Christi candidorum & rubicundorum pulchritudinem referentia. Cur ita? Respondet Richardus. *Quia talibus labiis oportebat labiis Filij, qui candidus est, & rubicundus, fælicia oscula propinari humanæ reconciliationis. In quibus scilicet labiis esset puritas, humilitas, & materna authoritas. Ex quo assequuta est felix illud osculum, quod petebat* Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Quonam autem fructu? *Fecit ipsa osculum nouum inter cœlum & terram, inter Deum & hominem.* Dei olim labia myrrham amaritudinis in humanum genus distillabant. *Labia eius distillantia myrrham.* Iam Virginis osculum fecit, vt dulcedinem instillarent, quia *Fauus distillans labia* Mariæ Cant. 4. Quæ quidem mellea Dei labia reddidere. Ideò de labiis Mariæ dicit Pater Isai. 57. *Creaui fructum labiorum pacem*, id est, *Mariam elegi, quæ melleis labiis suis mellea reddidit labia mea; quæ bella olim in homines loquebantur, iam loquentur pacem in plebem meam.* De Christo Domino Nyssenus ait. *Labia eius distillantia myrrham, quam in omnibus loquebatur. Erat enim audientibus increpatis amara. Quid nisi myrrha sunt illæ voces, si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Vbinam ergo mel in Dei labiis? Profectò Virgo in mel myrrham conuertit, dum sua intercessione efficit, vt myrrha illa audientium melleæ vtilitati proficiat. Vnde si amara audientibus verba illa, mortis corruptionem arcebant. Ad hoc ponderant efficaces illæ ad pœnitentiam, & mortificationem adhortationes: resistebant carnis putrefactioni, & in futuro à vermis corrosione præseruabant. Quid hac myrrha suauius?

Labiorũ Mariæ Christi labiis similium perfectio describitur.
Psal. 42.
Richard.
Cant. 4.
Luc. 1.
Perfectissima debebant esse Mariæ labia labiis Christi similia, vt Christus reciperet Mariæ osculum ad hominũ cum Deo reconciliationem.
Richard.
Labia Dei distillãtia myrrham Mariæ mellea reddidit.
Cant. 4.
Mariæ labia pacis fructum germinarunt.
Isai. 59.
Richard.
Nyssen.
Intercessio Mariæ efficit, vt labia Dei non stillent myrrham, sed saccarũ, dum amaritudo illa per Mariæ preces nobis proficit ad salutem.
Nyssen.

219. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.*] Per manus tornatiles aureas Christi, eius velocitas in rectè operando significatur, Rupertus egregiè: *Nemo alius manus in faciendis signis atque prodigiis, seu aliis virtutis operibus, ita tornatiles, & ita aureas habuit, id est, nemo ita velox, & potens extitit in huiusmodi ex omnibus quicumque in hoc mundo mira sunt operati. Qui torno operatur facilius, citius, atque perfectius operatur. Sic dilectus iste multò facilius, longè citius, valde perfectius mira, quæ voluit operatus est, quam aliquis ex operarijs virtutum, quicumque à sæculo fuerunt.* Gratiarum itaque hyacinthi, queis plenæ sunt Dominicæ manus velocissimè in hominum commodum effunduntur. Profectò hæc eadem laus post Christum Dominum Deiparæ manibus debetur; *tornatiles* enim *aureæ* sunt, & ob promptitudinem bene operandi, & propter celeritatem nostris miseriis subueniendi. Monentur alij sancti in auxilium nostrum, sed Virgo illis comparata tornatiles habet manus in promptitudine & velocitate præ illis subueniendi. Richardus à S. Laurent. lib. 5. de laud. Virg. *Tornatiles dicuntur manus Mariæ, quia sicut ars tornandi proprior est aliis artibus: sic Maria ad benefaciendum promptior omnibus sanctis.* In Cana Galilææ plures fuerant ad conuiuium aduocati, aderant Apostoli, aderat & Maria. Quæ quidem prima precibus occurrit, sic Filium alloquens: *Vinum non habent.* Ioan. 2. Non inquit, vinum non habemus, sed *vinum non habent*, vinum namque non sibi, sed aliis quærebat. Non precantur Apostoli, sed Maria, cuius precibus aqua fuit in vinum conuersa. O quàm celeriter illi necessitati succurrit! Dixerat Filius. *Nondum venit hora mea.* Quasi beneficium illud in aliud tempus differret. At videns manus Mariæ tornatilem in operando velocitatem, quasi memor manus suas natura esse tornatiles, illicò quasi ante horam beneficium gessit. Video nullum tunc Virginem interpellasse, nullum orasse eam; sed sponte se non vocatam aduocatam obtulisse. An-non hinc Deum refert? Ipse dixit Isaiæ calamo cap. 65. *Eritque antè quàm clament, ego exaudiam.* Æmulata hanc Dei celeritatem Deipara miseris ante eorum clamorem subuenit, & non exorata pro illis Filium exorat. Rursum accipe Richardi *lib. 2.* pulchra verba. *Tornatiles describuntur manus Mariæ. Nam sicut ars tornaturæ promptior est aliis artibus operando: Sic Maria velocior cæteris sanctis omnibus miseris subueniendo; vt dicere de ipsis miseris videatur cum Filio illud Isaiæ, Antè quàm clament ad me, exaudiam eos.*

Manus Mariæ velocissimè operatur ad hominum salutem procurandam, eisque munera largiendum Christi referens manus.
Rupert.
Tornatiles manus Mariæ, seu velocissimæ in nuptiis Canæ ad vinum largiendum suis precibus.
Ioan. 2.
Maria ad Dei similitudinem non vocata aduocatam se præstat.
Isai. 65.
Richard.

220. *Venter eius eburneus distinctus sapphiris.*] Cardinalis Hailgrinus de Christo sic scripsit. *His verbis, venter eius, &c. Caro, seu humanitas Christi comparatur, imò præfertur non tantum hominibus, sed & Angelis. Venter cæterorum terrenus est, in quo per luxuriam repit ille serpens, cui dictum fuit: Super pectus tuum gradieris* Gen. 3. *& ideo corruptibilis est. Sed Christi venter eburneus est, cum cuius carne nata est virginitas candidissima.* Christi venter non terreno luto, sed sapphiris, hoc est Angelicæ naturæ notis decoratus. Imò & secundum LXX. versionem, Angelicam naturam infinitè superans. Nam illi vertunt. *Venter eius pixis eburnea super lapidem sapphirum*, excedens superansque Angelicam dignitatem. Dixit Del-Rius in præsenti. *Verba hæc sunt Deiparæ Filium*

Venter Christi similis Mariæ vterus, è quo nata virginitatis puritas.
Hailgrin.
Gen. 3.
Del-Rio.

Filium laudantes: Mater Filio similis. Quia quæ de Filio dicta, etiam Matri optimè conueniunt. Cum carne Christi (Cardinalis ait) *nata est virginitas candidissima.* An-non Christi caro Mariæ caro est? Ita planè. Igitur ex carne Mariæ dixeris verè, candidissimam virginitatem fuisse natam. Vberrimus quidem est Richardus in ventris Virginis, æmulantis eburneam carnem Christi, commendatione. Ait enim lib. 2. *Ventrem eburneum Mariæ Creator suus sibi construxerat, vbi requiesceret. Vnde ipsa dixit* Eccli. 24. *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Eburneus ipse thronum sibi fecit eburneum Deiparæ ventrem, Salomon thronum sibi parauit & solium eburneum.* 3. Reg. 10. *Id est, Spiritus sanctus sibi ventrem Mariæ parauit sacrarium singulare, hospitium, & palatium factum est summo Regi, qui à regalibus sedibus venit; ibi primam sibi mansionem inter filios hominum praelegit, ibi decorem induit, & stola candida se cooperuit.* O quàm eburneus, quàm candidus venter, ex quo tam candidam Deus induit stolam! Verùm *lib.* 10. memor lectionis illius, quam ex LXX. tradidi, nempe: *Venter eius sicut pixis eburnea super lapidem sapphirum*, ait: *Pixis, quæ est vas vnguentarium de ebore nunc auro, vel argento factum. Vnde de sponso dicitur venter eius sicut pixis, &c. Et potest exponi etiam de B. Virginis ventre, cuius virginalis puritas, quæ signatur in ebore, purior fuit super lapidem sapphirum, id est, super Angelicam puritatem, quæ notatur in sapphiro. In hac autem pixide transmittit nobis Pater illud vnguentum medicinale, quo sanatus est mundus, qui prius omnimoda infirmitate laborabat, scilicet Filium suum.*

Richard.
Venter Mariæ Dei thalamus.
Eccli. 24.
3. Reg. 10.
Venter Mariæ, pixis eburnea puritate superans Angelos, & ægrotanti mundo dans sanitatis vnguentum.
Richard.

221. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.*] Per crura cum Theodoreto, & Hailgrino existimo geminam Christi virtutem significari, nempe fortitudinem, & perseuerantiam, quæ sicut tibiæ corporis, sic istæ omnium virtutum, ac operum sanctorum compagem sustinent. *Fortitudinem mirè exhibuit in se ipso, diabolum, & mundum vincendo. Perseuerantiam totius vitæ laboribus, incommodis, iniuriis maximis æquanimiter sufferendo. Ideò merito columnis marmoreis tibias comparat, iisque albis propter sinceritatem ab omni hypocrisi prorsus alienam.* Hæc ex Doctoribus citatis. Quæ quidem Richardus sic Deiparæ accommodat lib. 5. *De cruribus, vel tibiis sponsi dicitur, crura eius sicut columnæ, &c. Id potest tibiis Virginis applicari. Tibiæ, quæ fortes sunt sicut columnæ marmoreæ, & totam corporis compactionem portant, sunt fortitudo, & perseuerantia, quæ omnium Mariæ virtutum, & sanctorum operum compagem portant, & sustentant. Et illæ columnæ* (addit Pater) *vt portare valeant hoc ædificium, fundatæ sunt super bases aureas, scilicet, charitatem, & sapientiam, quæ signantur in auro. Fortitudo enim debet in sapientia fundari, nè se præcipitet; perseuerantia in charitate, alioqnin deficiet, & non stabit.*

Christi, ac Mariæ tibiæ, queis innititur ædificij moles, sunt fortitudo & perseuerantia.
Theodor.
Hailgrin.
Richard.

222. *Species eius, vt Libani, electus vt cedri.*] Profectò Christus Dominus totus quantus est vita, moribus, virtutibus, operibus similis est virenti, florido, ac amœno Libano, & sicut vnus Libanus materiam materiali Salomonis Templo suppeditauit; sic spirituali Templo, quod Deus condidit, nempè Christo omnium virtutum Libanus, qui *Candor*, & puritas dicitur materiam suggessit. *Electus vt cedri.* Quia sicut cedrus alias arbores Libani excedit celsitudine, rectitudine, bono odore, & incorruptibilitate; sic sponsus omnes Ecclesiæ Militantis, & Triumphantis Angelos sanctosque superat meritis, gloria, conuersationis sanctitate. An-non Maria Libanus? Audi Richardum lib. 12. *Libanus mons quidam est, cuius arbores proceritate, specie, & robore cæterarum siluarum ligna præcellunt. Hoc monte B. Virgo signatur propter virtutum eminentiam. Sicut enim arbores huius montis omnes alias excedunt proceritate, specie, & odore, sic virtutes Virginis omnes virtutes aliorum sanctorum. In proceritate contemplationis virtus, vel sancta desideria: in specie virginitas, vel sancta exempla: in robore charitas fortis vt mors, humilitas supportans omnem virtutem, & virtus patientiæ figurantur.* En Virginis virtutes. Etiam Cedri eius speciem esse probat Richardus lib. 4. *Ratione suæ magnitudinis, altitudinis, & celsitudinis, sublimitatis, eminentiæ Maria Cedro comparatur, quæ est arbor procera, & eminentissima super omnes arbores. Vnde à quibusdam appellatur Rex arborum. Quia videlicet Maria in hoc, quod facta est Mater Dei, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Propter hoc dicit de se* Eccli. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Altissima planè fuit Maria, quia in sanctitate ab humero & sursum, instar Saul* (1. Reg. 10.) *Sanctis supereminet vniuersis.* O quàm similis hic Libanus, hæc cedrus Filio Libano ac cedro assimilatur!

Mariæ virtutes monti Libano comparantur, vt Filio similis prædicetur.
Richard.
Contemplatio, virginitas, charitas & humilitas Mariæ præ cunctis Diuis excellentes.
Mariæ virtutes cedri instar, celsitudine cunctorum virtutes superans.
Richard.
Eccli. 24.
1. Reg. 10.

223. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.*] D. Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 5. *De quo alio potuit Ecclesia dicere, Fauces eius dulcedines, & totus desiderium, nisi de Christo?* Nam (vt cum Philone ac Gregorio loquar) verba Christi intelligentibus saccaro omni, & dulciariis sunt dulciora. Recole verba illa: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11. Et illud: *Venite ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos* ibidem, & illud: *Sinite paruulos venire ad me.* Matth. 19. & illud: *Confide filia.* Matth. 9. & illud: *Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. & illud: *Volo, sanare.* Matth. 8. & illud: *Tolle grabatum tuum.* Ioan. 5. & denique cuncta Christi verba talia fuêre, etiam hostibus profitentibus, *nunquam sic hominem esse loquutum*, & attestante Petro. *Quia verba vitæ habes.* Ioan. 6. Deinde nonne *totus desiderabilis*, qui à Propheta vocatur. *Desideratus cunctis gentibus, & desiderium collium æternorum.* Aggæ. 2. Vis dignoscere, quàm dulcia sint Mariæ verba vel ipsi conditori, quàm eius dulcissimæ voci similis? Ipse Dominus profitetur, dum inquit, *Fac me audire vocem tuam. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Cant. 4. Ad hæc Richardus lib. 2. *Pro pacificandis se suppliciter inuocantibus nato suo dulcia verba repræsentat; quorum respectu Filius delectatus, facile mansuescit. Vnde* Isa. 11. *Delectabitur Infans, id est Christus ab vbere Matris ei repræsentato. Sequitur, super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Christus enim delectatus ineffabiliter Matris* voce dulcissima, *tendit manum gratiæ ad malos, qui prius erant*

Suauissimam Christi erga homines vocē Maria æmulari contendit.
Ambros.
Matth. 11.
Matth. 19.
Matth. 9.
Luc. 22.
Matth. 8.
Ioan. 5.
Ioan. 6.
Aggæ. 2.
Cant. 4.
Richard.
Isai. 11.

Si Chriſtus aliquando vt Iudex, renuat parcere peccatoribus, Maria ſuauiſſima voce facit eũ quaſi imperans illis ignoſcere. Richard.

erant foramina aſpidis & reguli cauerna. Quid ſi Filius renuat, vt Iudex? Maria mitat voce dulciſſima, ſed non iam rogantis, ſed imperantis, *Pro ſalute famulantium ſibi non ſolum poteſt Filio ſupplicare ſicut alij ſancti, ſed etiam poteſt auctoritate materna eidem quodammodo imperare. Vnde ſic oramus eam: Monſtra te eſſe Matrem, id eſt, imperioſè, & materna authoritate* ad Filium exorandum accede. Et quidem aliquando hominibus vox Mariæ dulcius quàm Chriſti vox inſonare videtur. Pulchram accipe Richardi ſententiam vbi ſuprà. *Iuſtitia Filij, & miſericordia Matris videntur ſic vocibus altercari. Dicit Filij iuſtitia. Ego occidam, & percutiam*, Deut. 32. *Miſericordia Matris reſpondet, emnere faciam, & ſanabo*, ibid. *Dicit etiam miſericordia Matris id, quod ſequitur. Et non eſt, qui de manu mea poſſit eruere. Fugias igitur ſub protectione manus eius*, (dixerim vocis eius) *& nihil timendum eſt.* Tanta enim Mariæ vocis dulcedo, vt amariſſimam irati Filij vocem faciat dulcorari. Si tam vtilis eſt hominibus Mariæ vocis dulcedo, quid mirum, ſi ſit cunctis *deſiderabilis*. Dixerat Ambroſius citatus. *De quo alio potuit Eccleſia dicere: Fauces eius dulcedines, totus deſiderium*, niſi de Chriſto? *De alio* fateor ingenuè, id dici non potuiſſe: ſed *de alia* dici meritò etiam potuit. Dixerim igitur: *De qua alia dicere Eccleſia potuit, Fauces illius dulcedines, tota deſiderium, niſi de Maria?*

Aliquando peccatoribus vox Mariæ quam Chriſti vox dulcius inſonare videtur. Richard. Deuter. 32.

Maria cunctis deſiderabilis. Ambroſ.

224. *Maria ex humilitate nõ audet ſe Dei amicam vocare; ſed ipſe eam ſæpè amicam appellat.* Guillelm.

Talis eſt dilectus meus: & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem.] Mirabilis planè eſt Guillelmi Abbatis expoſitio. *Talis eſt dilectus meus in ſe, & in membris, qualem vobis depinxi. Sed numquid dilectus meus, & non ego eius dilecta? abſit. Dilectus meus, & ipſe eſt diligens meus, ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem: diligitur à me, & diligit me; & non ſolum reſpondet dilectioni meæ, ſed etiam longè eam diuina dilectione ſupergreditur. Vnde nec audeo dicere, me amicam eius, cum fiducialiter dicam eum amicum meum. Nomine quippe amicitiæ non quilibet, ſed excellens amor notatur: & nomine amici, vel amicæ non quilibet, vel qualibet, ſed excellenter amans. Sciens itaque quòd ipſe ſuperexcellenter me amet, longè impar ſum in amando: & ad memoriam diuinæ eius circa me dignationis ſtupore expaueſcens, ipſum quidem hilariter amicum voco: me autem humiliter amicam taceo: quo ipſe tamen ſæpius me in hoc nuptiali carmine appellare dignatur.* Quàm appoſitè Maria dicit, *Me autem humiliter amicam taceo!* Tacet id quidem humilitatis affectu; ſed id quomodò poteſt ignorare, quæ ingenuè fatetur, ſe ſæpè ab ſponſo *amicam* vocitari? An Deus poteſt falli in cognitione? An non ſumma eſt veritas aſſerentis, *Amica mea?* Ergò ſi *nomine amicitiæ non quilibet, ſed excellens amor notatur*, excellens admodum fuit Deiparens Dei amica, vt excellenti Dei erga eam, quantum creatura niti poterat amori reſponderet. Chriſtus à Petro non ſemel requiſiuit, an illum amaret: *Petre, amas me?* cui Petrus reſpondit, *Domine, tu ſcis, quia amo te.* Ioan. 21. Igitur, ſe Chriſtum amare certus, conſequenter dicere poterat. Tuus ſum amicus, maximè cum à Domino audiſſet: *Vos amici mei eſtis.* Quare ergò Maria certior admodùm de ſuo ardenti in Deum amore, non ſe vocat amicam? Iam ipſa reſpondit, *Me humiliter amicam taceo.* Pergit Guillelmus; *Verùm quia in conſcientia mea abundantius eſt, quod erat in conſcientia Petri dicentis, Domine, tu ſcis, quia amo te: quamvis me amicam non audeam appellare, me tamen amantem pia fiducia dixerim: ideoque ipſum, qui eſt amicus meus, dilectum appello meum: non ſimpliciter dilectum à me, ſed dilectum meum.* Addit Abbas, *Quod quidem vim eximij amoris magis inſinuat.*

Dum Deus Mariam vocat amicam, aſſerit illius erga eũ amorẽ eſſe excellentiſſimum, quia id ſonat Amicitiæ vocabulum, Ioan. 21.

Guillelm.

Verſ. XVII.

Quò abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? quò abiit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

225. *Omnes Angeli ſcilicet, & homines à Maria edoceri geſtiunt.*

QVò abiit, &c.] Ab Angelis factam eſſe hanc quæſtionem Patres affirmant; ipſi enim ſunt cœleſtis Ieruſalem filiæ. Diſcipuli itaque Mariæ perfecti ad ſpõſi pulchritudinem vberius dignoſcendam, rurſùm ad ipſius magiſterium accurrunt, vt ab ea edoceantur, quò ſponſus declinauerit. Hac interrogatione nobis oſtendunt, nullum aliud medium aptius eſſe ad Deum requirendum, & inueniendum, quam Mariam. Nec cœli, nec Sol, nec Luna, Stellæ, volucres, imò nec Angelici ſpiritus ita exprimunt Dei perfectiones, quam Maria. Dixerat D. Epiphanius, ſerm. de laudib. Virg. *O Virgo, incomprehenſi myſterij ferens miraculum! quæ fidem ter optatam orbi prædicaſti.* Totus enim terræ orbis didicit ex Maria. Didicère Cœleſtes, ſeu Apoſtoli, qui in terra *Dei gloriam enarrarunt*, cunctique Eccleſiæ Magiſtri. Albertus Magn. ſuper Miſſus eſt, cap. 266. *Maria Euangeliſtas inſtruxit: & ſcriptoribus ac prædicatoribus Euangelicis reſerauit veritatem, quæ plenè de omnibus cælitus fuerat inſtructa.* At, ac ſi parum eſſet omnes terricolas, Euangelicoſque cœlicos ſcriptores, ac prædicatores à Maria edoceri, Angeli cœleſtis Ieroſolymæ incolæ ad eius magiſterium currere non dedignantur, vt abſolutè affirmat Albertus citatus. *Omnes à Maria edocentur*, id eſt, non ſolùm homines, ſed & Angeli, qui quidem hac particula *Omnes* comprehenduntur.

Nulla creatura aptior eſt ad Diuinitatis, & humanitatis Chriſti magiſterium, & ad Deum quærendum, ac inueniendum. Epiphan. Albert. Mag.

226. *Tanta Diuinæ Eſſentiæ cognitione Maria potitur, vt Angeli in illius cõſpectu, illã omnino ignorare videantur.* Guillelm.

Et quæremus eum tecum.] Mirum planè, quòd Angelici ſpiritus, qui ex ore Dominico ſunt nonaginta nouem oues illæ, quæ nunquàm à Deo, & à veritatis ſemita aberrarunt, velint Mariæ ducatu Deum inuenire. Quomodo curant quærere, quem nunquam amiſerunt, nec in gratia confirmati poſſunt amittere? Guillelmus, *Inſinua nobis, ô Domina* (Angeli clamant) *quò currere debemus, vt Deum tecum quæramus. Ibimus, te duce, ſecuri.* Quomodò itaque duce Maria, quærere, & inuenire poteſtis Deum, quem poſſidetis? An Deus aliquid peculiaris ſcientiæ Angelis, non reſerandum niſi per Mariam, reſeruauit? Profectò tanta Mariæ data fuit Diuinæ eſſentiæ penetratio in ſuperis, vt quodammodo Angeli ſubliſmiores ſe quaſi ignorantes omnino Diuinæ eſſentiæ profiteantur in Mariæ conſpectu.

227. *Antè quàm Maria Dei*

Vidimus *cap.* 3. Mariam ab Angelis interrogaſſe, *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Angelos autem omninò conticuiſſe nihil reſpondentes,

Mater esset, Angeli ei interroganti nō respondent, ne videātur eam docere: Matrē autem Dei factam Magistram adeunt.

pondentes, nihil interrogantes. Modo autem hoc cap. 5. Mariam sæpius interrogant, ab ipsa cupientes ediscere: *Quò abiit dilectus tuus? Qualis dilectus tuus ex dilecto?* Quare igitur tunc interrogati non responderunt, nunc verò ipsi non semel interrogant? Profectò cap. 3. non facta fuerat ita distinctè vt modò Verbi Incarnationis mentio, vt in hoc capite, dicente Verbo: *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* Vnde Virgo pro statuum diuersitate diuersis honoribus effertur. Matri Dei futuræ de sponsi præsentia requirenti Angeli non respondent, ne Mariam docere videantur. Modò autem, quia eam Matrem Dei factam iam recognoscunt, eam Angeli vt Magistram interrogant.

228. *Angelorum amor erga Deum quasi nihil est in conspectu dilectionis Mariæ.*

Quò abiit (inquiunt) *dilectus tuus?* Cur Angeli non dixerunt: *Quò abiit dilectus tuus, & noster*, vel absolutè, *Dilectus noster*, siquidem Angeli Deum impensè diligunt? Crediderim, quia contemplati immensam erga Deum Mariæ dilectionem, in conspectu illius quasi sibi videntur minimè se Deum diligere; vndè non possunt particulam illam, *Dilectus noster* absolutè vsurpare. Vnde Philippus Abbas colligit ex hoc loquendi Angelorum modo, ita diligi Deum à Maria, vt Deus à sola Maria singulariter diligi videatur; quia coram tanti amoris solari splendore omnium creaturarum rationalium amor, stellarum instar, extinguatur, nec valeat apparere. Philip.

229. *Gaudet Deus, vt Maria à nobis honoretur supra id quod nobis præcipitur.*

O pulcherrima mulierum.] Bis Angelici spiritus Virginem *pulcherrimam* appellarunt: paulò superiùs, *Qualis est dilectus tuus ex dilecto*: hìc autem, *Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum?* Sponsus autem semel eam pulcherrimam vocitauit, *Pulcherrima inter mulieres.* Cur Angeli exemplum Domini non sequuntur; semel tantum Mariam *pulcherrimam* vocitantes? Profectò Deus gaudet, vt à nobis Virgo honoretur suprà id, quod præcipit. Præcipit quidem, vt Deiparam honore afficiamus, idque exemplo obfirmat: ad præcepti satisfactionem sufficere videbatur semel eam hìc *pulcherrima* titulo venerari. Attamen Angeli agnoscentes Dei erga Virginem affectum, semel, & iterum vltra exemplum, & præceptum illam honorant. *O pulcherrima mulierum, ò pulcherrima.* Vt nos edoceant, parum Virginis obsequentes esse, qui circa eius laudes solummodo illi priuilegia attribuunt, quæ ex fide aut præcepto tenentur. Nunquam vel laudi prodigus; dignè Mariam laudabis.

Parum Mariæ obsequentes sunt, qui ei solum ea priuilegia attribuunt, quæ ex fide tenentur.

230. *Maria bis pulcherrima, nempè corpore & animo; virginitate, ac fœcunditate.* Guillelm.

Nisi magis arrideat, Angelos bis Mariam mulierum pulcherrimam appellasse, vt adæquatè eius pulchritudinem manifestent, nempè pulcherrimam in corpore, in anima pulcherrimam: pulcherrimam per virginitatem, per maternitatem pulcherrimam. Pulchrè Guillelmus, *O pulcherrimam, ò pulcherrimam! Non enim tantum inter Virgines, sed etiam inter matres intelligimus, eam esse pulcherrimam: nempè Virginem virginum, & matrum Matrem.*

231. *Videtur Deus quodammodo gaudere, vt maioris honoris titulo fruatur Maria, quam ipsi.* Guillelm. Psal.44.

Adiicit Doctor, *O Maria pulcherrima mulierum! Talem te vocamus, quoties speciosum præ filiis hominum forma, Filium tuum fideli, & pia deuotione cogitamus.* Non videtur debere nos vocare Mariam *pulcherrimam*, sed *pulchram*, cum cogitamus *speciosi* Filij, seu *pulchri* esse Matrem. Dauid enim cecinit Psalm. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, non *speciosissimus*. Imò sponsus ipse Mariam *pulcherrimam inter mulieres* appellat. Igitur si Deus Angelis inspirauit, vt Virginem in superlatiuo *pulcherrimam* vocarent, & ipse eodem stilo vtitur: cur non excitauit Danidem, vt Deum suum in superlatiuo *speciosissimum* vocitaret, sed *speciosum* solummodo, *speciosus formâ*. Num Deus indicare voluit, tanti se ducere Matrem suam, vt gaudere quodammodo videatur, Mariam honoratiori titulo, quam seipsum ab hominibus commendari? Non inficior. Clamemus ergo ad Dei gloriam cum D. Gregorio Nicomed. *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei Genitrix pulchrorum omnium ornamentum!* Gregor. Nicomed.

232. *Deus declinauit ad Mariæ vmbram peccatorum nostrorum æstu defatigatus.* Honor.

Quò abiit dilectus tuus? quò declinauit?) Angeli per hoc verbum *abiit*, volunt aduentum Verbi diuini per Incarnationem significare. Secundum autem verbum *declinauit*, est expressiuum modi, quo Deus venit ad virgineum vterum, vt homo fieret. Audi Honorium: *Aliud est abire, aliud declinare. Ille abiit, qui in longinquum vadit: ille verò declinat, qui æstum vitans, ad proximum locum in vmbra sedet.* Dei itaque Filius *abiit* de sinu paterno ad virgineum vterum, de superis ad terras. Tunc equidem *declinauit*; æstum namque tot scelerum fugiens placidam Virginis recurrit ad vmbram.

233. *Maria duce à nobis quærendus est Deus, & inueniendus.* Philip.

Et quæremus eum tecum.] Equidem Maria duce, quærendus est à nobis Deus, si eum per peccatum amisimus. Peccatorum ex ore sic Philippus Abbas inclamat: *Illum talem, cuius laudes tam omnimodas texuisti, quomodo vel quæremus, vel quæsitum valebimus inuenire? cum nesciamus locum, ad quem cum nos subterfugit, eligit deuenire. Dic ergo vt quærentes, errore deuio non feramur. Cum enim, te ducente, locus innotescet, ad festinandum illò noster animus inardescet, & ad quærendum sponsum, si non pari, simili saltem tecum desiderio rapiemur; cuius inuentione, nisi tua comitante beneuolentia, non fruemur.*

234. *Qui Mariæ negligit ducatum, nunquam Deum inueniet.* Philip.

Quòd si quis insipiens neglecto Virginis ducatu Deum quærere tentauerit, certus sit, quod minimè inueniet. Addit Abbas appositè: *Scimus quidem quia quisquis Deum quæsierit, te neglecta, talis inquisitio penitus imperfecta probabitur. Nec vult sponsus à nobis, vel cæteris quærentibus inueniri, si quærentes non videat tuo fauentis consortio præueniri. Tecum igitur, id est, tuo fauente patrocinio requiremus.*

235. *Nullus diuorum aptior ad ducendum nos Deum quærentes, quam Maria.*

An-non possumus Prophetas, Apostolos, reliquosque diuos adire, vt in hac requisitione ducatum nobis præstent? Possumus planè: At illi nostris affecti precibus, nos ad Virginis ducatum inclinabunt. Agnoscunt etenim, Deiparam ad ministerium salutis hominum, ad Deum peccato

Aut.de Escob.& Mendoz. In Cantic.

peccatoribus inueniendum cunctos diuos excedere. Asserit id Philippus: *Et re vera non melius quisquam alius poterit nos docere, quò sponsus abierit, vel vbi elegerit se præsentem exhibere, quam tu, quæ dono gratiæ illius sanctuarium introiisti, & spiritualis intelligentiæ secreta melius cognouisti.*

236. *Non solum Maria duce Deum inuenimus, sed omni cum securitate quærimus.* Guillelm.

Difficillis planè est huiusmodi expeditio, innumeris via est obstaculis plena. At Virgo non solum nos ducit ad Deum, & plenam firmat in expeditione securitatem. Quod his verbis Guillelmus asserit: *Ne quærentes curramus incassum, & ne in deuia decidamus, insinua nobis ô Domina, quò currere debeamus, vt quæramus eum tecum.* Ibimus, ibimus, te duce, securi: nec metuemus, quod iuxta iter est scandalum, te gradiente nobiscum, te iter nostrum dirigente.

237. *Maria duce tu etiam ad Deum iratum Iudicem sine timore possumus accedere.* Luc. 19.

Christus post vitæ curriculum *abiit in regionem longinquam, accipere sibi Regnum & reuerti.* Luc. 19. Scimus iam quò abierit: sed ad iudicium reuersurum peccatores timemus. Si vt Iudicem eum times, recordare, quod ipse qui *abiit* ad superos, reuersurus ad iudicij tribunal, priùs *declinauit* ad Mariæ vterum: Mariæ ducatu ad tribunal accede: quid genitrici Filius denegabit? Audi rursùs Guillelmum. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Scimus quidem, quòd homo ille abiit in regionem longinquam; accipere sibi Regnum, & reuerti, quatenus ascendit in cælum, inde nimirum suo tempore reuersurus, ponere rationem cum seruis suis.* Quid magis timendum? *Scimus etiam, & credimus, quod declinauit Deus maiestatem suam adeò, vt dicat Apostolus, exinaniuit semetipsum: & eo ipso, quod Deus declinatus est in homine* tuus Filius effectus, *homo* per tuæ intercessionis ducatum *sublimatus erit in Deum.* Quid enim Matri dilectissimæ Filius dilectissimus poterit denegare?

Guillelm.

Demùm Cardinalis Hailgrini refero expositionem. *Duas proponunt filiæ Ierusalem quæstiones. Sed ad primam. Quò abiit dilectus tuus, pulcherrima mulierum? non respondet. Quò enim abierit Christus egrediens de sepulchro; vbi quieuit per illos quadraginta dies, in quibus per vices Discipulis apparuit, ipse scit, scriptura non nouit. Ad secundam quæstionem, quò declinauit ipsa.* Cap. 6. *respondit: Dilectus meus descendit in hortum suum.* Cur primæ quæstioni respondere omisit? Planè quia certum videbatur, illis quadraginta diebus, dum Apostolis, aut Discipulis, aut Magdalenæ non se ostendebat, cum Virgine habitasse. Ideò Maria primæ illi quæstioni non respondit. Potuit, in paradiso cum Enocho & Elia commorari, sed meliorem ei Deipara paradisum præparauit, vt *in horto suo* suis fructibus vesceretur. 238.

Post resurrectionem illis quadraginta diebus Christus cum Maria habitauit, dum suis non apparebat. Hailgrin.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

DILECTVS meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia. Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genetrici ſuæ. Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica. Neſciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Animadab. Reuertere, reuertere, Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.

Verſ. I.

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.

1. *Deus in Maria eſt inueniendus.*

DILECTVS *meus deſcendit in hortum ſuum.*] Ex communi Doctorum exiſtimo verba hæc prolata ab ſponſa reſpondente ad ſecundam illam Angelorum, vel filiarum Ieruſalem quæſtionem: *Quò declinanit dilectus tuus?* Reſpondet igitur Maria: Dilectus meus dignatus fuit declinare in hortum ſuum, qui ſum ego, cum meo in vtero Incarnationis myſterium fuit operatus. Abbas Honorius, *Optimè igitur dicit ſponſa: intra me eſt dilectus, hîc latet, quem quæritis, me ſcrutemini, in me reperietis: quid foris vagamini?* Vult profectò Deus à ſuis prædeſtinatis in Maria inueniri, per cuius interceſſionem vitæ adducantur ad portum. Vnde ipſa profatur: *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Eccli. 24.

Honor. *Prædeſtinatos ſuos ducit Deus ad Mariam, vt eius ducatu ad vitam perueniant.* Eccli. 24.

2. *Maria Arca aromatica, phiala florũ, & vnguentorum, Pharcopolium ad hominum curationem.* Septuag. Pagnin. Del-Rio.

Particulæ illius, *Ad areolam aromatum,* variæ ſunt lectiones. Apud Genebrardum quidam ex Hebræo legunt: *Ad arcam aromaticam.* Alij: *Ad confectiones aromatum germinantes intra phialas vnguenta.* LXX. *Ad phialam aromatum.* Pagninus, *Ad lineam ſulcorum aromatum.* Del-Rio, *Ad phialam aromatum horti.* Aſſolent quidem in hortorum areolis vitreæ phialæ apponi, vt intra ipſas flores teneri creſcant à noxio manuum contactu immunes. Vidi ex vitibus phialas appendere vitreas, intra quas botruli immittuntur, vt in vuas excreſcant ab importunis veſparum morſibus expertes. Crediderim autem hîc hortum quendam myſticum deſcribi, ſcilicet apothecam inſtructiſſimam diuitis pigmentarij, in qua plurimæ phialæ, pixidulæ, & alabaſtra ſunt variis odoribus aromaticis plena. Quæ vaſcula ſunt purpuriſſo, & variis coloribus variegata: lociſque ſuis in certos ordines, & quaſi ſurculos areolarum florentium, & opere topiario detonſarum inſtar, ordinata. Dixerim generatim, Mariam *arcam* eſſe virtutum aromata continentem. Gratiarum, & priuilegiorum *confectionem.* Vnguentorum miſericordiæ *phialam.* Rectam rationis *lineam* in operibus referentem. *Phialam* ſic virtutum aromata cuſtodientem, vt noxium paſſæ non fuerint vnquam attactum. Denique *hortum* ſimulque cœleſte Pharmacopolium ad humanarum ſpiritualium ægritudinum curationem.

Iuſtus Orgelit. dixit, *Areola aromatum fuit Maria; ex ea quippè nobis odor iuſtitiæ ortus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Virtutum, ac gratiarum Mariæ aromata ſunt per modum areolæ. Areola autem in horto propriè ſumpta eſt locus, in quo herbæ & propagines inſeruntur, & conſeruantur, vt inde ad alios hortos, loca, aut vaſcula poſſint transferri. Virtutes & gratiæ in Virgine ab Spiritu ſancto fuerunt conſitæ non ſolùm vt ipſam ornarent; ſed etiam vt hominibus verbo, exemplo, imitatione proficerent. Eo quidem modo, quo gratiæ, & virtutes in Chriſto erant, non ſolùm vt ipſum decorarent; ſed vt Angelis & hominibus abundanter proficerent; habente quippe Deipara per gratiam, quod ex eo capite habebat Chriſtus Dominus per naturam. De Filio enim Maria dixit cap. 5. *Genæ eius ſicut areolæ aromatum,* & de ſeipſa modò, ſe eſſe inquit aromatum *areolam.*

3. *Mariæ virtutes & gratiæ quæ illã exornant, nobis ſimul proficiũt.* Iuſtus.

Cur ergò Maria dixit, genas Chriſti eſſe *areolas* aromatum in plurali: de ſe autem dicit, in ſingulari *areolam* aromatum exiſtere? Porrò in hac ſingulari, 4. *Genæ Chriſti areolæ aromatũ, vterus*

Ant. de Eſcob. & Mendoz. In Cantic.

Maria areola. Sed cum multiplicantur Christi laudes, Maria laudes increſcunt. Guillelm.

ſeu vnica areola Mariæ vterus deſignatur, ad quem Filius Dei deſcendit homo futurus. Guillelmus, *A ſolio paterna maieſtatis Dei Filius venit in vterum Virginis ſingulariter preparatum ſibi, atque dicatum. Areola aromatis ibi erat caro illa, quam in horto humanitatis ex Maria aſſumpſit.* An-non areolas aromatum, quas in genis oſtentat ſponſus, ex Mariæ areola, ſeu vtero aſſumpſit? Quis dubitet? Ergo ſi in Chriſti Domini laudem cedit, aromatum pluralitatem oſtentare, in Virginis commendationem laus illa retorquetur, ex cuius ſingulari areola, tot areolæ germinantur.

5. *Non verecundatur diuinitas Chriſti, ſe ex Maria vtero prodiiſſe.*

Certè facies in Chriſto ipſius denotat Deitatem: ſicut facies in homine eius principaliſſimā corporis partem oſtentat. Habet Chriſtus in facie areolas aromatum, quas ex Virgine accepit. Vt ſcilicet denotet carnem illam tanta puritate nitere, vt non erubeſcat diuinitas eius fulgore ornari. Quis ignoret, faciem ſedem eſſe pudoris, ac verecundiæ. Non ſolùm itaque Deum non pudet ex areola ventris Mariæ traxiſſe areolas genarum ornatum: imò in ipſa ſede agnata pudoris, id eſt, in genis duplicem titulum (*Dos ſobre eſcritos* vulgari dixerim idiomate) quibus profitetur, ſe ex Virgine prodiiſſe.

6. *Maria ob vnicum florē Chriſtū, quem pretulit, omnium gratiarum aromatibus exornatur.* Richard.

Non dixit, *Ad areolam aromatis*, ſed *aromatum.* Nam ob vnicum florem Chriſtum Dominum ex ea germinantem areola omnium virtutum, gratiarumque aromatibus exornatur. Richardus Laurent. lib. 12. de laudib. Virg. *Chriſtus Dominus dilectus meus deſcendit in Incarnatione in hortum ſuum, id eſt, in B. Virginem ad areolam aromatum. Areola eſt* MARIA *aromatum omnium; id eſt, omnium virtutum, gratiarum, & donorum. Vnde dicit pluraliter aromatum, mens, anima, voluntas, & caro Maria. Et per hac odorifera eſt Deo, Angelis, omnibus ſanctis, & cuilibet animæ fideli.*

7. *Maria vnus Dei hortus eſt, omnes Angelica & humana natura Dei continens hortos.*

Vt paſcatur in hortis.] Quæſierim, cur cum antea Maria ſeſe *hortum* appellarit, illicò ſeſe *hortos* appellat? Dixerat, *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum:* mox dicit, *Vt paſcatur in hortis.* Reſpondeo, ſic innuere Virginem, ſeſe virtualiter & eminenter continere omnem poſſibilem perfectionem vniuerſæ creaturæ tam Angelicæ, quam humanæ: quæ glorioſo titulo poteſt Dei *horti* nominari. In vna enim Deipara colliguntur omnes gratiæ, & perfectiones, quæ diſperſæ in cunctis Dei Angelicis, ac humanis viridariis germinarunt hucvſque, & in humanis vſque ad mundi terminum germinabunt. Ita vt Maria perſonaliter ſit vnus Dei hortus, ſed ſimul omnes Dei horti eminenter exiſtat.

8. *Gratia, merita, priuilegia Maria nō humana in augmentis, ſed Angelica ſūt lance libranda.*

Ad vnam ſolummodo verbi morulam interiectam, breuiſſimumque vnius dictionis interuallum Maria *hortus*, & *horti* dicitur: vt innoteſcat, per quàm breues morulas, modo Angelico, in gratia, ac perfectionibus excreuerit. O quàm celeriter Virgo ex horto in hortos commutatur! Gratia, merita, virtutes, priuilegia Mariæ non humana in augmentis, ſed Angelica ſunt lance libranda.

9. *Vt paſcatur in hortis.* Proprium eſt Sanctorum, in perfectione quotidiè proficere: & ad anguſtiora in dies gratiarum, & beneficiorum cœleſtium incrementa conſcendere. Immaculata itaque Virgo priuſquam in vtero Verbum diuinum induendum humanitate excepit, *hortus* erat ineffabilibus virtutum germinibus ornatus, nempè *gratia plena.* At poſt Verbi Incarnationem repentè mutatur in *hortos.* Ea igitur differentia, quæ ineſt inter vnicum hortum, & omnes poſſibiles deliciarum Dei hortos, adeſt inter Mariam, antè quàm Mater Dei eſſet effecta, & ipſam, poſtquam Chriſtum puriſſimo concepit in vtero.

Quantum diſtat vnicus hortus à cunctis hortis: diſtat Maria à ſeipſa in gratiis poſt Verbi Incarnationem.

Vt paſcatur. Sæpè in Scriptura ſacra Deus fameſcens inducitur, & expetens fidelium rectis operibus ſatiari: *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea.* Mich. 7. id eſt, homines præmaturos in gratia, & florentes in meritis, vti Deus ipſe ſe expoſuit: *Inueni patres veſtros tanquam prima poma ficulnea.* Sed cum ſe eſurientem inducit, in toto humano genere exiguos admodum fructus inuenit, queis fami poſſet ſatisfacere. Poſt Chriſti aduentum Dominus ipſe ad ficulneam humani generis typum acceſſit fame affectus, & poſt examen accuratum, eam fructibus vacuam plenam foliis inuenit. *Luc.* 13. Quid plura? cum Deus nihil hominum inuenit in ſylua, quod famem expleret, deliciarum ſuarum deſcendit ad hortum, Mariam ſcilicet, in quo quidem cunctorum ſpiritualium hortorum fructus inuenit, queis famem illam affatim ſatiaret. 10.

Deus fameſcens, & in ficulnea generis humani nullū fructum inueniens, ad Maria hortū deſcendit affatim ſatiandus. Mich 9. Luc. 13.

Nonnulli apud Ghiſlerium volunt, hoc verbum, *Paſcatur ſumi deponenter, & actiuè.* Legunt enim Hebræi, (vt Genebrardus teſtatur) *Vt paſcat ſuas ſcilicet oues in hortis Mariæ.* Paſcitur planè Deus Mariæ virtutibus, & ſimul paſcit Angelos exultatione, dum ad Dei gloriam Virginis Reginæ eorum merita recolunt: & homines, dum eis Mariæ exempla imitanda proponit. 11.

Deus in horto Maria eius virtutibus paſcitur: & ſimul Angelos, & homines paſcit. Genebr.

Et lilia colligat.] Id eſt, vt meæ virgineæ puritatis odore delectetur. Annoto, non dixiſſe *lilium* virginitatis, ſed *lilia.* Quia videlicet, in Maria vt in Regina & Virginum Virgine omnium Virginum puritas eminenter continebatur. Et quia exemplo ſuo innumerabiles Virgines erat productura. Et quia tam ineffabilis Virginitatis Mariæ puritas non poterat vnici lilij vocabulo exprimi. 12.

Maria Virginitas nō vnico lilio, ſed pluribus liliis comparatur.

Meritò autem puritas, aliæque Mariæ virtutes liliorum nomine ſignantur. Lilia enim flores ſunt Regij. Nam lilium inter omnes flores formam ſceptri coronæque regalis exponit. Cunctæ Mariæ virtutes, gratiæ; priuilegia inter omnes Angelorum hominumque virtutes, gratias, & priuilegia Regiam obtinent dignitatem. 13.

Inter omnes Angelicas, & humanas virtutes, Maria virtutes obtinent principatum.

Et lilia colligat. Chriſtum quidem contemplor ad vallem lachrymarum deſcendentem Mariæ ex vtero, eius virtutum odorifera lilia colligere, & faſciculum efformare, vt abſque nauſea per mundum peccatis corruptum valeat tranſire. 14.

Chriſtus liliorum Maria faſciculo facto, per mundum corruptū ſine nauſea tranſiit.

Vt autem virtutum Mariæ præſtantiam agnoſcas, ad Dei plenam refectionem, haud neceſſarium eſſe, vt omnibus virtuti- 15.

Ad plenam Dei fameſ-

bus

tentis refectionem non sunt necessarij operum fructus, sufficiunt bonarum cogitationum flores. Richard.

bus pascatur: vnum, vel alterum desiderium bonum Mariæ affatim illius famem explet. Lilia, quæ in hortis virgineis colligit sponsus, quibus cœlestis Agnus pascitur, (de quo superius) sunt Deiparæ cogitationes, seu rectè operandi desideria. Vt igitur Deus abundantissimè in Mariæ hortis epuletur, non est opus vt bonorum operum fructus decerpat: sufficit flores cogitationum rectè operandi edendas colligat. Pulchrè Richardus lib. 12. *Deus liliis in hortis Marianis pascitur, & ideò dicitur colligere lilia. Lilia enim sunt bonæ cogitationes, quæ floridam faciunt mentem, & habent spem fructus bonorum operum.* En ad plenam esurientis Domini satietatem, opus non est bonorum operum decerpere fructus; sed sufficit in Maria benè operandi cogitatio.

16.

Deus esuriens tantam dulcedinem ex virtutum Mariæ cibo percipit, vt ei gratias referat, & vberius eam pascat earumdem virtutum incrementis.

Vel si magis arrideat, Deus fame affectus fructibus horti Mariani reficitur, & tantam capit ex dulcissimo cibo delectationem, vt & gratias pascenti referat, & eam cœlestibus pascat alimoniis. Guillelmum ad hanc mentem allicio. *Vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Horti sunt piæ Matris virtutes, imbribus diuinis irrigui, atque illius assiduè fructus feraces. Hunc fructum sponsus esurit, hoc suauiter pascitur, & pastus gratias agit, dicens: Esuriui, & dedisti mihi manducare. Pascitur sanè in his hortis fons hortorum, ad hoc rigans eos vtique, vt pascatur in eis. Pascitur in hortis* Mariæ, *& pascit hortos: quantum pascitur, tantum pascit.* Hinc virtutum Virginis ineffabile incrementum. Semper esurientem Deum pascunt, & semper ab ipso pascuntur, vt crescant. O quàm suauis Mariæ virtutum cibus Deo, dum pro huiusmodi refectione ei gratias refert, & tantis ipsarum munerat incrementis: augens planè virtutes, vt plus per instantia singula ei tam dulce pabulum augeatur?

Vers. II.

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

17.

Quid Virgo dederit Deo, & quid Deus Virgini dederit estnè infinitum? Hailgrin.

EGo dilecto meo.] Huius sententiæ expositionem mysticam de Deipara vbertim tradidi *ad c. 2. vers. 16.* Nonnulla adiiciam. Suppono autem illas particulas: *Ego*, & *mihi*, singulariter, significanter, & antonomasticè esse dictas. At non exprimit Virgo, quid ipsa sit dilecto, nec quid dilectus sit illi. Quare precor? Respondet acutè Cardinalis Hailgrinus. *Quia istud* Quid *est tantum, vt ad ipsum explicandum verba deficiant.* Si Mariæ sapientissimæ verba deficiunt: ad exprimendum quid ipsa sit Deo, & quid Deus sit illi; euidenter colligi videtur, illud *Quid* ferè esse infinitum: at omninò esse ineffabile.

Est quidē ineffabile.

18.

Si effabile est, quid dederit Maria Deo, & quid Deus Mariæ dederit, ipsa sola id poterit explicare. Guillelm.

Attamen Abbas Guillelmus sui ingenij acumine illud *Quid* explicare conatur, & ad hoc ipsam Virginem loquentem inducit. Nam si quæ sapientiæ & scientiæ Dei degit in adytis, illud non exponit: id hominibus, imò & Angelis erit penitus ineffabile. *Rectè ò adolescentulæ, (ait Maria) à me potissimum inquiritis, quò declinauerit dilectus, qui à solio Patris diuina dignatione declinauit in hortum suum, vterum meum. Nulli hoc Sacramentum æquè innotuit, vt mihi: nulli tantum contulit, quantum mihi.* Iam exponit, quid dilecto ipsa dederit, & quid acceperit à dilecto. *Ego dilecto meo ex carne mea dedi carnis substantiam, & dilectus meus mihi refudit singularem inter homines gloriam.* Quænam hæc singularis est gloria? *Nempè ad cumulum gloriæ, quod sibi non tantum de me, sed & à me carnem sumere dignatus est. De me*, inquam, id est, me vltroneè dante. Quid magis Virgini gloriosum, quàm quòd Deus eius pareat volũtati, nec hominum redemptioni in carne à Maria accepta det operam, nisi ex ipsius voluntate? *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, Patrem precamur. Deus Mariæ in cœlo & in terra priusquam Dei Mater est, fieri vult vel ab ipso Domino voluntatem. O ineffabilem Mariæ inter homines gloriam!

Deus non tantum de Maria, sed à Maria, id est, ipsa vltro dante, carnem accepit.

Deus fieri vult in cœlo & in terra fieri Mariæ voluntatem.

Haud sic cum generis humani parente 19.
Deus, cuius non requisiuit beneplacitum ad Euæ communis Matris suo è latere productionem; ipso enim dormiente *costam in mulierem Deus ædificauit.* Gen. 2. At noluit carnem à Maria dormiente accipere, aut non annuente: vt innueret, quàm superior esset Adamo, cunctoque generi Maria, qua cum tanta Deus agit vrbanitate. Ex Guillelmo confirmo: *Sumpsit Deus de Adam, vnde formauit Euam, sed non ab Adam. Non enim Adam de se dedit, quod illi nescienti, & dormienti detractum est. Porrò de me nesciente, & non consentiente, carnem sumere noluit; sed quod sumeret, me per fidelem hilaremque consensum dare voluit: atque ideò Angelum, qui me ad fidem mulceret, dignanter, prouideque præmisit.* O quàm ineffabiliter æstimabilis est vltronea Mariæ voluntas, & consensus, quem Deus tanto studio procurauit! En illud *Quid* Mariæ, quod dilecto dedit.

Deus, sine requisito Adami beneplacito eduxit de eo Euam, sed sine beneplacito Mariæ non eduxit de ea Christum. Gen. 2.

Æstimabilis est ineffabiliter Deo vltronea Mariæ voluntas.

Quid autem dilectus Mariæ quasi debitor 20.
dederit, iam ostendo. Profectò dedit Mariæ Deus, illius fieri Matrem. Quid hoc dono sublimius potest excogitari? Adiicit Guillelmus. *Denique hilariter dedi, quod de me dignanter sumeret, ipsa vtique dignatione sua fidei meæ deuotionem amplè remunerans. Quid enim insignius, præclariusque conferri mihi potuit, quam vt Mater Verbi fierem, & hoc tam excellenter, vt non tantum de me, sed à me in vsum redemptionis humanæ carnem sumere dignaretur. Et hoc ipsum ad quantam gloriam mihi suo tempore reuelandam? Itaque ego dilecto meo ex me dedi corpus humilitatis, & dilectus meus mihi dedit culmen excellentissimæ* (Matris Dei) *dignitatis.* O quàm excellens est istud humilitatis donum, caro scilicet Mariæ, pro qua Deus iustus redditor dedit ei Maternitatis augustissimæ dignitatem!

Dedit Deus quasi debitor Mariæ, vt Dei esset Mater. Quid hoc munere augustius?

Quam excellens caro Mariæ, pro qua Deus iustus redditor dedit ei Maternitatis dignitatē!

Christus Dominus Matth. 2. inquit. *In* 21.
qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Ergo si æqualis mensura Dei retribuentis mensuræ dantis Mariæ debet respondere; immensa omninò erit doni Deo dati à Maria, cui immensa retributionis Dei mensura respondet. Quænam Mariæ Deo oblata mensura? Virginis caro. Quænam Dei mensura retribuentis? Dei esse Matrem. An vtriusque doni est æqualis mensura? Audi Guillelmum. *Eadem mensura, quâ ego mensa sum dilecto meo, dilectus meus remensus*

Quasi immensum est donū Deo à Maria datum si, ei immensa retributionis Dei mensura respondit. Math. 2. Guillelm.

mensus est mihi. Quia diuina sua dignatione fidei meæ, desiderioque respondit. Hui⸱s mensuræ Dei ostende magnitudinem. *Dignanter accipiens mea carnalia,* (id est carnem meam) *copiosè mihi sua dedit spiritualia. Planè mensuram bonam, & coagitatam, & confertam, & supereffluentem honoris & gratiæ dedit, dabitque in sinum* mihi Matri suæ *pro eo, quod illi incarnando prompta, hilarique fide aperui vterum meum, vt Verbum caro fieret.* Igitur si æqualis quodammodo est dati, & redditi mensura, quam immensa erit dati à Maria mensura, cui tam immensa redditi mensura respondet? *Sic ego* (concludit Abbas) *dilecto meo, & dilectus meus mihi.*

22. Rupertus verò aliter sententiam interpretatur. *Ego*, inquit, *dilecto meo, subauditur, pessulum ostij aperui, vocis meæ obsequium præbui, vt audirent, & non nescirent filiæ Ierusalem, qualis ipse sit, & dicitur; Dilectus meus mihi, subauditur, vicem reddidit laudationis, scilicet, verborum sequentium: Pulchra es amica mea, &c.* Dei enim encomia sola Virgo potest dignè proferre, & exponere. Mariæ verò merita solus potest Deus, vt sunt, explicare; hominibus namque, imò & Angelicis spiritibus prorsus sunt ineffabilia.

Sola Maria potest Dei laudes dignè proferre, & solus Deus potest Mariæ merita, vt sunt explicare. Rupert.

23. Hugo Card. sic exposuit: *Ego dilecto meo filia Mater inter mulieres cæteras sum electa: & dilectus meus mihi, secundum humanitatem est Filius sine virilis seminis admistione; quod in eo solo est reperire.* Itaque nulla mulier nisi Maria inuenta fuit digna, vt Dei in Matrem eligeretur, & nullus Filius nisi Deus videbatur tam præcelsæ, & augustæ Matri conuenire.

Nulla mulier nisi Maria inuenta est digna, vt Dei eligeretur in Matrem. Hugo.

24. Aliter idem Doctor. *Ego dilecto meo consentiens, respondeo: Ecce ancilla Domini, & dilectus meus mihi fauens, & annuens merita dando, data conseruando, conseruata remunerando.* Tam excellens apud Deum est Mariæ celsitudo, vt pro vno illius verbo Deus ei faueat, annuat, det merita, conseruet, & remuneret.

Pro vno Mariæ verbo, Deus ei fauet, annuit, dat merita, & remunerat. Hugo

25. Videntur hæc verba: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi* innuere quoddam spirituale matrimonium Virginis cum Filio ac simul sponso: vbi vxor dat munera sponso, & ab illo simul munera recipit. Quod quidem piè Richardus de S. Laurent. *lib. 6.* contemplatur. *Maria sponsa Filij, quia in matrimonio solent fieri donationes. Vxor enim dat aliquid viro propter nuptias, & vir dotat vxorem. Dedit Maria Christo carnem de sua carne, in qua passus est. Ipse vero dedit ei quasi duplicem dotem, gratiam primo, vnde dicta est, gratia plena, & tandem gloriam in excelsis. Propter hoc in figura Mariæ dixit Lia* Gen. 30. *Ditauit me Deus dote bona. Propter Mariam reliquit Dei Filius carnem sumpturus Patrem in mundum veniens, & adhæsit Mariæ: & in hoc Sacramento factum est illud nouum & mirabile, scilicet, quod erunt duo in carne vna, scilicet Filius & Mater. Ad hoc facit, quod ipsa Virgo dixit* Cant. 6. *Ego dilecto meo sum Mater singularis, & vnica: & dilectus meus mihi est singulariter vnicus Filius:* dedi enim ei sponso dilecto carnem, ab eo gratiam, & gloriam vberrimè accipiens.

Inter Christum & Mariam spirituale matrimonium initur, ipsa dat munus sponso, ipsa sponsa dat dotem. Richard.

Genes. 30.

26. *Qui pascitur inter lilia.*] Vbi Hugo Card. *Pascitur dilectus meus Filius inter lilia, dum mea vbera sugit.* Nam si lilium suauissimum odorem aspirat: Virginis vbera hominibus fragrantiam misericordiæ exhalant. Vnde illud: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. Audi Richardum *lib. 5.* qui quidem Mariæ vberum fragrantiam misericordiæ aspirantium sic describit: *Vbera Mariæ sunt pietas & misericordia. Item vbera Mariæ sunt dilectio Dei & proximi.* Vt vbi est proximi dilectio, ibi adsit pietas & misericordia Virginis: imo idem sit in Maria dilectio proximi, & in ipsum misericordia. Quomodo non miserebitur ei, quem impensè diligit. Laudat hanc vberum Mariæ fragrantiam sponsus Cant. 4. *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt vbera tua vino.* Id est, fragrantiora vino propter optima quibus madent pietatis vnguenta. *Dicunt quidam* (adiicit Richardus) *quod mammæ, seu mamillæ propriè sunt matrum, vt vbera Virginum, B. Virgo vtrumque habere dicitur, scilicet vbera & mammas: quia Virgo est & Mater. Ideò dicitur. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ. Quid enim pulchrius, imo quid fragrantius peccatori afflicto, quàm pietas, & misericordia, quæ in vberibus & mammis designantur?* Fragrantia itaque lilia vberum Mariæ optimis vnguentis plena, vini superant odorem. Vinum enim signat iustitiæ seueritatem. *Fragrantiora planè sunt vbera Mariæ peccatoribus, quam austeritas seueritatis, quæ signatur in vino.* Si igitur Christus Dominus (vti aiebat Hugo) Mariæ vbera sugens, percipit horum liliorum misericordiæ Matris fragrantiam, quomodo peccatoribus non ignoscet?

Mariæ vbera, quæ Christus sugit, sunt plena misericordia. Hugo. Cant. 1.

Vbi est proximi dilectio, ibi Mariæ adest misericordia. Nunquam non Maria proximum diligit, ergo semper ei miseretur. Richard.

Maria peccatori ut miseretur, vt Mater. Richard.

Alij existimant in Mariæ vberibus sanctissimam eius vitam, & mundissimas actiones designari. Nihil enim Deo iucundius, quam huiusmodi vbera sugere. Ait Card. Hailgrinus. *Qui pascitur inter lilia, supplendum est, mea. Nam inter lilia Virginis, id est, inter vitam, & carnis ipsius munditiam ipse Christus pascitur, & iucundatur.* 27.

Deus iucundatur sanctissima Mariæ vita vbera sugens. Halgrin.

Placet demum aliquibus, liliis hîc B. Virginem, & B. Iosephum eius sponsum significari, inter quos Christus Dominus pascebatur, dum vitam mortalem ageret. An-non Maria lilium Regius flos forma & merito: in conspectu cuius omnes homines, imò & Angeli longè sunt sanctitate inferiores? Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ad quæ Richardus lib. 12. *In comparatione Mariæ spinæ reputantur & animæ sanctæ, virtutes Angelicæ. Et sicut lilium candorem suum retinet inter spinas: & quanto magis ab illis pungitur, maiorem emittit odoris fragrantiam; sic Maria, dum à Iudæis in Filio pungeretur, semper mentis innocentiam retinuit.* Quid de B. Iosepho adiiciam? An-non candidissimum lilium extitit, vt Mariæ lilij candidissimi æmularetur proprietates. Conuenit planè Iosepho quod de lilio Richardus citatus scripsit. *In lilio quatuor consideranda sunt, quæ faciunt ipsum commendabile. Primum Radix* Iosephi generatio præclara ex semine Abrahæ, de Tribu Iuda exorta. *Ex radice stilus æqualis per iustitiam.* De Iosepho autem dicitur. *Ioseph autem cum esset iustus, &c. Ex stylo flos in summo, in quo candor castitatis.* Profectò virginea puritas Iosephi prorsus Angelica, qui quidem ad sponsæ imitationem eam 28.

Inter Mariam & Iosephum lilia candidissima Christus pascitur. Cant. 2.

Maria lilium. Richard.

Ioseph refert quatuor lilij proprietates. Richard.

eam voto obfirmauit. *Redolet* denique *flos iste*; *quia fama eius fragrantia latè diffunditur,* Virginis Virgo sponsus *in cœlis*, *& in terris*, *& in mari cantatur.* Inter hæc itaque candidissima lilia Christus Dominus pascitur, seu nutritur, dum *subditus illis fieri* dignatur.

29. *Christus inter Mariæ virtutes pascitur.* Carthus. At si magis placeat, τὸ *Inter lilia* ad Deiparæ virtutes referre, accipe piam admodum Dionysij Carthus. sententiam. *Inter lilia sponsus pascitur. Lilia Virginis incomparandæ erant spiritualissimæ, ac purissimæ affectiones, altissimæ contemplationes, ac cæteri actus eius interni, quibus sponsus delectabatur potissimè, & tantò plus, quò Virgo sibi charior, & complacentior fuit, & quò omnes actus præfatos ex charitate principiabatur eminentiore. Hinc sponsus ad eius laudes conuertitur: Pulchra es amica mea, &c.*

Vers. III.

Pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem: terribilis, vt castrorum acies ordinata.

30. *Quidquid ad augustissimæ ciuitatis perfectionem pertinet, est in Maria Dei ciuitate Ierosolyma.* Psalm. 86. PVlchra es.] De hac particula Pulchra, & Pulcherrima, plura dixi ad cap. 1. & 5. De vocabulo *Amica* ad cap. 1. plura etiam annotaui. Nunc illa verba pondero. *Suauis & decora sicut Ierusalem.*] Mariæ decorem terrena Ierosolyma expressit Dei quidem ciuitas, de qua gloriosa dicta esse Dauid expressit. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Psalm. 86. Id est, quidquid ad ciuitatis augustissimæ attinet perfectionem, de Ierosolyma illa Hebræorum Regia scriptum fuit. Quid de Deipara? An-non verius debet Dei ciuitas appellari? Eleganter Albertus Magn. *super Missus*, *cap.* 31. Ierusalem *ciuitas Dei est Maria. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Quia omnia, quæ ad perfectionem ciuitatis magnæ pertinent, de beatissima Virgine dici possunt. Fuit enim fundata per humilitatem, per castitatem murata, turrita per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, libera per immunitatem peccatorum, pacifica superatione tentationum, diuinis officiis ornata, per elegantiam morum in peccatorum refugium ædificata, populosa virtutibus, & omnium donorum gratuitorum multitudine, irrigua miserationis abundantia, in altissimo sita per priuilegiorum excellentiam.* (Albert. Mag.)

31. *Maria ciuitas omnino pacifica.* Alan. Ierusalem *visio pacis* interpretatur. Quid de ciuitate Maria? Alanus respondet. *Si Ierusalem visio pacis dicitur, quid verius Ierusalem, quam gloriosa Virgo, in qua pax pectoris, & pax æternitatis, id est, pax perpetua.* Hæc est Arca Noë, *in qua bene dispositæ fuere bestiæ, quia in ea non fuerunt cogitationes inordinatæ.* Et Nyssenus, similis est Maria Ierosolymæ Magni Regis ciuitati. Quia comprehendit in se non comprehensibilia, itavt inhabitet, & inambulet in ea Deus. Pulchritudo autem ciuitatis Regiæ, & elegantia ipsius sine dubio Regis est pulchritudo. Quomodo non erit Maria Regia ciuitas, vbi Deus augustissimè inhabitet, si Dei ipsius pulchritudinem refert, id est, si pulchritudo Mariæ ipsius sit Dei pulchritudo? (*Pulchritudo ciuitatis Ierusalem Dei ipsius Mariæ pulchritudo est.* Nyssen.)

Aliorum Doctorum sententia est, Mariam hîc cœlesti Ierosolymæ comparari. Ita Honorius. *Decora est Maria sicut Ierusalem cœlestis, id est, sicut Angeli, qui semper vident faciem Patris.* Crediderim, Abbatem hisce verbis, *sicut Angeli*, qui Patris faciem intuentur, asserere Virginem sæpè in terris degentem beatissima visione esse potitam. Quod quidem apertius D. Antoninus *tract. de Maria cap.* 29. §. 1. asseruit. *Quia Spiritus sanctus mirabiliter requieuit in ea, dicente Angelo, Spiritus sanctus superueniet in te: nulli dubium, quin clare viderit, quæ Dei sunt.* Et Amadæus homil. 7. de laudib. Virg. *Igitur in carne præsens, futuri Regni primitias prælibabat.* 32. *Maria sicut Ierusalem cœlestis, quia aliquando hic beatifica visione potita fuit.* Honor. Antonin. Amadæ.

33. *Maria sicut Ierusalem cœlestis, quia hic Angelicam vitam egit.* Guillelm. Non dubium, quin ineffabile sit priuilegium, Mariam viatricem fuisse aliquando Angelis similem faciem Patris videntibus. At augustiorem reputo Virginis esse laudem Angelicam vitam in terris egisse. Vnde decoram fuisse affirmo sicut Ierusalem, id est, Angelicam hîc retulit puritatem. Pulchrè Guillelmus. *Pulchra es ô Maria sicut Ierusalem illa cœlestis, quæ est in Angelis. Quippe inter homines viuis Angelicè: & in carne adhuc moribunda cœlesti prælucens puritate.* Libet quæ in præsenti Theodoretus de Ecclesia est meditatus, Deiparæ adaptare. *Pulchra es, ô Virgo & suauis, & decora sicut Ierusalem cœlestis. Nec verò solum es pulchra, sed etiam decora: nec decora simpliciter, sed sicut Ierusalem non hac inferior, sed superior illa, de qua B. Apostolus. Quæ autem, inquit, sursum est Ierusalem libera est, quæ est Mater omnium nostrûm.* Gal. 4. *Illi similis es, propinqua mea, Angelicam enim viuendi rationem meditaris. Imitaris in terra, quæ cœlestia sunt, & in carne ambulans, non militas secundum carnem.* Hoc est in Militanti Ecclesia, Triumphantis iam potiris spoliis. (Theodor. Gal. 4.)

34. *Maria non solùm suauis, & pulchra, sed ipsa suauitas & pulchritudo in abstracto.* Septuaginta legunt? *Suauis es sicut beneplacitum.* Alij *sicut beneuolentia.* Theodoretus. *Sicut probatio.* Alij *pulchritudo, & suauitas sicut Ierusalem.* Profectò hæc verba provt leguntur non in concreto, sed in abstracto, *Pulchritudo, suauitas*, mirè pulchritudinem, & suauitatem Virginis efferunt. Hoc enim est discrimen inter pulchritudinem & suauitatem in abstracto, & ipsam in concreto: quod res pulchra, & suauis in concreto, potest esse suauis & pulchra vna ex parte, & ex alia, quæ ipsi admiscetur, poterit esse insuauis, & fœda. At suauitas, & pulchritudo in abstracto nullatenus esse potest alicuius amaritudinis, aut fœditatis. Vnde D. Thomas lib. 1. contra gent. cap. 28. *Si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse posset; nam alicui albo aliquid de virtute albedinis deesse posset ex defectu recipientis albedinem.* Atque ideò iuxta Patrum receptam sententiam creauit Deus in nascentis mundi principio lucem vt qualitatem à subiecto separatam, vt eam in omni sua possibili perfectione crearet dicens: *Fiat lux.* Gen. 1. Non solùm Maria pulchra, ac suauis fuit, sed ipsa potius pulchritudo, & suauitas, *sicut Ierusalem* cœlestis, id est sicut beatitudo, ac deliciæ cœlestis paradisi. Quia sicut de essentia beatitudinis est ex Theologorum definitione, quod sit omnium bonorum aggregatio perfecta (*Maria est velut ipsa cœlestis beatitudo cuncta cõ-*)

plectens bona, ſine alicuius vel leuiſſimi mali admiſtione.

Perfecta ſine alicuius vel leuiſſimi mali admiſtione: ſic ſuo modo eſt de ratione illius, quæ in Dei Matrem eligitur, quod cunctis bonis ſeu omnibus virtutibus, ac gratiis exundet, à cunctis malis vel leuiſſimis ſeparata. Attributa itaque Mariæ debent haberi per modum abſtracti. Non iam humilis, ſed ipſa humilitas: non iam Virgo, ſed ipſa virginitas. Ita nos docuit Eccleſia dum Virginem appellat virginitatem. *Sancta & immaculata virginitas: quibus te laudibus efferam neſcio.* Lege Brigittam *lib.6.c.1.*

Maria eſt ipſa Dei beneuolentia & amicitia in abſtracto non ſolum beneuola, & amica incremento.

35\. Alij legunt. *Pulchra es, vt beneuolentia.* Maria à cœleſti ſponſo non beneuola, amica; ſed ipſa *beneuolentia*, ipſa *amicitia* vocitatur. Id quod eſt beneuolum in concreto, poteſt ex aliqua parte eius eſſe maleuolum, & inſenſum. At beneuolētia, ſeu amicitia in abſtracto, haud poteſt vllam maleuolentiæ, ſeu inimicitiæ rationem continere. Non aliter Maria quia nunquam vel perlenem maculam admiſit, vel originalem contraxit, non ſolum debet Dei amica, Deo beneuola; ſed ipſa amicitia, ipſa beneuolentia appellari. An-non Maria videtur hinc attributorum Dei particeps fieri? Dicitur enim. *Deus charitas eſt, Deus ſapientia eſt.* Non enim eſt ſapiens aut nos diligens in concreto; ſed ipſa in abſtracto eſt charitas, & ſapientia.

Videtur Maria particeps fieri attributorum Dei.

Maria eſt ipſum Dei beneplacitū.

36\. Aliorum eſt lectio. *Pulchra, & ſuauis es, ſicut beneplacitum.* Id eſt, Virgo immaculata eſt ſubiectum quoddam, in quo Deus ſibi ſemper benè complacuit: quia nihil vnquam in ea fuit, ex quo poſſet Deo diſplicere. Ac ſi Maria habeat per gratiam id, quod Chriſto Domino pertinet per naturam. Volens Pater Chriſti Filij ſui ſanctitatem exponere, in Iordane inclamitat. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 4. quod rurſum apud Thabor expreſſit. Ac ſi diceret. Hic eſt Filius meus, in quo nihil adfuit, vel eſſe potuit per naturam, quod meis oculis non placeret. Mihi videtur ſponſum audire inclamantem. Hæc eſt mea ſponſa, ac Mater dilecta, in qua mihi benè complacui; quia per ſpeciale priuilegium nihil adfuit, quod diſplicentiæ mihi eſſe poſſet obiectum. Andreas Cretenſ. orat. 2. de dormit. Deip. *Tu es mons Sion, ô Maria, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacitum eſt Deo.* Epiphanius in Anchor. *Multa millia erant in terra, & ſola Maria gratiam inuenit, & ex ipſa elegit Deus ſanctam carnem; ac propterea eſt ipſa, in qua ſibi complacitum eſt.* Et D. Bernardus ſerm. de laud. Virg. *Spiritus ſanctus in te complacuit ſibi, ô Maria.*

Nihil fuit in Maria, quod Deo diſplicere vnquam potuerit. Matth 4. Andr. Cret. Epiphan

Nihil eſt, aut fuit in Maria, quod approbari non debeat, imo eſt approbatio ipſa. Method.

37\. Legit Theodoretus. *Pulchra es, ſicut probatio.* Verba Theodoreti de Eccleſia Deiparæ accommodo. Meritò ſponſus ſponſam appellat, *Probationem.* Probata enim fuit examine rigoroſo; vt lauream conſequeretur, vel Martyrij illuſtriſſimi ex compaſſione Filij patientis, animo Simeonis gladio vulnerato: vel facto de ea examine, an per virtutum exercitamenta, & omnimodam puritatem apta inueniretur, vt Dei eligeretur in Matrem.

Maria de omnium ſpirituali profectu erat ſollicita nulli inuidēs.

38\. Alij denique legunt. *Pulchra es, vt Approbatio.* Nihil enim in Maria poſt accuratam indagationem inuenies, quod omni dignum non ſit approbatione: nihil reprobabile infuit. Vnde Methodius homil. de Purif. *Spiritalis de te, ô Virgo, Deo approbata eſt laudatio omnis.* Quid enim de Deipara dici poſſit, quod à Deo eius Filio non approbetur? Philip.

Expetit Maria, vt omnes Dei voluntatem exequēdo in Chriſti Matrem conuertantur. Matth.12. Philip.

Profectò *ſuauis* Maria appellatur ex Philippi Abbatis mente, quia cæteris non inuidebat, imò de omnium ſpirituali profectu erat ſollicita. *In quo* (ille inquit) *affectu & profectu neſcis*, ô Virgo, *cæteris inuidere; ſed forma, & doctrina omnes amas in melius promouere: nullius æmula, nulli detrahens, nulli grauis; ſed omnibus ſuauis. Nihil ſuauius, quam diligendo Deum, proximum ſic amplecti, vt prorſus non inuideat, imò gaudeat, Deum à quibuſlibet proximis amari. Suauis eſt Maria, cum ſponſo filias Ieruſalem vult placere: ſuauis quidem, cum illis eandem, quam ſibi gloriam vult adeſſe, excepto forſan, quod vnico Filio Matrem vnicam vult ſe eſſe.* 39.

Nullum vnquam Maria inſuaue protulit verbum. Philip. Bernard.

Aptè *forſan* dixit, quia ſi Virginis attentè vel circa hoc Maternitatis priuilegium pietatem ſcrutemur, potius cupit, vt omnes hoc ineffabili priuilegio potiamur. An-non Dominus Matth. 12. dixit: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe frater meus, & ſoror, & mater eſt?* Maria ergò dum cunctos allicit ſuis precibus, vt Dei voluntati pareant, cunctos vult Dei matres exiſtere. Pulchrè Philippus. *Profectò Maria & illis omnibus non inuidet matrum dignitatem, ſciens, quoniam qui ſponſi vel Filij fecerit voluntatem, ille Mater eius merebitur appellari.* Vnde verba illa Chriſti Domini: *Quæ eſt mea?* indico eſſe huius virgineæ indicatiua pietatis. Ac ſi dixerit: Vultis colligere, quam pia ſit erga homines Mater mea? foris ſtat, gaudio affecta, dum vos me audiendo, Patris exequimini voluntatem, quo mei in matres conuertimini. 40.

Suauitas Mariæ cœleſtis Ieruſalem ſuauiſſimæ paci comparatur. Philip.

Profectò Philippus ineffabilem Virginis ſuauitatem hiſce curat verbis exprimere: *Suauis eſt, quia nullius æmula, nulli detrahens, nulli grauis, omnium ſollicita, omnes attrahens.* Vnde D. Bernardus ponderat, nullum in Euangelio Mariæ inſonare verbum, quod amaritudinis ſpeciem exprimeret, totam enim ſeſe vel hoſtibus ſuauem exhibebat. 41.

Vnde cœleſti Ieroſolymæ hìc comparatur. *Suauis ſicut Ieruſalem.* In qua inſuaue nihil, nullum verbum inſonat amarum, quia pacis omnia exundant ſuauitate. Sic Philippus. *Hinc Virgo nulli iam hominum comparanda. illi Ieruſalem ſimilatur. Illa quippe Angelorum ſancta, & ſibi conſona eſt multitudo, quam ciuitatis inſtar, munit indiſſolubilis fortitudo, tanta ſuauitate conſpicua, vt in ea nihil indignum paci argui videatur.*

Suauis erga homines Maria, eadem ſuauitate eſt diabolo terribilis.

Si ſuauis, Ieroſolymæ inſtar, eſt Beatiſſima Virgo, cur mox adiicitur: *Terribilis, vt caſtrorū acies ordinata?* Certè quia quæ ſuauitate hominibus diffluit, dæmoniis exundat amaritudine. Abbas addit: *Rectè ſicut Ieruſalem ſuauis prædicatur, & terribilis vt acies caſtrorum eſt diabolo*, qui ex pulcherrima ſuauitate Mariæ erga homines admiranda dirè equidem ſauciatur. *Rectè*, inquam, *quia illius decorem, & ſuauitatem hoſtis intuens terribiliter admiratur. Videns quippè illam tot, & tantis virtutibus præmuniri. Stupet in muliere ſuauiſ-* 42.

ſima

ſima erga homines *firmitate*, ſeu fortitudine *vigere Angelorum* contra hoſtes inuiſibiles; *& in vna Virgine aciei ordinem, & vim caſtrorum.*

Caſtitas Mariæ caſtris Angelicis aſſimilatur.

43. Quare autem caſtris Angelicis cœleſtis Ieroſolymæ, & non terrenis agminibus aſſimilari dicitur? Crediderim, in præſenti Virginis caſtitatem etiam efferri præconiis. *Caſtum*, & *Caſtrum*, ſi vnicam demas litteram *R*, idem omnino ſonat. Quia igitur Mariæ caſtitas magis eſt Angelica quam humana, caſtris Angelicis comparari debuit. Perbellè Philippus concludit, *Rectè Virgo ſancta & caſtris, & Angelis comparatur; eo quod in vtroque caſtitatis excellentia commendatur; quia & Angelos caro, vel carnis copula nunquam lædit: & remotis à complexu domeſtico caſtris caſtitas nomen dedit. Vt caſtrorum igitur acies Virgo terribilis inuenitur, quæ Deum carne gignens, non carnis copulam experitur.* Terribilis itaque diabolo Mariæ caſtitas; immundo enim ſpiritui quid terribilius mentis, ac corporis virginei ineffabili puritate?

Philip.

Nihil terribilius ſpiritui immundo quam Mariæ caſtitas.

Quatuor Cardinales Mariæ virtutes.

44. Abbas Guillelmus hîc exiſtimat Mariæ quatuor Cardinales virtutes prædicari: cuius ſententiæ elegantis quidem vel particulam præterire, quaſi piaculum ducerem. *Pulchram dicit, ſuauem, decoram, & terribilem, quatuor ſcilicet virtutibus cardinalibus, quibus benè viuitur, illam pollere inſinuans. Pulchram dicit propter iuſtitiam: ſuauem propter prudentiam: decoram propter temperantiam: terribilem propter fortitudinem.* Pulchra, inquam, *dicitur Maria propter virtutem iuſtitiæ, quæ nimirum animi pulchritudo eſt; ea namque pulcher, & gratus eſt animus oculis maieſtatis: ſicut & deformis, & fœdus propter iniuſtitiam. Suauis dicitur propter virtutem prudentiæ. Quæ nimium non tantùm ſapienter, ſed & ſuauiter, & tanto ſuauius, quantò & ſapientius, operatur. Vnde ſapientiæ ſpecialis, & præcipua laus eſt, quod diſponat omnia ſuauiter. Decora dicitur propter virtutem temperantiæ, quæ caſtigat animæ, & corporis motus indecoros. Terribilis dicitur propter virtutem fortitudinis, quæ dum hoſtis impetus conſtanter tolerat, hoſtilem potenter frænat audaciam.*

Guillelm.

Mariæ iuſtitia.

Mariæ prudentia.

Mariæ temperantia.

Mariæ fortitudo.

Maria pulchra ob mundam conuerſationẽ, ſuauis per clementiam, decora ob caſtitatem, terribilis dæmonibus.

45. Aliter Abbas non minori elegantia locum expendit: *Pulchra es, ô* MARIA, *per conuerſationis munditiam: ſuauis per clementiam: decora per caſtitatis ſingulare decus, ſicut Ieruſalem illa cœleſtis, quæ eſt in Angelis. Quippè inter homines viuis Angelicè. Porrò cum Mater mea ſis, & genueris terribilem, qui aufert ſpiritum Principum, ipſa quoque terribilis es Principibus tenebrarum, vt caſtrorum acies ordinata, ſcilicet Angeli, de quibus Iacob dixit: Caſtra Dei ſunt hæc. Tam terribilia ſunt hæc caſtra Dei caſtris aduerſariorum, vt nulla ex parte irrumpere audeant. Dilectus igitur, vt piam Matrem demonſtret cunctis malignis ſpiritibus vehementer terribilem, eam dixit terribilem vt caſtrorum aciem ordinatam. Quaſi dicat: Quia te ſciunt aëreæ poteſtates eſſe Matrem meam, Matrem triumphatoris, & ſpoliatoris ſui, vereantur te Matrem terribilis, & eius, qui aufert ſpiritum Principum: tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter; ſed ſicut eſt illis terribilis Angelicus exercitus, ad coercendos eos, nè ſuprà modum homines infeſtent, diuinitus ordinatus.*

Guilelm.

Pſal. 75.

Maria ſecretum humilitas, miſericordia, gratia, contra dæmones terribilitas.

Hugo Carenſ. ſic expoſuit: *B. Virgo Amica eſt, ſiue animi cuſtos, ſeu cordis. Vnde* Luc. 2. *Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Pulchra per humilitatem; ideò in ipſa ſibi complacuit Filius Dei. Vnde* Luc. 2. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Suauis miſericordiæ vbertate. Vnde & Regina miſericordiæ dicitur. Decora plenitudine gratiarum. Vnde Aue gratia plena. Terribilis vt caſtrorum acies: Ad eius memoriam dæmones contremiſcunt, & eam omnino ſuſtinere non poſſunt.* 46.

Hugo.

Mariæ puritas, dulcedo, vitæ ſanctitas, in diabolum poteſtas.

Dionyſius Carthuſian. hunc in modum periodum verſatur: *Pulchra es amica mea: id eſt, ea puritate nites, qua ſoli Deo maior nequit intelligi. Quid candidius ea, quam candor lucis æternæ elegit in Matrem, quæ fontem vniuerſi concepit, peperitque decoris? Suauis, imò prorſus dulciſſima. Decora ſicut Ieruſalem illa cœleſtis, quia in terris conuerſans, Angelica puritate nitebas. Imò tantæ ſanctitatis fuiſti ſplendiflua, quod ſuper omnes Angelorum choros digna fueris ſublimari. Terribilis ſicut caſtrorum acies ordinata, id eſt, inſtar acierum Angelicorum ſpirituum, qui caſtra Dei vocantur, metuenda es ô potentiſſima vniuerſitatis Regina Angelis tenebrarum. Sicut fluit cera à facie ignis: & ſicut fugit ceruulus à facie leonis, ſic fluunt & fugiunt à tua præſentia inuiſibiles hoſtes.* 47.

Carthuſ.

Dei nomen ſuaue, & terribile hominibus prædicatur; Nomen Mariæ totum ſuaue hominibus.

Deipara itaque & *ſuauis*, & *terribilis* eſt: in eoque Dei nomini aſſimilatur, Dei nomen dulce admodum eſt, ideoque ab hominibus expetitum. Iſaias: *Nomen tuum* ô Domine, *& memoriale tuum in deſiderio animæ.* cap. 26. At idem Dei nomen eſt hominibus valde terribile. Pſal. 110. *Sanctum, & terribile nomen eius.* Dei itaque nomen ſuaue, & terribile hominibus prædicatur; At nomen Mariæ ſuaue quidem & terribile eſt; ſed ſuauitas illius ſemper ad homines dirigitur: terribilitas ſolum ad diabolum hominum inimicum. Audi precor pulchram Richardi Laurentini ſententiam lib. 1. de laudib. Virg. *Suauitatem nominis Domini prauiderat Propheta dicens: Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Terribile autem oſtendit eſſe illud Pſalmi: Terribile nomen eius. Terribilis dulcedo tanto furore reſperſa.* Hominibus Dei nomen ſuaue, & terribile? Quis ſuſtinebit? *Gratias autem ei, qui aliud prouidit refugium peccatoribus delectationis, & ſecuritatis plurimum habens, terroris nihil* in Mariæ nomine. *Maria enim interpretatur Syro ſermone Domina. Nec ſolum potens eſt ad muniendum confugientes ad eam tanquam turris: ſed & hoſtes inſequentes potens eſt expugnare. Vnde illud* Cantic. 6. *Suauis, & terribilis.* Quomodo terribilis, ſi ſuauis? Suauis quidem Maria hominibus, eis refugij offerens ciuitatem: terribilis verò non ho- 48.

Iſai. 26.

Pſal. 110.

Richard.

Maria nomen semper suaue hominibus, dæmoniis terribile. Bernard. minibus, sed hominum hostibus. *Ideò inquit Bernardus*, (Richardus addit) *Non ita metuunt hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aërea potestates Mariæ vocabulum, pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inueniunt huius nominis crebram recordationem.* En Mariæ nomen suaue hominibus, dæmoniis terribile: cum Dei nomen hominibus terribile sit, & suaue.

Maria nomen assiduè inuocandum. Richard. Quid plura? Concludit Richardus, *Rogandа est igitur assiduè Maria, vt nomen suum, quod est Domina interpretetur in nobis tentatores nostros expugnando, & se turrim fortitudinis exhibendo nobis à facie inimici. Et vt hoc nobis præstare dignetur, nomen eius, & memoriale in desiderio animæ, & iugi memoria teneatur.*

Quasi transtulit Deus ad nomen suum omnem terribilitatem, vt in Mariæ nomine omnis esset suauitas. An-non videtur Deus omnem terribilitatem ad suum dulcissimum nomen traxisse respectu peccatorum, vt Mariæ nomen totum esset illis suaue? Profectò qui recolit virginei nominis inuocati tot miros effectus, ad peccatorum reductionem, de hoc priuilegio Mariæ nomini indito minimè dubitabunt. Vnde vulgare illud *Bonauent.* D. Bonauenturæ: *Velocior est salus, inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu.* Quia scilicet ex Mariæ nomine abstulit Deus omne terribile, vt tota esset illius suauis inuocatio: dum in Dei nomine nonnulla contra peccatores terribilitas adest.

49. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*, seu ex omnium cœlestium spirituum ordinibus acies. Mariam enim pro hominibus aduersus Tartarum dimicantem omnes Sancti aciem componentes, Reginam potentissimam, fortissimam sunamitidem comitantur. Vnde is, quem tutatur Maria omnium Angelorum ac Sanctorum Ordines protectores acquirit. Richardus ad hæc lib. 4. *Maria dicitur terribilis, vt castrorum acies ordinata. Ipsa enim est, sicut tota acies Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Angelorum, & omnium, qui ordinatè contra diabolum pugnauerunt. Nam omnium Sanctorum fortitudinem habet in se congestam.* Vnde cum Virgo protegit peccatores, perinde est, ac si à cunctis Angelorum, ac Sanctorum Ordinibus, instructa acie, protegerentur.

Cum Maria peccatores protegit, perinde est, ac si ab omnium Angelorum, ac Sanctorum exercitibus protegerentur. Richard.

Maria in se omnium Sanctorum continet fortitudinem.

50. Et lib. 3. ait: *Ratione victoriæ, & pugnæ, quæ militat incessanter contra aduersarios nostros, dicitur ipsa terribilis (scilicet malignis spiritibus) sicut acies ordinata. Ipsam enim tanquam Reginam sequuntur omnes Sanctorum acies ordinatæ secundum status suos, sequuntur proprias dignitates, & merita; vt sub ipsa, & cum ipsa pro nobis contra diabolum militent precibus, & patrociniis. Vnde* Cantic. 7. *Quid videbis in sunamite nisi choros castrorum? In ipsa enim videmus choros castrorum ei adhærentes, id est, beatas Angelorum, & Sanctorum acies.* Itaque pugnante pro nobis Maria, omnes Diuos pro nobis strenuos sortimur pugnatores.

Pugnante pro nobis Maria, omnes simul Diuos sortimur pro nobis pugnatores. Richard.

51. Profectò si de illa particula *Suauis es amica mea*, sermo texendus esset, deficeret calamus, non caperet papyrus, quæ de Mariæ suauitate Patres scripserunt. Mihi sufficit illam D. Bernardi sententiam (serm. de Assumpt. *Signum magnum*) recolere. *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil (hominibus, secus diabolo) terribile: Tota suauis est, omnibus offerens lac, & lanam. Reuolue diligentius Euangelicæ historiæ seriem vniuersam, etsi quid fortè increpatorium, si quid durum, si quod denique signum indignationis occurrerit in Maria; de cætero suspectam habeas, & accedere verearis. Quòd si, vt verè sunt, plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ quæ ad eam pertinent, inueneris; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil posset esse suspectum.*

Maria suauitas nunquam amaritudine, (vel verbotenus) visa est admisceri. Bernard.

52. De suauitate Mariæ hæc piè Richardus lib. 4. excogitauit: *Suauis quidem est.* Vnde, Cantic. 6. dicit ei Filius, *Pulchra es amica mea, suauis, & decora. Quam suauitatem recolere, & collaudare iugiter debemus iuxta illud* Psalm. 144. *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Propter hanc suauitatem dicitur ei ab Ecclesia. Speciosa facta es (ad intuendum,) & suauis (ad tangendum) in deliciis tuis sancta Dei genitrix. Est ergo Maria suauis, id est, mitis, & mansueta, cuius charitas malis nostris non irritatur. Item suauis, quia ipsam non inueniunt peccatores scrupulosam. Quis ad Mariam accedere trepidet? Item suauis, id est, boni odoris. Ipsa enim est rosa in Iericho delicatissima ad olfaciendum. Sicut etiam de Filio eius dicitur in* Psalm. 144. *Quòd suauis est Dominus vniuersis. De suauitate autem ac dulcedine Mariæ hîc notandum, quòd generalis est, & vniuersalis. Vnde de ea dicitur* Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus ipsius; sed lætitiam, & gaudium.*

Ineffabilis Mariæ suauitas vix exponitur. Richard. Psal. 144.

Psal 144. *Suauitas Mariæ est generalis.* Sap. 8.

53. Sed cur suauis dicitur *sicut Ierusalem?* Crediderim, quia semper pacis potita est suauitate. Verè suauis sicut Ierusalem, quæ *visio pacis* interpretatur, quia semper pacem vidit non qualemcumque, sed cœlestem, ab omni tumultu liberam. Rupertus hîc requirit: *In quo suauis Virgo esset?* respondet, *In eo videlicet, quòd anima Virginis semper supernam vidit pacem: & ex visitatione illius dicunt animæ plurimæ cœlestem ducere conuersationem: vnde & dicuntur filiæ Ierusalem.*

Maria semper potita est pacis suauitate. Rupert.

54. Sæpè audiui, & legi Deiparam mannæ comparari: & cum rationem requirerem; mihi se obtulit hoc Verbum sponsi, *Pulchra es amica mea, suauis & decora.* Ob suauitatem itaque iudico Virginem mannæ comparari. Didici ex D. Ambrosio ad Psal. 21. *Ipsam Mariam manna dixerim, quia est suauis, & cœlitus veniens.* Ideò dicitur suauis sicut cœlestis Ierosolyma.

Maria ob suauitatem mannæ comparatur. Amb. os.

55. *Decora sicut Ierusalem.* Cœlestis Ierosolymæ incolæ luce pro vestimento vtuntur: à Regno illo Babylonicus exulat apparatus. Hinc Virginis modestia circa indumenta commendatur. Simplicibus, pauperibusque vestibus semper fuit vsa. Ideò pulchra *sicut Ierusalem* dicitur. Bellè Petrus Damianus homil. 122. *Pulchra sicut Ierusalem dicitur*

Maria dicitur pulchra sicut Ierusalem, quia pauperibus indumentis vtebatur. Petr. Damian.

dicitur non sicut Babylon, quam vidit Ioannes ornatam purpura, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis. Babylonem hanc diabolus, Ierusalem inhabitat Christus. Ille luxuriantis amictus varietate reficitur, hic asperis & humilibus. Christo igitur vt placeret Virgo superfluum vestimentorum neglexit ornatum: cœlestis Ierosolymæ ciuium æmulatrix, qui solo splendore induuntur.

56. *Maria vestiũ nitorem despiciens, Sole, Luna & Stellis vestitur, & ornatur.* Apoc. 12. Chrysol.

Ioanni apparuit *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum.* Apocal. 12. Quæ vestium profanum neglexit nitorem, meritò Sole amicta visa est, Lunæ & Stellarum splendore ornata, qui est Ierusalem cœlestis amictus. Vnde Chrysologus serm. 142. *Prophanarum vestium nitorem non quærit, quæ se septam superni splendoris circumspicit velamento.*

57. *Incultũ Mariæ vestimentum horribile est dæmoniis.* Damian.

Ideò addidit sponsus, *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Profectò incultus Mariæ vestitus horribilis ac terribilis est dæmoniis. *Placet enim diabolo* (adiicit Damianus) *luxuriantis amictus varietas, qui eo quodammodo reficitur*; contra verò paupere terretur, vertitúrque in fugam. Vnde postquam dictum est, Mariam esse pulchram sicut Ierusalem, non sicut Babylon; statim subditur, *Terribilis sicut castrorum acies*; quia tartareis hostibus incultus est vestitus horrori.

58. *Mariæ pulchritudo corporea aspicientibus castitatem influebat.* Hugo.

Redeo ad illius particulæ *Pulchra, & decora sicut Ierusalem*, pulchram planè ponderationem. Ait enim Hugo Carens. *Pulchritudo corporea Mariæ fuit sicut Ierusalem, non sicut ista terrena, sed sicut illa cœlestis.* Pulchritudo terrenarum vrbium fœminarum assolet virorum intuentium animos ad impudicitiam allicere? Haud sic Mariæ pulchritudo; intuentes enim illam ad Angelicam allicit puritatem. Sponsus ait: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cantic. 2. *Inter filias Ierusalem terrestris est Maria cœlestis lilium puritatis.* Illarum aspectus velut spinæ pungit: huius odor influit castitatem. Auctore enim Plinio, lilij fragrantia animum ab impudicis motibus auertit, (sicut de herba illa, quæ *Albahaca* vulgariter dicitur non semel audiui.) Pulchrè admodum Marianæ pulchritudinis hanc sic proprietatem Dionysius Carthusianus expressit. *Quamuis fuerint multæ Virgines sanctæ, tamen respectu Virginis quasi spinæ fuisse videntur. Quamuis enim in se fuerint mundæ, fuerunt tamen aliis spinæ, qui earum intuitu concupiscentia pungebantur. Porrò Virgo Deipara* (lilium candidissimum, ac fragrantissimum) *intuentium corda sic penetrauit sua inæstimabili castitate virginea, vt à nullo potuit concupisci: imò potius extinxit ad horam illorum libidinem.* Ergò qui pungi non vult, aspicere vitet Ierusalem terrenæ pulchritudinem: & qui noxios motus vitare cupit, Mariæ cœlestis Ierosolymæ vel imaginem intueatur, vel fragrantissimi Mariani lilij pia meditatione odorem percipiat.

(Cant. 2. — Plin. — Carthus. *Terrena pulchritudo est aspicientibus spina, cœlestis Mariana lilium odore alliciens ad castitatem.*)

59. *Mariæ pulchritudo meritò visio pacis appellatur, quia à libidinis bello liberat eam aspicientes.*

Hinc existimo, terrenam Ierusalem non propriè *visionem pacis* vocitari: si visio pulchritudinis terrenæ non pacem, sed bellum animo hominum indicit, vt eos exturbet ad tartarum. At Mariæ pulchritudo cœlesti Ierosolymæ similis, meritò visio pacis appellatur; quia & bella carnis contra spiritum dirimit, & eum cœlestia efficit meditari. Vnde profanam pulchritudinem dixerim idem esse ac *infernum*, Mariæ pulchritudinem cœlum posse, se ad cœlestem Ierusalem appellari. Pulchritudo Hebraïcè תפת *tophet* dicitur. Marinus autem in sua arca, asserit tophet duo hæc vocabula amplecti, *pulchritudinem*, & *infernum.* Vt colligas, facilem esse à terrena pulchritudine ad infernum transitum. At à pulchritudine Mariæ, quæ idem est, ac Ierusalem cœlestis, facilior transitus est ad gloriam, dum illius aspectu noxiarum voluptatum coccus aufugit affectus, & lux fulgurat puritatis. Marinus.

60. *Mariæ pulchritudo aspectata extinguit libidinis flammas, quas faber diabolus insufflat in corde.* Isai. 54. Innoc.

Eundem sensum referunt illa verba: *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Qui concupiscentiæ æstum sentit, ad Mariam confugiat: quæ quidem opem feret aduersus *fabrum* illum qui suis immundis suggestionibus *insufflat* in pectore *prunas.* Isai. 54. Audi D. Innocentium III. serm. de Assumpt. *Maria est terribilis, vt castrorum acies ordinata. Quicumque ergo sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à diabolo respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam; vt ipsa immittat auxilium de sancto, & de Sion tueatur.* Nota illud: *Respiciat castrorum aciem ordinatam*, Mariam, cuius cœlesti pulchritudini à Deo datum, vt eam intuentes à noxiis motibus, à prauis suggestionibus dæmonis liberentur.

Vers. IV.

Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

61. *Maria Verbi Incarnationē ad mundi vitam continuò postulabat, & consequuta est.* Iob. 31. Psal. 24.

AVerte oculos tuos à me.] Suppono in Scriptura sacra non semel oculorum nomine preces illius, qui aliquid mox impleri desiderat, designari. *Si oculos*, ait Iob, *viduæ spectare feci.* Cap. 31. id est, si viduæ precantis distuli implere desiderium. *Oculi mei semper ad Dominum.* Psalm. 24. id est, instantes preces meæ ad Deum diriguntur. *Sicut oculi ancillæ*, id est, preces, vota, desideria, *in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri*, siue desideria, vota, preces *ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Psalm. 122. Hic igitur oculorum vocabulo desideria ardentissima, ac preces intelliguntur, queis Virgo Verbi Incarnationem ad redemptionem hominum continuò postulabat. Dicit itaque diuinum Verbum: Remitte, & tempera ô Virgo, tuarum precum vim, & desideriorum instantiam. Tuæ enim preces tantæ apud me sunt efficaciæ (loquor cum Ghislerio) vt me iam è sinu Patris ad tuum immaculatum vterum fecerint auolare. Psal. 122. Ghisler.

62. *Verbum diuinum non fastidit Mariæ*

Porrò Verbum illud, *Auerte oculos tuos à me* non inuenit Verbum diuinum aspecturũ, seu preces Virginis fastidire: sed fuit emphaticus

preces, sed se ab eis victum profitetur, vt Homo fuit. Genes. 32.

dicendi modus, quo exprimitur summa precum Virginis efficacia. Sic Angelus, seu Verbum ipsum colluctanti Iacobo: *Dimitte me.* Gen. 32. Non clamat dimitti, quod illius preces fastidium vel Deo, vel Angelo Dei personam gerentis ingeneraret, sed vt precum vim, & efficaciam innueret. Optimè Del-Rius. *Deus est inuictus, sed tanta eius clementia, & bonitas, vt pulchritudine sincera intentionis, & perfecta charitate prorsus victum & vinctum se amore fatetur. Sic alibi Angelus Iacobo luctanti.* Ac si diceret: sicut Angeli illud verbum, *Dimitte me*, non fuit ex fastidio prolatum, sed vt Iacobi precantis victoriam exprimeret; sic Dei verbum illud, *Auerte oculos à me*, non sonat Dei fastidium, sed precum Mariæ victoriæ confessionem. Fatur D. Basilius Seleuc. orat. 4. *Tale est Numinis ingenium, virtute cum vincit, hominum amore vinci.* Quid ergo mirum, quod à Mariæ precibus se victum fateatur?

Del-Rio.

Basil. Seleuc.

63. *Deus sponsus in vno oculorum Mariæ vulneratus, gemina lumina illius quodammodo veretur intueri.* Septuag.

Septuaginta apud Sixtiana Biblia sic transtulêre: *Auerte oculos tuos è regione mei.* Eorum enim rutilantia quasi me à regione tui auolare me cogit. Ac si diceret conditor Mariæ sponsus: Luce illa fulgoris, & quasi fulguris Maiestatis, quâ me in vno oculorum tuorum cepêras, vt ante querebar, nunc prorsus perstrinxisti, nec amplius in radiatum tuum lumen intueri audeo. Qui solis aduersos radios non perferunt, manu oculos tegunt, & faciem aliorsum vertunt. Ita sponsus ait, sibi nunc vsu venire, quia nequit quodammodo geminum illud iubar sustinere. Si igitur Virgo sponsum in vno oculorum vulnerabat: non mirum, si gemina lumina aspectare vereretur?

64. *Deus quodammodo alis veluti Seraphini suos operit oculos, nè Mariæ oculorum Maiestatis splendore perstringatur.* Isai. 6.

Legunt alij, *Auerte oculos tuos*, vel si non auertis, *facies me sumere alas*, vel ad volandum quasi curans tuo splendori non perstringi. Vel vt faciebant Seraphini diuino throno adstantes. Ait Isaias, *Seraphin stabant super illud* Dei thronum, *sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius.* cap. 6. Chrysostomus. Id est faciem eius cuius erant alæ, scilicet ipsius Angeli. Tanto enim Dei fulgore deuicti alas vice murorum ante oculos obiiciebant, ne perstringerentur. Non miror Seraphinos in conspectu Dei Maiestatis oculos obuelare, proculdubio tanto fulgore perstringendos. Miror autem ineffabiliter, Deum (dispensatoriè loquutum) profiteri, se oculos suos quasi quibusdam alis obuelaturum coram fulgore, qui ex Marianis oculis procedit, ne sui perstringantur, sic *Deus* Matris Maiestatem exaggerat. Attamen si loquatur, vt *Homo*, verè se superari à Virgine Matre asserit, quia vt Homo *subditus erat illi.* Luc. 1.

Luc. 1.

65. *Preces Mariæ fecerunt, vt Incarnationis Verbi opus citius perficeretur.* Nyssen. Cant. 1.

Ex Hebræo Nyssenus. *Oculi tui alas mihi dederunt.* Oculi, seu preces Mariæ Incarnationis opus maturari cupientis, Verbo diuino alas addiderunt, vt citius aduentaret. Vnde in mysterio hoc ob Mariæ preces plus egit, quam promiserat. Dixerat sponsus cap. 1. *Trahe me, post te curremus.* Precibus tuis trahe me de Patris sinu: audiens te, curram è cœlis in vterum. Dauid, *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Psalm. 18. Quid promiserat, *Post te curremus.* At ob Mariæ preces cursus vertitur in volatum. Preces tuæ *alas mihi dederunt*, seu addiderunt. Vt scilicet plus agerem, quam promiseram. Promisi, me currendo venturum, volando veni. Nescio quid ô Virgo, infinitatis tuis in precibus contemplor. Quis enim dubitet infinitam potentiam requiri in corpore mouente, vt ipsi attractio alterius corporis infiniti valeat attribui. Vt autem, videas cursum Verbi in volatum fuisse Mariæ oratione conuersum, nonnulli Doctores haud improbabiliter affirmant, ante annos viginti Verbum fuisse Incarnatum ob Virginis preces.

Nescio quid infinitatis in precibus Mariæ contemplari licet.

66. *Christus vult Mariæ affectum maternum à se in suos transferri?* Guillelm.

Iam non curram, sed auolabo ad perpulchram Guillelmi expositionem enodandam. Profectò tanti nos Christus Dominus facit, vt Matris dilectissimæ oculos, à se auerti iubeat, vt homines pio aspiciat affectu, *Auerte oculos tuos à me ad fratres, & filios meos. Ne claudas oculos, sed eos auerte à me, & transfer maternam pietatem à me ad meos. A me, quia iam assumptus ad Patrem sum. In meos autem conuerte, quos oportet, me ab illis assumpto, materna tuæ pietatis teneritudine confoueri. Non ergo tepescat materna pietas tua, non extinguatur, nec minuatur; sed à me in meos integra transferatur; illos iam tenerè vt Mater dilige!*

67. *Christus quodammodo, vt certa sit suorum prædestinatorum sors, eos Mariæ pietati, ac custodiæ commendat.*

Illam premè particulam: *transfer maternam pietatem à me in meos.* In *meos* vtique, id est in illos, *quos dedit mihi Pater* æterna salute donandos, ex quibus *quemquam* minimè *perdidi*, nec deinceps perdam. Vt autem suæ prædestinationis effectu fungantur, & Christus nullum eorum perdat: eos Mariæ pietati committit, petitque, vt illos in filios adoptet. Addit Guillelmus. *In cruce positus, propter salutem hominum agonizans, vnum tibi adoptaui filium Ioannem dicens: Mulier ecce filius tuus. Porrò cum triumpho resurrectionis ascendo ad Patrem, multos tibi vice mei adoptaui; & reliqui filios. Mulier, ecce Filij tui, quos diligas, & piè confoueas. Sic auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Mulier*, inquit, non *Mater.* Quia Christus ineffabiliter cupiens salutem illorum, quos à Patre accepit, vt certam illi eam faciant, curat Mariam persuadere, iam quodammodo non esse eius Matrem, vt totum maternum affectum in homines transferat.

Christus quasi renuntiat ius maternum in Maria, vt illa prædestinatorum sit Mater solummodo.

68. *Filialis in Mariam affectus præstans est prædestinationis signum.* Guillelm.

Quia ipsi me auolare fecerunt. Quæsierim, num particula illa *Ipsi* ad Mariæ oculos referatur, an ad homines à Virgine in filios recipiendos? Ad homines referendam cum Guillelmo crediderim. Illum audi. *Ipsi me.* homines, quos in filios suscipies, *auolare fecerunt. Hoc est, propter ipsos auolaui à te, vt à me in meos transferres materna pietatis teneritudinem. Ipsi homines me auolare fecerunt de cœlo ad terram, de sinu Patris ad tuum vterum. Et iam ipsi me auolare fecerunt de terra ad cœlum, vt parem illis locum.* Scio enim, me nullum ex eis perditurum, quos tuæ maternæ pietati commisi. Vnde colliges, specialem, seu filialem affectum hominum in Virginem esse præstans prædestinationis incitamentum.

69. *Auerte*, dixit, *oculos* in plurali. Quid de

maternis

Quasi veretur Dominus replicata oculorum Mariæ vulnera subire, memor vulneris, quod ex vno subiit aspectu. Carthus.

maternis oculis, ô Domine times? Profectò modus hic loquendi est ineffabilis Dei dilectionis in Virginem significatio. Memor enim vulneris, quo ex vno sponsæ & oculo, & crine fuerat affectus, quasi veretur vnius & alterius oculi, & crinis vulnera subire. Bellè Dionysius Carthus. *Auerte oculos à me. Hoc propriissimè potest accipi dictum à Christo ad suam dilectissimam Matrem, ad insinuandum precordialissimum, & valde singularem suum amorem ad ipsam: quasi si amplius inspiciatur ab ea, ferre non queat præ vulneratione amoris.*

Singularissimum amoris Dei erga Mariam documentum.

Vt intelligatur per modum hyperbolicæ loquutionis, amatoriique sermonis. Nam & superius dixit ad eam. Cap. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum: quanto magis in ambobus? & in vno crine colli tui: quanto magis in multis, seu omnibus crinibus.*

70\. *Vul: Deus, Mariam suæ pietatis oculos ad homines admouere, sed ea lege, vt eum simul aspiciat.* Carthus.

Cæterùm, licet ex nimia Dei in homines charitate Mariã iubeat, vt ab eo oculos auertat, vt eos conuertat ad homines, non possum non mirari, sponsum tanto in Virginem amore flagrantem voluisse eius dulcissimo aspectu priuari illi in dicendo. *Auerte oculos tuos à me.* Profectò hac difficultate implicatus idem Dionysius, asseruit, Deum iubere, Mariam oculos suæ pietatis ad homines conuertere, sed ea lege vt ab illo non auertat. *Quamvis ô vnica mea, tota tua delectatio sit, me iugiter intueri; verumtamen non solum me intuearis, sed & commissam quoque tibi Ecclesiam, & miseros ad te clamantes. Sic ergo auerte oculos tuos à me, & ad alios conuerte, vt tamen me intueri non cesses.* Quomodo potest Maria auertere oculos à Deo, & non auertere? Num hæ sunt amatorij affectus implicationes? Planè, Deipara nunquam tam anxia ad homines aspiciendos, & succurrendos, quam dum Deum aspiciens, in eo ardentissimam ergá homines charitatem agnoscit.

Nunquam Maria tam anxiè ad miseros succurrendos afficitur, quam cũ Deum simul aspicit.

71\. *Deus quasi suo iuri renuntiat fruëdi Mariæ aspectu, vt illa solum nos miseros aspiciat.* Carthus.

Adeò autem Dominus suos amat electos, vt quasi suo iuri renuntiet, denique statuat, vt Virgo omnino ab eo oculos auertat, vt solos homines intueatur. Concludit Dionysius. *Attamen oculos illos, maternæ compassionis, ac sollicitudinis, quos in terris habuisti in me adhuc passibilem, & mortalem, præsertim tempore passionis, auerte omnino à me plenariè glorificato, & conuerte illos ad miseros exulantes, ad te lamentabiliter, ac deuotissimè conclamantes: Eia ergo aduocatâ nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Quosnam *illos?* Illos quidem specialissimæ compassionis, quos *passionis tempore* me Filium aspexisti. O quàm certa erit nostra salus, si Maria *illos* oculos suos ad nostram miseriam conuertat; conuertet planè si *lamentabiliter, & deuotissime* inclamauerimus: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.*

Maria nos respicit illis oculis cõpassionis, quibus Filium patientem intuebatur.

72\. *Quodammodò diuinus Artifex extolli, & velut superbire dicitur, videns Mariam opus, quod exceitauit.*

Accuratiùs denique examinare est opus aliorum difficilem planè ex Hebræo lectionem. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me superbire, & extollere fecerunt.* Id est, quia me quodammodo fecerunt te respiciens in superbiam extolli, dum in te omnes meas perfectiones quasi in epithasi, vel epilogo intueor. Cum in Deo nullatenus possit inueniri superbia, cur extolli vereri indicet, dum perfectiones suas collectas in Virgine aspiciat? Vt Mariam celebret sponsus, se accommodat creaturarum affectui, Artifex enim perfectam fingens imaginem quodam superbiæ effertur affectu. Deus igitur aspiciens ineffabilem suarum perfectionum imaginem in Maria, Creator cum sit creaturæ, assumit affectum, asserens se quodammodo superbia affici, dum operis Mariam perfectissimum suæ peritiæ opus contemplatur. D. Ambrosius hîc. *Auerte oculos tuos à me, quia eleuas me, videndo te.* Ambros.

Scio cum. D. Gregor. Nyssen. *hom.* 15. verba hæc. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*, esse non sponsi Dei, sed ipsius sponsæ Mariæ. Quæ quidem tot tantasque perfectiones in se ex diuina munificentia colligatas recognoscens, cauens à superbiæ suspicione, petit, vt sponsus à se oculos, seu præsentiam auertat, nè videns illius perfectiones in se ipsa collectas, aliquo vanitatis pungatur affectu.

73\. *Christi perfectiones in Maria expressæ.* Nyssen.

Ego autem crediderim tanti Doctoris veniâ, nullam ex hoc capite vanæ gloriolæ posse in Maria timeri suspicionem. Quia Dei oculi tam ineffabilem in ea humilitatem infundunt, vt nullatenus videat in se proprium aliquid, ex quo possit extolli. Dauid dixerat. *Excelsus Dominus & humilia respicit.* Psal. 137. Hoc est, dum respicit creaturam speciali amoris affectu eam efficit, non extolli, sed humiliari. Vnde post tot priuilegia Virgini à Deo futuro illius & sponso & Filio collata, dum propius illam aspicit, sponsam, & Matrem Gabriëlis ore constituens, verè, ex cordeque dixit: *Ecce ancilla Domini.* Et postea Elisabethæ: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. 1. Quia respectus, seu aspectus Dei, non fecit Virginem extolli; sed profundè demitti.

74\. *In humilitate ineffabili Maria, vel inter tanta priuilegia, quibus à Deo donata fuit, nunquã fuit vanæ gloriæ periculum.* Psalm. 13. Luc. 1.

Vt autem huius imaginis perfectionem, quæ modo explicato extolli fecit Artificem, rimemur, audi sponsum Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Quæ verba D. Bernardus *hom.* 2. *super Missus est*, & alij Patres de Deipara exposuerunt. Omnes animæ iustæ sibi spiritualis virtutum, gratiarum, priuilegiorum diuitias acquisierunt, sed tu ô Virgo sponsa, & Mater mea cunctas superasti, quia omnium harumce diuitiarum epilogatio es. Vnde D. Epiphanius Virginem appellauit: *Cœli, terraque Mysterium.* Liceat vulgari idiomate exponere: *Cifra de todo lo que ai en el cielo, y en la tierra; de quanto ai en Dios y en las criaturas, es Maria.*

75\. *In Maria sunt omnes cœli, & terræ perfectiones.* Prouerb. 31. Bernard. Epiphan.

Hinc asseruerim, nihil posse nos de Mariæ elogiis excogitare, salua fide, quod ei non conueniat: imò post effusum nostræ vel phantasiæ discursum minimè posse Deiparentis merita exæquare. Didici ex D. Basilio Seleu. orat. de Annunc. *De Virgine qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nunquam à veritatis scopo aberrabit. Attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam oratione exæquabit. Perquæ namque Deum laudamus, per eadem Matrem eius prædicamus.* Quonam modo possumus dum Christum Deum, omnipotentem, infinita sapientia, ac bonitate præditum laudamus, per eadem prædicare Mariam? An Maria Dea? an omnipotens? an infinita sapientia, ac bonitate prædita? Profectò Maria in se Dei munere diuinarum perfectionum diuitias compi-

76\. *Nihil de Maria excogitare possumus, quod eius possit meritum adæquare.* Basil. Seleu.

Per quæ Deũ laudamus, per eadẽ eius prædicamus Matrem.

lauit non quidem per ſubſtantialem, ſed per quaſi accidentalem communicationem ad ſummam redactas accipiens.

77. Id probo ex ſententia illa Eccli. 24. *In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ.* De ſe, Chriſtus Deus, & Homo dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. Ergo in Maria omnis gratia viæ, veritatis & vitæ, ſeu omnis Chriſti gratia. Audi D. Bonauenturam in ſpeculo lect. 5. *Omnes gratiæ intrant in Mariam. Vnde ipſa optimè dicere poteſt illud Eccleſiaſtici: In me omnis gratia viæ, & veritatis, in me omnis ſpes vitæ. Quid mirum, ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit?* Vnico verbo id expreſſit D. Hieronymus. *In Mariam totius gratiæ, quæ in Christo eſt, plenitudo venit: quamquam aliter.* Hæc vltima verba. *Tanquam aliter* indicant, omnes perfectiones in Chriſto Dei Filio ſubſtantialiter contineri, ſed in Maria accidentali quadam communicatione reperiri. Pulchrè Andreas Ieroſolym. de ſalut. Angel. *Maria eſt diuinæ incomprehenſibilitatis ſumma.* Vnde licet vocem extollas cum pia illa muliere clamante: *Beatus venter, &c.* minimè poteris Virginis æquare præconia; quia *incomprehenſibilitatis* Dei ipſius *ſumma* eſt, & incomprehenſibilitas nullo diſcurſu poteſt comprehendi.

Christus de ſe ait eſſe viam, veritatem, & vitam idē de ſe Deipara affirmat.
Ioan. 14.
Bonauent.
Hieron.
Maria eſt diuinæ incomprehenſibilitatis ſumma.
Luc. 11.

78. *Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.*] Laudat ſponſus hic Mariæ cogitationes ex profunda humilitate aſcendentes ad ſummam ex humilitatis ingenio, celſitudinem. Richardus à S. Laurent. lib. 4. de laud. Virg. *Sponſus ab humilitate cogitationum*, ait, *Capilli tui ſicut greges caprarum, &c. Capilli iſti ſunt cogitationes humiles, quæ de corde, velut de capite oriuntur, & aſcendunt de monte Galaad, id eſt, de ſublimitate perfectionis* (agnata eſt enim veræ humilitati ſublimitas.) *Quam humilitatem commendant, & de qua loquuntur omnia teſtimonia ſcripturarum.* Meritò quidem Mariæ cogitationum commendatur humilitas, quia non de valle exiguitatis meritorum aſcendit: ſed de perfectionis montana ſublimitate. Quantò enim meritis ſublimiorem ſe videt, tanto infirmiorem ſe agnoſcit. Humiliari in deiectione, quid mirum? at in ſublimitate deiici, eſt omnino mirabile. De hoc monte. *De hoc monte greges humilium cogitationum Maria aſcendebant, cum conſiderata ſua celſitudine, quam diuina magnificentia in tantum honorabat: ſe, & ſua per humilitatem extenuabat, ſicut capilli tenues ſunt, macilenti, & exiles, nominans,* (imò reputans) *ſe ancillam.* O ineffabilem cogitationum Mariæ gloriam! Alij ex conſideratione ſuæ celſitudinis extolluntur; Virgo autem *conſiderata ſua celſitudine*, humiliatur. *Benè* (adiicit ille) autem dicitur. *Aſcenderunt, licet deſcenderent* Mariæ cogitationes; *quia hic deſcenſus in oculis Virginis, in oculis Dei erat quidam magnus aſcenſus.*

Mariæ cogitationes ex profundiſſima humilitate ad ſummam aſcenderunt celſitudinem.
Alij ex conſideratione ſua celſitudinis extolluntur; Maria ex conſiderata ſua celſitudine, humiliatur.

79. Cōnectit Guillelmus ſententiam hanc cum ſuperiori, profatus: *Ideò volo, te infirmioribus membris meis materna pietate confouendis intendere; qua exuberas meritis, & non tantum actiones, ſed & cogitationes tuæ magnæ apud me pro quibuſcumque volueris, propitiationes ſunt. Nam cogitationes tuæ de arce hominis, ſeu mente naſcentes, ſunt ſicut grex caprarum.* Antè quàm ex memoria labatur, illam preme particulam: *Cogitationes tuæ magnæ apud me pro quibuſcumque volueris, ſunt propitiationes.* Vnde neceſſarium non eſt, vt Maria Dominum deprecetur; ſufficit, vt de noſtra ſalute velit cogitare, vt ſalutem aſſequamur.

Mariæ cogitationes ad pe[c]catorum veniam à Deo impetrandam, diriguntur.
Guillelm.
Haud neceſſarium eſt, vt Maria pro nobis Deum oret, ſufficit, vt pro nobis cogitet.

80. Pergit Abbas. *De capris, iuxta ſacræ legis inſtitutum fiebat oblatio pro peccato, & fortè de Galaad exhibebantur capræ ſacrificiis aptiores. Cum ergo dilectus gregi caprarum, quæ apparuerunt de Galaad, capillas piæ Matris comparat, etiam ſimplices cogitationes eius excellenti gratia non modicas pro peccatis filiorum propitiationes oſtendit.* Itaque cogitare Mariam de noſtra ſalute, idem eſt, ac Deo pro peccatis noſtris acceptabile, velut caprarum, ſacrificium offerre.

Cogitare Mariam de noſtra ſalute idem eſt ac ſacrificium pro peccatis noſtris offerre.

81. Tam potens eſt apud Dominum Deiparæ cogitationis erga hominum commodum cognitio, vt quodammodò diuinæ ſuæ prouidentiæ diſpoſitionem inuertat, vt illius cogitationi opere ſatisfaciat. Deficiente vino in Canæ nuptiis, Virgo ait Filio: *Vinum non habent*, cui ille reſpondit. *Quid mihi, & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea.* Ioan. 2. Non inſtat prece Virgo, attamen mox aqua in vinum mutatur. Quomodo ô Domine, ante tempus à tua prouidentia præſcriptum illud miraculum excitatur? Quia cum Mater mea quidquam petierit, tempus eſt illud præſtandi: ſi Mater petit, iam *venit hora.* Sed cur non petente, ſeu inſtante per repulſam illam Maria, miraculum excitas? Quia ſcio id illam, cogitare, & mihi eius cuiuſcumque rei deſiderium eſt velut oratio affectuoſiſſima, velut ardentiſſima deprecatio.

Cum Maria aliquid à Deo petit etiam ſi hora non venerit iam venit hora.
Etiamſi Maria non petat pro nobis, ſufficit, vt cogitet ad effectum ſalutis conſequendum.

82. Hinc colligo ô Virgo, beatiſſima opus non eſſe, vt pro nobis ores, ſufficit, vt deſideres. Clamat Eccleſia, ſancta Maria, *ſuccurre miſeris, refoue flebiles, iuua puſillanimes, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu.* Te iam poſſimus ab orandi cura liberare, dum digneris cogitare pro nobis, cogitationes enim tuæ pro peccatorum ſalute ſunt greges Galaad pro noſtris piaculis offerendæ.

Non eſt nobis opus Mariam precari, vt oret pro nobis, ſufficit petere, vt de nobis cogitet, vt Deus ſuccurrat.

Verſ. V.

Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

83. DEntes tui, &c.] Verſus hic, & nonnulli ex ſequentibus vbertim à me ſunt ſuperius expoſiti in Deiparæ elogia. Nonnihil in ſingulis adiiciam. Inquit Guillelmus. *Per dentes intellectus non incongruè figuratur. Panis enim noſter quotidianus, qui à Patre cœleſti petitur, atque accipitur, pio intellectu quaſi quibuſdam dentibus teritur, vt manſus quodammodo, atque glutitus, animæ noſtræ ſubſtantiam fulciat.* Vt dignoſcas panem illum gratiæ cœleſtis, qui petenti diuinitus datur, animæ non proficere ad virtutis augmentum, niſi intellectus dentibus ruminetur, & teratur. Profectò Mariæ in aſſidua precatione intentæ omnium cœleſtium gratiarum Deus panem largitur;

Gratiarum omnium panem Mariæ intellectus dentibus terebat in animæ profectus.
Guilelm.

gitur. At ipsa non otiosè illum vnquam, dum viueret, accepit, sed intellectus meditatione velut queisdam dentibus buccellas terens virtutis incrementis adaptauit. Addit pulchrè Abbas. *Cui autem tam affatim datus est panis ille quotidianus, & supersubstantialis, quo animæ nostræ aluntur, unde viuant, & non moriantur, quàm illi, quæ genuit panem viuum, qui de cœlo descendit.* Ioan. 6. *panem Angelorum, quem manducat homo?* Psalm. 77. *Hunc sibi assiduè panem quibusdam quasi dentibus pij intellectus terebat: eòque salubriter suauiterque viuebat.* Vt cum Paulo diceret, *Gratia eius in me vacua non fuit.* Si tanta cœlestium gratiarum copia erat quotidianus Mariæ cibus, quem piis affectibus terere curabat, vt proficeret: quàm ineffabilis esset in virtute profectus?

Admirabilis Mariæ quotidianus in virtute profectus.

84. *Sicut grex ouium.*] Quare verò Deiparæ intellectus totis ouibus comparatur? An propter simplicitatem ouibus agnatam, & lotionis puritatem? Respondet Guillelmus. *Quia verò idem piæ Matris intellectus simplex, & mundus erat, nullo animali sensu adulteratus, nulla carnali fœdatus illecebra; dentes eius rectè comparantur ouibus lotis: ouibus propter simplicitatem, lotis propter puritatem.*

Mariæ intellectus simplex, & purus admodum. Guillelm.

85. *Omnes gemellis fœtibus*, &c.] Cur denique harum ouium, quibus virgineus intellectus comparatur, fœcunditas memoratur? Num vt appareat datam vberrimè à Deo Mariæ gratiam minimè vacuam fuisse, sed omnium virtutum fœtu stipatam? Ita planè. *Et quia intellectus Virginis* (Abbas concludit) *fœcundus erat, non tantum integritate, & puritate in semetipso contentus; sed & ad informandas vtiliter foras extentus: idcircò dentes eius ouibus fœtis comparantur.* Tanta enim erga nos Virginis charitas, vt nollet cœlestem gratiam sibi soli proficere, sed per eam ad aliorum profectum deriuari. Monens Ecclesiæ operarios, debere ex oratione, & meditatione fructum sibi acquirere, sed simul proximorum inde vtilitati spolia elargiri.

Data Mariæ gratia omniũ virtutũ fœtu stipata fuit. Guillelm.

Mariæ pietas non vult gratiam sibi datã sibi soli proficere, sed curat ad nostrum profectũ deriuari.

Verſ. VI.

Sicut cortex mali punici, sic gena tua absque occultis tuis.

86. Sicut cortex, &c.] Quis dubitet, verecundiam humilitatis comitem indiuiduam esse? Haud enim vera humilitas est, si non est verecunda. Inde est quidem, quod mens verè humilis ita de laudibus suis, etiam veris confunditur, sicut anima superba etiam de falsis laudibus hilarescit, atque extollitur. Existimo sponsum in præsenti humillimæ Matris verecundiam commendare, quasi ex elogiis, quæ de illa protulerat, ipsius genæ rubescerent. Bellè hoc argumentum Abbas Guillelmus confirmauit: *In pudore genarum dilectus verecundiam piæ Matris commendat. Verecundia humilitatis est amica. Quis autem ambigat illam, quæ Imperatorem humilium genuit, virtute humilitatis insignius effulsisse? Ergo etiam verecundia eius insignis fuit. Quia præclara humilitas non nisi præclaram comitem habere dignata est. Sic de se humiliter, imò humillimè sentiens, veras laudes suas à cœlesti sponso sibi superius decantatas verecundè audiuit, & quidem ille intus eam, vt Deus alloquebatur, atque intra maternam conscientiam tota illa cantantis Filij vox resonuit. Illa verò docta & assueta humiliter ambulare, etiam ipsius veritatis cum sua conscientia loquentis de suis virtutibus testimonium verecundè suscipiebat. Quod considerans, & meritò approbans prius ille auditor, etiam hoc ipsum præclaris laudibus eius annectit, dicens: Sicut cortex mali punici, ita gena tua. Quasi diceret: Insignè admodum, gratumque mihi est, quod præ multa humilitate rubens genæ tuæ etiam pro veris laudibus tuis.* Itaque cognoscens Maria laudes illas ab sponso expressas verissimas esse, cum Deus mentiri non possit; attamen sic verecundia rubebat, ac si conscientia eius argueret esse falsas.

Mariæ humilitas comitem habebat verecundiã, etiam cum veras laudes suas audiebat. Guillelm.

Non poterat Maria dubitare de suarum laudum veritate, quia ex Dei re illas audiebat, & tamen rubebat verecundia, ac si à conscientia reprehenderetur.

Vt autem constaret totum illum affectum verecundiæ ex ineffabili humilitate ortum habere, cum nihil esset in conscientia, vnde rubere posset, addit sponsus. *Absque occultis tuis.* In occulto conscientiæ, id ipso dictante sponso, scis, te nihil habere, ex quo verecundari valeas. Ergo rubor ille ex profundissima humilitate procedit. Guillelmus. *Verecundia afficeris, cum in occultis tuis, seu in conscientia tua, vbi ego laudes tuas loquor, de tuis actibus nihil sit, de quo debeas verecundari. Rubent ergo genæ tuæ absque occultis tuis, quia verecundatur quidem humilitas in te, cum te laudo; sed tamen in conscientia tua nulla verecundandi ratio est.* 87.

Nihil vnquam habuit Virgo, de quo verecundari posset & tamen rubet? Ergo rubor est humilitatis. Guillelm.

Opportuna huic argumento est Symmachi lectio. *Sicut cortex mali punici, sic genæ tua tecta operimento.* An Maria genas velamine operit, quia Dei sponsa? Ait Innocentius 1. Epist. 2. ad Victric. cap. 12. *Quæ Christo spiritualiter nubunt, à Sacerdotibus velantur.* An quia Virgo Dei Altare est? Hieronymus Epist. 8. de Altari Templi agens, & ad Virginem scribens, ait: *Et de Altari transirem ad Altare.* Aptius asseruerim, Deiparæ genas operimento tegi in verecundiæ humilitatis signum, dum à sponso Deo se audit commendari. 88.

Maria operit genas verecundiæ velamine, cum se commendari audit. Symmach. Innocent. Hieron.

Profectò particulam hanc: *Absque occultis tuis*, adhuc pulchrius Rupertus de Deiparæ verecundia exposuit: *Quid est autem dicere: Absque eo, quod intrinsecus latet, nisi ac si diceret: Et illud quod in conscientia latet, amplius laudabile est? O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conscientia munda, & foris facies verecunda est. Nam vbi est aliquid, quo mens erubescat, non adeò laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat.* Verè laudabilis Mariæ verecundia, quæ à sanctitate manat. 89.

Verè laudabilis Mariæ verecundia, quæ ab innocentia manat.

Habet denique Mariæ verecundia in occulto quoddam elogium omni dignum commendatione: nempè vt tacens prædicet, altéque inclamet: *Absque occultis tuis.* Quæsierim, cur Mariæ verecundia cortici, seu (vt superius) fragmini mali punici, & non integro malo punico comparatur? Num quia occulta grana rubentia videntur verecundiæ ex interna innocentia profecta, & aliis in exemplum exponuntur? Ita Rupertus. *Fragmen mali punici rubet, & magis quam integrum malum redolet: sic tu & singulariter verecunda es, &* 90.

Mariæ verecundia tacens prædicat, vt alios reddat verecundos.

multis

gratia Dei oborta: vnde vt gratiæ filia, curani, dum viuerem in terris, verbis & operibus tantæ Matris nomen, & essentiam æmulari.

96. *Verè videntes Angeli Mariæ merita, eam non solum Beatam, sed Beatissimam appellant.* Philip.

Viderunt eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicauerunt.] Hæ filiæ Sion *videntes* sunt vel Angeli, vel homines minimè calligantes, sed perspicuè Virginis merita dignoscentes. Dei parentem igitur hi accuratè *viderunt*, ideoque parum eis fuit, Virginem vocare *Beatam*: vnde eam *Beatissimam* compellarunt. Appositè Philippus Abbas: *Filiæ Sion, supra filiæ Ierusalem appellantur, quæ præsentes nuptias in hoc comitantur epithalamio; quæ præsentes nuptias fide veraciter intuentur: & caligantibus cæteris, errore deuio, & ignorantia, non tenentur; quæ attendentes, Virginem tantis virtutibus insignitam: labore cum gratia tam perfectè, tam incomparabiliter expolitam: obstupescunt, admirantur, eam non Beatam, quod esse vident commune plurimorum; sed magis Beatissimam, id est, omnium excellentissimam reliquorum.*

97. *Tanta Mariæ humilitas, vt nunquam iudicauit, posse se in superlatiuo Beatissimam à quoquam dici.*

Ait Honorius: *Viderunt eam oculis cordis filiæ Sion, id est, Ecclesiæ, & beatissimam prædicauerunt: vt ipsa dixit* Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes.* Huius Patris venia, non videtur congruè Lucæ testimonium allatum; quia filiæ Sion Mariam in superlatiuo *Beatissimam* appellarunt: ipsa autem se solummodo in positiuo *Beatam* appellandam prædixit. Congruit omninò. Tam humilis enim Virgo fuit, vt nunquam laudes suas in superlatiuo posse à nullo dici, sibi persuaserit. Spiritus sanctus bis eam *Beatissimam* prædicauit, semel hîc iterum Prouerb. 31. *Surrexerunt filij eius, & Beatissimam prædicauerunt*: ipsa tamen se *Beatam* solummodo dicendam asseruit ex ineffabili quidem humilitatis affectu. Humilium enim mentium est proprium, non solùm aliquid sibi indebitum non arrogare: sed & de debitis sibi laudibus multum adimere.

Prouerb. 31.

98. *Humilitas erat velut sanctus deuotionis Mariæ.* Ignat.

Non autem miror, ineffabilem Mariæ humilitatem superlatiuum illud *Beatissimam* in positiuum *Beatam* vertisse, vel cum futuras laudes à cunctis generationibus sibi tribuendas prædixit. Tam agnata enim ei erat humilitas, vt vulgariter ausus fuerim dicere: *Era la humildad el sancto de su deuocion.* Ait D. Ignatius Antioch. epistol. 1. ad Ioan. Maria Dei genitrix *Humilibus est deuota.* Illa omnium Regina, cuius cuncti Diui deuotos esse gloriantur, pro speciali excellentia habebat, humilium esse deuotam.

99. *Non solum fideles & amici; sed & infideles, & inimici Mariam collaudant.* Philip.

Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.] Asserit Philippus, per Reginas intelligi homines verè fideles in Mariam affectos: per concubinas autem fictos Christicolas significari. Tantæ verò sunt Mariæ excellentiæ, tam nota sanctitas ineffabilis, vt non solùm à veris fidelibus, verum & à fictis collaudetur. *Non solum* (ait Abbas) *Apostoli, & Doctores alij loco & tempore successores facti sunt in Ecclesia huius tantæ Virginis laudatores. Quorum alij fructuoso casti desiderij merito sunt Reginæ; alij non amantes, sed amorem simulantes, dicuntur rectius concubinæ. Multi ergo laudant Virginem amore deuotissimo prouocati: & multi virtutem abnegantes, specie virtutis colorati. Honor enim Virginis vsque ad id tempus excreuit, mundumque vniuersum eius fama, vel notitia sic impleuit, vt non solùm veri, sed & falsi fideles videantur eius laudibus exultare.* Pulchrè planè.

Alij autem Reginarum nomine Angelos intelligunt, concubinarum appellatione homines: vt Cœlicolæ spiritus cum hominibus chorum ad Deiparam laudandam efforment. Porro Gabriel Angelorum nomine; & Elisabeth omnium nomine hominum consona voce Virginem concelebrant. *Benedicta tu.* Optimè Beda tom. 7. homil. hyemal. *Simul intuendum, quòd eadem voce Maria ab Elisabeth, qua à Gabriele benedicitur. Quatenus ab Angelis, & hominibus veneranda, & cunctis meritò fœminis præferenda monstratur: Benedicta tu in mulieribus.* 100. *Angeli, & homines consona voce Mariam concelebrant.* Beda.

Viderunt eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicauerunt.] Quænam hæ Sion filiæ? Planè illæ, quæ vers. præcedenti *Adolescentulæ* nominantur. Tam citò ex imperfecta adolescentia ad perfectam filiarum ascendunt filiationem? Inducuntur Mariam laudantes, & affectuosè illam non iam *Beatam*, sed *Beatissimam* esse asserentes. At Deo tam gratus est, qui affectuosè Deiparam commendat, vt ipsum vti filium honoret. Tanta gloria, seu honore sunt digni Virginis laudatores: illi præsertim, qui ad eius elogia proferenda superlatiuo vtuntur. Maria enim in quovis virtutum, & gratiarum summa, & excellentissima est omninò: & qui vt Dei filius eam voluerit commendare, adolescentulas illas iam Dei filias ex laude Beatissimæ Mariæ attributæ affectas imitetur. 101. *Tam gratus est Deo, qui Mariam affectuosè laudat, vt eum vti filium honoret.*

Profectò hîc à Reginis, & concubinis non tam eximiè, & excellenter Maria, sicut à filiabus, seu virginibus commendatur. Reginæ enim, & concubinæ generatim *laudauerunt eam*: filiæ autem *Beatissimam prædicauerunt.* Vndenam hæc? An quia virgineus status aptior est ad Virginem commendandam? An quia ex Patrum mente Reginarum, ac concubinarum nomine lex naturalis, & scripta, filiarum verò lex noua signatur: quæ quidem ab ipso Christo Domino edocta, plus de Mariæ meritis intellexit; vnde aptius potest ea elogiis euulgare? Equidem lex naturalis, & scripta Mariam à longè viderunt, & *laudauerunt eam*; at lex gratiæ proximè videns, eam *Beatissimam* appellauit. Ait aptè Guillelmus, *Non tantùm Reginæ, & concubinæ* (duæ prælapsæ leges) *incarnandum ex fœmina Dei Filium longè ante cognouerunt. Vnde Mariam hæ dignis laudibus extulerunt, tan-* 102. *Virgineus status aptior est ad affectuosè Mariam laudibus efferendam.* 103. *Lex naturalis, & scripta Mariam laudauit; sed vberius lex gratiæ illam commendat, quia præsentè intuetur.*

dem ſpeculantes procul. At *filiæ v derunt in lege gratiæ.* Vnde videntes apertius Deiparæ merita, debent illa vberiori affectu celebrare.

104.
Quis videns Mariam tantò virtutum, & gratiarum ſplendore conſpicuam poterit continere vocē, nè in illius commendationē efferatur? Carthuſ.

Et quiſnam videns Mariam tantò virtutum, gratiarum, priuilegiorum fulgore conſpicuam, poterit vocem continere, nè in illius commendationem efferatur? Piè admodum hoc Dionyſius Carthuſianus expreſſit. *Omnes rationales, & intellectuales creaturæ Deo per charitatem coniunctæ tam in Militanti, quam in Triumphanti Eccleſia ſacratiſſimam Virginem Dei Matrem aut frequenter, aut indeſinenter aſpiciunt: vnde magnificant, laudant tam ſuperiores, quàm inferiores eam. Et quantò ſunt eminentiores, ac magis illuminati, tantò profundius ac limpidius intuentur, & contemplantur omnem dignitatem, excellentiam, & gloriam excellentiſſimæ Virginis. Hinc dicuntur, eam beatiſſimam prædicare.*

Verſ. IX.

Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?

105.
Mariæ laudes de gloria in gloriam ſemper aſcendunt.
Rupert.

QVæ eſt iſta, &c.] Suprà cap. 3. verſ. 6. circa hæc verba dixi: Nonnulla hîc ex Patribus adiiciam. In primis pulchrum planè ordinem in hac Virginis laudatione annotabo. In natiuitate ſe oſtendit Auroram: in Dei Maternitate Lunam: Solem in Aſſumptione: ſemper autem dæmoniis vti *acies caſtrorum* terribilem. Ait Rupertus, *Quam pulcher ordo in iſta laudatione, in iſta tua pulchritudinis, ô Beatiſſima, prædicatione? Primum conſurgens, vt Aurora: pulchra deinde vt Luna: deinde electa vt Sol.* Laus enim Virginis, eiuſque merita ſemper creſcit de Aurora in Lunam, de Luna in Solem perbreui temporis interſtitio conſcendunt.

106.
Maria ſua in Natiuitate Aurora fuit ſemper prodiens, ſemper conſurgens.
Rupert.

Progreditur quaſi Aurora conſurgens.] Hiſce verbis Mariæ natiuitas celebratur. Audi ex Ruperto. *Quando nata es, ô Virgo Beata, tunc vera nobis Aurora ſurrexit: Aurora prænuncia diei ſempiterni. Quia ſicut Aurora quotidiana finis præteritæ noctis eſt, & initium diei ſequentis: ſic natiuitas tua ex ſemine Abrahæ clara ex ſtirpe Dauid, ad quos cum iuramento Dei facta eſt repromiſſio benedictionis; finis dolorum, & conſolationis fuit initium; finis triſtitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* Aurora itaque fuit ſua in Natiuitate Maria: ſed in ea progreditur, & conſurgit, nunquam vel in infantia conſiſtens velut in gratiis, & perfectionibus iam adulta. Illud enim Mariæ recens natæ incipere, iam eſt ad ſanctitatis præcelſum cumulum eleuari.

107.
Lux Mariæ ex Sole iuſtitiæ concepta diuina eſt.

Pulchra vt Luna.] Hîc laudatur ex partu virgineo, ſiue ex Dei Maternitate. Idem Abbas expoſuit: *Quando autem Spiritus ſanctus in te ſuperuenit, & Filium Virgo conceptiſti, Virgo peperiſti tunc tu, & ex tunc pulchra pulchritudine diuina, pulchra non quomodocumque, ſed vt Luna. Sicut enim Luna lucet, & illuminat luce non ſua, ſed ex Sole concepta: ſic & tu ô Beatiſſima, hoc ipſum, quod tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia diuina, ô gratia plena.*

En huius Lunæ Deifica pulchritudo.
Rupert.

108.
Maria vt Sol eſt nobis electa, vt innuatur, eam quodammodò nobis de proprio fulgore valeat gratiæ lumen impertire.
Rupert.

Electa vt Sol.] Iam ex Aſſumptione ad ſuperos Virgo commendatur. *Quando autem* (pergit Rupertus) *ex hoc mundo aſſumpta, atque ad æthereum thalamum tranſlata es, tunc tu & ex tunc electa vt Sol: Electa, inquam, nobis; quia ſicut ex te natum Dei Filium Solem verum, Solem æternum adoramus, & colimus vt Deum verum: ſic & te honoramus, atque veneramur vt veri Dei genitricem: ſcientes, quia totus honor impenſus Matri, ſine dubio redundat in gloriam Filij. Et quidem non natura tu idem es, quod ille Sol; ſed nihilominus tanta es, vt te honoret ipſe Sol honore, quo decet filios honorare parentes ſuos. Qui enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem*, Exod. 20. *Non dubium, quin & ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis velit matrem honorari.* Electa itaque dicitur Maria *nobis vt Sol*: vt Sol ipſe iuſtitiæ. Quaſi innuat quodammodo Dominus, Mariam iam non eſſe Lunam, quæ ſplendorem à Sole acceptum poſſit nobis communicare; ſed abſolutè *vt Sol* ipſe *nobis electa* exiſtat, & de proprio nobis fulgorem gratiæ impendat.

109.
Maria in cœlum fuit Aſſumpta, ſed Aurora inſtar, adeò ſilenter ex humilitate ineffabili, vt hæc veritas ſit credita, ſed ab Eccleſia nō ſit definita.

Audiamus ergo amicum ſponſi Guillelmum Matrem ſponſi hoc loco honorantem. De illius in cœlum Aſſumptione hæc intelligit verba. *Planè* (ait) *progreditur, vt ingrediatur gaudium Domini ſui, in cubiculum ſponſi, Regnum Filij ſui.* Sanè mitis Mater non progreditur cum ſonitu, & ſtrepitu, quaſi in magnis ambulans; ſed progreditur ſimpliciter: & nihilominus progreditur confidenter: progreditur ſilenter, & nihilominus potenter: progeditur ſicut Aurora conſurgens. Quid enim ſilentius, & quid item potentius Aurora progrediente? Nam & nunquam aliquis audiuit *Sonitum ſurgentis Auroræ*: Iob. 3. Nec vlla vis poteſt *impedire ſurgentem.* Hinc colligo ineffabilem Mariæ humilitatem. Adeò ſilenter in cœlum ſurgens è tumulo cœlos ſcandit, vt veritas de illius Aſſumptione licet ab Eccleſia firmiter credatur, & feſtiua acclamatione celebretur: non tamen ab ipſa vti fidei articulus ſit definita. Vt quodammodo Mariæ humilitas curauerit, hoc priuilegium abſcondi. Etiam in Conceptione Virgo vti Aurora progreditur, & adeò ſilenter progredi ſine vlla peccati nebula curauit, vt hoc priuilegium maximum cunctis abſconderetur: attamen *potenter* conſurgit in Conceptione, & in Aſſumptione, quia Dei potentia vnum, & alterum myſterium eſt operata: & licet ob profundum Mariæ progredientis ſilentium veritas vtriuſque aſcenſus non ſit definita, Aſſumptionem omnes credunt Catholici, & de Immaculata Conceptione maximè poſt Alexandri VII. Bullam quis cordatus poterit dubitare?

In Cōceptione enim Virgo ſilenter progreditur, quaſi ex humilitatis affectu curaret tam magnum priuilegiū abſcondi.

Profectò

110\. *Sciens Mariam Dei esse Matrem, quæcunque priuilegia excogitare volueris illius salua fide, non aberrabis.* Guillelm.

Profectò cuncta hæc priuilegia, & alia quæcunque velis excogitare, credibilia fiunt, dum certò dignoscimus, Mariam Dei esse genitricem. Pergit Abbas. *Maria est verè Aurora, in qua finitæ sunt tenebræ, & inchoata lux: finiuit noctem, & diem inchoauit, eo ipso, quo solem iustitiæ generauit. Itaque Aurora fuit ex quo lumen peperit; sed tamen antè clarificationem Filij non progrediebatur sicut Aurora consurgens, id est, manifestè quod erat apparens. Quamdiu Sol iustitiæ natus ex ea putabatur filius Ioseph, & ipsa puri hominis Mater putabatur, nondum vt Aurora* in conceptu hominum *procedebat. At clarificato iam Sole iustitiæ per triumphum Resurrectionis, & Ascensionis: qui antè niger videbatur sicut saccus cilicinus, dum putaretur filius Ioseph, Mater quoque eius iam progreditur sicut Aurora consurgens.* Iam de Matre Dei creditur non solùm Conceptio immaculata, & resurgentis è tumulo Assumptio, sed quidquid, salua fide, libuerit priuilegij mens sapientissimi excogitare.

111\. *Maria Luna est ob virginitatem, ob fæcunditatem est Sol.* Guillelm.

Quare autem *pulchra vt Luna, & electa vt Sol* Maria appelletur, ipse Doctor exponit. *Quid in mundanis corporibus Luna pulchrius? & quid tam electum quàm Sol? Præcipua ergo Mariæ pulchritudo, & præclara hic signatur electio. Pulchra vt Luna dicitur propter* candidum *florem virginitatis: electa verò vt Sol propter fructum fæcunditatis. Planè ipsa est Luna, ipsa est Sol: Luna propter insigne pulchritudinis. Sol verò propter prærogatiuam electionis.*

112\. *Quam terribilis Maria dæmoniis postquam apertè dignouerunt, Dei esse genitricem fuerit.* Guillelm.

Concludit Guillelmus, *Terribilis vt castrorum acies ordinata. Quantum est Maria Angelis, & hominibus amabilis, tantum est spiritibus malignis terribilis. Quid in rebus mundanis terribilius castrorum acie ordinata? Per hoc ergo malignis spiritibus vehementer formidabilis pia Mater ostenditur. Per hoc* inquam, *id est, quia Dei Mater. Et quidem ex quo Dei Filium peperit terribilis dæmonibus fuit, ob suspicionem, quod esset Dei genitrix: sed ipso clarificato, multo magis. Porrò in passione Christi, & resurrectione apertè cognouerunt, quod esset Deus: & ex eo pia Mater eius terribilis est non simpliciter vt priùs, sed iam sicut castrorum acies ordinata. Si enim timuerunt Matrem vagientis in cunis pro sola suspicione diuinitatis; quanto magis diuinitate eius liquidè comparata, reformidant Matrem sedentis in dextera Dei Patris?*

113\. *Aurora Mariæ natiuitas est hominibus bonorum omnium quasi firma possessio.* Hailgrin. Genes. 32.

Cardinalis Hailgrinus memor loci illius Genes. 32. *Dimitte me, iam enim ascendit Aurora*, sic versiculum exposuit: *Quasi Aurora consurgens. Per Auroram significatur Beata Virgo, quæ de tenebris synagogæ* splendens *exorta Christum peperit verum Solem. Hæc est Aurora, de qua Angelus ad Iacob, Dimitte me, iam enim ascendit Aurora. Siquidem per Iacob luctantem cum Angelo sancti Patres designantur, qui luctantes cum Domino precibus, & lachrymis extorquere, & obtinere ab eo Incarnationem Filij sui tali instantia, velut quadam victoria, nitebantur. Sed eorum cœtui respondetur à Domino: Dimitte me, iam enim ascendit Aurora; cesset instantia vestri luctaminis, quia iam lux nascitur, videlicet Virgo, quæ vobis pariet verum solem. Ipsa in natiuitate processit Aurora.* Patrum cessat instantia luctæ, lachrymarum fons clauditur, celebratur triumphus. Fulgor enim Auroræ Mariæ nascentis, quasi bonorum omnium est firma possessio.

114\. *Vbicumque rutilat Luna Mariæ fulgor, signum firmat Christum solē aduenturum. Qui hoc sole vult frui ad se hanc Lunam precibus adsciscat.* Hailgrin. Eccl. 43. Galat. 4.

Vbicumque hæc Aurora apparuerit, signum euidens est, iustitiæ Solem oriturum. Ideò dicitur, *Pulchra vt Luna.* Hailgrinus ad hæc, *Maria processit Aurora, vt fieret Luna, de qua in* Ecclesi. 43. *Luna in omnibus, in tempore suo ostensio temporis. Nam B. Virgo in omnibus nationibus tempore suæ apparitionis ostensio est illius temporis, de quo ad* Galat. 4. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex Virgine.* Hoc est, vbi Maria apparuerit Luna cœlestis, innouabitur tempus illud, quo Dei Filius in mundum fuit à Patre immissus. Quia Sol Christus semper Mariam comitatur. Qui Solis huius vult fulgore potiri, hanc adeat Lunam, seu ad cor suum precibus attrahat: haud sola ingredietur, Sol enim iustitiæ ab eâ non potest separari.

115\. *Ineffabilis Mariæ humilitas, quæ in consummatione supremæ dignitatis minuitur vsque ad seruitutem.* Hailgrin.

Cardinalis addit: *Benè de hac Luna subditur, à Luna signum diei festi.* Eccl. 43. (*Nam à Maria omnis nostra festiuitas.*) *Luminare, quod minuitur in consummatione: crescens mirabiliter in consummatione. Quod de Luna materiali nequaquam intelligi potest, quæ non antea minuitur, & postea crescit, sed è conuerso: nec minuitur in consummatione, sed post consummationem. At hic verborum ordo optimè exprimit B. Virginem. Nam ipsa cum audisset, sibi promissam tam magnam magnitudinem,* quod foret Mater Dei, sese minuit vsque ad *ancillam.* En Marianam Lunam se in suprema consummatione imminuentem, quod materiali Lunæ non accidit.

116\. *Adeò Luna Maria similis est soli iustitiæ, vt quodammodo iam Sol ipse esse videatur.* Hailgrin. Absalon.

Concludit Hailgrinus, *Electa vt Sol.* Ipsa quoque *electa est vt Sol, qui est Christus. Quia hic electus ex millibus virorum: ipsa electa ex millibus mulierum. De Christo dictum, sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios; de Maria dictum, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Videtur quidem Christum, & Mariam vnam quodammodo esse entitatem, cum quæ de Christo dicuntur, etiam de Deipara prædicentur. Vnde Lunam Mariam *vt Sol* electam Soli iustitiæ adeò similem profitemur, ac si Sol ipse quodammodo existat. Consule Abbatem Absalonem, qui integro serm. 43. hunc versiculum Deiparæ accommodat.

117\. *Virgineus Mariæ candor omniū oculis fulgurauit.*

Ex Patrum mente Maria *pulchra vt Luna*, dicitur ob virginitatis candorem: *electa* verò *vt Sol*, propter ipsam virginitatem, quæ debet omnium oculis patere. Mulierem vidit Ioannes Apoc. 12. amictam Sole, Luna coruscam, quæ Virginis simulachrum fuit. Nouum vestis genus: amictus membra operit, ac tegit: Sol detegit, ac manifestat. Cur Mariæ amictus Sol? Planè quia cum in Luna Mariæ Virginitas, ac pudicitia signetur, vt illius candiditas, & puritas illucesceret, operæpretium fuit, omnibus in Solis conspectu patescere. Parum est, aliquam puram, castamque esse, nisi etiā videatur, & puritatem vita, moribus, verbis, incessuque præferat.

Incessu dixi, quia fœminæ incessus fidelis aliarum actionum solet testis existere. Ait Tertullianus de cultu fœmin. cap. 13. *Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciunt*, Sol, & Luna, *bona scilicet nostra pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum & videri* est necessarium. An Luna virginitatis Mariæ potest sine rubore in conspectu solis apparere? Audi Ambrosium lib. 2. de virginib. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Mariæ.* Quia virginitatis puritas vitæ probitate probatur. *Quid castius ea*, quæ corpus sine corporis contagione generauit; quia Virgo concepit, & peperit. En Virginitas. De vita verò addit: *De eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente. Corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, &c.* Sic Luna Maria suam virgineam puritatem publica virtutum testificatione in Solem producit.

Tertul.

Ambros. *Maria virginalis puritas vitæ ipsius probitate cõprobatur.*

118\. *Maria Virgo perpetua ideò Soli, ac Lunæ comparata.* Psal. 88.

Alij existimant Mariæ Virginitatem Lunæ, ac Soli simul comparari, quia Virgo perpetua, scilicet antè partum, in partu, & post partum: Luna autem & Sol quandam præseferunt perpetuitatem. Hinc illud Psalm. 88. *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum; & testis in cœlo fidelis.* Virginitas Mariæ Throni Deifici Soli, ac Lunæ comparatur: *Pulchra vt Luna electa vt Sol:* quia æternùm permansit, imò *æterna* debet vocitari. D. Ildephonsus de Virginit. Mar. cap. 10. *Hæc fœmina sanctificationis vas est, æternitas virginitatis est, Mater Dei est, sacrarium sancti Spiritus est, Templum singulariter vnicum factoris sui est.* Maria itaque est *æterna Virginitas*, quia antè partum, in partu, & post partum inuiolata permansit.

Ildephons.

119\. *Maria porta Ezechielis ter clausa, seu Virgo ante partum, in partu, & post partum.* Ezech. 44.

Hinc Ezechielis porta ter clausa dicitur. Et conuertit me, ait, ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respicit ad Orientem: & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: Dominus Deus Israël ingressus est per eam, *eritque clausa Principi.* cap. 44. Ter itaque Propheta repetit, *Erat clausa, Clausa erit. Erit clausa Principi.* Cur toties? Profectò quia porta hæc Virginem adumbrabat. D. Hieronymus in Apolog. ad Pammach. *Hæc est porta Orientalis, vt ait Ezechiel semper clausa.* Richardus Laurent. lib. 10. de laudib. Virg. apertiùs, *Maria est porta Ezechielis, & erit clausa. Nota, quòd hæc porta ter clausa dicitur, quia Maria Virgo ante partum, & in partu, & post partum.*

Hieron.

Richard.

120\. *Maria nunquam fuit otiosa, & omnes velut Aurora, ab otio reuocat.* Ambros. Psal. 103.

Quasi aurora consurgens. Istis verbis innuitur Virginem numquam otio fuisse solutam, sed semper aut externis manuum operibus, aut pietatis actionibus addictam. De qua D. Ambrosius lib. 2. de Virginib. *Intenta* fuit *operi.* An-non solet aurora homines ad opus vrgere? Ea exorta, *exit homo ad opus suum.* Psalm. 103. Maria instar auroræ, & operibus vacat, & cunctos exemplo suo à somno excitat, ab otio auocat. Audi D. Thomam à Villanoua Valentinum Archiepiscopum. *Solent fortes operarij surgente aurora, de somno surgere, & quasi sereno illucescente, exire ad opus suum; nè forte veniens Paterfamilias, inueniat eos stantes in foro otiosos. Vnde Rex Salomon aurora Maria consurgente, ponit finem sopori, & exit ad opus suum. Intuetur speciosam, miratur immaculatam, laudat Mariam dicens: Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Sic ille serm. 35. An-non vides vim auroræ Mariæ ad excitandum ad opus, si Salomonem verum, si Deum potuit excitare? Et ad quodnam opus excitat quodammodo Deum? Planè ad intuendum *speciosam*, ad laudandum *Mariam*, dum *miratur immaculatam.*

Vil'anoua.

Ipsum Deum excitat Aurora Maria ad opus laudandi eam.

121\. *Maria electa vt Sol, quia nunquam otiosa.*

Profectò Mariam nunquam otio fuisse solutam confirmat (&) particula, *Electa vt Sol.* Nam Sol laboris est symbolum: ex quo enim corpus solare fuit lumine exornatum, indesinenter voluitur, cum verò sine luce esset, & informe, motu omnino carebat. Audi Damascenum, qui vt gradum faciat ad Mariæ labores, inquit: *Prima die creauit Deus cœlum, & terram: in cœlo fixit corpus solare sine luce, efforme, sine motu, quietum, & stabile. Verùm quarta die acceptam lucem infudit corpori solari, & factus est Sol: & statim ab accepta luce, sese in orbem cœpit rotare, pernicique cursu omnes mundiales plagas illuminaturus euolauit.* Sic Maria *vt Sol electa*, instar solis, nunquam otiosa. D. Vincentius Ferrariens. serm. de Natiuit. Mar. *Virgo nunquam fuit otiosa, imò erat semper occupata in sanctis operibus: Surgebat in media nocte, & orabat: deinde filabat, & texebat.* Sol Marianus solem præcedens mundi huius luminare ad quævis honesta opera perleui cursu quotidie rotat.

Damasc.

Vincent.

122\. *Maria Salomonis ferculũ, quia ad omnia honesta opera ferebatur velociter.* Cant. 3. Richard.

Cur existimas Virginem ferculo etiam Salomonis comparari? *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Cantic. 3. Planè quia velociter ad quævis honesta opera ferebatur nunquam otio torpens. Richardus de S. Laurent. lib. 2. de laudib. Mar. *Maria dilectio mobilis; vnde & designatur per ferculum Salomonis; quia omni agilitate ac feruore animi ad quævis bona exercitia secundùm beneplacitum diuinæ voluntatis se circumferebat.* Dionysius Carthusianus serm. 2. de Concept. Mar. *Labori manuum suarum insistebat Virgo panem otiosa non comedens, implens illud* Prouerb. vlt. *Panem otiosa non comedit.* Omnem autem actionem in Dei obsequium dirigebat. Odilon Abbas serm. de Virgine, *Vnum pro certo scimus, quòd omnis Mariæ actio semper intenta fuit in Domino.*

Odilon.

123\. *Perfectissimo ordine Maria de virtute in virtutem ascendit: supremum ad gradum.* Cant. 3.

Præterea hisce verbis: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Innuitur perfectissimus ordo, quo Maria ad summum perfectionis culmen ascendit, ex Aurora fit Luna, ex Luna fulgentissimus Sol accenditur. Dixerat Cantic. 3. sponsus, *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus?* Nunc verò rogitat. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora, &c.* Vide Mariæ profectus. A fumo virtutum inchoauerat, sed ad talem perfectionem progreditur, vt iam ad Auroram assurgat, iam lucidiorem Lunam fulgore vincat, iam fulgentissimum ascendat ad Solem. Sic locum D. Thom. à Villanoua hunc interpretatur. Qui hùc vocat illud de Abraham Gen. 15. qui quidem

Vil'anoua.

quidem clibanum fumantem prius aspexit, deinde ardentem lampadem fuit intuitus. *Abraham*, inquit, *in illo ecstatico sopore, in quo repromissionem accepit, prius clibanum fumantem, deinde lampadem ardentem intuetur. Vt scilicet moneretur, illam de cuius vtero processurus erat illius repromissionis* effectus, *progressuram fore de fumante clibano ad lampadem ardentem, de fumo ad Auroram, de Aurora ad Lunam, de Luna ad Solem: hoc est, ex egregiis virtutibus ad supremum verticem sanctitatis.* Edocemur Mariæ exemplo nunquam-non in

Fulgent. bono proficere. D. Fulgentius de orat. cap. 3. *Sicut qui ad patriam tendit, donec perueniat, semper habet, vbi ambulet: sic etiam nos quandiu in hoc mortali corpore constituti, peregrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus, vbi possimus proficere.*

124. De huiusmodi Mariæ de virtute in virtutem profectu vberius Richardus Laurent. lib. 7. hunc locum exposuit. *Tota vita Virginis fuit quasi quidam mirabilis progressus, & processus, quia creuit semper de virtute in virtutem, quod notatur in ordine verborum istorum, vbi primò Auroræ, secundò Lunæ, tertiò Soli comparatur. Progreditur ergo sicut dies, à claritate Auroræ subobscura crescit in splendorem Solis meridiani. Si enim iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad præsentem diem.* Prou. 3. *multò magis Mariæ semita, quæ peperit Solem iustitiæ progreditur in terra super omnes mortales in omni gratia, & virtute.*

Tota Maria vita fuit quidam admirabilis de virtute in virtutem processus. Richard.

125. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Hæc Amedæus hom. 2. virtutum Virginis fulgori accommodat. *Quasi Aurora surgit ad Deum* in primo conceptionis instanti, *cum humilitatis venusto pallore. Pulchra vt Luna, quia Virgo permanens in sæculum sæculi, supercælestis luminis illustratione perfunditur. Electa vt Sol, vbique claritas, vbique splendor, vbique candor* virtutum *designatur.* Nunquam Maria non lucens.

Nunquam Maria non lucens virtutum splēdore. Amedæ.

126. Richardus verò lib. 3. contemplatur Lunam Mariam post veri Solis Christi mortem terræ interpositione veluti post eclypsim sanguine intinctam. *Maria (ille ait) pulchra dicitur vt Luna: Sole enim iustitiæ conuerso in tenebras per mortem corporis, conuersa est hæc Luna in sanguinem per animæ Martyrium.* Ideò Virgo de se ait Eccli. 24. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Profectò *Iericho* idem est, quòd *Luna.* Rosæ ergo tota plantatio in Lunam Mariam transfertur, vt in sanguinem illius candiditas intingatur. Pulchrè Richardus. *Iericho interpretatur Luna, quæ post Solem habet secundam claritatem, & designat B. Virginem, quæ post Christum transcendit omnem creaturam. Rosa verò ruborem habet vehementis intensionis, in quo duo figurantur, summa videlicet amoris perfectio, & Martyrium intensissimi doloris: quantò enim diligebat ardentius, tanto vulnerata est profundius. Rosa igitur rubicunda, Luna verò candida est; & quia gratus est color roseus in candore, voluit Filius, qui candidus est, & rubicundus, Matrem sibi per omnia similari; & ideo noluit ipsam sine Martyrio esse. Rosa igitur in Luna, Martyrium mentis in carne virginea.*

Luna Maria in occubitu Solis iustitiæ Martyrij sanguine intingitur. Richard.

Color rosæ puniceus in Lunam Mariam transfertur ob animi Martyrium. Eccli. 24. Richard.

127. Illam denique particulam: *Electa vt Sol,* sic Richardus lib. 7. ponderat: *Sicut Sol luminare est par sibi non habens, & toti mundo copiosè sufficiens: sic B. Virgo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, & fulgore miraculorum lucet vbique terrarum, & lucebit vsque ad diem indicij. Vnde dicit* Eccli. 24. *Vsque ad futurum sæculum non desinam* homines protegere, orbem illuminare. *Sol dicitur quasi solus lucens præ cæteris luminaribus. Sicut Sol sideribus cunctis claritate luminis, & maiestate præfert, sic in cælesti gloria Maria sanctis omnibus honore, & gloria superponitur; ideò in figura Mariæ dictum est de Iudith* cap. 11. *Non est talis mulier super terram. Sicut enim Sol pulcherrimum luminarium cæli: sic Maria dignissima creaturarum Dei post animam Christi. Ideò dicitur ipsa Primogenita ante omnem creaturam.* Eccli. 24. *id est omni pura creatura dignior. Vel ideo dicitur electa vt Sol; quia sicut Sol ad hoc factus est, vt illuminet totum mundum, sic Maria ad hoc facta est à Deo, vt misericordiam, veniam, gratiam, & gloriam quasi lumen impetret à Deo toti mundo. Vel electa vt Sol; quia sicut Sol Lunam, sic Maria totam illustrat Ecclesiam. B. Bernardus. Tolle Mariam, quid restat nisi tenebræ? Sicut si tollatur Sol, miserabilis est mundus. Vel electa vt Sol, id est, sicut Christus Filius suus: Ergo sine macula vt Sol. Vnde & ei dicitur* Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Vel electa vt Sol, id est, veri Solis imaginem repræsentans in vniuersitate virtutum. Eckebertus Abbas ad Mariam. *Tu electa vt Sol, ille inquam, Sol Solis conditor. Ille enim electus est ex millibus hominum: tu electa ex millibus fæminarum: ille electus ex omnibus, qui sunt: tu electa ex omnibus, quæ per illum sunt.* Hucvsque Richardus, qui alias plures Solis proprietates Virgini accommodat.

Maria Sol vsque ad futurum sæculum non desinet homines illuminare. Eccli. 24 Richard.

Maria Sol est cuncta Diuorum sidera superans claritate.

Eccli. 24. *Maria Sol à Deo factus, vt pietate totum orbem illuminet.*

Marianus Sol totam illustrat Ecclesiam, adeò vt sine Maria omnia sint tenebrosa. Bernard.

Maria puritas Christi puritati assimilatur. Cant. 4. *Maria Christi Solis imaginē refert.* Eckeb.

Verſ. X.

Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium: & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Adiiciunt Septuaginta Interpretes: *Ibi dabo vbera mea tibi.*

128. DEscendi in hortum.] Hortus Maria est in altissimis collocatus: Cur ergo non dicitur, *Ascendi ad hortum*, sed *Descendi*? Certè quia monentur hîc Mariæ cultores humiles esse debere. Nullus enim ad Mariam humilitatis Magistram nisi descendendo tutò pergit. Pulchrè Richardus lib. 12. *De horto hoc dixit Christus, descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium. Et nos in hunc hortum humiliando nos debemus descendere per recogitationem virtutum Mariæ, vt ex eis noster pascatur affectus, & illuminetur intellectus.* Vt autem edoceamur efficacius, ipse Deus quodammodo humiliatur è superis descendens ad Virginis vterum. *Descendi*, ait, *in hortum.*

Cultores Mariæ ad eam per humilitatem descendunt. Richard.

Ipse Deus se quodammodo humilians ad Virginem descendit.

129. Iam non miror, Gabrielem Archangelum missum à Deo ad Virginem fuisse, & non hominem, cui agnatum est extolli superbia,

Vt in Virginis horto reci-

piare, ex humilitate Angelum te oste de. Hugo.

vt ad Mariam deliciarum Dei hortum liberium sortiretur ingressum. Cognata enim bonis Angelis est humilitas, cum ob superbiam mali misere conciderint. Audi Hugonem Cardin. *Si vis ad Virginem ingredi, & eam salutare: oportet, te esse Angelum. Angelum autem te faciet potissimè humilitas.* Descende, in hortum ingressurus,

130\. *Tam humilis Gabriel ad Mariæ hortũ descendit, vt ausus initio illius nomen ore proferre.* Luc. 1. *Humiliter Elisabeth Mariam excepit.*

Vis exponam Gabriëlis Archangeli humilitatem ad Mariæ hortum è superis descendentis? Eius laudes dicturus tam de se humiliter sentit, vt se indignum iudicarit, qui Mariæ nomen statim proferret: & id tantum protulerit, cum turbata Maria esset, & suimet nominis prolatione erigi deberet. Luc. 1. *Ne timeas Maria.* Angelum Elisabeth æmulatur. Vt enim Virginem laudibus efferret, sese demisit, illa proferens verba: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini ad me?* Indicans Mariæ laudes à laudatoris demissione inchoari debere.

131\. *Humilem te exhibe, vt tibi ad Marianum hortum pateat ingressus.* Richard.

Edisce hinc, humilem te esse oportere, vt ad hortum Mariæ tibi pateat ingressus, & virgineo misericordiæ pallio valeas ab ira Dei abscondi. Bellè Richardus lib. 12. Necesse *tibi est, ad hoc, quod possis* Mariæ ingredi hortum, & *abscondi sub pallio, id est, sub latitudine misericordiæ eius, vt sis paruulus in oculis tuis per humilitatem, non turgidus per elationem.* Sic in hortum descendendo ascendes.

132\. *Qui descendit in Mariæ hortum humilis, Mariæ filius, & Christi frater efficitur.* Matth. 25.

Qui descendit in hortum Mariæ, Christi, qui in illius descendit vterum æmulatur, & Virginis Filius, & Christi Frater appellabitur. Profectò humilitas nos Mariæ filios Christique fratres constituit. Aiebat Dominus Matth. 25. *Quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis.* Qui fratres Christi dicantur, si minimi? Planè ostenditur, genus diuinum ab humilitate clarere adeò, vt ille solus Christi propinquus, imò frater sit, qui humilis, qui in oculis suis minimus. Ad hæc

Chrysost.

Chrysostomus. *Quid ais? Si fratres tui sunt, quomodo eos minimos appellas? Imò verò, quia ideo fratres, quia humiles.* Ergo & vt Virginis filij, vt Christi fratres verè dici possimus, studeamus humilitatem eorumdem æmulari.

133\. *Virginis continui labores, & tentamina amarissima dulcissimum Deo nucleum præsentans.* Philip.

Descendi in hortum nucum.] Id est, in Mariam. Cur Maria nucum hortus appellatur? An propter maximas tribulationes, quibus, dum viueret, Filij æmulatrix fuit effecta? Audi Abbatem Philippum. *In nuce cortex exterior non mediocriter amarescit; sub cortice testa dura, sed tamen fragilis delitescit, clausus tamen sub testa nucleus comedenti suauius indulcescit. Hortus itaque nucum Virgo est, cum passionum, & tentationum amaritudine tribulatur; cum persequentium malitia eius otio nequiter aduersatur, cum quidquid mundus iste blanditur, vel intonat, ei penitus amarescit. Hortus nucum est, cum velut testa durior mira fortitudine præmunitur: cum in vigiliis, ieiuniis, orationibusque indeficiens inuenitur. Quæ cum ad omnia inueniatur fixa, & stabilis permanere: frangi tamen, & dissolui, & Christo cupit manifestius apparere: sciens, illum non testa, non cortice, non quavis amaritudine delectari, sed oblato nucleo, quò suauius, eò festiuius oblectari. Nucleus autem absconditus interna est suauitas animæ diligentis: quæ fracta testa, non aufertur, sed defertur quasi manibus efferentis, & sponso præsentatur.* Cortex igitur & testa, seu amaritudines, & tentamina nucleum suauissimum cœlestis sponsi gustui præsentant.

Descendi, Verbum diuinum ait, in hortum Marianum, in Virginis vterum. Deo, qui vbique residet, quonam pacto Verbum accinit descendere? Planè vt innuat, è cœlo quodammodo dimissa cœlestium spirituum placidissima societate, suauissimo commercio, ad Mariæ hortum demitti, quà in eo magis iucundum, plus placidum habitaculum sortiturum. Pulchrè Philippus adiicit: *Hortus nucum Virgo est, in quem se sponsus descendere dicit, eo quod descendenti non aliquatenus difficultas, nulla importunitas contradicit. Cui cum cœlum cœli, & habitatio placeat Angelorum: non tamen nuces horti, non flores vineæ, non malorum germina displicent punicorum.* Imò dum cœlum pro Mariæ horto commutare videtur, asserit, se placidius habitaculum in Mariano horto virtutum floribus ac fructibus vernanti inuenire. 134. *Cœlum Deus pro Mariæ horto cõmutans, quasi in eo placidius habitaculum sortiturus.* Philip.

Abbas Honorius acutæ excogitationi ausam exhibuit, dum ait: *Hortus nucum fuit Virgo perpetua, in quem Christus descendit, dum in ea hominem induit. In hoc horto arida virga floruit, quæ Christum nucem protulit. In nuce sunt tria, amurca, testa, nucleus; sic in Christo sunt tria, caro, ossa, & anima. Interstitium, quod nucem* interiùs *instar crucis diuidit, est Crux sancta, quæ animam Christi à corpore diuisit.* Et quare Christus cum crucis signo ex Maria nascitur? Planè vt non dubites de Virginis redemptione, cum eam sine peccato conceptam affirmas. Dum enim decreuit Deus ex Maria homo nasci, simul voluit secum, vel in se crucem prodire. Vt scilicet constaret eo ipso, quod in Dei Matrem esset electa, ei ad immaculatam conceptionem Crucis redemptionem simul esse paratam. Vnde licet ex culpa mortua Virgo non esset, ab ea morte, quam vt filia Adami debebat incurrere, augustiori redemptione fuit præseruata. 135. *Christus ex Maria in formam crucifixi nascitur, vt innuat, Matrem suam etiam si in Adamo mortua non esset, verè fuisse redemptam.* Honor.

Mariani horti vbertatem, & pulchritudinem sic describit Alanus: *Maria est hortus, in quo spirant virtutum aromata, in quo redolent patientiæ rosaria. Hic est hortus fructibus redundans, copiis exuberans, flore virginitatis vernans: quem non venti tangit austeritas, vbi mollioris auræ gratia indesinenter aspirat, & vernalis amœnitas allicit intuentes.* In hunc hortum Verbum diuinum hominem assumpturum descendit, his floribus, his fructibus erat ornatus. Quid quæso de Mariæ horto scribet Auctor, postquam hortus hic vitalis arboris paradisus exsurgit, seu Dei Mater efficitur? 136. *Ante Verbi Incarnationẽ ineffabilis erat horti Mariani pulchritudo, quid postquàm Lignum vitæ protulit.* Alan.

Hortum autem nucum Mariam esse, in hunc modum ostendit: *Nux habet amarum corticem, testam duram, nucleum dulcissimum. Ita Virgo Mater exterius habuit carnis infirmitatem, & duram testam, id est, fidei firmam constantiam, & virginitatis perseuerantiam, & dulcissimum nucleum Christum: Quia ex Christo data est nobis dulcedo æterna beatitudinis. Sic descendit in Virginem per Incarnationis suæ humilitatem, vt videret, hoc est, videre faceret poma conuallis, seu fructus qui in humilitate conduntur. Sic Gen. 22. Deus, nunc* inquit, *cognoui, id est, alios cognoscere feci.* Quid- 137. *Tot sublimes fructus virtutum, & gratiarum ex Maria humilitate prodierunt.* Alan.

nam

nam Deus nos fecit in Mariæ horto dignoſcere? Certè quod Mariæ humilitas adeò fuerit numini grata, vt tot virtutum germina, imò & *fructus ſublimis* Chriſtus Dominus ex illa proceſſerint.

Sylueſtres arbores, ſeu rudes homines ad hortũ Mariæ tranſlati hortenſes, ſeu pulcherrimi, paradiſo digni efficiũtur. Guillelm.

138. *Deſcendi* (ſponſus ait) *in hortum nucum*, id eſt, in Mariam deliciarum Dei hortum. Hìc particula *nucum* ſumitur generatim pro quolibet fructus genere, quod medullam intra amarum corticem, & duram teſtulam aſſolet contineri. Guillelmus. *Nuces ſunt generali nomine omnia poma duriori teſta, aut cortice tecta, vt caſtaneæ, auellaneæ, amygdalæ, & huiuſmodi.* An huiuſmodi arbores in deliciarum horto? Aptius hæ in ſyluis, vel in montibus reperiuntur. Profectò in hiſce nucum arboribus Sylueſtres, ac duri homines annotantur, qui ad hortum Marianum tranſlati, ſeu ad Virginis obſequium recepti, ex lignis Syluestribus hortenſes arbores efficiuntur, haud deliciarum hortum dedecentes, ſed potius illum pulcherrimè ornantes: adeò quidem vt Deus ad hortum nucum ſe deſcendere aſſerat, & prius de nucibus gerat, quam de reliquis hortenſibus lignis mentionem.

Mariæ anima in morem medullæ nucis, crucifixa in Filij paſſione.

139. Attamen hoc vocabulum *Nucum* pro peculiari genere fructus aſſolet ab Interpretibus vſurpari. Alij explicant de fructu illo, quod Hiſpani vſuali vocabulo vocitamus *Nueces*, quarum arboris vmbra ſolet dormientis capiti nocere: vnde illius fructus *Nux*, ſeu *Nocens* appellatur. De nuce ſuperius innuimus medullam, ſeu animam quadam cruce diuiſam. An-non hìc Deiparæ anima ſignatur Christi morientis cruce diriter vulnerata, iuxta Simeonis vaticinium: *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit?* Luc. 1. Luc. 1.

Maria inſtar amygdali, maturius quam omnia ligna paradiſi Dei gratiæ flores protulit.

140. In Hebræo originali huic Latinæ voci *Nucum*, vox *Amygdalarum* reſpondet, *Deſcendi in hortum amygdalarum.* Naturale quoddam amygdali priuilegium eſt, quod amicis aſtrorum influxibus præuenitur, vt floribus ante commune tempus ornetur, quo reliquæ arbores aſſolent germinare. Quam quidem proprietatem in Beatiſſima Virgine recognoſco. Accepit enim ſpecialiſſimo Deifici Solis influxu, vt cuncta auguſtiſſima priuilegia in germinandi celeritate haberet. Ieremiæ, & Ioannis Baptiſtæ arbores maturè admodum germinantes in vtero ſanctificati fuere? vicit Maria illos gratiæ floribus in primo conceptionis puncto vernans. De quo volum. altero.

In ſola Maria omnia virtutum & gratiarum germina continentur, quæ in omnium diuorum conuallibus aſpectamus.

141. *Vt viderem poma conuallium.*] Si ſponſus dicit, ſe ad hortum nucum, ſeu amygdalarum deſcendiſſe, cur non ait, viſurum ſe nuces, aut amygdalos: ſed poma conuallium? Certè quia qui Filius eſt Agricolæ, iuxta illud: *Pater meus Agricola eſt*, optimè noſcit, quòd communiter ex amygdalorum fœcunda floritione ſumitur de aliarum arborum vbertate futura indicamentum. Vndè in ſolis amygdalis florum veſte candida indutis quaſi virtualiter omnia iam arborum poma præuidentur. Deſcendit diuinum Verbum ad puellam Mariam, eamque amygdalorum inſtar, tanta vi florum tot virtutibus intueatur ornatam, vt fateatur, ſe in ea ſola omnia virtutum, & gratiarum poma viſurum: *Deſcendi in hortum amygdalorum, vt omnia conuallium in eo poma viderem.* Quia in ſola Maria eminentiſſimo quodam gradu cuncta virtutum germina continentur, quæ in aliorum diuorum conuallibus aſpectamus. Sola enim Maria Seraphinorum flammis exæſtuat, Cherubinorum ſcientiæ ſplendore coruſcat, Patriarcharum fidem, Apoſtolorum ſanctitatem, Martyrum fortitudinem, Virginum puritatem, Doctorum ſapientiam, Confeſſorum humilitatem mirificè gradu in ſupremo continet. *Imò in cælorum montibus contemplamur.*

Omnes Mariæ virtutes ſapiunt humilitatem.

142. *Conuallium* verò non montium Mariæ poma vocantur. Quia omnes illius virtutes humilitatis redolent demiſſionem. Ad teſtamenti montem Virgo non aſcendit, ſemper in valle commoratur, vt Filij futuri præſignet conditionem. Dixit enim: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Filius quidem illius, cuius virtutes poma conuallium, fructus humilitatis extitêre.

Ad Mariæ conuallem omnis aquarum vis, ſeu gratiarum copia confluit, ob humilitatis demiſſionem.

143. Quis neſciat, ad conualles effluere aquas, quæ ex montium fontibus deriuantur, & quæ per pluuias è nubibus dilabuntur? Offertur Mariæ montana, ſiue cœleſtis Dei Maternitas, è qua in cœlum Empyreum conuerteretur: ipſa verò ſe conuallem profundiſſimum efficit, dum ait: *Ecce ancilla Domini.* Luc. 1. Luc. 1. Tunc cœleſtis montis fontes gratiarũ, cuncta cœleſtia priuilegia in illam ineffabili copia influxerunt. Audi Richardum à S. Laurent. Richard. lib. 8. de laud. Mar. Virgo eſt profunda ob humilitatem: *Vallis, de qua dicit Iſaias* cap. 40. Iſai. 40. *Omnis vallis implebitur. Maria enim poteſt congruè dici. Omnis vallis propter omnimodam humilitatem cordis, vocis, operis, & omnium ſenſuum. Et propter hoc impleta eſt omnium chariſmatum* fontibus, & pluuiis: *& dicta eſt, Gratia plena: Nec ſolum dicitur vallis, ſed conuallis. Ipſa enim conuallis eſt per duplicem humilitatem.* Cur duplex Mariæ humilitas vocitatur? Quia immenſa eſt illius magnitudo. *Immenſa Mariæ humilitas.* *Vnde Dauid* Pſalm. 59. Pſal. 59. *Conuallem tabernaculorum metibor*, id eſt profundiſſimam humilitatem Matris meæ, è qua auguſtiſſima regalium virtutum tabernacula tanquam ex fundamine aſcendunt. *Solus* enim *Deus penſare ſufficit, & metiri magnitudinem & quantitatem* conuallis, ſeu humilitatis *Matris ſuæ.* Tota namque Maria plena erat humilitate, Richardus idem lib. 1. Richard. *Adeò Virgo plena erat humilitate, vt nullus in ea locus ſuperbiæ relinqueretur.* *Solus Deus poteſt humilitatis Mariæ metiri magnitudinem.*

Maria ita eſt propria Dei vinea, vt etiam ſit propria hominũ.

144. *Vt inſpicerem, ſi floruiſſet vinea.*] Dixerat cap. 2. ſponſus, *vinea noſtra floruit.* Cap. 8. dicet, Cant. 2. *vinea mea:* hìc autem ait abſolutè *vinea*, nec addit *Noſtra*, aut *Mea*. Cur ita, quæſierim? Profectò cap. 2. tota Trinitas Mariam appellat ſuam, dicens: *Vinea noſtra* dilectiſſima, quaſi vnaquæque perſona diuina eam vt ſuam vendicet, Pater vt Filiam, Filius vt Matrem, Spiritus ſanctus vt ſponſam. At cap. 8. Verbum Incarnatum, quia peculiari quodam erat ei propinquitatis vinculo colligata, vt Matri Filius, eam ſpecialiter ſuam appellat: *Vinea mea.* Cant. 8. Ne verò homines exiſtimarent, Mariam ita Dei eſſe propriam, vt non eſſet etiam hominum vinea communis, ideò in præſenti dicitur abſolutè *vinea*; ſcilicet Dei; & hominum. Vnde Mariæ in vinea ait Richardus lib. 11. Richard. *Hominibus omne genus bona vitis, Ibi vino ſuo vinea hæc lætificat* non ſolùm *Deum*, ſed & *homines. Vinea pacifica* Cant. 8. Cant. 8. *Vinea ſub*

3. Reg. 4. Ierem. 31.

sub qua securè quiescitur. 3. Reg. 4. *vinea* denique *plantata in montibus Samariæ* Ierem. 31. *id est, in eminentia Ecclesiæ*, vt ad illam omnes Ecclesiæ filij auxilium, protectionem accepturi consurgant.

Opima Mariana vinea fructificatio est vberioris adhuc fructus spes.

145. Si iam in cap. 2. tota Beatissima Trinitas diligenter inspexerat, & asseruerat virgineam Mariæ vineam floruisse: *Vinea nostra floruit:* quomodo hîc quasi id ignorans, vult rursum inspicere. *An vinea floruisset?* Num quia Mariæ vinea tam diues est virtutum germine, vt opima illarum productio sit vberioris adhuc spes fructificationis? Certè vinea Mariæ per momenta singula virtutum edit fructus, qui flores sunt vberiorum fructuum pignus offerentes. Ideò à Richardo lib. 11. vocatur *vinea semper florens.* Quia semper onusta fructibus, semper adhuc floret, alios, & alios fructus productura.

Vinea Mariæ per momenta singula virtutum fructus edit.

Richard.

Descendit Deus ad Mariæ vineam, vt approbet illius fructuū vbertatem, videns quod cuncta, quæ in ea fecerat, sunt valde bona.

146. Nisi dixeris, hanc Dei inspectionem, *an vinea floruisset?* non indicare dubitationem circa virgineæ vineæ vberrimam floritionem (Agnoscebat enim Mariæ animum omnimoda perfectione floruisse.) Sed inspectionem quandam per approbationem eo modo, quo ab ineunte vniuerso, cum Deus aliquod creaturarum genus educebat in lucem, videbat, quod esset bonum: videbat vtique non dubitanter, aut per modum examinis, sed approbando, quod fecerat. Haud aliter in Virgine inspicere volebat *an floruisset*, id est, sibi gratulabatur de tam perfecta vineæ suæ florum parturitione. Guillelmum audi. *Vidit Deus poma conuallium*, & vineæ floritionem, *imò multò excellentius, quam olim vidit corporalem lucem quod esset bona: & quam olim videret cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Quippe excellentius est opus Redemptionis* (ex Incarnatione in Virginis vtero vinea quidem, ex qua botrus ille nascitur ad mundi redemptionem in cruce exprimendus,) *quam mundanæ conditionis. Et magis Deo placet hoc opus insigne suæ gratiæ, & pietatis, quam illud opus grande naturæ.*

Guillelm.

Maria descendit quotidiè in Ecclesiam, vt eius fructus inspiciat.

147. Porrò Dionysius Carthus. totum versiculum dat Deiparæ ipsi loquenti, non sponso. *Descendi*, ait Maria, *in hortum meum, vt viderem poma conuallium, &c. Sanctissima enim Virgo tanquam vigilantissima, ac fidelissima aduocata, & protectrix Ecclesiæ militantis, in eandem descendit quotidie, omnem statum, ac dispositionem eius considerando, preces pro ea fundendo, dona gratiæ impetrando.*

Carthus.

Maria descendit in semetipsam vt proprios profectus ad examen adducat.

148. Quid si illam particulam: *In hortum meum* Virgo ad se ipsam hîc dirigat, quasi non solum de Ecclesiæ profectu, sed de ipsiusmet perfectione studium gerere videatur? Pulchrè addit Dionysius. *Similiter Virgo Deifera, quamvis peccare non poterat* (in gratia vtique confirmata) *tamen interiorum suorum diligentissima custos, consideratrixque fuit ad vehementius proficiendum. Sicque per considerationem, custodiam, & profectum, intrauit assiduè hortum animæ suæ, & virtutes, ac opera sua pensauit.* Quid nobis gerendum qui delinquere possumus, imò qui *quotidie in multis offendimus?*

Carthus.

Deus non solum inclinauit cælos, seu Angelos ad hominum ministerium, sed ipse mirū in modum sese ad nos inclinauit per Mariam.

149. Denique Hugo Carens. piè admodum totam sententiam sic Deiparæ accommodat: *In Virginem Filius Dei descendit, vt respondeat Angelis cum admiratione quærentibus. Quæ est ista, quæ progreditur, &c. & ostenditur magnum pietatis diuinæ mysterium, & admirabile Filij Dei, qui vt nos faceret in cœlum ascendere, descendit in terram, secundum Dauid orauerat* Psalm. 143. *Domine, inclina cælos tuos, & descende. Inclinauit cœlos, quando Angelos hominum seruitio, & ministerio deputauit. Sed ipse se non solum inclinauit, sed paulo minoratus est ab Angelis, vsque ad humanam naturam descendit. Vbi & descendit in hortum nucum, seu in B. Virginis vterum, quæ est hortus conclusus. Et nucum est hortus iste, secundum quæ in nuce est inuenire, quæ & in B. Virgine inueniuntur, corticis amaritudo, Maria enim interpretatur amarum mare: per contra sic vocata, quæ nihil penitus amaritudinis habebat. Testa duritia in sancti propositi firmitate. Vnde Angelo respondit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nuclei dulcedo in fructus pretiositate. Vnde illud: Et benedictus fructus ventris tui. Vt viderem poma conuallium, id est, multiplices fructus humilitatis eius tam interioris, quam exterioris manifestarem, & alios videre facerem. Et inspicerem, si floruisset vinea, id est, Virgo beata, de qua vitis vera processit. Floruit hæc vinea in Filij Dei conceptione. Et si germinassent mala punica, per quæ designantur charitatis B. Virginis, quam erga nos habet, multiplices effectus; qui licet in omnes defluant, & emanent, tamen plena remanet, & redundat: cui dictum est gratia plena. Nec mirum, cum ab ipsa ortum habuerit Fons indeficiens charismatum, & gratiarum.* Hactenus ille.

Hugo. Car.

Maria est in nuce significata ob tres nucis proprietates.

Multiplices humilitatis Mariæ fructus.

Mariæ charitas inexausta.

Vers. XI.

Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

NEsciui.] Ait Theodoretus, *Verborum difficultate abstrusus est sensus. Sed diuina gratia* (addit) *auxilium deplorantes, ex profunditate thesaurum effodiemus. Quamobrem speremus, cum nobis huius partis profunditatem plenam, dilucidamque facturum; non quod eo munere nos simus digni; sed propter eorum, qui hanc interpretationem vel audiunt, vel legunt, vtilitatem.* Verborum difficultas Doctores coëgit, vt ex Hebræo originali varias educerent lectiones; quas ego haud difficilè Deiparæ elogiis accommodabo. Septuaginta Interpretes legerunt. *Nesciui, seu non nouit anima mea: posuit me quasi quadrigas Aminadab. Posuit me* nempè Deus. Quis enim nisi Deus posset Mariam sponsam ad tantam eleuare dignitatem? Ineffabilis Deiparæ humilitas hæc verba profert, ac si dicat: Nesciuit anima mea ob quænam merita Deus in me tantam coëgerit excellentiam, vt me gesserit veluti currum, & vehiculum animatum, in quo Verbum diuinum, humanitate assumpta, orbem terrarum ingrederetur. Et quidem Maria ferculum est veri Salomonis. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.* Cant. 3. Richardus Laurent. lib. 10. *Bene per ferculum*, vel quadrigam *significatur vterus virginalis, Regem omnium Regum Christum portans, scilicet qui dicitur Rex Regum, & Dominus dominantium.* Confirmo meam excogita 150.

Tanta Mariæ humilitas, vt nulla in se inueniat merita, ob quæ electa fuerit in Dei genitricem.

Theodor.

Septuag.

Cant. 3. Richard.

Vterus Mariæ ferculum veri Salomonis.

excogitationem ex Philippi Abbatis sententia: *Cum ad me descenderet, & se mihi ostenderet, sum turbata, expaui, obstupui tantum beneficium ancillæ collatum admirata. Nesciui enim, vndenam, seu quibus meritis potentissimus ille mihi magna faceret.* Luc. 1.

Luc. 1.

151. *Maria ferculum à Deo elaboratum Filio suo: Ergò omni perfectione opus expenitur.* Ambrof. *Dei beneplacitū est velut Mariani ferculi materia: Ergo nulla in opere imperfectio, quæ displiceat artifici.*

D. Ambrosius serm. 2. ad Psalm. 118. sic legit: *Posuit me quasi currus Patris beneplaciti.* Finge, quæso, currum quendam, seu ferculum per diuinum beneplacitum esse constructum, vel per Spiritus sancti singularem ideam: qualis fuit Noëmitica Arca, Tabernaculum Mosis, Salomonis Templum. Proculdubio hic currus nulla laboraret imperfectione. En Maria ferculum cœlesti Salomoni præparatum, nulli maculæ, nulli imperfectioni obnoxium. Vel si magis arrideat Maria est currus Patris beneplaciti, sine ex beneplacito Patris tanquam ex materia coalescens. Nihil igitur in hac fabrica inuenies imperfectionis, quod diuino beneplacito repugnans videatur.

152. *Maria assimilatur quadrigis Angelicis: imò eis potest impendere puritatem.* Ambrof.

Idem Ambrosius lib. de Abraham cap. 8. *Posuit me quasi quadrigas populi mei nobilis.* Id est, quasi quadrigam, vel currum Angelicum, atque Cherubicum. Christus Rex & Regina Maria duplici populo dominantur, nobili, & ignobili. Populus nobilis est Angelicus, qui nihil habet de carneæ luteæ vtilitate. Ignobilis populus est humanus ex Adami luto compactus. De quo Dauid Psalm. 48. *Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Populus nobilis Mariæ sunt quadrigæ Angelicæ, his Virgo assimilatur, qualis populus, talis Regina. Non solùm Deiparæ puritas Angelis assimilatur, sed tanta est illius puritas, vt valeat cunctis choris Angelicis puritatem impendere. Nihil intueberis in Maria ex homine exorta, quod ignobilitatem sapiat humanam.

Psal. 48.

153. *Maria est totius bonæ voluntatis Dei erga creaturas effectuum epilogus.* Philo.

Philo Carpat. legit, *Posuit me quasi currum bonæ voluntatis Patris.* Quasi Maria sit animatus currus, quo bona Dei voluntas triumphatrix inuehitur. Quinam hic bonæ Dei voluntatis triumphus? Planè tanta pulchritudine, tanto artificio hunc sibi currum construxisse, vt totius quodammodo bonæ voluntatis Dei possibilis erga puram creaturam esset significatio.

154. *Post accuratum examen totius Trinitatis, Maria approbata admodū enasit.* Philo.

Idem Philo legit, *Fecit me currum probationis.* Quasi à tota Beatissima Trinitate factum fuerit accuratum examen de Mariæ aptitudine, vt esset Verbi diuini, & gloriæ illius currus, seu vt esset Deo Mater? Post diligentissimam discussionem, post probationem accuratissimam inuenta est cunctas habens cœlesti munere excellentias, quæ ad dignissimam Dei Matrem requiruntur. Nec nouum est cœlesti conditore opera à se effecta rursus ad examen adducere, num essent apta ad id propter quod facta sunt ministerium. Creauit cœlum, terram, lucem, luminaria, &c. Mox adducit ad probationem, dum illa intuetur, & omnium approbat aptitudinem. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valdè bona.* Genes. 1. Haud aliter post Virginis formationem, collata illi ineffabilia priuilegia, quæ ad dignam Dei Matrem requirebantur, vidit illam, & ad conditoris intentum *erant valdè bona.*

Maria inuēta est à Deo habens quidquid ad Matris Dei munus ibse requirebat. Genes. 1.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

155. *Nihil gratiarū Deus prodiues, & liberalis inspirit Mariæ Matri suæ futuræ denegauit.*

Legunt alij, *Sicut currus Principis spontanei, & liberalis.* A Principe Deo adeò spontaneo circa gratias Virgini futuræ eius Matri concedendas; adeò prædiuite & infinitè liberali nihil gratiarum, nihil priuilegiorum denegauit, quod ad triumphalis ferculi, in quo terrarum orbem erat ipse ingressurus ornatum, & gloriam pertinere videretur.

156. *Maria velocissimè ex vtero ad virtutū verticem festinauit.*

Alij quidem, *Fecit me sicut quadrigas festinantes.* O quàm veloci cursu Maria ex vtero, vbi vsu rationis donata fuit, cœlestem festinauit ad palmam! O quàm præproperè ad misericordiæ, ac pietatis erga proximos opera, degens in terris, etiam non vocata, cucurrit! Tanta currus velocitas requirebatur, vt posset Christi Domini incessui deseruire. De illo ad hominum redemptionem adueniente dixit Propheta, *Voca nomen eius, accelera, spolia detrahere: festina prædari.* Isai. 8. Vt autem tam veloci cursu ferretur, necessarium erat, vt Mariæ currus ineffabili ferretur velocitate. Vix Dominus Marianum currum ascenderat, cum surgens illa abiit in montana *cum festinatione*, vt Ioannes sanctificaretur. Luc. 1. Cur tam festinanter Maria progreditur? Planè quia currus cœlestis illum deuehit, qui festinat à diabolo spolia detrahere, liberaréque Ioannem à peccati seruitute.

Christo Maria assimilatur in festinatione ad hominum vtilitatem. Isai. 8.

Luc. 1.

157. *Tam velox est Maria ad virtutū actiones, & ad homines succurrendum, vt desiderij vel cogitationis velocitati valeat cōparari.* Psalm. 44. Philo.

Alij autem, *Fecit me quasi currum desiderij.* Ac si diceret Virgo, fecit me currum tam velocem ad virtutum actiones, & ad Deum in auxilium hominum deferendum, quàm velox est desiderium, & interna mentis cogitatio. Hinc Dauid Psalm. 44. de Maria cecinit: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus: circumdata varietate.* Alij legunt, *Circumdata opere plumario, opere cogitationis.* Vnde Philo Hebr. lib. de Nomin. mutat. *Cum aliqua velocitas animo, & cogitationi comparatur*, nihil velocius excogitari potest. *Eam enim velocitatem nihil eorum, quæ ob velocitatem commendantur, animaduertere valeret, cum volucres ipsas, & naturas omnes anteeat. Vnde celeberrimus Poetarum Græcorum* commendans cuiusdam velocitatem *dixit: Tanquam auis, aut mens*, siue *cogitatio; magnam in eo celeritatem declarans: Quod figuratè, vt cresceret oratio, post alitem subiecit cogitationem.* Tanta currus Mariani velocitas ad Deum, eiusque gratiam inuehendam ad homines, vt valeat ipsius cogitationis agilitati comparari.

158. *Nauis desiderata ab esurientibus fuit Maria afferēs vitæ panem. Vnde eius velocitas ad virtutum perfectionem ostenditur.*

Id ex Iobi cap. 9. confirmo: Vbi vitæ huius describens velocitatem, dixit: *Sicut naues poma portantes.* Quæ velocissimè nauigare solent, tum ne poma pelagi humiditate putrescant, tum quia eiusmodi nauigia remorum impulsu ad æmulationem agitantur, vt ad portum citius perueniant, consequuturæ præmium, quod solet dari iis, qui prima poma in vrbem inducunt: & carius ea venundentur, si ante alia poma exponantur in foro. Alij ex Hebræo legunt, *Quasi nubes desiderij, & cogitationis.* Quia nihil velociùs, vel quia poma desiderata asportant

eò, vbi non nascuntur, & ideo auidius desiderantur. Currus igitur desiderij fuit Maria, quæ tanquam *nanis institoris vitæ portans de longè panem*. Prou. 31. Quem vt citius impendat hominibus, ipsam cursu cogitationem anteuertit.

159. *Maria in benefaciendo se instar Mannæ cuiuslibet bona voluntati accommodat.* Alij, *Fecit me currum ad populi beneplacitum, desiderium, & voluntatem.* Quia scilicet Maria ad commune bonum Dei currus efficitur. Et quia per pietatem se talem exhibet vnicuique, qualem ipse voluerit sibi eam aptare. Vnde eam appositè dixerim verum esse Manna *vniuscuiusque voluntati deseruiens*, fauens, succurrens, orans, benefacia præstans.

160. *Sufficit dicere: Maria Dei Mater, vt concipias, illam omnium perfectionum epilogum continere.* Rupert. Tres Patres. Ildephons. Alij verò, *Fecit me currum Imperantis populo, seu Principis populi.* Princeps hic Imperans per excellentiam est Christus Dominus iuxta Rupertum, & Tres Patres. Ac si dicat Maria: Vultis dignoscere, qualis ego sim currus? Sufficit dicere: Currus sum Christi, Regis Regum sum Mater. Titulus enim Matris Dei omnium virtutum, omnium gratiarum exprimit collectionem. Ad ornandum enim hunc Dei currum tota B. Trinitas brachium exeruit. Ildephonsus serm. 3. de Assumpt. *Christi Matrem Spiritus sanctus adimpleuit, sapientia Patris, scilicet Filius Dei possedit.* Et paulò superius. *Quid dicam fratres mei, quidve de iis loquar? in quibus omnis humanus sermo silendo & admirando, potius quam loquendo crescit. Pro quibus Angeli gratulantur, & decantant gloria in Altissimis Deo, ad Virginis partum.* Quia scilicet eam Dei genitricem esse mirantes intuentur: sub quo Maternitatis titulo omnia priuilegia, quæ vix possunt ab Angelis excogitari, & nullatenus ab hominibus dici, imò nec cogitari valent, continentur.

161. *Maria Filij sui instar, mortis tributũ spontè persoluit.* Denique legunt alij, *Fecit me currum spontè soluentis tributum.* Quia Mater sum Christi, qui cum Dei Filius esset, à vectigali soluendo prorsus immunis, Petro iussit, Cæsaris exactoribus pro totius familiæ Apostolicæ tributo didrachma persoluere. Dum Dominus pro se vectigal rependit, id *spontè* agit. Aliud tributum pendit Dei Filius spontaneè, scilicet mortis, quod cuncti Adami filij necessariò debent persoluere ex peccato effecti debitores. Dauid Psalm. 54. *Veniat mors super illos.* Ex Hebræo alij. *Veniat super illos mors, vt exactor tributi*, vel sicut tributum commune de iure rependendum de Elia Propheta nondum mortuo, sed in mundi termino morituro inquit Augustinus in quæst. Euangel. *Restituet moriendo quod debet*, scilicet commune mortis tributum. Profectò ab hoc tributo Christus erat immunis, attamen id ob hominum vitam *spontè* persoluit. Mariæ itaque currus suum voluit Aurigam æmulari, dum speciali Dei munere libera à debito mortis tributum soluere *spontè* non dedignatur. Volumine altero cunctæ hæ lectiones immaculatæ Virginis conceptionis panegyricum intonabunt. (August.)

162. *Maria ab Archangelo salutata,* Enim-verò miror, me apud Guillelmum, Honorium, Hailgrinum, Rupertum nihil circa hanc sententiam Deiparæ elogiis conueniens inuenisse: apud alios autem nonnulla reperiri. Suppono cum Dionysio de cœlest. Hierar. cap. vlt. Hilario in Psalm. 67. Hieronymo ad Psalm. 66. & Abac. 3. Dei quadrigas Angelos appellari, quia eis actionum celeritas, & localis motus est pernicissimus: spontè obediunt, & iussa celerrimè exsequuntur. Cum itaque à Principe omnium creaturarum Gabriel Archangelus missus fuit ad Deiparam, & tam insolita illam salutatione compellauit: *Nesciui* ait, (id est, iuxta LXX. *Non nouit anima mea*) *qualis esset ista salutatio.* Ideò *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*: siue turbata sum cogitans, *qualis esset ista salutatio.* Pulchrè mens Del-Rio. *Nonne tunc Maria anima ad hunc Gabriëlis Dei quadrigæ sonitum turbata est, & cogitabat, qualis illa salutatio esset? Et nonne sonitus Euangelicæ quadrigæ fuit tam boni nuncij explicatio? Nonne merito dicit: Nesciui, quæ interrogarat: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Luc. 1. (*nesciuit, qualis esset ista salutatio.* Dionys. Hilar. Hieron. Septuag. Del-Rio.)

Approbat hanc Alanus expositionem, & addit, in hoc Archangeli sermone turbatam Virginem propter quadrigas Aminadab, seu Principis cœlestis. Quas vult esse quatuor insignes virtutes, quæ in Incarnationis beneficio elucent. *Prima*, inquit, *est humilitas; venit enim in summa humilitate Dei Filius ad Virginem; vt tanta esset humilitas in Redemptore, quanta in primo peccatore fuerat superbia: hic se erexit contra suum Creatorem: ille se inclinauit vsque ad miseriam creaturæ. Secunda est summa charitas, qua Filius Dei venit in mundum, vt redimeret seruum, vt sanaret ægrotum. Tertia summa pietas, & misericordia, qua se Deus exinaniuit, & serui formam accepit, vt Opifex de lacu fœcis, & miseria opus suum eriperet. Quarta, summa prudentia, qua se Deus incarnauit, vt homo hominem redimeret. Per hanc quatuor virtutum quadrigam incarnatus ad nos Dei Filius venit.* 163. *Turbatur Maria ob quatuor virtutes, quas in Christo Domino contemplatur.*

Cum autem dixerimus Mariam Dei currum, siue quadrigam esse, operæ pretium erit, in virginea quadriga illarum quatuor Christi virtutum similitudinem in hac ipsa Incarnationis instantia contemplari. An-non miram Maria humilitatem ostendit, cum oblata ei Dei Maternitate, se Dei fatetur, & offert ancillam? Nonne fuit Virgineæ charitatis, pietatis, & misericordiæ ineffabilis documentum, se diuino beneplacito lubens subiicere dicens, *Fiat mihi*, vt *Iesum* pareret, qui seruum redimeret, & sanaret ægrotum? Quis demum dubitet, summæ prudentiæ Virginitatis voto illigatam interrogasse. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ergò virtutum quadrigæ, quæ in Incarnationis instantia resplenduit in Filio, apta quædam similitudo refulsit in Matre. (*Quatuor has virtutes, quas Christus in Incarnatione ostendit, Maria æmulatur, scilicet humilitatem, charitatem, pietatem, prudentiam.*)

Dionysius Carthusian. ex hac clausula, *Nesciui, &c.* Ponderat immensam Virginis erga Iudæos rebelles charitatem, & affectuosam circa eorum conuersionem sollicitudinem. *Nesciui*, inquit Maria. Quid nescire posset, quæ cœlesti sapientia à primo conceptionis instanti plena fuit? Respondet Doctor. *Beatissima Domina profecit adhuc in multis notitiis, nec à principio per experientiã sciuit fructum passionis Filij sui, vt postea; ideò subdit:* 164. *Maria sapientissima licet esset, proficiebat quotidie in multis notitiis.* Carthus. *Vehementer angebatur de obcæcatione Iudæorum.*

subdit: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab: id est, affectio cordis mei me vehementer afflixit, eo quod Euangelium Filij mei viderem non recipi à Iudæis, quibus quadrigæ, id est, Apostoli Christum prædicando vehementes ad audientium corda diu prædicauerunt.* Ponderat autem hunc Deiparæ ex Iudæorum duritia dolorem. *Si enim Apostolus Paulus ex Iudæorum excæcatione doluit eam vehementer, vt diceret: Tristitia mihi magna est, & dolor continuus cordi meo pro fratribus meis Iudæis.* Rom. 9. *Quanto magis optima Virgo, quæ in charitate Dei, & proximorum ineffabiliter fuit perfectior Paulo? Orauit igitur piissima Mater pro illis assiduè.*

Ineffabiliter fuit præstantior pietas Virginis erga salutẽ Iudæorum quam D. Pauli. Rom. 9.

165. *Tanta per Verbi Incarnationẽ Maria dignitate donata fuit, vt nesciat eam verbis explicare.* Philip.

Nesciui, ait: Equidem Deipara post Verbi Incarnationem vix scit suam excellentiam explicare. Effecta enim Dei Mater ad ineffabilis dignitatis cumulum fuit eleuata. Id Philippus Abbas eleganter exposuit: *Videns Virgo, in hortum suum sponsum mirabiliter descendisse, & descensu mirabili gratiam æque mirabilem ei attulisse: non satis potest eloqui, quod in se spiritaliter intuetur, & præsenti gaudens scientia, priorem ignorantiam confitetur. Nesciui, ait, antè quàm Angelus me plenam gratia nunciaret, & nube satis lucida sanctus mihi Spiritus obumbraret: antè quàm Filius suo me fœcundaret osculo, & nouella fœcunditas virginalem conscientiam honestaret. Nesciui tantum mihi gratiæ, tantum muneris impartiri, & ancillam humilem tam inexpertam cæteris experiri.* Nesciui quidem antea; iam postquam concepi, & peperi scio, meam dignitatem, sine meritis ex Dei munificentia, agnosco; sed minimè eius sublimitatem verbis possum exprimere.

166. *Non perpendes quanta sit dignitas Matris Dei Mariæ, nisi qualis sit dignitas Filij perpendas: quod est impossibile.*

Si autem velis quàm præcellens sit Maternitatis huius dignitas perpendere, opus est, vt Filij Dei ex Maria exorti cures perquirere dignitatem. Nisi enim agnoueris quantus sit Filius, quanta sit Maternitatis dignitas haud potest exponi. Vnde vel ipsa Virgo hanc sui dignitatem nesciuit, quoadvsque sui Filij magnitudinem disertius penetrauit. Do pulcherrimam eiusdem Philippi sententiam. *Antè quàm (Virgo inquit) hortum suum concluderet, non tamen sepe, non maceria, neque vallo: antè quàm signaret fontem, non tamen sera ferrea, non vecte, vel metallo: antè quàm in eundem hortum descenderet, & eum inspiceret suo largo munere bonitatis; nesciui eum esse tam potentem, tam benignum, tantæ diuitem largitatis. Vidi itaque sponsum non inopem, non indignum, non vt quemvis de populo descendisse; sed in equis vel quadrigis more potentium, aduenisse.* Quid plura? Porrò ex agnitione excellentiæ tanti Filij, prudentissimè aduertit, se ad ineffabile dignitatis culmen fuisse (Matrem eius) euectam. *Cum ergo ad me descenderet, sum turbata, expaui, obstupui tantum beneficium*, & tantam dignitatem *mihi exhibitam admirata.* Ex magnitudine enim Filij Matris magnitudo clarescit.

167. *Conturbatur Maria ex humilitatis affectu videns, se Dominam esse cœlestium Angelorum sicut Deus Filius.* Philip.

Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Profectò Aminadab ex Patrum mente Christum significat, cui Angelicæ quadrigæ submittuntur, eiusque nutui diligenter obediunt. Videns autem Maria Angelorum quadrigas eius etiam obsequio submitti, postquam Dei fuit Mater effecta, vehementer ex agnatæ humilitatis affectu conturbatur. Adiicit Abbas, *Aminadab interpretatur spontaneus, illum significans, qui de sinu Patris sponte voluit aduenire, & in vtero Virginis naturam sibi hominis conuenire. Qui Angelicis virtutibus, instar Regis, præsidet, & aurigæ: & agili concordia omnes ei seruiunt vt quadrigæ. Propter quadrigas ergo Aminadab Virgo conturbatur, cum introducta in Aminadab, seu Filij sanctuarium (siue Dei Mater effecta) ministrantia sibi millia millium admiratur.* Vt iam sit Maria vt Dei Mater cœlestium Domina quadrigarum sicut Deus Filius? Certè id quod Deus per naturam habet, voluit Matrem suam ex priuilegio tantæ dignitatis habere.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Vers. XII.

Reuertere, reuertere Sunamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur te.

168. *Beatissima Trinitas de Maria Filia, Matre & sponsa dignissima gloriatur; & Angeli hymnis modulantur in gratiarum actionem, pro tam sublimi Dei eis Regina prælata.*

Reuertere, &c.] Hæc verba esse à tribus Beatissimæ Trinitatis Personis, & ab Angelicis spiritibus graues Interpretes contemplantur, dum vident, quater replicatam esse illam particulam: *Reuertere, Sunamitis, &c.* Primò ait Pater reuertere. Deinde Filius, *Reuertere* inquit. Tertiò Spiritus sanctus dicit *Reuertere.* Denique Angelici Chori proclamant, *Reuertere.* Tantam enim ad excellentiam eleuata est Maria postquam Dei fuit Mater effecta, ex qua ipso Vers. 11. (vti vidimus) admiratur: Vt conditrix Augustissima Trinitas in tam perfecto opere glorietur, & Angeli Reginæ suæ gloriam applaudant. *Reuertere*, ô Filia Pater ait, vt intuear te, & videam te merito electam in mei Filij parentem. *Reuertere*, inquit Verbum diuinum, vt intuear tè, & videam, quam iustè inter omnes mulieres assumpta in mei facti hominis genitricem. *Reuertere* Spiritus sanctus affatur, vt intueri pergam, quam merito, qui columbæ in morem, meliora grana seligo, te in sponsam assumpserim. *Reuertere*, Angeli cuncti inclamant, *vt intueamur te*, & dulces modulemur Beatissimæ Trinitati hymnos, quæ tam præcelsæ Sunamitidi cœlestium castrorum Choros summisit. Confirmo ex Richardo Laurent. lib. 5. excogitationem: *In hoc, quod dicitur*, Reuertere, *reuertere, reuertere, vt intueamur te, posito verbo in plurali, notatur Trinitas Personarum.* Et in eo, quod quartò dicitur *Reuertere, vt intueamur te.* Secundò significantur *Oculi Angelorum beatorum, qui in eam sicut in Filium desiderant intueri*, illius admirantes celsitudinem. Richard.

169. *Maria vxor, & Virgo sponsum Ioseph ad situdinẽ fuerat amorem.* 3. Reg. 1.

Sunamitis.] Vt autem appareat, cur Deipara hîc Sunamitis appelletur, recurrendum ad 3. Reg. 1. vbi dicitur: *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat. Dixerunt ergo serui sui: quæramus Domino nostro adolescentulam. Et inuenta quidem fuit Abisag Sunamitis pulchra nimis, quæ in coniugem facta fuit Regi; dormiebatque cum Rege; Rex autem non*

 cognouit

Hieron. *cognouit eam.* Ad quæ D.Hieron.tom.1.epist.2. *Quæ est ista Sunamitis vxor, & Virgo, tam feruens, vt frigidum calefaceret: tam sancta, vt calentem ad libidinem non prouocaret?* Est quidem sanctissima Maria vxor & Virgo *desponsata D. Ioseph*, & ab eodem minimè cognita: Ioseph *non cognouit eam.* Profectò mutuo se diuini amoris igne fouebant beatissimi coniuges, attamen concupiscentiæ igne prorsùs extincto.

180\. Altius verò iuxta historiæ spiritum de cœlesti Sunamitide gloriam rimabor. Contemplor enim Deum per omne legis naturæ, & scriptæ spatium quasi senio confectum, & præ senecta frigescentem non quidem in se, qui ab æterno semper est immutabilis, sed quoad homines iniquitatis frigore rigentes. Deus namque cum sancto sanctus ostenditur, cum peccatoribusque peruersis peruertitur: cum frigidis frigore affectus exponitur. Non calefiebat tanto animalium sanguine profuso: inter tot æstuantes thymiamatum fumos, inter tot holocaustorum flammas, inter tot ardentes victimarum pyras, inter tot Sacerdotum, ac Leuitarum sacras mutatorias vestes haud calefieri poterat. Senescente enim & frigescente Iudæorum populo in Dei, & proximorum charitate: quid mirum senesceret, & frigesceret quodammodo Deus in eorum dilectione. Aggæus cap.1. Iudæos improperat, quòd Deum non colerent eo animi feruore quo debuerant, inquit: *Operuistis vos, & non estis calefacti.* Interlinealis, *Habuistis pallium, sed non quod frigus repelleret, & calorem conseruaret.* Si autem pallium operum vestrorum, sacrificiorum, victimarum vos ipsos calefacere non potuit in Dei amore, quomodo me in dilectione vestra calefaciet? Ioan. 5. *Facta sunt encænia Ierosolymis, & hyems erat.* Vbi Gregorius, *Idcircò curauit hyemis tempus exprimere, vt inesse Iudæorum cordibus malitiæ frigus indicaret.* Vt autem ostenderetur frigiditatem illam hominum in Deo dilectionis erga illos frigus connotare, addidit Euangelista: *Et ambulabat Iesus in porticu Salomonis*, seu deambulatiunculas in morem intendentis expellere frigus, conficiebat. Sic nostra erga Dei amorem frigiditas efficit, Deum erga nos quasi affectum frigore ostentari. Quæsiuit ergo diuina Prouidentia cœlesti Dauidi in tanto legis veteris frigore pulcherrimam Virginem Mariam, quæ illum calefaceret, & erga homines dilectionis igne succenderet. Eleganter Petrus Bles. serm. 4. de Adu. Dom. *Rex Dauid senuerat, qui est antè tempora. Numquid senuit per tempora? Absit. Sed senuerat, id est, vsque ad senium temporis distulerat generis humani reparationem: & , vt plenius dicam, vniuersitatis. Semidiruta erat excellentia creaturarum, diruta erat humana natura, terra maledicta in opere eorum: luminaria cœli mutilata in diminutione luminis, & assiduitate laboris. Hanc vniuersitatis confusionem omnipotens quasi dissimulando pertransibat: licet operiretur multitudine sacrificiorum, sine æstimatione & numero, non calefiebat. Quæsita est ergo Sunamitis adolescentula, & Virgo Maria. Quotquot prædixerunt de Virgine, quasi missi sunt ad quærendum eam.* Hæc Deo erga nos dilectionis calorem restituit. Hoc Maria in illa mundi ætate gessit.

Deum ob senium, & frigiditatem nostram quasi senem & frigescentē Maria Sunamitis vera calefacit.

Aggæ.1.

Interl.

Ioan.5.
Gregor.

Petr. Bles.

181\. An ab hoc ministerio sacerrima Sunamitis in ætate nostra cessauit? Absit; semper enim Deum fouere curat, si nostra frigiditas cordi illius frigus erga nos introduxit. Richardus Laurent.lib.5 de laudib. Virg. *Hanc*, id est, *speciosissimam Virginem figurauit Abisag Sunamitis, quæ fuit virgo speciosa valdè, quæ fouebat Dauid frigescentem. Sic Maria calefacit semper affectus Filij sui ad amorem nostrum orationibus suis, quando sentit eos frigescere quoad nos propter peccata nostra.*

Sæper Maria frigescentem Deum fouet, vt nos amet.
Richard.

182\. Quæsierim verò, quid necesse fuerit, Dauidi aliam de nouo quærere adolescentulam, cui de nouo desponsaretur, vt eum calefaceret, si ille intra aulam pluribus vxoribus abundabat? Imò quia tot habens vxores non calefiebat, extra palatium quæritur Virgo quæ hoc munere fungeretur. Cunctas diuina Prouidentia mulieres aspexit, sed solam Mariam aptam esse dignouit, vt cœlestem Dauidem *Vxor, & Virgo* calefaceret. Dauidi *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Attamen post diligens examen, profatur Prouidentia Altissimi, *Vna est columba mea, perfecta mea.* Cantic. 6. Inter omnes mulieres vna placet, vnam eligo columbam ad Deum calefiendum vnicè aptam, omnino perfectam. An-non columba aptissima est ad frigiditatem expellendam? Certè columbinus sanguis calidissimus est, & ideò dicitur nunquam congelari, & frequens remedium solet à medicis adhiberi iis, qui frigido lethargo laborant, dissectum columbæ pullum capiti adhibere. O feruentissima erga homines Mariæ charitas! An inter mulieres alia aptior poterat inueniri, quæ ex Dei corde vim frigoris posset expellere?

Inter omnes mulieres Maria vnicè est inuenta, quæ posset Deum erga homines frigescentem igne amoris succendere.
Cant.6.

Maria est columba aptissima ad Dei frigiditatem expellendam.
Cant.4.

183\. Iam verò plura quæ de Abisag Sunamiti historicè referuntur, mysticè Dei genitrici accommodo. *Reuertere, reuertere, reuertere, reuertere, vt inteamur te*, (ait B. Trinitas, vt superius innuimus) an in te aliquis defectus insit, qui te indignam Dei Filij genitricem exponat. Quater dicunt *Reuertere*, ac si in quadro obiiciatur, & ex singulis lateribus fit agendum examen. Inuenta itaque est ex omni latere perfectissima. Similis quidem Empyreo cœlo, siue cœlesti Ierosolymæ, de qua Ioannes Apoc.21. *Ciuitas in quadro posita est.* Quadratam verò huius mysticæ ciuitatis perfectionem apposité Richardus Laur.lib.11. de laud. Mar.descripsit. *Maria est illa ciuitas, de qua Dauid* Psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, in quadro quidem posita, quia ex quatuor lateribus singulis est perfectissima. Prima supponitur vrbis huius fundamentum esse Regia conditoris magnificentia dignum. *De fundamentis Templi, quo Maria figuratur*, dicitur 3. Reg.5. *Præcepit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum Templi. Et hoc necesse fuit, quia non homini parabatur habitatio, sed Deo* 1. Paral.29. *Lapides grandes sunt eminentissimæ Virginis virtutes, scilicet, humilitas, fides, virginitas, patientia, paupertas, & huiusmodi, quæ velut fundamentum totius boni sustinent ædificium.* Iam quatuor huius perfecti Templi; seu ciuitatis

Maria est quadrata, siue ex quatuor lateribus post diligens examen perfecta inuenitur.

Maria est ciuitas Dei in quadro posita.
Apoc.21.
Richard.
Psalm.86.

Huius ciuitatis fundamina, cuncta virtutes.
3.Reg.5.
1.Paral.29.

Quinque Mariæ sensus primum Vrbis latus. Isai. 60.

tatis latera exsurgunt. Primum laudatur *à portis. Deus diligit portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Hæ portæ fuerunt quinque sensus Virginis clausæ semper contra omne noxium. At semper fuerunt apertæ ad omne bonum. Vnde de sensibus Virginis dici potest illud* Isaiæ 60. *Aperientur portæ tuæ iugiter: in die & nocte non claudentur. Nunquam enim deuotè clamantibus ad Virginem clauditur respectus misericordiæ eius. Oculi Mariæ super peccatores; similiter & auditus, omnes enim clamantes exaudit. Nunquam clauditur lingua eius, quia orat pro miseris, vt resurgant, & pro tentatis, nè succumbant. Deinde* commendatur ciuitas hæc à *fama.* Vnde illud: *Gloriosa dicta sunt de te, per Patriarchas sub obscuritatibus figurarum: per Prophetas sub ænigmatibus verborum, vt est illud* Isai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Num. 24. *Orietur stella ex Iacob.* Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt.* Tertiò effertur *ab vtilitate, quæ consistit in conuersione peccantium, in collatione gratiarum. Vnde sequitur, Memor ero (ad miserandum, non ad puniendum) Rahab, (id est, peccatorum) & Babylonis, si confundantur bona confusione, qua gloriam adducit; & ad Matris misericordiæ sinum toto corde confugiant, quæ est refugij ciuitas.* Denique *à ciuium multitudine Mariana ciuitas illustratur. Qui cum prius filij Babylonis essent, per Mariam fiunt filij Ierusalem. Vnde* sequitur. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum hi fuerunt illic. Ecce, id est, in propatulo est, quomodo Mariæ charitas omnes recolligit in sinu maternæ pietatis, & facit ciues Ecclesiæ vtriusque, Militantis scilicet, & Triumphantis.* Quatuor hæc latera Vrbis Mariæ B. Trinitas recognouit, & videns eam perfectissimam quadraturam exponere, decreuit, vt Dei Filius in ea nasceretur. Vnde Dauid concludit. *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea?* Hæc sunt præcipuè gloriosa, quæ dicta sunt de ciuitate Dei, scilicet, quod *Altissimus fundauit eam prius ista perfectam, & post eius fundationem natus est in ea Dei Filius.* Hucvsque Richardus.

Fama gloriosa Virginis secundum quadratæ Vrbis latus. Isai. 7. Num. 24. Cant. 6.

Vtilitas Mariana Vrbis latus tertium.

A ciuium multitudine hæc ciuitas commendatur. Et est quartum latus illius.

184. *Irreuerentes in Mariam Deus seuerissimè punit.* 3. Reg. 2.

Mortuo Dauide, & Salomone Regnum tenente, intendit Adonias frater, intercessione Bethsabee, Abisag Sunamitem Patris sui viduam ducere in vxorem. Bethsabee ingressa dixit ad filium: *Detur Sunamitis vxor Dauidis in vxorem Adoniæ.* Quæ audiens Salomon ira correptus iussit Adoniam pro audacia interfici. 3. Reg. 2. Itanè sapientissimè, & æquissimè Salomon? Est-nè Sunamitis mater tua? non, sed est quasi mater: eam velut matrem veneror, quia patris mei Dauidis extitit vxor; ideoque superbi Adoniæ sic puniri audaciam imperaui. Proh Deus immortalis! Si Salomon non filius Abisag vxoris Dauid patris sui, sed quasi filius sic pro illius honore decertat: quid verus Salomon verus Mariæ Filius non geret contra pulcherrimæ melioris Sunamitis detractores? Eos quidem duplici morti temporali, & æternæ addicere assolet.

185. *Feliciter dormiit Maria, cum suo in sinu Iesum somno indulgentē habebat.*

Sunamitis vocabulum idem est, ac *Dormiens.* Electa fuit autem, *vt* suo virgineo calore *dormiens,* Dauidis somnum conciliaret. Felicius *dormiens* fuit Maria, quæ inter sua brachia virginea, inter suauissima oscula sæpissimè Christum Infantulum amplexa fuit dormientem: & quæ suo lacte suauissimo diuinam iram aliunde ad peccatorum vindictam euigilantem consopire studebat.

Præterea, *Sunamitis captiua* interpretatur, ob generosum illud captiuitatis genus, quo ad ministrandum Regi Dauidi, & ab illius latere, vel præsentia nunquam recedendum, fuit semper addicta. Haud aliter Maria verè *captiua* dici potest Regio quidem captiuitatis modo. A primo enim vitæ exordio Deo fuit consecrata, vt per speciale priuilegium nunquam à gratia secederet, nunquam à Deo amando deficeret. Feliciter *captiua* fuit per generosam illam libertatem filiorum Dei. Quemadmodum noster intellectus est generosè captiuus in fidei obsequium; & sicut Beatorum intellectus generose est captiuus à nunquam discedendum à cognitione, ac visione diuina. O felix captiuitas, quam potius Regiam dixerim libertatem! An-non Dei captiuam sese profitetur, quæ Angelo respondit: *Ecce ancilla Domini?* 186.

Maria fuit semper Dei captiua & ancilla feliciter. Captiuitatem hanc Regiam dixerim libertatē.

Abbas Honorius asserit *Sunamitem* idem esse ac *coccineam.* Aptè quidem coccineam dixeris Abisag, tum ob verecundiæ humilis ruborem, quo intincta fuit, quando repentè ad Regiam fuit euecta dignitatem; tum cum coccinea, seu purpurea Regij coniugij suffusa maiestate surrexit: tum denique cum virginei sanguinis cocco frigentia Dauidis membra fouit. Porro Deipara potiori iure *Coccinea* dicitur excellentiori verecundiæ, ac pudoris virginalis cocco subtincta, quæ Angelum saluere eam iubentem, non resalutauit, & præ humillimo pudore in Dei Matrem electa, se appellauit, & sensit Ancillam. Addit Richardus à S. Laurent. lib. 5. de laud. Virg. *Sunamitis interpretatur coccinea, & in coccino feruentissima Mariæ charitas figuratur. Fuit etiam coccinea, quia in sanguine Filij percom passionem rubricata.* 187.

Maria coccinea ob verecundiam, ob Regiam dignitatem, ob Martyrium, ob charitatē. Honor. Richard.

Alij affirmant, *Sunamitis* vocabulum idem esse ac *Mortificans,* vel *Mortificata.* Quid aptius Deiparæ continuo mortificationis studio, de quo Richardus proximè citatus, si *Sunamitis interpretatur Mortificans, vel Mortificata, hæc est Maria, quæ mortificauit in se carnem, & mortificata quodammodo fuit,* seu mortua omnino *in Filij passione.* 188.

Maria mortificans carnem, & mortificata in Filij passione. Richard.

Antiochus *Sunamitem* inquit *idem esse ac cœlestem,* meritò quidem; quia Dauidi fuit cœlesti munere prouisa. Potiori iure Mariam possumus cœlestem appellare mulierem cœlesti Adamo data, vt eū virgineo vbere de cœlo pleno foueret, & nutriret. Sicut enim Christus est nouus *homo de cœlo cœlestis:* sic Maria noua mulier *de cœlo cœlestis* exponitur. 189.

Maria mulier de cœlo cœlestis. Antioch. 1. Cor. 15.

Theodoretus, Achila hîc. D. Ambrosius lib. de obitu Valentiniani, & lib. 3. epist. ad Iren. 12. & Tres Patres apud Theodoret. existimant, Abisag non appellandam esse *Sunamitem,* sed *Sulamitem.* Audi Theodoretum. *Quemadmodum in hoc libro Dominus noster Salomon, id est, Pacificus appellatur; sic etiam illius sponsa, vt ab illo pacem assecuta Sulamitis, id est, Pacifica nominatur.* Sciendum sicut à *Sunen* deducitur *Sunamitis:* sic à *Salen* formari *Sulamith.* Profectò sicut à Paulo Paulam, à Ioanne Ioannam deducimus: sic à *Selomo,* 200.

Maria Pacifica veram pacem hominibus à vero Pacifico impertiens. Theodor. Aquila. Ambrof. Tres Patres.

ſeu *Salomone* formari *Salometh* ſiue *Sulamith*, vel (vt Interpres Ioſephi in lib. de Machabæis eorum matrem appellat) *Salomonam*, *à Pacifico Pacificam*. Quam conuenienter hoc Mariæ accommodatur Pacificæ equidem melioris Pacifici Salomonis Matri! Ipſa eſt Pacifica, & veram *pacem* hominibus *coram ipſo* Salomone cœleſti *reperiens*. Cant. 8. Audi Richardum lib. 1. *Eua triplex bellum fecerat. Ad Deum per ſuperbiam, quia voluit eſſe vt Deus ſciens bonum, & malum. Ad proximum per auaritiam. Ad carnem ſuam per gulam. Sed Maria Eua filia pacem fecit ad Deum per humilitatem; ad proximum per charitatem; ad carnem per virginitatem. Et ſic eiſdem litteris, ſed tranſverſis de Eua factum eſt Aue.*

Interpres. Ioſephi.

Richard.

201. *Mariæ charitas adhortantis ſynagogam vt ad Christum reuertatur.* Honor.

Reuertere, reuertere, vt intueamur te.] Honorius hæc verba Deiparæ tribuit ſynagogam adhortanti iam diu à diabolo *captiuam: Reuertere* (ait Virgo) ô antiqua Dei ſponſa, ad eum *per fidem; reuertere per ſpem, reuertere per Dei, & proximi dilectionem; reuertere per operationem. Vt quæ iam dudum ſunt in Chriſto, intueamur in te, verba ſua, & facta imitando.*

202. *Maria ad cœlum aſſumpta libera à corruptione, quia immunis à culpa.* Salomon. Alanus.

Aptius autem Salomon Abbas hunc verſiculum Deiparæ Aſſumptioni integro ſer. 44. accommodat. Sed quia nimis operoſum foret tranſcribere, quæ Alanus breuius in eandem ſententiam excogitauit, accipite. *Reuertere ô Maria, à captiuitate mundi, cui non debes ſubiici, per quam captiui à captiuitate ſua ſunt ſoluti. Reuertere ab onere & corruptione carnis; quia ſicut immunis es à corruptione peccati: ſic ad immortalitatem tranſire debes abſorpta mortalitate per gratiam Dei. Reuertere ad libertatem filiorum Dei; quia ſicut nunquam regnauit peccatum in tuo mortali corpore.* Rom. 6. *ſic digna es perfrui eadem ſpiritus libertate in carne virginali, qua fruuntur in ſpirituali ſcientia Angeli ab ipſa ſui creatione, ſiue potius confirmatione. Reuertere, vt intueamur te, à dignitate Angelorum ad ſuperexcellentiam iam beatificatorum ſpirituum. Quia ſicut in faciem Filij tui deſiderant Angeli proſpicere. Sic in ſpecie, & pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illuſtrari.* Illam premè particulam: *Quia ſicut, &c.* Angeli videntes faciem, ſeu animam Chriſti nunquam ſatiantur, ſed bibentes ex immenſo illo pulchritudinis fonte, adhuc amplius bibere expetunt? ſic Mariæ animam intuentes tantam percipiunt voluptatem, vt quaſi ſiti minimè extincta, cupiant ſemper exatiari. At illud aduerbium *ſicut* innuit difficultatem. Videtur enim aſſerere, tantam eſſe Angelorum ſitim, ſeu deſiderium aſpiciendi Mariam, quam ipſum Saluatorem. Itanè? Profectò Dei Filius adeò ſibi ſimilem Matrem ſuam ſibi in ſanctitatis pulchritudine ſimilem fecit, vt Angeli videntes Mariam, Chriſtum ipſum ſe quodammodo aſpicere videantur. Dicunt Angeli. *In pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illuſtrari.* O quàm ineffabilis Mariæ lux, qua Angeli tanta luce perfuſi adhuc geſtiunt illuminari!

Angeli ſitiunt ſemper aſpectu animæ Mariæ ſatiari.

Magna admodum ſanctitatis Chriſti & Mariæ ſimilitudo.

203. *Omnes homines expetunt miram Mariæ pulchritudinẽ intueri.* Richard.

Omnes homines etiam expetunt Reginæ ſuæ pulchritudinem intueri; *Reuertere* (inquiunt, *vt intueamur te.* Quicumque autem aſſecutus eſt cœleſti munere aſpicere, non potuit non ſimul ſpirituali dilectione in illam affici. Richardus lib. 5. *Decora admodum facies Mariæ ad intuendum iam oculis etiam hominum. Creditur enim, quod ferè nullus potuit eam intueri, quamdiu fuit in mundo, qui eam ſtatim non amaret; nunquam tamen male fuit adamata.* Quid autem homines poſtquam Mariam ſunt intuiti, proclamant audite. *Non eſt inuenta talis mulier* (ex Iudith. 11.) *ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, in aſpectu conuerſationis, in pulchritudine corporis, in ſenſu verborum, id eſt, in interioribus verbis, ſeu cogitationum puritate.* Quomodo homines, qui ſola externa intuentur obiecta, poſſunt inuiſibiles animi cogitationes commendare? Planè quia exterior Marianæ pulchritudinis modeſtia internarum cogitationum pulchritudinem indicabat.

Exterior Mariæ modeſtia internarum cogitationum pulchritudinẽ indicabat.

Porrò Dionyſius Carthuſ. inducit credentes in Chriſtum è Gentibus enixè precantes Mariam, vt ad Filij ſui gloriam preces, quas pro Iudæis rebellibus, ac induratis effudit, iam ad Gentiles dirigere dignetur. *Orauit* (inquit) *pro Iudæis aſſiduè piiſſima Mater. Sed animæ credentium videntes Iudæorum obſtinationem extremam, clamant ad ſuam piiſſimam aduocatam: Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, id eſt, ad Eccleſiam ex Gentilitate conuerſam tuæ pietatis conuerte reſpectum: redi ad Prælatos, redi ad ſubditos, redi ad peccatores, redi indulgentiam impetrando, gratiam obtinendo, conſeruationem impendendo, ad gloriam perducendo. Vt intueamur te: id eſt, vt experiamur, te nobis clementer aſſiſtere, & tuam beatitudinem ſynceriter contemplemur, ac demum in patria te æternaliter videamus.* Sic fideles ex Gentilitate proclamant, ſed Virginis pietatem immenſam non vident ſatis agnoſcere; quæ quidem dum pro Iudæis orat, Gentilium minimè obliuiſcitur; cunctis enim hominibus Deifico ſanguine redemptis ſe debitricem eſſe profitetur.

204. *Mariæ pietas ad Iudæos, ad Gentiles, ad omnes, & ſingulos homines extenditur.* Carthuſ.

Reuertere, vt intueamur te. Exiſtimant aliqui, verba hæc ab Angelis eſſe prolata, qui videntes faciem Patris per viſionem beatam, deſiderant filiæ faciem aſpicere. Aſt tanta ante eos Virgo velocitate currit ad palmam, vt ſemper illam à tergo, à facie minimè valeant intueri. Vnde clamant: ſubſiſte ô Domina aliquantulum, quæ per cunctarum virtutum, meritorumque ſpatium immenſum tam ineffabili velocitate curris, tanta auolas pernicitate, vt cuncti Angelici ſpiritus ſemper à tergo relicti nunquam potuerimus te à facie quodammodo dignoſcere. Subſiſte, ſubſiſte, vt tuam pulcherrimam faciem contemplari valeamus. Hæc verba conſonant iis, quæ ad cap. 3. diximus de admirabili merendi celeritate Virginis per breuiſſimas morulas, per momenta ſingula.

205. *In velociſſimo curſu ad palmam Maria ſemper omnes Angelos à tergo reliquit.*

Quid ſi Angeli tam affectuosè cupiant Mariæ faciem intueri quodammodo, vt plenè beati exiſtant, quaſi vel Patris faciem videntes niſi ſimul filiæ faciem intueantur plena non potiantur beatitudine. Vnde in die Aſſumptionis Deiparæ clamant: *Reuertere* de exilij loco ad patriam ſupercœleſtem. *Quia* (loquor cum Abſalone Abbate) *in ſpecie, & pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illuſtrari* deſideramus. Quaſi ad perfectam beatitudinem huiuſce deſiderij ſcilicet videndi in ſuperis Deiparæ faciem requi-

206. *Angeli quodammodo cupiunt Mariæ faciem videre, vt plenè beati ſint.* Abſalon.

Damasc.

requirant satisfactionem. D. Damascenus orat. de Assumpt. *Mariam Cherubin laudibus efferunt, Seraphin gloria afficiunt; nec minus ipsi gloria afficiuntur.* Afficiuntur inquam gloria. Quasi glorificata Maria eorum, gloria compleretur.

207. *Mariam precantur Angeli, vt in cœlū reuertatur, acsi è cœlo in terram venisset.* Ghisler.

Quare autem cælicolæ desiderantes Deiparam ad superos ascendere, non dicunt, *Veni*, sed *Reuertere:* quasi è cœlo descenderit, quæ ad cœlum reuerti Angeli deprecantur. Profectò Maria mulier est cœlestis. Audi Ghislerium pulchrè hæc verba versantem. *Reditum appellant cælestes spiritus Mariæ assumptionem in cœlos, vt audientibus nobis indicarent, tantam esse illius sanctitatis pulchritudinem, vt è cœlis potius descendisse, quàm è terra orta videretur.*

208. *Cœlum ipsum innuit, non esse cœlum integrum, sine Mariæ præsentia.* Ildephons.

Profectò non solùm Angeli, sed cœlum ipsum Mariam precabatur, vt ascenderet, siue vt reuerteretur. D. Ildephonsus serm. de Assumpt. *Nec diu sacratissima Virgo post Domini Ascensionem in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli, cœlum etiam ipsum de eius ascensione quærebatur.* Quia tam de cœlo cœlestis erat Maria, vt ipsa in corpore de cœlo absente, cœlum non videretur, sibi cœlum integrum existere, sed ad sui complementum Mariæ indigere præsentia.

209. *Christus quodammodo, se plenè glorificatum non esse dicit, nisi Maria cœlesti gloria potiatur.* Guarric.

Quid mirum autem, quod Angeli, & reliqui Beati, imò & ipsum cœlum ad integram quodammodo sui gloriam Mariæ ad superos reuersionem tam ardenter expeterent, si ipse Christus Dominus è superis ad genitricem clamat, *Veni electa mea.* Quasi nondum quodammodo esset plenè coronatus gloria, donec Maria cœlos ascenderet. Pulchrè Guarricus Abbas inducit Christum è superis inclamantem: *Veni ô Mater, vt intuear te. Nec enim satis mihi glorificatus esse videor, donec tu glorificeris.*

210. *Maria quodammodo ad cœlum non ascendit, vt ipsa glorificetur, sed vt sit beatorum partialis gloria.* Bernard. Epiphan. Bonauent. Damian. *Maria gloria est cœlestis Ierosolymæ.* Iudith. 15.

Alij ad superos ascendunt, vt gloriæ præmium accipiant: Maria verò vt ipsa quodammodo sit gloriæ præmium veluti partiale. Bernardus hom. 2. *super Missus*, eam appellat *gloriæ præmium.* Epiphanius serm. de laudib. Virg. eam vocitat *gloriæ radicem.* Bonauentura Opusc. de laud. Mar. *Post Deum maior gloria nostra Maria est.* Petrus Damian. serm. 2. de Nat. Mar. *Summa gloria est post Deum te ô Virgo, videre.* Ideò de Deipara dicitur in persona Iudith. *Tu gloria Ierusalem* cœlestis. Quia potius Maria triumphatrix fuit in cœlum assumpta, vt esset gloria Ierosolymæ cœlestis quodammodo, quam vt cœlestis Ierosolyma esset gloria Mariæ. Iudith. 15.

211. *Homines è terra Mariā in cœlum assumptam precantur, vt illis succurrat.* Hugo Vict.

Hugo Victor. lib. 2. Miscel. cap. 3. & lib. 3. titul. 44. hæc verba attribuit hominibus ad Virginem de terra clamantibus, postquam cœlos scandit. *Reuertere*, inquiunt, *per naturam. Numquid quia ita sublimata es, ideò eris nostræ mortalitatis oblita? Etsi à miseriis nostris te subtrahit gloria, reuocet tamen natura. Reuertere per potentiam. Quantò in cœlis es potentior, tantò debes esse misericordior. Quomodo ille potentissimus poterit tuæ potentiæ obsistere, qui de carne tua carnis suæ suscepit originem? Accedis ad illud reconciliationis altare non solùm rogans, sed imperans. Reuertere per amorem. Amas enim nos amore inenarrabili. Quis scit, quoties restinguas iram Iudicis? Reuertere per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri misericordiæ Dei. Reuertere, vt intueamur te. Summa gloria est, te post Deum videre.*

Summa gloria est, post Deū Mariam videre.

212. *B. Trinitas, Christus, Angeli, beatæ animæ & homines videntes Mariam delectantur.* Brigit.

Reuertere, vt intueamur te. Crediderim, hasce voces ab hominibus, ab Angelis, ab animabus beatis, imò à Beatissima Trinitate, & à Christo Domino efformari, quasi in aspectu Virginis speciali singuli gloria potiri sperent. Audi D. Brigittam. *Tu hominum, & Angelorum, & omnium Sanctorum gloria es, & Regina. Quia à te & Deitas consolata est*, seu consolationem, & lætitiam accipit) *& omnes sancti lætificati.* Sic lib... cap. 5. & cap. 31. *Gaudium Sanctorum Angelorum, & omnium sanctarum animarum ex pulchritudine eius.* Et ideò omnes de cœlo clamant. *Reuertere, vt intueamur te.*

213. *B. Trinitatis, Christi, Angelorum, animarum in cœlo existentium, & viatorum hominum ocu's super Mariam.* Zach. 3.

Ait Zacharias cap. 3. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Lapidem hunc Patres iuxta litteram Christum Dominum esse asserunt. Mysticè verò Irenæus lib. 1. adu. hær. Damascenus carm. de Annunc. Ildephonsus de virginit. Mar. inquiunt, illo lapide Deiparam assignari iuxta illud. *Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ de petra deserti.* Isa. 16. Per septem autem oculos Beatissima Trinitas, Christus Dominus, Angeli, animæ beatæ, & viatores homines significantur; qui quidem Deiparam intuentur, quasi eius pulchritudo incredibilis sit specialissimum suæ spiritualis voluptatis obiectum.

214. *Beatissima Trinitas, & Christus naturali pondere ad Mariam aspectandam è cœlo deferuntur.* Dan. 2. Cyril.

Ex septem hisce oculis quatuor Beatissimæ Trinitati, & Christo Domino tribuerim; qui ad Virginem aspectandam è superis quasi naturali pondere deferuntur. Dan. 2. *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus.* Vbi Cyrillus Alex. contemplatur Deum, seu Trinitatem beatissimam ad Virginem aspectandam descendisse quasi lapidem, qui naturali pondere tendit in centrum: ideoque dici lapidem sine manibus de vertice abscissum. Tam gratus est Trinitati sacerrimæ Deiparæ aspectus.

215. *Christi cor aspectando Mariam dulcissimo vulnere sauciatur.* Cant. 2.

Deinde Christi Domini cor aspectando Mariam dulcissimo vulnere sauciatur. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum.* Can. 2. Christus ergò Dominus, qui in quinto illo Zachariæ singulari oculo designatur, pulcherrimo Mariæ vulneratur ex oculo, siue ex oculum vnà aspectantium speciositate. Vnde ei cor vulneratum quasi in victoriæ tradidit spolium.

216. *Maria Christi thesaurus est, vbi eius cor commoratur.* Sap. 7. Origen. Colos. 2.

Infinitus thesaurus est hominibus. Sap. 7. Asserit Origenes B. Virginem esse *cælestem Deitatis thesaurum.* Quomodo Virgini hoc conuenire potest, si de Christo dixit Paulus, quod thesaurus Deitatis sit? *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Colos. 2. Conuenit planè hoc elogium Mariæ, quæ quidem Christi est thesaurus. Possidet enim cor Christi: vbi autem est cor, ibi arguitur hominis adesse thesaurum,

siue

Luc. 12. siue cordis affectum. Luc. 12. *Vbi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Cum igitur Christus Dominus totum cordis affectum Matri tradiderit, conuenienter ipsa *Deitatis thesaurus* appellatur.

217. *Angeli, animæ, & homines viatores Mariæ pulchritudinem admirantes aspectant.* Psalm. 73. Synaita. Bernard.

Iam reliquos tres Zachariæ oculos Angelis, animabus, & hominibus viatoribus accommodo. Cuncti hi Mariæ pulchritudinem admirantes aspectant. Dauid cecinit. Deus *Rex noster ante sæcula operatus est Salutem in medio terræ.* Psalm. 73. Anastasius Synai. Examer. lib. 2. *Fecit salutem in medio terræ, vtpotè qui habitauerit in medio terreni vteri Virginis Mariæ.* Et Bernardus serm. 2. Pentec. *Tunc iam operabatur salutem in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur.* Cur autem Maria *medium terræ* dicitur? Planè quia sicut medium terræ est centrum, ad quod cunctæ terræ partes proclinant: sic Deipara est centrum, in quod Angelorum, beandarum animarum, & viatorum hominum oculos, seu affectum conantur adiicere. Pulchrè admodum D. Bernardus inibi. *Maria, inquam, mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium* (seu centrum) *sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt & qui habitant in cœlo,* siue Angelici spiritus: & qui *habitant in inferno,* siue animæ in purgatorio existentes: *& qui nos præcesserunt, & qui nos sequuntur,* id est, cuncti homines viam huius vitæ terentes. Carthus. Bernard.

CAPVT SEPTIMVM.

QVID videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Caput tuum vt Carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus. Quàm pulchra es, & quàm decora charissima, in deliciis! Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ: & odor oris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

Vers. I.

Quid videbis in Sunamite nisi Choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.

1. *Militanti Ecclesiæ petenti Mariæ regnantis auxilium, respondet sponsus, potentem esse Virginem, vt det ei auxilium, & victoriam.*

QVID videbis in Sunamite nisi choros castrorum?] Militans Ecclesia multis acta tribulationibus ad Mariam regnantem in cœlis inclamauerat: *Reuertere, reuertere, ò Virgo, vt intueamur te,* siue, *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte? Vt intueamur)* loquor cum Dionysio Carthus.) *te nobis clementem assistere, & tuam beatitudinem synceriter contemplemur, ac demum in patria te æternaliter videamus. Hanc petitionem approbat sponsus dicendo. Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Id est, tu congregatio fidelium animarum, meritò inuocatis sponsam hanc singularem, quoniam potens est vos adiuuare, tueri, perducere; quia non potestis considerare in ea nisi aciem virtutum firmissimam, & omnium spiritualium insuperabilem vim armorum; quæ etiam habet ad manum cœlestium spirituum victoriosam militiam suo imperio obedire promptissimam, per quos potest iuuare, victoriamque conferre.*

2. *Exercitus virtutum Deiparæ nos defendit, etiamsi pro nobis ipsa non deprecetur.* Carthus.

Duas premo particulas. Primam. *Potens est vos adiuuare, tueri, & perducere* ad superos; *quia non potestis considerare in ea, nisi aciem virtutum firmissimam.* An Deiparæ virtutes exercitus est ad auxilium, & protectionem nobis ferendam? Ita planè, quia tam gratæ sunt Deo Mariæ virtutes, vt etiamsi illa pro hominibus non deprecaretur, memor Dominus illarum, peccatoribus miseretur, eosque gratia donat, atque salute.

Deli

3\. *Deus propter Dauid serui sui tacentis pium se erga Salomonem ostendit: quid erga nos propter Matrem Mariam?*

Deliquerat grauissimè Salomon post tanta à Deo accepta beneficia, contra eius præscripta alienigenas ducens vxores, & earum confictis diis thura libans. Cum autem ira succensus Deus decreuit illum punire Regni abscissione, dixit se differre supplicium *propter Dauid patrem tuum: propter Dauid seruum meum.* 3. Reg. 11. 13. Ac si merita Dauid Dei serui tacentis pro delinquente illius acuerent pietatem. Sic Deus afficitur propter *seruum*, quid pro Matris dilectissimæ ineffabilia merita, vel tacentis tunc non præstabit?

4\. *Alij Diui possunt nobis auxiliū præstare, non victoriam: Maria potest auxiliū, & victoriam conferre.*

Altera particula Carthusiani est, *Per quos cœlestes Spiritus potest iuuare, victoriamque conferre.* Alij diui iuuare quidem suis precibus possunt, non autem conferre semper victoriam cœlestium spirituum ministerio; quia Angeli eorum ditioni non subiiciuntur. At Maria, cui velut Reginæ adstat Angelica militia vincens, seu victoriosa semper *potest per eam iuuare, victoriamque conferre.* Ideo dixerat paulo ante Dionysius, Virgo habet ad manum, cœlestium spirituum victoriosam militiam suo imperio obedire promptissimam. Semper militia illa victoriosa est, semper Virginis imperio subiicitur; ergo Virgo semper *potest per eos iuuare, victoriamque conferre.*

5\. *Ineptè flemus ob Mariæ assumptionē ad cœlum.*

Quid videbis. Mihi hîc videtur intueri Virginem ascendentem ad superos Angelicis spiritibus, animabus sanctorum modulantibus, & Christo Domino ducente, dicentéque tristitia pressis ob eius absentiam hominibus, Quid videbitis in Maria ascendente, nisi choros modulantium? ergo dum Mariæ ascensum cœlestes ciues hymnis concelebrant, lachrymas vos ineptè profunditis. Ait noster DelRius, *Cui hæc melius, siue ad merita, siue ad cœleste premium spectes, conueniunt, quam Beatæ Virgini Mariæ in cœlum ascendenti, mirantibus, ac canentibus cœlicolis, & gratulante, ac deducente Filio?* Ineptè ergo ploramus.

6\. *Aptè Maria Sunamitis, seu pacifica appellatur, quia perpetua contra vitia & dæmonem victoria illam paci adstruebat.* Alanus.

Apte-nè in Deipara chori castrorum, quæ à Filio *Sunamitis*, siue pacifica appellatur? Ita planè. Chori enim castrorum hi, quos pulchrè Alanus contemplatur. *In Virgine fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum. Castra verò pugnantium, secundum quod Virgo circumsepta, & sanctis disciplinis instructa vitiorum, & dæmonum repellebat insultus.* Vnde ipse bellicus castrorum apparatus, atque conflictus illam virtutum consonantiam, seu pacem adstruebat.

7\. *Maria non mittit Angelos ipsa remanente, sed ipsa cum illis pro nobis militat contra host.* Hailgrin. Carthus.

Aptius verò video in Sunamitide Maria castrorum Choros, seu Angelorum, & Sanctorum exercitus, quorum ipsa est ductrix ad nostram protectionem. Ait Card. Hailgr. *In Maria quidem videntur chori castrorum, adhærentes videlicet ipsæ acies sanctorum, qui cum ipsa pro nobis militant contra hostem.* Dixerat Carthus. Mariam *per cœlestes spiritus nos iuuare, victoriamque conferre*; quasi ipsi soli ab Imperatrice Virgine mitterentur in campum: addit autem Hailgrinus Mariam non illos mittere, sed cum illis ad certamen proficisci, vt illi *cum ipsa pro nobis militent contra hostem.*

8\. *Maria Luna est, & Bellona gloriosè in Ecclesia splendens, & pro hominibus fortissime pugnans.* Eccli. 43.

Illa fabulosa Gentilium Dea Diana eodem partu cum Apolline exorta Luna etiam appellatur, quia vna in nocte sine fratre lucet, etiam Bellona fauens militaribus expeditionibus dicitur, & quidem Stellæ exercitus cui præest Luna nuncupatur. Profectò Maria Luna est in cœlo Ecclesiæ lucens, & pugnax in hominum protectionem. Eccli. 43. Luna vocatur *Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè.* Quia quasi ductrix est micantium, & dimicantium stellarum. Haud aliter Maria in Ecclesiæ firmamento gloriosè micat, & ducens Angelorum & Sanctorum castra fortissimè pro hominibus dimicat contra hostes. Appositè Hailgrinus, *Maria vas castrorum appellatur in Ecclesiastico, vbi sub nomine Lunæ de ipsa dicitur: Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli splendens* (addiderim *& pugnans*) *gloriosè.* Hailgrin.

9\. *Postquam Deus abstrauit Mariã, facta est pacis inter Deum & homines, inter hos & Angelos effectrix.* Nauar.

Ad Sunamitem, seu Sulamitem redeo. *Quid videbis in Sulamite?* Aquila, *Quid videbis in pacifica?* Profectò Maria pacem inter Deum & homines, inter homines & homines, inter hos & Angelos constituit; pacem etiam secum habuit, à qua tumultus omnis, omnéque passionum dissidium exulauit. Legi apud Nouarinum de vmbra Virg. lib. 4. cap. 9. *Olim forum obumbratum fuisse, vt in eo lites commodius agerentur, essentque ab æstu tecti litigantes.* Hîc contrarium aspicimus. Postquam enim *Virtus altissimi obumbrauit* Mariæ, cunctæ in ea, & per eam præfatæ discordiæ finiuntur.

10\. *Qui Mariam colunt: debent necessariò pacis esse cultores.* Richard.

Hinc monuerim, eis, qui speciali affectu Virginis cultui offerri voluerint, necessarium esse, concordiæ esse cultores. Maria enim non est litium forum obumbratum, vt lites gerentibus commoditatem dedat; sed arca Noëmitica, vt Richardus Laurent. lib. 11. ait: *Commendatur B. Virgo sub typo arcæ Noë.* Plura annotat Pater, quibus Deipara assimilatur. Quæsierim tamen cum Alcuino interrog. 119. in Gen. *Quid de pace, & concordia: & vnde se inuicem diuersi generis debellantia, & animantia sentiendum est?* In arca illa animalia concordiam, & vnitatem seruauerunt, quæ sibi inuicem assolent esse infesta: Lupus ouem non vorauit, nec aquila, aut accipiter auiculas est insectatus, omnia in arca collocata hostilem animum posuerunt.

Maria arcâ Noë. Alcuin.

Quæstioni ergo Alcuinus respondit, *Sicut Dei nutu adducebantur in arcam, ita & Dei nutu conseruabantur* pacifica *in arca.* Hæc ad spiritualem arcam Deiparam transfero. Qui Dei nutu ad eius sodalitium, seu ad specialem erga eius affectum adducit, pacificè in ea illos degere oportet, licet antea capitali odio se fuerint prosequuti.

Qui Mariæ sodalitio nomen scribunt, pace debent colligari.

11\. *In sodalitio non potitur Maria dulcedine, qui cum proximo rixas gerit.* Ambrof.

Nec quidem in sodalitio Virginis huius piissimæ Matris dulcedine potietur, qui cum proximo bella gerit. Diuus Ambrosius ad Psalm. 21. *Ipsam Mariam Manna dixerim.* Quid quæso cum Manna Mariæ? Respondet Doctor egregius, *Quia est subtilis, & splendida, suauis, & Virgo, cœlitus veniens.* Premo particulam *suauis*, & rogito, quinam ea suauitate fruuntur? Manna quidem *per circuitum castrorum*, siue extra castra dicitur apparuisse. Exod. 16. Nihil Deiparæ Mannæ vero cum castris: castra, bella, lites, rixas abiuret, qui pietatis virgineæ expetit dulcedine satiari.

Manna est Maria, cuius dulcedo extra castra colligitur.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Ff Si

12. *Angelica caſtra in conſpectu Mariæ non exerunt officium pugnandi, ſed ſolum canendi, eamque collaudandi.* Geneſ. 32.

Si Manna Maria extra caſtra inuenienda, cur in Sunamite, ſiue in Maria videntur caſtrorum chori? Imò hinc colligo, quam Deipara rixis, & contentionibus ſit auerſa. Angeli quidem ſunt milites, iuxta illud, *Caſtra Dei ſunt hæc.* Simulque chori canentium ſunt, Deúmque laudantium. Quando Mariæ adſtant, velut obliti officij pugnandi, ſolùm canendi, ac collaudandi ei munus exerunt, vt coram Maria non officium repugnandi, ſed ſolum canendi, ait collaudandi memoretur. Vnde videmus in Sunamite caſtra, ſed canentia, non reſtringentia gladios in hoſtes.

13. *In Maria videtur omnis puritas Angelorum, imò cunctos mirum in modum ſuperat.* Philip.

Flagrantem Deus oſtenderat affectum aſpiciendi Mariæ pulchritudinem animi, dum verbum illud replicat. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Cant. 6. Angelos autem ſic contemplor reſpondere. *Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum?* hoc eſt, Mariam videbis, in vita, in moribus, in puritate, & in fortitudine omnes referre Angelorum choros, imò eos mirum in modum ſuperare. Pulchra Philippi Abbatis ſententia roboro excogitationem. *Inuitas Virginem ô ſponſe, toties, totieſque vis reuerti: In hac igitur Sunamitide, quæ toties reuertitur, quid videbis? Et de illa, cum fuerit* oblata tuo conſpectui, *quid cenſebis?* Reſpondet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. *In Maria nobis conſiderantibus occurrit perfectio tanta morum, vt ei non hominum, ſed magis caſtra conſonent Angelorum. Angeli enim caſtra Dei ſunt, eo quod eorum cuneos non poſſit hoſtium violentia penetrare. De his Iacob dixit: Caſtra Dei ſunt hæc. Qui & chori appellantur, quod concordes affectibus, & indefeſſis laudibus ſunt canori. Quibus autem virtutibus conſiderant Angeli ſe vigere, iiſdem quoque Virginem vident, & non inuident, præeminere.*

14. *Præter virtutes, & priuilegia, quæ in Maria Angeli, & homines intuentur plura alia Deus ſolus videt, quæ nec Angelis, nec hominibus reſerãtur.* Philip.

Nec minus appoſitè crediderim, Angelos hæc, quæ diximus, mirabilia in Deipara dignoſcentes, & credentes, non poſſe non in Dei Matre alias virtutes, prærogatiuas, excellentias egregiores adeſſe, quæ ipſorum lateant cognitionem: expetunt à Deo conſequi precibus, vt eis illa dignetur reſerare. Id ex Philippi ore percipite. *Quoniam in Deipara vitam Angelicam nouitate mirabili cælites recognoſcunt, mirantur, & ab ſponſo, ſi quid amplius nouerit, iam repoſcunt. Quid vidiſti, inquiunt in hac, quam reuocas Sunamite, niſi mirandam concordiam laudis, & fortitudinis exquiſitæ? Quid niſi choros laudabiles, & antiquos exercitus Angelorum? Quam niſi virtutes conſonas, & robur indeficiens, vt caſtrorum? Hæc nimirum in Virgine, quam tantopere diligis, iam videmus. Et ſi quid adhuc latet, grato ſatis deſiderio videre expetimus; & tam iſta, quam cætera, quæ in illa gaudemus intueri, à te ipſo, quem melius noſſe conſtat, volumus recenſeri.* Multa videmus de Mariæ virtutibus,& priuilegiis homines, maiora credimus, auguſtiora Angeli intuentur, ſed impoſſibile reor, quod ex eo, quod Dei Mater eſt, non in ea contineantur alia innumerabilia chariſmata ſoli Deo cognita, & quæ hominibus, imò nec Angelis adhuc ſunt reuelata, dicente conditore Patre, Filio, & Sponſo: *Secretum meum mihi.* Iſa. 24.

Velut impoſſibile videtur, quod in Dei Matre non lateant plura alia priuilegia, Dei ſecreto occluſa. Iſai. 24.

15. *Maria à pedibus vſque ad caput perfectiſſima.* Cant. 6.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Principis!] Dixerat ſponſus cap. 6. in fine, *Reuertere, Sunamitis, vt intueamur te.* Cum verò intuitus fuiſſet ſponſæ Mariæ à capite vſque ad pedes animi perfectiones hic inclamat, ſe nihil in ea non pulcherrimum, non perfectiſſimum annotaſſe. Vnde incipit ſigillatim hanc ſingularem Mariæ perfectionem recenſere. Cum autem vulgare ſit apud nos, vt ſignificemus aliquid omni ex parte eſſe perfectum, cunctiſque numeris abſolutum, dicere: *Dè pies à caueza es perfectiſſima*, nullum habet næuum, nullam continet imperfectionem: hoc vſus loquendi modulo, inquit Dionyſius Alex. cont. Paul. Samoſat. *Deus Mariam à pedibus vſque ad caput incorruptam, & benedictam ſeruauit.* Quod exprimens ſponſus à pedibus vſque ad caput incipit illius pulchritudinem deſcribere: *Quam pulchri ſunt greſſus tui: Caput tuum vt Carmelus.* Cecinit Petrus Riga in Euangelico Carmine de Deipara:

Dionyſ. Alex.

Petr. de Riga

Vnam nec maculam natura reliquit in iſta,
Ad caput à pedibus tranſuolat iſte decor.

16. *Maria greſſus non ſolùm pulchri, ſed pulcherrimi acclamantur.* Guillelm.

Quàm pulchri ſunt greſſus tui! &c. Non ſolùm pulchri extitere Mariæ greſſus, ſed *quam pulchri*, id eſt, pulchri admodum acclamantur. Incedebat enim in Dei mandatis, & ibat de virtute in virtutem, ineffabili profectu. Pulchrè Guillelmus. *Non ſimpliciter pulchri, ſed cum admiratione. Quam pulchri, inquit, ſunt greſſus tui filia Principis. Quo excellens, & ſingularis greſſuum eius pulchritudo ſignatur. Multæ enim ſunt filiæ Principis per gratiam adoptionis, & omnes pulchrè gradiuntur, & omnium ſunt pulchri pedes in calceamentis; verùm Maria eſt excellenter filia Principis, quæ eſt etiam Mater Principis. Cuius non dicuntur ſimpliciter pulchri greſſus vt cæterarum Principis filiarum; ſed quam pulchri, hoc eſt, quam pulchri, & mundi affectus eius. Non enim pernicitate pedum, ſed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem viſura Deum deorum in Sion.*

17. *Greſſuum Virginis pulchritudo ex modeſtia, & honeſta feſtinatione.* Gen. 34. Luc. 1.

Quam pulchri ſunt greſſus tui. Vndenam Virginis greſſuum pulchritudo? Equidem ex modeſtia, & honeſta feſtinatione. *Egreſſa eſt* olim, *Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius*: & viſa à viro periit Gen. 34. At Maria, *Abiit in montana cum feſtinatione.* Luc. 1. Non egreditur, vt videat, non moras gerit, vt poſſit videri. Egreditur quidem, vt Ioannes ſanctificaretur; ſed tam celeriter ſe ſubducebat, vt pedibus vmbram referre, & non perſonam videretur. Piſcis quidam nactus eſt *Vmbræ* nomen, non ſolùm à colore, vt nonnulli aſſeruere; ſed quia celeri ſuo notatu omnium oculos effugiens, vmbram piſcis potius, quam verus piſcis intuentibus appareat. Piſcis *vmbram* Dei genitricis æmulatur, dum ad illud charitatis officium exercendum ita ad montana feſtinabat, vt magis vmbra auolans, quam perſona cum feſtinatione pergens intuentibus obiiceretur.

18. *Semper Maria auolat ad miſeris ſuccurrendum.*

Et quando Maria non auolat ad miſeris ſuccurrendum? *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis.* Olim fœminæ ſolebant aquilas aureas calceamentis intexere ad ornatum.

Gregor.

Gregor. lib. 4. *In cæruleis calceis aquilæ auro textæ erant.* Et quidem nunc multæ fœminæ videntur aquilas in calceis habere, vt ad minus modestas actiones vanitatis potius volatu, quam gressu vti videantur. Profectò Deipara aquilas in calceamentis semper habet, cum opus est, miseris hominibus subuenire.

19. *Nullus Mariæ gressus sine Spiritus sancti ductu.*

Ego quidem à calceamentis Virginis aquilas subtraho, ne luxus fœminei in eis vel vmbra annotetur: & illarum loco attexam columbam Spiritus sancti vmbraculum. Vt asseram, Virginem nullum se in locum, nullam in actionem contulisse, ad quam non eam spiritus ageret; nunquam enim contra eius voluntatem pedes mouit, solius columbæ, solius spiritus nutu suos pedes dirigebat.

20. *Mariæ calceamenta antiquorū Sanctorum exempla.* Guillelm.

In calceamentis. Quinam quæso, Virginis calcei? Respondet Guillelmus calceamenta Mariæ esse antiquorum Sanctorum exempla. *Erat*, ait, *in eundo calceata, Sanctorum antiquorum exemplis informata. Quid enim sunt præcedentium exempla Patrum, nisi quædam tanquàm ex pellibus mortuorum animalium spiritualia calceamenta? Denique præclara illa filia Principis pia veneratione simul, & æmulatione amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, mansuetudinem Moysis, humilitatem Dauid, patientiam Iob, continentiam Danielis. His ergo, & huiusmodi Patrum exemplis decentissimè calceato inattritis animi gressibus ibat de virtute in virtutem.*

21. *In virtutum gressu Maria nescia vetustatis.* Deut. 6.

Proximam premo particulam, *Inattritis animi gressibus ibat* MARIA *de virtute in virtutem.* Israëlitæ cum quadraginta annis in deserto fuissent, Dei munere fuere assequuti, vt eorum calcei minimè attererentur. *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Deut. 29. Maius Deipara beneficium à Domino accepit, dum per huius vitæ desertum pergeret: nempè vt in virtutum incessu nescia esset vetustatis: *Inattritis animi gressibus ibat.*

22. *Quidquid vertex virtutum in sanctis fuit, primus in Virgine extitit sanctitatis gressus.*

Appositè autem Mariæ calceamenta ex mortuorum pellibus, seu de Sanctorum Patrum exemplis, qui in omni virtutum genere floruêre, efformata dicuntur. Vt intelligamus, quidquid magnum, quidquid eximium in antiquis Patribus fuit, primum fuisse Virgineæ sanctitatis gradum, & summum aliorum culmen Virginis pedibus subiacere. Ibi enim incepit Maria, vbi alij perfectissimi desiuere, iuxta Dauidicum: *Fundamenta* MARIÆ *in montibus sanctis.*

23. *Suis domesticis, seu sodalitio suo adscriptis Maria specialiter succurrit.* Richard. Isai. 43.

Profectò *quam pulchri*, seu pulcherrimi Virginis gressus vocitantur ob splendorem pietatis, qua suis familiaribus egentibus auxilio succurrit. Richardus Laurent. lib. 2. ait: *Pulcherrimi ex pietate Mariæ gressus domesticos suos inuisere, & concomitari, & eorum necessitatibus semper præsto esse, nunquàm cessant. Vnde dicit seruienti suo.* Isaïæ (cap. 43.) *Seruus meus es tu.* Id est, inter meos domesticos annumeraris ob specialem erga me affectum. Quid inde infertur? *Cum pertransieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te.* Ad quæ Richardus, *Tribulationes appellat aquas, & tentationes flumina.* Ac si diceret: Aquæ tribulationum, & tentationum flumina, me ferente auxilium, seu gressus ad te incunctanter dirigente, te minimè obruent. Hæc Deiparæ sodalitio adscriptis apprimè conueniunt, qui speciali titulo *domestici Mariæ* appellantur.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

24. *Suis familiaribus succurrit Virgo, cum tentaminum versantur in pelago.* Eccli. 24. Richard.

Parum esset Mariæ pietati gressus ad *flumina*, vt sodalibus suis opem ferat, dirigere: dirigit & ad *mare*, hoc est, cum validioribus, seu supremis periculis agitantur. Fatur Deipara Eccli. 24. In fluctibus maris *ambulaui.* Addit Richardus, *Cum familiaribus meis: videlicet tanquam nauis, vt ipsos eriperem à naufragio peccatorum: & ereptos deducerem ad portum.* Hæc est peculiaris Mariæ erga sodales suos pietas, vt velociter dirigat gressus, vt eos protegat, ne peccatorum fluctibus obruantur: etsi fuerint à fluctibus superati, eos gratiæ intercessione sua deducat ad portum.

25. *Mariæ deuotio, & recta intentio.* Richard.

Idem Richardus lib. 5. hunc locum ad Deiparæ deuotionis spiritualis, & intentionis pulchritudinem refert, illud Ezechielis (cap. 16.) inducens: *Calceaui te iacintho. Quia Filius Matri dixit, Calceaui te iacintho: ideo gressus eius pulchri in calceamentis. Nam pedes eius, id est, cogitationes & opera decore spiritualis deuotionis & intentionis, velut pedes in calceamentis iacinthinis resplendebant.*

26. *Maria Princeps Principis Filia, & Mater Ecclesiæ præposita.*

Filia Principis Virgo congruè vocitatur, quia & ipsa Princeps, & omnium Principem paritura. Pergit Richardus lib. 6. *Maria rectè Princeps, quia filia, & Mater Principis, id est, Christi, qui dicitur Princeps Regum terræ.* Apoc. 1. O quàm vtilis nobis Mariæ Principatus! *Hæc autem Princeps à tota Trinitate data est Ecclesiæ, vt per eam Princeps mundi, id est, diabolus, qui dicitur Princeps, seu principium captiuitatis, eiiceretur foras, scilicet à cordibus electorum. Iste Princeps primam mulierem captiuauit; sed ab ista Principe captiuatus est.* Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum. Quod non solùm semel, sed quotidie fit, cum à iustis ipsius adiutorio diabolus expugnatur.*

27. *Mariæ oculi pietate pleni, gressus ad succurrendum miseris velocissimi.* Philip.

Abbas Philippus eleganter sic locum exposuit: *A gressibus Mariæ hìc laudes inchoat enarrare, qui suprà cum laudaret, ab oculis inchoare voluit. Denique suprà vbera eius commendare incipit; sed circa ea sic versatur, vt à mammis deorsùm de membris reliquis non loquatur.* Tota Virginis mystica pulchritudo valdè admodum commendabilis est: sed speciatim oculi, gressus, ac vbera commendantur: oculi quidem pleni pietate, queis hominum miserias intuetur, dum clamitant: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Gressus autem velocissimi, quibus ad nos latura opem accurrit: & vbera, quæ Filio ira succenso nobis reconciliando ostendit.

28. *Maria Maternitas continet eminēter vniuersa elogia, quæ de ipsa possunt excogitari.* Philip.

Preme illam particulam: *Sed circa ea laudatio sic versatur, vt à mammis deorsùm de membris reliquis non loquatur.* Ait cap. 1. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis* (ait Philippus) *nec vlterius ad spiritualia Virginis membra commendanda progreditur.* Quare precor? Certè quia in vberibus Mariæ *Maternitas* designatur, quæ quidem eminenter continet quidquid magnum, quidquid admirabile potest homo, imò Angelus circa Mariæ laudes excogitare.

29. *Mariæ sanctitatem magis admiratio, quàm enarratio decet.* Philip.

Quam pulchri sunt gressus tui! Sanctitas hìc Mariæ viatricis laudatur, quæ tam admirabilis extitit, vt magis eam admiratio, quam enarratio deceat. *Quam pulchri gressus tui.* Bellè Philippus, *Gressus Virginis eius actus æstimo*

 nominari

nominari, quos nobis longè remotioribus occultari voluit, per quos in nostram voluit venire notitiam. Hos Virginis gressus non suspensa claudicatio deturpauit, non puellaris leuitas vagos, & instabiles accusauit, ad infima & egena mundi huius elementa morbus aridus non retorsit: exactorque improbus ab eis quidquam tributarium non extorsit. Tam validæ pulchritudinis hi gressus extiterunt, vt magis admiratio, quam laudatio conueniat laudatori: Quam pulchri sunt gressus tui!

30. *Mariæ gressus tanta nitent puritate, quia diuinæ protectionis calceamentis muniuntur.* Philip.

Nec mirum, Mariæ gressus, seu pedes tanta nitere puritate, cum protectionis diuinæ muniantur calceamentis, quà nulla potest impuritas ad pedes penetrare. Adhuc Abbas. *In calceamentis: si quid ergo immineat defectibile, vel molestum, quod velit in Mariæ gressibus euertere vtile, vel honestum: ad repellendum illud, quædam patiens insensibilitas se præmittit, quæ ad pedem teuerum peruenire quidquam pestiferum non permittit. Quædam*, ait, *insensibilitas*, id est, Dei protectio, quæ quidem nullius potest vi veneni tentari.

31. *In sanctitatis gressibus Maria Deo Filio simillima.* Philip.

Filia Principis. Quæ sæpè *sponsa*, & *soror* in epithalamio vocitatur, in præsenti appellatur *Filia*. Quare precor? Crediderim, vt ostenderet Deus Christi Pater Matrem Virginem Christo Filio in gressibus sanctitatis fuisse simillimam. Audi Philippum: *In huiusmodi calceamentis pulchritudo gressuum delitescit, quæ non satis nobis patens, melius innotescit sponso. Qui eidem Virgini amat in omnibus præsto esse: eamque sibi similem tanquam Dei Filiam esse facit. Ob hoc in præsenti (quod nunquam suprà) Filiam nominauit: quod iuxta formam Filij sui illam specialius calceauit: eamque in calceis fecit ei expressius conuenire. Dum in carne positam dedit iura carnalium non sentire. Dum Christus Filius, cum factus esset caro, carnalibus noluit obligari: sed assumptum hominem illæsum à vitiis voluit conseruare, & electam Virginem sibi tanquam Dei Filiam conformare.* Quid ergo gressibus Deiparæ pulchrius?

32. *Maria quasi nescia debellare superbos, videtur quodammodo in pietate superare.* Iac. 4. Ierem. 29. Guillelm.

O quàm aptè Maria Filia Principis, & consequenter princeps ipsa vocatur, quæ non solùm Principis refert maiestatem, sed augustiorem eius superat conditionem quandam, in qua Pater Deus quodammodo gestit à Maria Filia superari. Deus *superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Iac. 4. Filia autem Maria quasi nescia debellare superbos, seu peccatores affligere, totam se ad gratiam eis à Deo exquirendam impendit. Ac si diceret, Ego *cogitationes pacis* mente verso, & *non afflictionis.* Ierem. 29. Audi precor Guillelmum Abbatem. *Dilectus piam Matrem vocat Filiam Principis, illius vtique, de quo Isaias* (cap. 32.) *Princeps ea, quæ sunt digna Principe, cogitabit. Quæ autem digna sunt Principe? Parcere subiectis, & debellare superbos.* At Mariæ cogitationes cunctæ videntur esse *pacis*, nullæ *afflictionis*, dum vel superbis ipsis gratiam à Filio nititur impetrare.

33. *Cunctos diuos Maria in puritate gressuum superauit.* Guillelm.

Quam pulchri sunt gressus tui! Hic crediderim fieri inter Mariam & omnium sanctorum comparationem. Pulchri sunt omnium diuorum gressus ex gratiæ splendore: sed gressus Mariæ non *pulchri* solùm, sed *quam pulchri* vocitantur, quia omnes diuos in sanctitate longè admodùm superat. Appositè Guillelmus, *O Filia Principis, quàm pulchri sunt gressus tui. Non simpliciter pulchri, sed cum admiratione Quam pulchri! Quo excellens & singularis gressuum eius pulchritudo signatur. Multæ enim sunt filiæ Principis per gratiam adoptionis, & omnes pulchrè gradiuntur, omnium sunt pulchri gressus in calceamentis. Verùm illa est excellenter Filia Principis, quæ est etiam Mater Principis. De sua carne dedit Principi substantiam carnis, & ab eo accepit vicissim prærogatiuam gratiæ amplioris. Idcircò non dicuntur simpliciter pulchri gressus eius, vt cæterarum Principis filiarum, sed quam pulchri? id est quam puri, & mundi affectus eius! Non enim pernicitate pedum, sed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem visura Deum deorum in Sion.*

Hinc est, quod virtutes, in quibus alij diui specialiter floruere, pro calceamentis Deiparæ gradienti deseruiunt. Acutè Abbas, 34. *Infimus sanctitatu Mariæ gradus eleuatiorum perfectiones sanctorum verticem transcendit.* Guillelm.
Erat autem calceata Virgo antiquorum Sanctorum exemplis. Quid enim sunt præcedentium exempla Patrum, nisi quædam tanquam ex pellibus mortuorum animalium spiritualia calceamenta? Amplectebatur itaque Maria innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, mansuetudinem Moysis, humilitatem Dauid, patientiam Iob, continentiam Danielis. His, & huiusmodi Patrum exemplis calceata inattritis animæ gressibus ibat de virtute in virtutem: & æmulando virtutes Patrum, ipsos etiam Patres, quorum se æmulatricem esse gaudebat, præcipua puritate affectuum, & actionum prærogatiua transcendebat. Ac si Mariæ pedes, id est, infimus illius sanctitatis gradus eleuatiorem Sanctorum illorum transcendat perfectionem.

Alanus verò sic locum exposuit: *Gressus tui ô gloriosa Virgo, sunt nobilitas generis, integritas carnis, ac mentis, fœcunditas prolis, Calceamenta sunt affectus in meditationibus, effectus in operationibus, profectus in desideriis, excessus in gaudiis.* Preme illud: *Gressus tui sunt nobilitas generis.* Quidnam quæso pulchritudinis potuit Mariæ gressibus ex nobilitate generis adiici. Aiebat Ausonius, *semper nobilitas circà morum puritatem augustiori tendit incessu.* O quam augusti ex omnium virtutum exercitamento Filiæ Principis supremi Deiparæ incessus! 35. *Mariæ gressus ex generis nobilitate nimiùm augusti.*

Filia Principis. Theodoretus *Filia Spiritus sancti*, qui verè Princeps est. Psal. 50. *Spiritu Principali*, seu spiritu Principe *confirma me.* Spiritui sancto illud Isaiæ 66. attribuo. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam: & qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Pater æternus generat Verbum, Pater & Verbum Spiritum sanctum spirant. In hac tertia persona omnis productiua Dei interna, actio terminatur. Cum autem Spiritus sanctus, qui nihil ad intra generat, vel spirat, cum sit cum Patre & Filio principium & fons omnium creatarum generationum: quasi resarcire ambit ad extra (sic fari liceat) generandi potentiam, eligens ob specialem filiam Mariam, quæ licet Dea non est, admodum tamen est per gratiam quasi Deificata. Vnde iam sterilis minimè potest vocitari, qui tam diuinam Filiam produxit, quæ hoc ex titulo specialissima Filia Principis appellatur. 36. *Maria Spiritus sancti Filia quodammodo supplet illius ad intra sterilitatem.*

Hinc Virgo tota Patris Spiritus sancti nunquam sua, cuncti illius gressus adeò recti, vt ab Spiritu sancto dirigi latere non possit. D. Antoni 37. *Mariæ gressus pulcherrimi, quia ab illius*

Patre Spiritu sancto diriguntur. Antonin.

Antoninus tract. de B. Maria c. 29. §. 9. sic Virginem loquentem inducit. *Ipse Spiritus Dei me ducit, & reducit: quiescit, & mouetur in me, cuius sum plena. Nec aliter moueor immota, quam in naui existens: sedet quidem, iacetve, & deducitur ab spiritu concitato, quo per se ire non potest. Ergo quàm pulchri sunt gressus tui Filia Principis* Spiritus sancti, *virtutum arca, baiula mundi.*

38. *Maria gressus ad quarendā ouem perditam diriguntur, instar Iesu gressuum.* Antonin. Hebr. 1.

Hæc vltima verba, *Baiula mundi* miram gressuum Mariæ pulchritudinem ostentant. Pergit enim instar Pastoris Filij vt mundum perditam ouem suis humeris adiiciat. Paulus de Christo Domino fatur Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ*, siue mundi *baiulus*. Maria edocta à Filio mundum, ouem perditam, quærit, & suis humeris appositum, intercessione sua electorum transfert ad gregem. De Angelis dixit Iob cap. 9. *Qui portant orbem*, scilicet precibus & peruigili custodia. An fortiores, & integriores humeros Angeli habebunt ad portandum orbem, quam Maria?

39. *Nihil à Spiritu sancto denegatum fuit Filiæ Mariæ, quod ad Genitricem Dei spectare videretur.* Cellensis. Septuag.

Legunt Septuaginta. *Filia liberalis, seu munifici* (per antonomasiam.) Liberalissimum planè & munificentissimum sese Spiritus sanctus cum Filia Maria præstitit. An aliquid existimas ei fuisse denegatum, quod ad Dei genitricis dignitatem accinere videretur? Petrus Cellens. l. de panibus cap. 12. *Arca fœderis est Maria, continens in se quidquid est sanctificationis, vel Creatoris, vel creaturæ.* Et lib. 6. Epist. 23. *Prorsus nihil ad nos, nihil ad Angelos dignius, & melius de omnibus thesauris suis protulit æterna Trinitas, quam Templum Virginale.* De MARIÆ nomine dixit Bernardus. *De thesauris diuinitatis Maria nomen euoluitur.* Quid de persona diceret? Bernard.

40. *Nihil vnquam habuit Maria, quod ad Dei beneplacitum non esset.* Ambrosi. Matth. 4.

D. Ambrosius legit ad Psalm. 118. *Filia beneplaciti.* Aptè quidem, quia nihil vnquam habuit Virgo, quod iuxta Dei beneplacitum non extiterit. Ita vt sicut de Filio Pater inclamauit. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 4. sic de Maria Spiritus sanctus: *Hæc est Filia mea dilecta, in qua mihi bene complacui* inclamare potest.

41. *Fidelium populus spontaneè admodum sese cultui Mariæ addicit.* Exod. 35. 1. Paral. 29.

D. Hieronymus denique lib. cont. Iouinian. legit. *Filia populi spontè offerentis*, & meritò. Nam vniuersus fidelium populus sese spontaneè admodum cultui Mariæ addicit. Tantò autem id cordis gerit affectu, vt cœlestis præcepti vi minimè indigeat. Cum Moyses curaret in deserto Tabernaculum Deo construere, ait Exod. 35. *Omnis voluntarius, & prono animo offerat Domino aurum, & argentum.* Et Dauid 1. Paral. cap. 29. *Si quis spontè offert, impleat manum suam hodie, & offerat, quod voluerit, Domino*, ad Templi Solymitani fabricam. Vtrobique verò tanta munificentia oblata sunt munera ab spontaneo populo, vt clamarent artifices: *Plus offert populus, quam necessarium est.* O quàm spontaneè, populus Christicola deuotionis thesauros Virginis Templo, seu Tabernaculo ornando litat! Tam spontaneè munera offert, vt nec indigeat sicut Hebræi, Mosis, seu Dauidis admonitione.

42. *Indiuisa Mariæ mentis & corporis virginitas commendatur.* Philip.

Iunctura fœmorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Hinc incorrupta Deiparæ virginitas mirificè commendatur. Audi Philippum Abbatem. *Peccatrix anima, quæ Deum carnalibus amaricat illecebris, (sicut Propheta meminit) pedes suos quibusque transeuntibus diuaricat, & non contenta legitimo, viros alteros, imò adulteros, lege suscipit dissoluta. Maria autem in concipiendo nullum penitus virum sentit, quæ antiquo naturæ priuilegio sicut mente, ita & corpore non consentit, fœminis irresolubili iunctura copulatis, tenet tunc, & deinceps firmum fœdus perfectæ castitatis. Qualis enim in conceptu, prædicante Angelo, legitur extitisse: talis fide pia, & à vero non deuia perstitit; & nec à mente corpus, nec est à corpore postmodum mens diuisa: sed consensu continuo & illæsis affectibus indiuisa.*

43. *Pretiosa admodum Mariæ virginitas monili comparatur.* Philip.

Cur autem hæc indiuisa virginitas monilibus comparetur, Abbas exponit. *Quæ iunctura rectè monilibus debuit comparari, quæ constat docta manu ex auro & lapidibus fabricari: quæ non solùm digno sui pretio decus afferunt ornamenti, sed ad muniendum sinum virgineum superiores oras copulant vestimenti. Sic iunctura fœmorum plus auro vel lapide pretioso carnem seruans, & spiritum ad acquirendum meritum operosa, munit quidem Virginem, nè corruptor seductorius admittatur; monet quoque, vt diligat eum, cuius beneficio sic ornatur. A muniendo quippè vel monendo Monilia nominantur, eo quod munitæ quæque tali munere moneantur, vt tali præsidio procul pellant inuidùm corruptorem, & affectu Vicario benignè diligant largitorem. Doctus enim Artifex manu sua hæc monilia fabricauit, quæ negata pluribus, Matri Virgini non negauit.* Tam pretiosæ Mariæ Virginitatis solus Deus Artifex esse potuit.

Solus Deus potuit esse tam pretiosæ virginitatis Mariæ Artifex.

44. *Mariæ specialissimè Dei cognatæ perfectissimæ virginitatis fibula aurea conceditur.* Philip.

Itaque Philippus ait, monile hoc, cui Mariæ virginitas comparatur, esse *Fibulam auream*, seu virginitatem carnis & spiritus, quæ vtramque copulat puritatem, sicut fibula vtramque vestimenti oram adnectit. Aptè quidem: ita enim exprimitur augusta dignitas, ad quam Deiparæ virginitas ascendit. Constat ex sacris, fibulam auream esse quoddam eximiæ nobilitatis, & amicitiæ insigne à Regibus datum iis, quos suprà alios volebant extollere. 1. Mach. 10. *Alexander Rex addidit glorificare Ionatham, & misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis Regum.* Et cap. 11. *Antiochus Rex scripsit Ionathæ, vt esset de amicis Regis, & dedit ei potestatem habere fibulam auream.* Et cap. 14. *Demetrius Rex Simoni Machabæo dedit vestiri purpura, & vti fibula aurea.* Deiparæ igitur conceditur vti aurea virginitatis fibula, vtpotè amicæ & specialissimè Dei Regis cognatæ. 1. Mach. 10. 11. & 14.

45. *Corpus Mariæ in morem spiritus nunquam inordinatus subiit motus.* Guillelm.

Hæc quidem *aurea fibula*, sic vnam & alteram oram virgineæ Mariæ vestis, hoc est, animæ & corporis vniit, vt corpus spiritus in morem, nullo vnquam inordinato motui subesset. Ait Abbas Guillelmus. *Quia Maria Dei Filium paritura erat, quem sine concupiscentia concipi oportuit, ab initio illi datum est, nihil vnquam inordinatum in suis membris experiri. Itaque in Virgine corpus ab initio singulari quadam gratia conseruatum erat Domino. In membris autem aliorum, vel aliarum Virginum non ita: nempè in illis concupiscentiæ ignis, contra quem assiduè dimicant, viuit vsque ad finem vitæ, & saluo virginitatis bono innati*

mali violentas motus patiuntur. Sola autem Virgo nihil in suo corpore huiusmodi habuit. Illi ergo singulariter dicitur. Iunctura fœmorum tuorum sicut monilia, &c. Denique hæc monilia non ipsa tu tibi fabricasti: sed manus summi Artificis ea tibi fabricauit, id est, diuina operatio gratiæ hac tam magna te prærogatiua donauit. Premè particulam. *Hæc monilia non ipsa tu tibi fabricasti, sed manus summi Artificis ea tibi fabricauit.* Nec enim vel perspicax Mariæ sapientissimæ ingenium poterat sibi fingere tam perfectæ virginitatis gemmam: summi fuit Dei Artificis opus.

Virginitatis Mariæ tanta perfectio, vt ab ipsius perspicaci ingenio fingi non poterat. Solius Dei Artificis gemma fuit.

46. *Tantò artificio Deus virginitatis Mariæ gemmam disposuit, vt digna Artificis sponsa exsurgeret.* Rupert.

Nec mirum, Deum tam accurratè hanc Mariæ virginitatis gemmam mirabili arte præparasse; sibi enim arabat, dum tantam Virginem in sponsam elegerat. Vnde sic illam ornauit, vt digna sponsa sui Auctoris exsurgeret. Vnde Rupertus exclamat *O dilectissima dilectarum, quæ prima sine exemplo virginitatem custodire ita disposuisti, vt Virgo nulli vnquam cognita, vel cognoscenda viro, digna fores coniungi Deo tuæ integritatis Auctori. Quantum est hoc decus? quanta honestas! Cuius est hoc opus, hæc virtus? Nimirum Dei altissimi.*

47. *Mariæ virginitas innumeras virgines Deo sponso parit.* Psal. 44. Hailgrin.

Non excidat sine pondere illa particula. *O dilectissima dilectarum!* Ideò namque sponsus dilectissimæ sponsæ Mariæ pudicitiam commendans, aliarum dilectarum gerit mentionem. Mariæ enim virginitas obiecta est à Deo cunctis sacris virginibus in exemplum. Vnde Dauide Auctore. Adducuntur *Regi* Deo innumerabiles *Virgines post eam.* Psalm. 44. Card. Hailgrinus. *Maria ad continentiæ munditiam Virgines per exemplum admonet, & inuitat.*

48. *Monilia virginitatis Mariæ sunt castitatis monitoria.* Hailgrin.

Tò *Admonet* expendendum. Dixit sponsus Mariæ virginitatem aureum esse *monile.* Monet enim Virgines tanta puritas, vt illius gressus insequi studeamus. Pulchrè inquit Hailgrinus. *Mariæ virginitas non tantum dicitur pulchra, sed etiam castitatis monitoria. Propter quod monilibus comparatur, quæ dicuntur monilia, quasi castitatis monitoria.*

49. *Monet nos votum virginitatis Mariæ virginitatē nuptiarum fœcunditatē superare*

Equidem non abs re *Monile* hoc dixerim esse votum virginitatis, quod Maria prima omnium virorum, fœminarumque emiserat. Si autem dicitur à *monendo*, nos monet, tempus legis præteriisse, in quo fœcunditas coniugij erat in pretio, & virginitas nondum suum omnino fulgorem sparserat. Monet ergo nos Maria virginitatis voti monili huius gemmæ pretium nuptiarum fœcunditatem admodum superare: cum votum emitti non possit, qui de meliori bono non sit.

50. *Gratiæ diuinæ rore Verbum diuinum in Maria penitus concupiscentiæ fomitem extinxit.* Hailgrin. Dan. 3.

Hinc Cardinalis penitus fuisse in Virgine Deipara concupiscentiæ fomitem extinctum. *Hæc autem monilia* (addit ille) *dicuntur fabricata manu artificis. Nam Artifex Spiritus sanctus in membris eius hanc munditiem, hanc castitatem, & virginitatis prærogatiuam fabricauit, vt nullum carnalis concupiscentiæ fomitem per superuenientem rorem gratiæ cœlestis habuerit.* Appositè hoc priuilegium Mariæ *roris* vocabulo fuit expressum. Cum Azarias, & duo socij eius Nabucodonosoris Imperio missi fuere in fornacem. *Angelus Domini descendit, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Dan. 3. Vbi D. Athanasius cont. Apollinar. ait virum illum similem Filio Dei, quem Rex viderat esse *Verbum roriferum, quod inter illos aderat, & ignem excutiebat.* Vbi Verbum diuinum aderat sub hominis specie, quomodo non roriferum esset, vt fornacis flammas extingueret, ne iustos illos tangerent? Quid igitur mirum idem Verbum verè Homo futurum in Virginis vtero, omnino suæ gratiæ specialissimo rore concupiscentiæ ignem extinxisse? Athan.

At Dionys. Carthus. hîc rarissimam Mariæ virginitatem cum fœcunditate coniunctam veneratur. *Fœmora* (ait) *Deiparæ Virginis sunt virginea eius fœcunditas, & fœcunda virginitas, seu fœcunditas atque virginitas in ea sibi inuicem iuncta. Quæ cunctarum virtutum ornatibus tanquam monilibus desuper fabricatis polita. Magnum est, esse Virginem, magis autem, Virginem tam puram, vt nunquam inordinatum passa sit motum. Maximum verò est, esse Virginem Matrem. At verò super maximum est, esse Virginem, & Matrem veri Dei.* Monile quidem pretiosum est virginitas, necnon pretiosa est gemma fœcunditas; at monile ex virginitate simul & Dei maternitate compactum mirum in modum est pretiosius, quod nunquam visum fuerat in terris, neque vlla humana arte poterat fabreficeri. Ideo dicitur manu cœlestis Artificis fuisse elaboratum. En mirabilem *iuncturam* virginitatis, & fœcunditatis vnica splendentem in gemma. *Iunctura fœmorum, &c.* 51.

Mirabilis iunctura virginitatis, & fœcunditatis in Maria. Carthus.

Legunt Septuaginta, *Moduli fœmorum tuorum.* Quis autem ignoret, Latinam dictionem *Moduli* ad musicum concentum referri? Vox Græca *Rithmus* in Græco originali respondens idem prædicat. Ac si sponsus diceret. O Maria, in vtero tuo virgineo simul & fœcundo musicum quendam concentum exaudio, qui ex vocibus acutis & grauibus pariter dulcissimè pulsat auditum. Acuta vox virginitas est, grauis autem ab illis emittitur, quæ coniugalem grauidationem experiuntur. Profectò Rithmus hic ex acuta virginitatis voce & graui fœcunditatis artificio est homini impossibilis; à supremo Magistro, qui *scientiam habet vocis*, potuit huiusmodi concentus temperari. 52.

Mariæ virginitas & fœcunditas musico concentui ex voce acuta & graui comparatur. Septuag.

Ad virginitatem & fœcunditatem corporis simul ac mentis verba hæc Alanus accommodat. *Per iuncturam fœmorum nihil aliud intelligitur, quam concordia duarum virginitatum, & fœcunditatum, quæ fuerunt in Maria, vna mentis, altera ventris. Et hæc iunctura fuit sicut monile, id est, habuit secum duplicem comitem, virginitatem, & fœcunditatem mentis, & carnis. Est ergo sensus. Iunctura fœmorum tuorum sicut monilia, id est, sicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita & duplici virginitate.* Virginitas & fœcunditas carnis Mariæ oculis fidelium patet, virginitatem autem & fœcunditatem mentis Deiparæ solus perfectè Auctor summus agnoscit. 53.

Duplex virginitas, & fœcunditas, scilicet carnis, & mentis in Maria.

Appositè quidem Mariæ virginitas, quæ semper immarcescibilis extitit pretioso monili comparatur. Nam monile qui possidet, non id facilè assolet alienare. Vnde comicus Menander dixit Sulpitio plures aureos nummos possidenti: *Si æternos apud te vis aureos nummos asseruare, eos in gemmas conuerte,* 54.

Æternam Dei puritatē Mariæ perpetua virginitas expressit. Menand.

quæ

quæ quidem ex hærede in hæredem assolent transferri. Virginitas ergo Mariæ gemma est pretiosissima æternum persistens. Aiebat Sixtus III. lib. de castit. *Vide, quanta beatitudinis est, hoc perpetuò te esse, quod formatus es, & prima natiuitatis lineamenta seruare. Parum bonum putas, hominem sicut à primordio factus est, Dei similitudinem etiam in corporis integritate seruare? & aliquid tantæ Maiestatis habere perpetuum? Dicit enim scriptura: Fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, non immeritò, quem fecerat incorruptum.* Dixit Nazianzenus, Prima *Trias Virgo*. Profectò nulla pura ex filiis hominum Virgo tam perfectè Triadis virginitatem expressit, quam Maria.

Sixtus.

Nazianzen.

55. Porrò hanc Mariæ virginitatem primitiuam, seu recens natam Micheas cap. 7. celebrauit, Deum inducens Virginis sponsum profantem. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Quod ita Richardus Laurent. lib. 4. de Deipara exposuit: *Præcoqua ficus primitiua Mariæ virginitas: ficus enim profert fructus dulcissimos, & folia eius candidum lac emittunt. In candore lactis candor virginitatis. Fructus etiam ficus non est diuisibilis sicut nucum: & in hoc indiuisibilitas virginitatis Mariæ designatur, de qua dicitur ei Cant. 7. Iunctura fæmorum tuorum sicut monilia.* Virginitas ergo primitiua Mariæ Dei desiderio satisfecit. Si tam dulcis in exordiæ fuit Numini, quam precor ei dulcedinem in perpetuo virginitatis voto ministrauit? Vnde addit Richardus. *Domino dulce & sapidum valde fuit votum virginitatis in Maria.*

Dulcis fuit Deo Mariæ virginitas in exordio, dulcissima verò in persistentia vsque ad vitæ terminum. Mich. 7. Richard.

Vers. II.

Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.

56. **V**Mbilicus tuus crater tornatilis.*] Maternitatis hîc Mariæ dignitas prædicatur. Prou. 3. *Time Deum, & recede à malo; sanitas quippè erit vmbilico tuo*, id est, in præmium iustitiæ filiorum abundantia donaberis. *Sanitatis* enim vocabulo sterilitatis ablatio intelligitur. Gen. 20. Orante Abrahamo, *Sanauit Deus Abimelech, & vxores, & ancillas, & pepererunt.* Sanari itaque vmbilicum, idem est, ac sterilitatem ablegari. O Virgo beatissima omnimoda iustitia exundans, quàm præstans tuo in vtero sanitas, quæ enixa est Saluatorem totius mundi sanitatis originem.

Omnis sanitas, seu fœcunditas in Mariæ vtero, quæ totius mundi enixa est sanitatem. Prou. 3. Genes. 20.

57. Vterus autem seu Maternitas Virginis comparatur crateri non scalpello elaborato; sed ad tornum circumducto. Quæsieris, quonam torno crater hic, seu Mariæ vt Matris Dei dignitas fuerit affabrè circumacta? Respondeo: Æterni Artificis torno sapientiæ, & omnipotentiæ, qui quidem in Maria futura cratere, seu Dei ipsius Matre eam ineffabilem perfectionem constituit, quam arte diuina tanta dignitas exigebat.

Mariæ Maternitas educta est scientia & potentia Dei infinita torno.

58. Liceat mysticum tornatilem Virginis vterum, siue illius Maternitatem cum tornatilibus Christi sponsi & Filij eius manibus componere. Christi *manus tornatiles aureæ.* Mariæ vterus, seu Maternitas tornatilis. Quonam quæso mysterio? Manus Christi vt Deus est, quidquid vult operari, facillimè assequitur. Mariæ autem vterus, siue illius Maternitas tantam Virgini vim exerit, vt quidquid in hominum beneficium agere intendit, maxima dexteritate præstat. Attamen cum hoc discrimine, quod Christo Domino illa operandi dexteritas fuit per naturam agnata: at Mariæ Matri communicata per gratiam fuit.

Maria vt Dei Mater est, quidquid vult erga hominū vtilitatem gerere, quasi manu tornatili facillimè præstat. Cant. 5.

59. Quis dubitet, in Scriptura sacra idem omninò esse, aliquod opus esse tornatile, ac esse perfectissimum. 3. Reg. 6. vt exprimeretur Templi Salomonici cælaturas vndequaque perfectas existere, dicitur factas fuisse *ad tornum.* Quemadmodum ergò Dei manus dicuntur tornatiles, quia perfectissimæ in operando, sic vterus seu Maternitas Mariæ tornatilis in esse operis vocitatur. Sicut ergo Dei manus dicuntur perfectissimæ in operando, sic & Maria Dei Mater in esse operis. Nihil ei deest, quod ad perfectissimam Dei Matrem posset requiri. Vis dignoscere, quam perfectam Mariæ Maternitatem Dei manus eduxerint? Audi Augustinum cont. Manich. *Si potui inquinari, cum illam facerem, potui inquinari, cum ex illa nascerer. De manu fabricata est mea.* Ac si diceret, tam pulchra & perfecta est Maria in esse Materno fabricata, vt possim gloriari ego Artifex, me eam tornatili omnipotenti manu perfecisse: *De manu fabricata est mea.*

Maria in esse operis perfectissima est quemadmodū Dei manus in esse operantis. 3. Reg. 6.

August.

60. Profectò Cherubini in Salomonis Templo fabrefacti dicuntur ad tornum. 3. Reg. 6. *Salomon omnes parietes Templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubin, & palmas.* Per Cherubinos Angelicos spiritus intelligere licet, per palmas verò Deiparam, vt latius infra ad illud: *Statura tua assimilata est palmæ.* Eccli. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Vbi Richardus Laurent. lib. 12. *Cades interpretatur sancta translata. Plenitudo sanctitatis in duobus est. Vnum est rei mutabilis contemptus, aliud amor Dei immutabilis perfectus. Per hæc autem duo meruit Maria sicut palma exaltari, quia temporalia perfectè contempsit: & Deum perfectè amauit.* Cherubini itaque perfecti quidem è Dei tornatilibus manibus educuntur, Maria autem perfectissima; vnde signatur in *palmis*, quasi in cunctis perfectionibus palmam referat, cunctisque spiritibus præponatur.

Maria Dei Mater palmā refert in perfectione supra cuncta Dei perfectissima in creaturis puris opera. 3. Reg. 6. Eccli. 24. Richard.

61. Rogitas, cur Mariæ manus, vt manus Christi Domini tornatiles minimè in hoc libro celebrentur; nulla enim manuum Virginis mentio agitur? Crediderim tantam fuisse Mariæ operum, quæ annotantur in manibus, perfectionem, vt quodammodo sponsus cœlestis non inuenerit verba, queis exprimi dignè possent; vnde vt rem prorsus ineffabilem, ea silentij velamine obduxit.

Quodammodo Deus nō inuenit verba, quibus operū Mariæ perfectio exponeretur.

62. *Nunquam indigens poculis.*] Consulit hisce verbis diuinus sponsus famæ ac decori Matris Mariæ, eo quod eius vterus crateri similis ad illius castitatis probationem legis poculis non indigeat. Num. 5. *Si spiritus Zelothipiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet*

Mariæ castitas ad suam innocentiam probandam legis poculis non indiget. Num. 5.

ducet eam, vel traducet ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa: Ipſe tenebit aquas amariſſimas, in quibus cum execratione maledicta congeſſit: & dabit ei bibere, & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas. Ait itaque Spiritus ſanctus. Tuus virgineus vterus ô Maria grauidus apparuit Sponſo Ioſepho: ſed minimè indigens, zelothipiæ poculo à ſuſpicione liberari. Angelus enim dedit euidens de eius puritate teſtimonium. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

63. *Maria in ſuſpicione Ioſephi tribulatio ſcyphi Beniamini hiſtoria exprimitur.* Geneſ. 44.

Legit Guillelmus Abbas, Pagninus, & alij ex Hebræo originali, *Venter tuus ſicut ſcyphus tornatilis.* Vbi Deiparæ tribulationem in Ioſephi ſponſi ſuſpicione animique inquietudine contempler. An non hîc *ſcyphi* Ioſephi Patriarchæ innouatur hiſtoria? Gen. 44. *Imple* (ait Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ) *ſaccos eorum frumento, & pone pecuniam ſingulorum in ore ſacci, ſcyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici pone in ore ſacci iunioris*, id eſt, Beniamini. In ſacco huius *inuentus eſt ſcyphus*, clandeſtini furti reus apparet, turbantur fratres, innocens iuuenis maximè commouetur; innocentia excuſat, vehemens accuſat indicium. Ioſeph Mariæ ſponſus haud ignorante ipſa, ſcyphum plenum inuenit, nam *inuenta eſt in vtero habens*, conſcientia eam eximit à delicto, ab indicio tumentis vteri accuſatur, Ioſeph ſimul mirum in modum diſtorquetur. An neceſſarium fuit ad amariſſimarum aquarum

Ioſeph tamen iſta facie hoc Mariæ puritatē, vt quando inuenta eſt pragnans, de Spiritu ſancto opus eſſe adiudicaret quodammodò. Matth. 1.

pocula procedere? Scyphus Mariæ plenus quidem eſt rore cœleſti, ſed caſtiſſima Virgo non *indiget poculis* amariſſimis, cunctis benedictionibus circumdata. Ipſe enim ſponſus puritatis illius teſtis, videtur innocentiam obfirmaſſe Mariæ, etiam cum vterum tumentem aſpexit, *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Ac ſi ſibi Ioſeph perſuaderet tantæ puritatis fœminam haud poſſe in vtero habere, niſi ab Spiritu ſancto occulto myſterio accepiſſet.

64. *Maria crater ſemper plenus aqua ac vino cœleſti.* Ildephonſ.

Legêre alij, *Venter tuus ſicut crater nunquam indigens aqua*, quia ſemper plenus aqua ac vino cœleſti. D. Ildephonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Verè venter* MARIÆ *tornatilis fuit, quia in eo ſapientia ſe influxit, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum, indeficientem diuinitatis ſuæ pulchritudinem ſubminiſtrans.* Deus & homo in Virginis vtero exiſtens omnem Matri ſuæ pulchritudinem, ſeu gratiam infudit, quæ tam ineffabili dignitate debebatur.

65. *Maria portus peccatoribus ſecuriſſimus.*

Nyſſenus legit, *Venter tuus eſt, ſicut portus, nunquam indigens aqua.* Hoc eſt. Tu ô Beatiſſima Virgo vt Mater Dei es (in ventre enim eius Maternitas deſignatur) eſt ſecurus hominum portus, ad quem cuncti ne peccatorum naufragio obruantur, imò vt poſtquam ſubmerſi fuêre, vt emergant, confugiunt. D. Epiphanius orat. de Deip. *Aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix.* D. Ephrem de laud. Mar. *Aue portus tranquilliſſime, aue portus tutiſſime.*

Epiphan.
Ephrem.

66. *Maria portus noſtri refugij eſt.* Epiphan. *Deum olim fluctus iræ excitantem in portum refugij hominum conuertit.* Epiphan.

Quod autem portus ſit Maria ad hominum agitatorum peccati fluctibus liberationem crateris virtute, id eſt, quia Dei Mater extitit. D. Epiphanius affirmat, dum ait, Virginem portum eſſe, & portum Chriſtum Dominum peperiſſe. *Mare dixi* (vbi ſ. inquit) *vniuerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum.* Filios aſſerit Philoſophus, *matriſſare*, ſeu matri eſſe in moribus ſimiles. Maria portus miſerorum enixa eſt Chriſtum portum. Debes ergo Mariæ in portum refugij, ac ſecuritatis Deum conuertiſſe, qui olim contra peccatores ſuæ iracundiæ fluctus excitabat.

67. *Maria Chriſti Mater in eius paſſione vas aureum ſolidum ſe oſtendit cœli ſoliditati ſimile.* Bonauent.

D. Bonauentura ſerm. 1. de B. Virg. eius ventrem, ſeu maternum affectum crateri ſolido ſimilem eſſe dixit in Filij paſſione, cui argumento accommodat illud Eccli. 50. *Vas auri ſolidum.* Ac ſi diceret, Maria ex terra, vti Adami filia confecta paſſionis Domini inſtantia haud ſe fragile è terra vas, ſed ſolidum ex auro craterem oſtendit. Parum ſe dixiſſe videtur, Mariæ conſtantiam vaſi aureo ſolido comparando: ideo ad cœli ſoliditatem exſurgit. *Sicut cœlum non eſt vllo modo poroſum, ſed ſolidum: ſic & Dei Mater pia nullo modo fuit poroſa* (vti vas fictile) *ſed ſolida, quia omni gratia plena fuit. Cuius mirabilis patientia, & ſoliditas non poroſa tunc maximè claruit, quando prædulcem Filium mori conſpexit. Nam licet in ea aquæ inferiores, id eſt, vires ſenſitiuæ, vel ſenſibiles fortiſſimè fuerint compreſſæ ventis in Filij paſſione: ſuperiores tamen non fuerunt à pace permotæ: & licet pars inferior nauis, ſeu ſenſibilitas repleta fuerit tunc aquis amaris compaſſionis: pars tamen ſuperior nauis ſemper proſperis ventis nauigauit.*

68. *Maria vas ſolidū ſecreta cœleſtia continens.*

Necnon vas ſolidum ſeſe Maria in ſecretorum cœleſtium retentione ſe præſtitit. Nunquam prudentiſſima Virgo ſe oſtendit habere vanæ iactantiæ poros, per quos merita aliquorum aſſolent euacuari. Vnde Euangeliſta, *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc* (ſeu Verbi Incarnati myſteria) *conferens in corde ſuo.* Luc. 2. Tanquam ſcilicet in vaſe ſolido, quin vnquam ne guttulam quidem per minimum porum euaporarit: poſt Paracliti aduentum, cœleſti quidem monito, quæ aſſeruerat Lucæ ad Filij gloriam, veritatiſque Euangelicæ robur reſeranit.

Luc. 2.

69. *Maria eſt ipſa perfectio ex eo, quod eſt Dei Mater.* R. Salomon.

Rab. Salomon apud Genebr. legit, *Vmbilicus tuus crater rotunditatis.* Ac ſi ſit ipſa rotunditas per excellentiam, & in genere Dei Matris ei omnis perfectio debeatur. Mathematici edocent, inter omnes figuras circularem ſeu rotundam eſſe perfectiſſimam. Vnde Ariſtoteles lib. quæſt. Mathematicar. aſſerit, *pleraque miraculorum naturalium accidere in circularis figuræ motionibus.* Appoſitè ergo maternus Virginis vterus circularis, rotundus, imò ipſa rotunditas dicitur. In ipſa etenim miracula naturalia, ac ſupernaturalia maiora omnibus ſcimus contigiſſe.

Ariſtot.

Cuncta miracula in Maria Dei Matre continentur.

70. *In Maria circulari vtero contraria motiones diuinitus adſunt.* Ariſtot.

Vnum verò ex præcipuis circularis figuræ miraculis Ariſtoteles vbi ſ. dicit eſſe. *Quoniam ſecundùm contrarias ſimul motiones mouetur circulus*; prout patet in orbibus cœleſtibus, qui contrariis ſimul motibus circumaguntur. Mouentur enim motu rapto atque communi ab oriente in occidentem: & motu proprio retrogrado ab occidente in orientem referuntur. An non in Maria miraculum hoc actum diuinitùs aſpectamus? Eſt quidem ſimul Virgo & coniux: Virgo ſimul & Mater Dei, & ancilla, &c.

Difficil

71. *Maria orbicularis & quadrata simul obiicitur. Ad Dei nutu velocissimè rotas, in bono immobilis exiſtit.* Ariſtot. Apoc. 21.

Difficillimum indicat Ariſtoteles *quadraturam in circulo inuenire.* Aſt eam in Empyreo cœlo reperio. Corpus enim hoc perfectiſſimum Deus voluit vtramque formã rotundam ac quadratam continere. Ex ſuperficie namque concaua rotundum eſt, vt ſeſe reliquis cœleſtibus orbibus quos ſuo continet in ſinu accommodet; ex ſuperficie verò extima quadratum obiicitur. Apoc. 21. *Ciuitas in quadro poſita eſt*, vt æternæ manſionis denotet firmitatem. Planè Mariæ vterus orbicularis & quadratus eſt, vt ex eius Maternitate conſtet omnem in eam perfectionem deriuari. Inſtar Empyrei cœli *orbicularis* eſt, ad Dei nutum ſumma rotans velocitate: & ſimul *quadrata*, quia ſemper in bono immobilis extitit.

72. *In Maria mundi firmitas ſtabilitur.* Salom. Lar.

In orbis terræ centro aliam Salomon Larthius quadraturam contemplatur, ad quam alludi in his verbis: *Vmbilicus tuus, &c.* exiſtimat, *Allegoria* (ait apud Genebrard.) *huius crateris refertur ad ſedem quadro lapide exciſam, quæ eſt in medio, ſeu vmbilico terræ ſita.* Lapis ergo quadrus imaginarius eſt in terræ vmbilico, in quo terræ firmitas conſiſtere videtur, vt innuit Iob, *Quis demiſit lapidem angularem*, ſeu quadratum *terræ?* Planè Mariæ Maternitas eam myſticum mundi demiſit in centrum angulare perpetuum. In Maria enim mundi firmitas ſtabilitur, ab ipſa enim procedunt omnes omnium pietatum lineæ, & in ipſa omnes omnium gratiarum è ſuperis lineæ terminantur.

73. *Maria vt Dei Mater eſt Luna in perfectionum plenitudine.* R. Aben-Ez. Dramat.

Rab. Aben-Ezra apud Genebr. ſic illa verba: *Vmbilicus tuus, &c.* verſatur: *In Chaldæa interpretatione* Saar, *quæ vox hîc reperitur, Lunam ſignificat. Et in Iſaia ex hac voce ſunt ſpecula ad Lunæ ſimilitudinem.* Quibus verbis indicatur, Virgineum Mariæ vterum eſſe quid omninò cœleſte, Lunam planè in plenitudine, vti Dramatica interpretatio apud eundem Genebr. aduertit: *Comparauit eam cum Luna, quatenus plena eſt. Tuæ enim huius Lunæ lumen nunquam deficit.* Porrò ſpecula ad Lunæ ſimilitudinem Virgines illas vocitarim, quæ puritatis Mariæ æmulatrices, *poſt eam Regi* cœleſti quotidiè adducuntur.

74. *In Mariæ Maternitate eſt miraculũ nunquam ante viſum nec videndum.* R. Aben-Ez.

Idem Aben-Ezra vbi ſuprà transfert particulam: *Non indigens poculis* in hunc modum: *Non indigens miſto.* Additque ſub hac voce Latina *Miſto*, ſublatere vocem Hebræam *Mazagag*, *cui in ſcriptura vniuerſa ſimilis alia non reperitur.* Et meritò quidem, quia in vtero Virgineo, ſeu in Virginis Maternitate eſt myſtum quoddam admirabile, rarum, ſingulare, nunquam antè viſum, nec poſteà videndum: Miſtum ſcilicet ex Matre & Virgine: ex Filio Deo & homine.

75. *Mariæ fidei cõſtantiſſimæ debet Eccleſia, eius Magiſtros eſſe in fide conſtantes.*

Enimverò Philippus Abbas in Mariæ vtero (quadtato quidem, vt vidimus) illius myſticè doctrinam ſtabilem contemplatur. *Vmbilicus*, inquit, *Virginis eius ſtabilis eſt doctrina*; quæ Apoſtolis defluentibus timore carneo, & mollitie fœminina, fide virili conſtitit, nec ſimili defluit leuitate; ſed leues, & ampliùs iuſto vagos ſua reuocauit firmitate. Facta enim reſurrectione, reuocati ad illam humiliter de præteritis erubeſcunt; ſed mox eius auditui credibilius, & conſtantius adhæreſcunt. An-non debet Eccleſia conſtantiſſimæ Mariæ fidei eius Magiſtros eſſe in fide conſtantes.

Tam plenus autem fide crater hic, vt in totam Eccleſiam ſalutarem liquorem tornatilis effunderet. Abbas opportunè adiicit: *Cratere tornatili eius eſt plenior & perfectior tornatura, cui Chriſti reſurgentis plenius genitura innotuerat; & omnia, quæ de illo longa temporum ſerie leguntur in ſcriptura, hauſit Virgo abundantius, & cunctis refudit cum menſura auditoribus. Cuius crater tornatilis vel perfectio facilis diſſerendi non areſcit inopia, non arctatur anguſtia capiendi, ſed referta poculis, vinoque ſapientiæ inebriata, cunctis longè populis & ſufficit, & nunquam deficit, propinata.* 76. *Eccleſiæ vniuerſæ Maria tornatilis crater fidei conſtantiæ liquorẽ propinat.* Philip.

77. *Non indiguit Maria aqua ad fomitis refrigeriũ, quia penitus in ea fuit extinctus.* Guillelm.

Guillelmus verò illud: *Nunquam indigens poculis* (ſiue *aqua*, vt alij tranſtulerunt) ad extinctionem fomitis concupiſcentiæ allicit. Nunquam Mariæ vterus aqua refrigerante indiguit, vt cuncti indigemus, ne concupiſcentiæ æſtu abſumamur, hoc fomite in ea penitus extincto, quia Virgineus vterus Verbi Incarnationi præparabatur. *Virgo* (ait ille) *quæ Filium Dei procreauit, partus huius nouitati ab initio præparata, & ſingulari beneficio præuenta, in ſua carne nunquam potuit calorem fomitis experiri. Ab initio enim innatus ille fomes concupiſcentiæ in carne eius virtute diuina funditus eſt extinctus.*

78. *Maria omnibus largiens cœleſtium bonorum aquas, nunquam aqua hac indiget, ſemper eſt plena.* Guillelm.

Non minus appoſitè idem Doctor verba hæc: *Nunquam indigens poculis* pietati Mariæ quæ cunctis hominibus diuinæ gratiæ pocula miniſtrat, accommodat. Omnibus offert cœleſtem hanc aquam, tam plenus eſt autem fons, vt nunquam indigere poculis, quæ offerat, comperiatur. *Nunquam crater* MARIÆ *indiget poculis. Quodlibet quilibet inde hauriant; & quantumlibet hauriant, nequit exhauriri. Nam etſi inde bibant omnes peccatores terræ, nihilominus abundat, & redundat. Quotidie toti mundo de illo cratere magno propinatur, & non deficit.* Vltrò ſiti premitur, qui ad hunc craterem, fontem dixerim, non accurrit. Confirmat Alanus, *Nunquam indigens poculis, id eſt, plenus poculis. Nempè mundo propinans vinum dilectionis, vinum ſalutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ.*

79. *Nulla moleſtia in cõceptu & partu Maria afficitur.* Alan.

Idem Alanus in his verbis: *Sicut crater tornatilis* Virginei conceptus & partus priuilegium recognoſcit. Nec enim vt aliæ fœminæ agnatas conceptui, & partui moleſtias ſubiit. *Crater tornatilis dicitur*, (cum Alano loquor) *quia torno facilius operamur. Et Virgo ſine omni difficultate, ſine omni illecebra, ſine omni carnis anguſtia concepit, ac peperit.*

80. *Ex Mariæ Maternitate pendet, vt Chriſtum fontem vitæ ſitientes largiter potentur.* Honor.

Audi pulchram Honorij Abbatis excogitationem. *Vmbilicus tuus beatus*, ô Virgo eſt, *in quo pependit Dei Filius. Vt enim in clauo clypeus, ſic pendet in vmbilico infantulus. Qui Filius eſt crater tornatilis, nunquam indiget poculis, hoc eſt, omnibus ſe ſitientibus præbet largiter.* Si crater Chriſtus præbens potum gratiæ ſitientibus pendet ex vmbilico, ſiue ex Maternitate Virginis, an-non ex Maria Dei Matre pendet noſtra gratiæ refectio? Ob eius planè

Ant. de Eſcob. & Mendoz. In Cantic.

Maria intercessione afficimur, vt Christum sitiamus.

planè intercessionē potantur quilibet sitientes. Preme illam particulam: *Omnibus sitientibus præbet largiter.* Non enim præbet Mariæ Filius poculum nisi iis, qui illum sitiunt. At Matris intercessione corda nostra afficiuntur, vt Filium sitiamus.

81. *Christus in cruce affatim reficiebatur puritatis, & patientia Mariæ fluento.* Honor.

Honorius itaque illa verba: *Nunquam indigens poculis* Christo Domino accommodauit. Cui obiicio Doctori, Christum in cruce siti se affectum inclamasse, *sitio.* Ergo aliquando poculo indigens ostentatur. Sitiebat quidem, sed materiali liquore sitim explere nolebat, sed spirituali. Videns enim Mariam iuxta crucem, Virginitatis eius, & mortificationis, qua ex passione Filij afficiebatur dulcissimo poculo expetebat refici, & abundè reficiebatur. Apprimè Hailgr. Card. *Non indiget poculo, quo potetur, qui in cruce clamat: sitio. Quia de cratere Mariano potauit vinum, & lac. Nam cum lacte candoris Virginalis, mortificationem illius, quæ austerum saporem habet, in vinum commixtam inuenit. Vt delectaretur pariter in vtroque.* Tam gratum Christo poculum Mariæ Virginalis puritas, & constans patientia, vt diræ illius passionis amaritudinem affatim dulcoraret.

Hailgrin.

82. *Passionis Dominicæ fructus in nos per Mariam exundauit.* Carthus.

Tam gratus fuit Deo ille amarissimus Deiparæ iuxta crucem affectus compassionis, & constans patientia, vt illius fructus in nos vberrimè redundaret. Ait Dionys. Carthus. ad hæc: *Per mollem vmbilicum accipi potest tenerrima Virginis compassio in Filij sui passione; qua compassione præcordialissima meruit, & obtinuit nobis pauperculis & pupillis fructum, virtutem, & meritum passionis Filij sui. Quemadmodum enim, teste Philosopho, fœtus per venas vmbilici attrahit sibi à matre nutrimentum: ita & nos per merita præfatæ compassionis, fructum Christi passionis haurimus.*

83. *Maria crater est tornatilis facilè profundens Christo lac, vt nobis ignoscat, nobis gratiæ cœlestis vndam largiens.* Richard.

Piè admodum Richard. de S. Laurent. lib. 2. de laudib. Virg. hanc sententiam exposuit: *Vmbilicus eius crater tornatilis, qui nunquam poculis dicitur indigere. Maria dicitur vmbilicus Ecclesiæ. Quia sicut vmbilicus in medio totius corporis; sic ipsa in medio Ecclesiæ, quæ corpus est Filij sui, omnibus, quantum in se est, parata benefacere. Lacte Virgineo, quod habebat in se vini proprietates, potauit Filium, & inebriauit; quare dicitur crater, vt nostrorum peccaminum ipsum faceret obliuisci. Sicut autem crater tornatilis, si liquore sit plenus, aliquo tactu leuissimo fundit liquorem: sic plena gratia refundit gratiam, quoties tangitur pia prece. Nunquam autem poculis indiget, cum sit gratia plena, & semper hauriat aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Isai. 12.

Non *indigens poculis.* Non dixit *poculo* in singulari, sed *poculis.* Quia plena est Maria Dei Mater omnibus poculis, quæ ad hominum vtilitatem ipsa haurienda ab eis præparauit, postquam à fonte cœlesti accepit. Aptè Richardus lib. 10. *Maria crater recipit quemcumque liquorem, scilicet vinum deuotionis, oleum misericordiæ, mel diuinitatis, aquam lachrymarum, & huiusmodi. Et propter hoc dicitur: Nunquam indigens poculis.* An sibi Maria hosce liquores retinet? Tornatilis est crater, cunctis sitientibus propinatur. *Omnes liquores, quos à Deo suscepit, largè propinat hominibus.*

Illam particulam expendo: *Mel diuinitatis.* Quàm diuinus crater, qui ipsam Dei diuinitatem dat nobis in potum! Audi D. Ildephons. serm. de Assumpt. *De Maria in canticis dicitur, vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis. Verè alnus ille crater tornatilis fuit, quia in eo sapientia se infuxit, quæ miscuit in cratere vinum indeficientem, & diuinitatis suæ plenitudinem subministrauit.* Ex Mariano scilicet cratere, Virgo enim Deum cælitùs recepit in vtero, vt diuinitatis vinum fragili humanitatis aqua temperatum nobis epotandum offerret. 84.

Maria crater hominibus ipsius diuinitatis plenitudinem subministrat. Ildephons.

De Virginitate non solum corporis, sed etiam mentis Mariæ puritate rursus hæc verba expendo: *Nunquàm indigens poculis.* Quidnam est, poculis non indigere, nisi nihil sitire, quod libidinem sapiat? Nam *bibere* in minus modesto aliquando sensu in sacris accipitur. Eccli. 26. *Ab omni aqua proxima bibet.* Igitur *perfecta est in te* ô Virgo, (cum Rupert. loquor lib. 6. in cant.) *virtus castitatis. Quidnam enim est, craterem non indigere poculis, nisi non sitire per appetitum libidinis? Ergo tu ô Sunamitis, corde & corpore es casta: mente & carne integra, & incorrupta, cogitatione, & opere munda. Mente, inquit, & carne integra.* Parui etenim facienda corporis castitas, quam mentis puritas non comitatur. 85.

Mariæ duplex Virginitas corporis & mentis. Eccli. 26. Rupert.

De Rebecca, quæ Isaacci vxor erat futura. Genes. 24. dicitur, *Ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, habens hydriam in scapula sua, puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Si Virginem asseritur esse, quare incognitam esse viro adiicitur? Certè vt vtraque Virginitas, scilicet corporis ac mentis commendaretur. Excogitauit Orig. hom. 10. in Gen. *Quia Rebecca sancta erat corpore & spiritu, idcircò eius duplicat laudem, & dicit: Virgo erat, & vir non cognouerat eam.* Pulchrè olim dictum: *Virgo non est, cui, corrupta mente, corpus integrum.* Perfectissima itaque Deiparæ castitas. 86.

Rebecca dum esset Virgo, corpore & mente casta Mariam expressit. Genes. 24. Origen.

Denique crater hic tornatilis, seu Virginis Maternitas pacis poculum exhibuit, quo inter Deum, & homines ablata sunt bella. Asserit Tertullianus, olim amicitias crateris mero pleni traditioni solitas stabiliri; vini enim haustu discordes animi conciliabantur. Hoc vinum Deipara in vteri sui cratere porrexit Deo & hominibus inter se conciliandis. Appositè D. Ildephons. serm. de Assumpt. Maria *posuit mensam, miscuit vinum in cratere ventris sui.* Iam meritò adiicit, *Inuenta sum coram eo quasi pacem reperiens* Cant. 8. vbi sermo redibit. 87.

Per Mariam inter Deū & homines pax constituitur. Tertul. Ildephons. Cant. 8.

Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.] Hic Mariæ Maternitas simul cum Virginitate celebratur. Duo tuo ô Virgo contemplor in vtero, quæ visa sunt nunquam, nec deinceps sunt aspicienda, nempè fructus cum flore, triticum cum liliis, Maternitas cum Virginitate. Damasc. orat. de Assumpt. Mariam *inaratum cœlestis panis aruum* appellat. Ob Maternitatem *aruus panis* dicitur. Ob Virginitatis lilia *inaratus* nuncupatur. Idem de dormit. Virg. *Christus nullius agricolæ excultus est fructus.* Zachar. Episc. Chrysopol. *Dominus in Nazareth concipitur, & in Bethlehem nascitur. Nazareth florem, Bethlehem panem interpretamur.* Vt indicetur 88.

Maria cum Virginitate Maternitas. Damasc. Zachar.

dicetur, in Mariæ vtero triticum fuisse simul ac lilia, Maternitatem & Virginitatem. Ildephonsus lib. de Virginit. Mar. cap. 1. *Antè partum sancta Virgo, B. Virgo, gloriosa Virgo, honesta Virgo. Post generationem Verbi Incarnati sanctior, & sanctissima Virgo, gloriosior & gloriosissima Virgo, nobilior & nobilissima Virgo, augustior & augustissima Virgo, honestior & honestissima Virgo.* Idem cap. 2. *Elegantissimè alternat honor Matris & Virginis in vna persona. Alternat Virginitas in generante, & in Virgine generandi facultas; & neutrum cedit vlli: & vtrumque in alterutris seruatur: vtrumque seruatur in proprio, vtrumque transit in alterum.* Venantius Poëm. 5. *Dignus ager Domini generans sine semine frugem. Et non cassa seges messe repleta places.* Amadæus Episcop. homil. 3. de laud. Virg. *Hæsisti Virgo pulcherrima strictissimis amplexibus Auctori pulchritudinis: & affectu plus Virgo, imò plusquam Virgo, quia Mater & Virgo. Hoc sanctum semen Deifica infusione suscepisti. Non solùm Maternitas tibi florem non ademit Virginitatis, sed addidit. Plus Virgo fuisti, cum facta es Mater Dei.*

Nemo audeat de Maria irreuerenter loqui, aut sentire. Ambros.

89. Quæsieris, cur Mariæ sacerrimus vterus aceruo tritici liliis vallato comparetur? Quænam inter septum, & lilia proportio? Septum dicit robur, & munimen, lilia sunt quid debile, & infirmum. Cur ergo venter, seu Maternitas Virginis *tritico munito liliis* (vti legit Ambrosius orat. de obitu Valent.) æquiparatur? Profectò vt nemo audeat ad Mariam Dei Matrem irreuerenter accedere: vt ei detrahat tantæ gloriæ, tantæ maiestatis particulam, necessarius non est septus impenetrabilis, sufficit fragilis vallum liliorum. Rab. Salomon apud Genebrard. *Sufficit ei sepes tenuis liliorum; nec vllus est, qui eam perrumpat ingressus causa.* Et Isidorus Clarus acutè quidem. *Venter*, inquit, *vallatus liliis, vel rosis est: vt lilia, & rosæ significent sepem debilem, quam quivis facilè transilire posset; sed recti ob reuerentiam minimè eam transiliant.* Omnis comitas, omnis pietas, omnis reuerentia Mariæ Dei Matri debetur; quilibet *rectus* perrumpere sepem non audebit, vt à Deipara detrahat vel particulam priuilegiorum, quæ ad tam augustam attinent dignitatem.

Omnis comitas, omnis pietas Mariæ Dei Matri debetur.

Maria custodia Angelorum stipatur ad honorem, & maiestatem.

90. Multi Interpretes existimant, lilia vterum Mariæ Dei Matris vallantia Angelorum signare custodiam non quidem indigentiæ, sed maiestatis. Deus enim illam specialissima prouidentia à primo conceptionis instanti circumdedit. Profectò nonnulli Patres singularem Angelorum custodiam Virgini assignant. Bernardus epist. 77. *Excepto Archangelo eius, qui & illi seruandæ ab initio assignatus fuisse creditus est.* Guillelmus 2. sentent. distinct. 2. *Virgo habuit Angelum custodem.* D. Antoninus 4. part. summ. tract. 15. cap. 19. §. 2. *Hæc ergo Psaltes gloriosa habuit, & spiritum suum supremum in ordine Angelorum. Quare non credetur habuisse nobilissimum spiritum* Dei Mater futura? Quinam verò nobilissimus hic spiritus? An Gabriel? Sophronius de Assumpt. *Virginem Angelus Gabriel vt cælestis paranymphus custodiuit.* Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. *Gabrieli Archangelo eius tota causa commissa est.* D. Hieronym. tom. 4. epist. 10. idem asserit.

Vnicus Angelus custos Virginis. — *Hic fuit Gabriel.*

Magno in numero fuêre Mariæ custodes Angeli designati.

91. Alij existimant magno in numero fuisse à Deo Mariæ custodiæ Angelos assignatos. Bernardin. Senens. serm. 51. *Adfuit Virgini Angelorum protectio; assidebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectione. Piè enim creditur, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam.* D. Bernard. serm. 89. in Cant. *Angelicis suffulta ministeriis, & suprema stipata agmine sponsa incedens similis est equitatui Domini.* D. Chrysostomo sequens clausulá tribuitur: *Infinitam militiam Angelorum ad gloriosissimæ Mariæ obsequium deputatam nullatenus ambigimus. Qui cauerent, nè præparatum æterni Regis hospitium hostes intrarent.* D. Greg. Nicomed. de Annunc. *Oportebat, non vnum inseruire Angelum Mariæ, sed decies millia millium eam stipasse.* Damasc. orat. 1. de Natiu. Mar. *O sanctissima Filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris?* Alan. ad cap. 4. Cant. *Maria hortus conclusus Angelorum custodia circumseptus.*

Angeli Mariæ in vita, in obitu, in Assumptione, & nunc in cœlis ministeria exhibent.

92. Alij denique Virginis in vita, in obitu, in Assumptione, & post Assumptionem peculiaria assignant ei ab Angelis oblata ministeria. Vt scilicet constet, nó tam ad custodiam, quàm honorem & obsequium Reginæ Mariæ fuisse cœlestes Principes assignatos. Fuit itaque Maria antè Conceptionem ab Angelis celebrata. D. Thom. 3. p. q. 30. art. 2. ex Dionysio de cœlest. hierar. cap. 7. *Angeli ab initio creationis suæ Incarnationis mysterium cognouerunt.* Et per consequens (teste Suar. nostro hic disp. 22. sect. 1) Mariam futuram Dei Matrem. Quam quidem elogiis cœlestibus extulerunt. Angelus Mariæ parentibus illius Natiuitatem Annunciauit. D. Hieron. de Nat. Mar. *Angelus Domini Ioachimo cum immenso lumine adstitit, dicens: Vxor tua Anna pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam. Hæc enim erit, vt vouistis, ab infantia Domino consecrata.* Angeli in Mariæ Conceptione exultant, D. Vincent. Ferrarien. serm. 2. de Natiu. Mar. *Illicò ac concepta fuisti, Angeli in cœlo fecerunt festum Conceptionis.* Angelus nomen Mariæ à Deo impositum parentibus præscripsit. Idiota lib. contempl. de B. Mar. *Vocabitur tibi nomen nouum, ô beatissima Virgo, quod os Domini per Angelum nominauit.* Ierosolymæ cum adesset in Templo puella ab Angelis fuit cibis cœlestibus enutrita. Pantal. Diaconus apud Metaphrast. affirmat, à Zacharia patre Ioannis, *Visos fuisse Angelos, qui Mariæ cibos in Templo ministrabant.* Angeli viuificæ Mariæ morti, gloriosóque funeri adstiterunt. Sophron. serm. de Assumpt. *Ad cuius exequias Angeli famulabantur, & vniuersa congratulabatur cœlorum curia.* Brigitta lib. 6. c. 62. *Post hæc autem* (Maria ait) *amici mei Filij diuinitus missi corpus meum in valle Iosaphat sepelierunt; cum quibus fuerunt Angeli infiniti, quasi athomi solis.* In rerum natura nihil leuioris substãtiæ, quàm solis athomi: Angeli autem coram Mariæ corpus exanime sub athomorum forma apparent, quasi profitẽtes, se in Mariæ etiam vita functæ conspectu propè nihil existere. Quid coram Maria Regina viuente? Angeli Mariam in cœlum assumptam stiparunt. Bernard. serm. 1. de Assumpt. *Quis cogitare sufficiat, quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo?* Angeli denique Mariã ad Filij dexteram sedentem æternùm concelebrant. Damasc. orat. de dormit. Virg. *Nec minus Seraphim gloria afficiuntur, cum gloriæ parenti gloriam tribuunt.* Ephren. de laudib. Deip. ser.

Hæc est canticum Seraphin, & Cherubin melodia. Est hymnodia Angelorum, est melos Angelicum. Antoninus part. 3. tit. 15. cap. 44. *Ad hunc igitur supremum ordinem Seraphim perueniente Maria Seraphica facta, obstupescentes de tanta gloria sublimitate: canticum eorum quod Isaias* cap. 6. *audiuit, Sanctus, Sanctus, Sanctus, mutarunt in hoc, dicentes: sancta Dei Mater, sancta Virgo, sancta Maria.*

Antonin.

93. Abbas Philippus ait, in aceruo triticeo innumerabilium granorum congeriè priuilegia ac merita Deiparæ designari, quæ eius Maternitati signatæ in ventris vocabulo debentur. Quibus priuilegiis, ac meritis virginitatis ac puritatis illius lilia apponit vt vallum ad omnium custodiam. *Tanta Mariæ in vita priuilegia tanta, nè pradones auferre præsumant violenter, ne fures diripere, nè vel mures detrahere fraudulenter appetant, vallatur quidem non sudibus, non lapidibus, non cæmento, sed liliis, hoc est, munditia, & gratiæ inuiolabilis blandimento.* Tanta enim puritas Mariæ, vt valeat cunctorum fortissimorum hostium vires infirmare.

Maria Virginalis puritas tanta, vt possit sua ineffabilia merita, & priuilegia à fortissimis hostibus defendere.
Philip.

94. Rupertus verò in tritico Deiparæ sapientiam cœlestem contemplatus vallatam castitatis liliis, vt dignè possit Ecclesiæ Magistra cunctos fideles fidei mysteria edocere. *Venter,* inquit, MARIÆ *est sicut aceruus tritici nunquam indigens pane Verbi Dei: imò abundat omni tristitia quodcumque seminauerint omnes alij. Illuc illatum est omne, quod Prophetarum fides elaborauit: Huiusmodi aceruus benè vallatus est liliis; quia pulchritudo castitatis sicut claritudinem sensus, ad intelligendas scripturas efficit: ita & authoritatem parat omni homini, vt dignus sit foris eloqui ea, quæ intus reposuit, vel contulit verba Dei, triticum Domini.*

Maria Ecclesiæ Magistra dignissimè ob castitatē ineffabilem potest cunctos edocere.
Rupert.

95. Eleganter de more Abbas Guillelmus in aceruo hoc triticeo Virginis in ventre coacto signari credit omnia priuilegia, cunctas gratias, quæ in omnes homines Deus est collaturus. Ac si in Mariæ ventre, seu Maternitate fidelibus eius filiis sint digerendæ, ac ex ipsa eis communicandæ. *Quia cibo vita* (inquit ille) homines pascuntur vitaliter, & eo Matris Mariæ venter tumet, (quasi in horreo reposito) aptè propterea aceruo tritici comparatur. *Non enim est cibus* (gratiæ, aut virtutum) *hominibus*, nisi *ex ventre virgineo,* (siue ex Virginis Maternitate.) *Itaque non aliundè quam ex aceruo illo virgineo vitalis ad nos manauit* gratiæ *refectio.*

Omnia priuilegia, omnes gratia quibus à Deo fideles cuncti donantur ex Mariæ vtero Materno, siue ex eius intercessione procedunt.
Guillelm.

96. Inferius autem duplicem Mariæ Virginitatem corporis scilicet, & animi ex dictione illa, *Vallatus liliis* rursum commendat. *Aceruum istud tritici vallauit Dominus liliis, id est, perpetua virginitatis candore. Nec enim dicitur vallatus lilio, & liliis propter duo lilia virginitatis, vnum intus in animi proposito, alterum foris in corpore incorrupto. Sine lilio interiori lilium exterius nihil est; quoniam sine proposito animi, carnis incorruptio est inanis. Sine lilio exteriori lilium interius non est; quia carnis incorruptione non extante, nullum in animo virginitatis est propositum.* Perfectissima igitur Mariæ Virginitas, quæ ex animi proposito & ex carnis incorruptione coalescit. *Venter eius vallatus liliis.*

Duplex Mariæ Virginitas corporis ac animi.
Guillelm.

97. Hailgrinus Card. trahit hæc verba ad spiritualem Mariæ vterum, quo doctrinæ triticum postmodùm Apostolis tradendum asseruabatur. *Venter*, ait, *spiritualis Mariæ, mens scilicet, aceruo tritici comparatur. Nam cum ipsa omnia verba conseruaret, & conferret in corde suo: ipsa tunc sancti Euangelij conseruauit triticum, quod Apostolis postea tribuit ruminandum.*

Maria Apostolorum Magistra.
Hailgrin.

Idem Doctor de fœcunda Deiparæ virginitate locum exposuit. *Vterus Virginis coaceruatum in se habebat triticum, quo pasci debeat columba, quo nutriri debeat Ecclesia.* En fœcunditas. *Et hic venter vallatus dicitur liliis, candore videlicet munditiæ virginalis.* En virginitas. Dionysius Carthusianus contestatur. *Virgineus ille intemeratissimæ adolescentulæ vterus ex prole adoranda fœcundus, atque tumescens, aceruo tritici rectè assimilatur. Et quoniam idem mundissimus vterus omni castitate redolentissimus extitit, meritò liliis decoratus obiicitur.* Per pulchram do D. Ildephonsi lib. de Virginit. Mar. cap. 2. sententiam. *Ecce insolito modo, insolito visu, insolito iure: in vna persona, in vno corpore, in vna conditione, in vna ætate alternat honor Matris, & Virginis: alternat pudor Virginis & Matris: alternat in generante virginitas: alternat in Virgine generandi facultas; & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur: & neutrum impeditur ab inuicem, & ambo properant sibi. Vtrumque seruatur in proprio, vtrumque transit in alterum: quia ambo vnum, quia duo idem, quia diuersa id ipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superuentum. Non Matrem Virginitatis deserit decus, non Virginem maternus impedit partus; & Virginum non violat fœtus, & Matrem non violat pudor virgineus.* Vnde illud: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.*

98. *Mariæ Maternitas cum Virginitate coniuncta.*
Hailgrin.
Carthus.
Ildephons.

Leo Imperator homil. 6. de laudib. Virg. pressius hoc celebrauit elogium. O MARIA, *ô Virgo, ô Mater, quæ virginitatem, & partum valde inter se diuersa in te coniuncta monstras!* Adiicit consequenter, *O tegumentum, ô perfugium, quæ totum mundum contines, & seruas!* Ex fœcunda Mariæ virginitate mundi salus consequitur. Ideò postquam dixit sponsus, *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis,* adiecit: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Vt Virginis pietas elucescat, quæ fœcundæ virginitatis priuilegium in nostram dirigat protectionem.

99. *Priuilegium fœcundæ Virginitatis Mariæ in hominum dirigit protectionem.*
Leo Imper.

Celebrat hoc Virginis ac Matris elogium Ioannes Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim, & in vtero habens clamabat.* In cuius expositionem illud Apostoli 1. Corinth. 15. præmitto: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum.* Vbi Diuus Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 351. *Soli eos, qui amplexi sunt virginitatem. Lunæ autem eos, qui continentiam. Stellis eos, qui honorabile connubium amplexi sunt, at conseruarunt, comparari licet. Maximè cum D. Paulus calculum suum addat, & dicat: alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum.* Preme particulam, *Stellis eos cōparat, qui honorabile connubium amplexi sunt, & conseruarunt.* Quidnam conseruauerint, requiro: ij, qui *honorabile connubium sunt amplexi?* Planè virginitatem, vt de nonnullis diuis

100. *Maria Stellis coronatur, quia Mater: induitur Sole, quia Virgo.*
Apoc. 12.
1. Cor. 15.
Pelus.

diuis Ecclesiastica refert communi admiratione Historia. En Mariæ nuptæ Iosepho gloria. Stellis coronatur, quia Mater; induitur Sole, quia Virgo.

101. *Qui Mariæ sodalitio adscribuntur debēt vnione, & pace colligari.* In aceruo tritici illo, cui Mariæ venter assimilatur fideles contemplor, quos Deipara verè Mater in vitam enititur. Quæsierim autem, quare non hi comparantur spicis tritici, sed granis? Crediderim, quia grana in aceruo inter se cohærent, vniuntur, in agro separantur, imò & spicæ armis ostentantur instructæ. Quid aristæ, quid granorum externa indumenta, nisi lanceas & thoraces obiiciunt? Porrò in aceruo exarmatæ aspectantur, concordiaque vniuntur. Qui Virginis fulciuntur in vtero, qui eius sodalitio adscribuntur, & filios se magnæ Matris esse profitentur, à rixis penitus alieni, debent charitatis, pacisque vinculo colligari.

102. *Cum Mariæ sodales dissident inter se, Matris pia quodammodo viscera extorquent.* Gen. 25. Guatric. Væ illi, qui spiritualiter in Mariæ vtero conceptus, eam dissidiis torquet. Rebecca filios gestabat in vtero non instar granorum vnitos, sed spicarum armis instructarum instar dissidentes, & decertantes. Vnde Mater conqueritur: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Gen. 25. Ad quæ Guarricus serm. 3. de Annunc. *Cum se colligerent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ prius orauerat, vt conciperet: dolensque ventrem suum à tribulatione malorum, & dolore, penè pœnitebat, quod concepisset. Si sic, inquit, futurum mihi erat, quid necesse erat concipere? Si de aliquo nostrum fratres* sodales Deiparæ, *sic conqueri contigerit viscera Matris nostræ, timeo, nè melius fuisset, si conceptus non fuisset homo ille.* Cultores ergo Virginis tritici sint aceruus, non pugnaces spicæ.

103. *Veri Mariæ cultores sanctitate fulgent.* Cum autem in Virginis vtero, seu in materna pietate Mariæ grana, (seu illius cultores) à palleis omnino separata contemplor, iustitiam, virtutem, sanctitatem, qua veri Mariæ cultores fulgurant, recognosco. Tam piè enim degunt, vt nec leuium piaculorum palleis, seu imperfectionum stipulis inficiuntur.

104. *Omnis gratia communicanda hominibus ad Mariam profluit, vt ipsa eam illis vbertim expendat.* Per Christum omnis iustitia, & æquitas, quæ hominibus communicanda est, venit ad Virginem, quæ quidem illam hominibus vbertim expendit. In cœlesti Zodiaco post Leonis signum Virgo sequitur, mox post Virginem Libra ostentatur. Christus. *Leo* est *de Tribu Iuda*, è quo æquitas hominibus impertienda in Matrem *Virginem* deriuatur. Si autem æquitas diffluit in Virginem, illico in *Libram* pergit, hominibus affatim *libranda*. D. Zeno serm. 5. ad Neophyt. *Leo noster est, Christus, quem competenter sequitur Virgo, prænuntians Libram; vt nosceremus, per Filium, qui incarnatus processit ex Virgine æquitatem & iustitiam terris illatam.* Porrò inter Leonem & Libram Virgo adest, quia Christus per Virginem Matrem æquitatem hanc vult hominibus communicari. Vnde qui speciali affectu Virgini adhæret, quasi Libra est, nempè non solum iustus, sed ipsa iustitia quodammodò potest vocitari.

Zeno.

Qui specialiter Mariam colit, nō solum iustus, sed quodammodo ipsa est iustitia.

105. *Maria quia* Cur non dixit, *Sicut granum*, si Virgo vera Mater est solius grani, (qui de se dixit, *Nisi granum frumenti cadens in terram, &c.*) Sed *sicut aceruus tritici*? Profectò vt edisceremus, Virginem ex eo, quod illius vnici grani, id est, Christi Domini vera Mater est, omnium fidelium simul esse parentem: adoptione enim cuncti ad Mariæ vterum pertinemus. D. Ambrosius lib. de Instit. Virg. *Vnum granum frumenti fuit in vtero Virginis Christus Dominus, & tamen aceruus tritici dicitur; quia granum hoc continet omnes electos, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* *Dei est Mater omnium fidelium etiam Mater existit.* Ambros.

An-non est ager ille Mariæ venter, de quo Isaacus Gen. 27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Plenus ager Virginis venter. An vnicum continet frumenti granum Dei Filium? Adiicit Patriarcha. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti.* Abundat Maria tritico, venter eius velut *tritici aceruus*, ager est non vnici fructus, Christi videlicet, sed fructuum plurimorum. D. Gregorius Thaumat. serm. 1. de Annunc. Maria *ager est, qui non exaratus fructus profert pulcherrimos. Fructus* dixit, quia omnium fidelium Mater extitit. 106. *Maria ager est non fructus vnius, sed plenus.* Genes. 27. Thaumat.

Maria benedicta dicitur ob benedictum vteri eius fructum Christum Dominum. *Benedicta tu in mulieribus, (* dixit Elisabeth,*) & benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. Quomodo ergo dixit Thaumaturgus, *fructus pulcherrimos* protulisse? Certè quia eo ipso, quod fructum illum vnicum corporaliter peperit, omnes fideles spiritualiter est enixa. Ait Richardus de S. Laurent. lib. 8. de laud. Virg. *Ideò benedicta est in mulieribus, non tantum quia sola sine concupiscentia concepit, & sine dolore peperit Christum; sed quia præ omnibus in prole multiplicata est. Etsi enim corporaliter vnicum genuit Filium, in eo spiritualiter Mater effecta est magna multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est.* 107. *Maria vnicū fructum corporaliter edēs, innumerabilium fructuū spiritualis est Mater.* Luc. 1. Richard.

Nec solum Maria vnum vitæ arborem Christum producens, pulcherrimos edidit fidelium fructus; sed & integrum vitalium paradisum lignorum germinauit. Vnde sponsus Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Non dixit: *Emissio tua paradisus*, sed *Emissiones tuæ*. Vt signaret Virginem corpore vnicum Filium Iesum peperisse, sed simul ideo factam fuisse spiritualem omnium fidelium Matrem. Guillelmus ad hæc. *Emissiones sunt fructus ex Maria. Vnicus eius fructus est Iesus, sed in vno illo multiplex fructus. In vno Saluatore omnium Iesu multos Maria peperit ad salutem; pariendo vitam multos ad vitam peperit. Eo ipso quod Mater est capitis, eius membrorum Mater est.* Iusti fructifero ligno à Dauide comparantur. *Et erit sicut lignum,* quod *plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Psalm. 1. Ergo quicumque propter iustitiam arbor viuens nuncupatur, Virginis est emissio. Emissiones tuæ ô viuentium Mater omnia fructifera Ecclesiastici paradisi sunt ligna. 108. *Non solum Maria fidelium fructus plures produxit, sed integrum peperit, arborum plenarum fructibus paradisum.* Cant. 4. Guilelm. Psalm. 1.

Verſ. III.

Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

109. *Mariæ debemus non iam ſpe gloriæ nutriri, ſed quodammodo hic ipſa gloria paſci.*

HAbes cap. 4. verſ. 5. vberem horum verborum, *Duo vbera tua, &c.* in laudem Virginis ponderationem, Nonnulla adiiciam. Ad primum quæſierim, cur cap. 4. dicitur. *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ, qui paſcuntur in liliis*, hîc autem particula. *Qui paſcuntur in liliis* detrahitur? Reſpondeo comparati illo cap. 4. Mariæ vbera hinnulis lilia edentibus, quia nondum Natiuitatis ſeu Incarnationis Chriſti facta fuerat mentio. Vnde tunc qui vberibus Mariæ filij adoptiui nutriebantur lilia carpebant, ſola ſpe, floribus ſolummodo paſcebantur. Poſtquam verò Maria Dei Mater eſt, non indigent filij eius floribus, cum ipſa nobis ex vtero ſuo, qui aceruo tritici aſſimilatur, nobis impertiat hunc panem, in quo eſt vita æterna, qua quodammodo vel in præſenti fruimur. Ne ab vberibus Virginis abſtraharis æternum gere erga illam affectum; & vt vulgari idiomate facilius exponam. *Haz cuenta, que tienes ya la gloria en la manos.*

110. *Qui Mariæ vbera ſugit, humilis & caſtus procedet.*

Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.] Capream Eccleſiam eſſe dixerim, duos hinnulos vnum & alterum fidelium populum; duoque vbera Deiparæ humilitatem, & caſtitatem. Superbus Iudæorum populus ſugit à Mariæ vbere humilitatem, immundus olim Gentilium populus lac caſtitatis ſuxit. Honorius in ſigillo. *Caprea eſt Eccleſia: duo hinnuli, duo fidelium populi ex circumciſione, & ex præputio: qui lac humilitatis & caſtitatis imitando ſuxerunt de vberibus B. Virginis.* Eccleſiæ ergo filius, qui ſuperbiæ, aut libidinis vitio laborat, Mariæ vbera ſugat, humilis proculdubio, & caſtus procedet.

Honor.

111. *Mariæ virginitas & fæcunditas* Rupert.

Rupertus verò vtramque ſimilitudinem capreæ hinnulorum, & eburneæ turris virginitati ac fœcunditati Deiparæ accommodat. *Iſta*, inquit, *laus libera oppoſita eſt vituperationi ancillæ, imò & ancillarum, quæ ex vna factæ ſunt duæ. Fili hominis* (*ait Dominus ad Ezechielem cap. 23.*) *duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ ſunt in Ægypto in adoleſcentia ſua: ibi ſubacta ſunt vbera earum, & fracta ſunt mammæ pubertatis earum. Quanta iniuria ſeruilitatis in illa tali ſubactione vberum, talique fractura mammarum! Et quantum decus libertatis hîc ſecundum ſimilitudines iſtas, videlicet hinnulorum gemellorum capreæ, atque turris eburneæ! Ergo tu ô libera Sunamitis* MARIA, *tu maximè, cuius vbera ſunt gemella, ſæculis omnibus inaudita virginitas, atque fœcunditas. Tu inquam, ô dilecta ſingularis, libera es ab omni iugo peccati ſecundum iſtas ſimilitudines hinnulorum capreæ, & turris eburneæ.* In eburnea itaque turri virginitatis Mariæ puritas, candidiſſima in vberibus lacte plenis, & gemellis hinnulis fœcunditas deſignatur.

112. *Maria nutrit nos ad vitam æternam, dum ad temporalem lactat Saluatorem.*

Non incongruè autem in duobus hinnulis gemellis vtriuſque ſexus fideles contemplor, quos Deipara nutrit ad vitam æternam, dum ad temporalem nutrit Saluatorem. Audi ex Abbate Guillelmo. *Hinnulos*, ait, *gemellos interpretor fideles vtriuſque ſexus, eo quod vno partu à caprea* (*nempè Eccleſia*) *ſunt effuſi, & in accipienda gratia non eſt diſtinctio apud Deiparam maſculi & fœminæ. His Mariæ viſcera Saluatorem ediderunt. Nam ſicut magnus ille paruulus natus eſt nobis, id eſt, ad ſalutem noſtram, ita etiam nutritus eſt nobis. Pariebat nobis Virgo Mater ſalutem: atque eo ipſo pariebat nos ad ſalutem: ſacro lacte ſuo nutriebat nobis vitam, atque eo ipſo nutriebat nos ad vitam. Piis caput noſtrum brachiis ſuſpendebat ad vbera ſua, & nos ad eadem in illo ſuſpendebat. Nec ſibi ille naſcebatur, nec paſcebatur, ſed nobis: atque ideò nos in illo naſcebamur, nos in illo paſcebamur. Duo ergo vbera piæ Matris ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

Guillelm.

113. *Mariæ debemus, Chriſti Dei & hominis eſſe fratres.* Guillelm.

Pondera illam particulam, *Piis caput noſtrum brachiis ſuſpendebat ad vbera ſua, & nos ad eadem in illo ſuſpendebat.* Vnde debemus Virgini fratres Ieſu Dei & hominis eſſe. O Matris magnæ Mariæ pietatem, quæ effecta Dei Parens, ſimul curat hominum eſſe parentem.

114. *Maria nos Chriſti fratres cum ipſo peperit.* Guillelm.

Nec hunc ſolummodo in lactatione Ieſu expreſſit affectum, ſed & in partu. Nam nos (ait Abbas) *in illo naſcebamur*, & *nos in illo paſcebamur.* Non inquit: *Naſcebamur cum illo.* Vt ex Deiparæ affectu non poſſemus homines membrorum inſtar, à Chriſto noſtro capite ſeparari.

115. *Videtur quodammodo Maria oſtendere maiorem erga nos, quam erga Chriſtum affectum.*

Nec verba illa ſine pondere excidant: *Pariebat nobis Virgo Mater ſalutem, atque eo ipſa pariebat nos ad ſalutem: ſacro lacte ſuo nutriebat nobis vitam, atque eo ipſo nutriebat nos ad vitam.* Gratiæ ſcilicet & gloriæ. Annon hoc ex capite plus erga nos quam erga Ieſum maternus Mariæ affectus obiicitur? Nutrit Filium ad temporalem vitam tuendam, nos in illo lactat, vt ſpiritualem gratiæ & gloriæ aſſequamur.

116. *Maria Ieſum caput hominum nutriuit, vt ipſe nos ſua membra nutriret.* Guillelm.

Imò pietas Mariæ efficit, vt ipſe Chriſtus Dominus noſtrum caput nos eius membra enutriat. Caput enim velut membrorum nutritius oſtentatur. Ad hæc Guillelmus. *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli, hoc eſt, duo vbera tua duobus congruunt hinnulis. Planè congruunt eis, id eſt, infirmitati eorum lac propinant dulcedinis eo ipſo, quo Chriſtum pro tempore nutrierunt*, vt ipſe nos ſua membra nutriret. *De quo infirma anima per Prophetam dicitur, iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Pſalm. 54. *Verè* (concludit) *duobus hinnulis, id eſt, ex vtroque ſexu electis duo piæ Matris vbera congruunt, id eſt, imbecillitatem eorum congruè fouent, & nutriunt eo ipſo, quo nobis pro tempore nutritorem omnium nutrierunt.* Nutriit itaque Deipara omnium nutritorem, vt ipſe caput noſtrum, nos ſua membra nutriat.

117. *Maria totam ſeſe nobis vbera eſſe oſtendit, vt vberius ex ea virtutibus nutriamur.* Alan.

Alanus denique duo vbera exponit *carnem Virginis ab omni concupiſcentia puram, & virginitate decoratam: & animam virtutum deliciis refertam.* Vt munificentiæ Mariæ erga nos oſtendatur vbertas, cum non iam duo vbera cuique fœminæ agnata nobis exhibeat, ſed totam ſe conuertat in vbera, vt oberius cuncti virtutum liquore puriſſimo potaremur.

Addit

118\. *Christus ex corporis ac anima Mariæ vberibus interminabilem iucunditatem percipit, & vberrima erga illam dilectione potatur.* Alanus.

Addit Doctor, Virginem Christo Domino duo hæc vbera animæ scilicet, & corporis sugenda præbuisse. Quonam effectu? Dum nos sugimus virtutum exempla, Christus iucunditatis & dilectionis in Matrem lacte nutritur. *Corpus*, ait, *& anima Deiparæ vocantur vbera, quia ex iis Christus suxit specialiter iucunditatis, & dilectionis pabula.* A materialibus Mariæ vberibus Christus post consuetum lactationis tempus amotus fuit; sed animæ & corporis mysticis vberibus Matris semper adhæret, vt interminabilem percipiat dulcedinem ex ineffabilibus tantæ Matris perfectionibus, queis magis, ac magis in illius dilectione accendatur.

Mariæ corpus & anima corpori ac animæ Christi assimilatur. Alan.

Concludit Doctor, *Caprea Christus est, & huius duo hinnuli caro & anima Christi, quibus cum carne & anima Virginis maxima fuit similitudo.* Quanta in anima & corpore Mariæ puritas, si animæ ac corpori Christi digna est assimilari!

Vers. IV.

Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

119\. *Tam fortis Mariæ castitas, vt possit ipsam munire humilitatem, quæ in aliis castitatem munire assolet, vt persistat.* Honor.

COllum tuum sicut turris eburnea.*] Plura scripsi ad illud Cant. 46. *Collum tuum sicut turris David*; nonnulla adiiciam. Dum Infans Iesus Mariæ purissimis hærebat vberibus, collum illius de lactentis Infantuli more contrectabat, eique loco lactis accepti, illius castitati humilitatis infundebat affectum. Honorius ad hæc: *Duo Mariæ vbera fœlicia, quia suxit ea Dei sapientia. Collum etiam eius beatum, quia sæpè est brachiis Filij Dei amplexantis circumdatum: & ideo sicut turris eburnea, quia castitate contra superbiam firmiter munitum.* Castitas in aliis, vt persistat, solet humilitate muniri contra superbiam. At tam fortis Mariæ castitas, vt ipsam valeat munire humilitatem. *Si castitas* (addit Doctor) *humilitate non muniatur, superbiæ patet.* Tanta autem est in castitate Mariæ fortitudo, vt ipsa possit munire, inuincibilemque facere ipsam humilitatem.

120\. *Fortis est instar turris, Maria humilitas.* Rupert.

Rupertus verò in hisce verbis Deiparæ humilitatem celebrari sigillatim affirmat. *Quid est*, ait, *collum tuum, vel quale est? Vtique non extensum, imò amabiliter demissum: & hæc est humilitas tua fortitudo tua magna, fortitudo pulcherrima. Verè sicut turris eburnea, quæ & aspectu amabilis, & statura sit fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis; diabolo autem terribilis, & inaccessibilis.*

121\. *Maria Deo fortis ostenditur, ad eius iram infirmandam, dũ se humilem in illius conspectu profitetur.*

Quomodo Maria Deo fortis ostenditur? Certè dum se humilem in eius conspectu profitetur. Numen enim aduersus peccatores iratum humili precatione pacatum reddit, strictique gladij hebetat acumen. Iacob humilitate potuit quodammodo Dei fortitudinem infirmare. *Si contra Deum fortis fuisti*, (Numen ait) *quantò magis contra homines præualebis?* Genes. 32. Queisnam armis Iacob cum Domino decertabat? An-non humilitate? De Iacobo Oseas cap. 12. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum* Dei personam gerentem: *& confortatus est.* Vndenam tanta ei fortitudo? *Fleuit, & rogauit eum*, humili affectu vicit. Moses Deum ira succensum contra populum humili oratione compressit, nè in illum irrueret. Dauid, *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione*, (id est, in humili capitis & cordis demissione,) *in conspectu eius*, populus periisset. Recognoscens autem Deus vires humilitatis, ei Exod. 32. dixit: *Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Vt autem illum Deus ad dimittendam humilitatis pugnam afficeret, addidit, *Faciamque te in gentem magnam.* Videns autem Deus quod humilitatis potentiam superare non posset, denique dixit, *Dimisi iuxta verbum tuum.* Si hi humilitate victores euaserunt, quantò fortius Maria Deum iracundia accensum debellabit ineffabili illa capitis demissione: *Ecce ancilla Domini*, cum Domina ab Archangelo prædicatur. Hanc excogitationem ex Ruperto confirmo. *Quali fortitudine luctabatur iste vel ille, Moyses, & Iacob? Profectò humilitate. Igitur ô dilecta, collum tuum, quod est humilitas tua, turris eburnea, id est, fortissima est, atque pulcherrima, quam respiciens Altissimus, dedit tibi, &c.* Non fuit necesse, vti Patriarchæ illi Deum ad certamen adducere, respicere sufficit turrim tuæ humilitatis fortissimam, vt *det tibi* quidquid libuerit postulare.

Gen. 32.
Ose. 12.
Psal. 105.
Exod. 32.

Non pugnat Maria cum Deo, sufficit enim Deum illam aspicere, vt det illi quidquid libuerit postulare.

122\. *Maria sanctitatis est turris vincens omnes sanctitatis turres celsitudine.* Guillelm.

Guillelmus autem asseruit, per eburneam turrim exempla sanctorum illorum Abrahæ, Isaacci, Iacobi, Dauidis, & cæterorum significari, Deiparam verò turrim esse cunctis sanctitatis turribus præcelsis eleuatiorem; omnes enim mirum in modum superauit. *Si per turrim, inquit, exempla Sanctorum significantur, sanè Deipara talis verissimè vocatur, quæ multò sublimius cæteris ex ebore illo antiquo turrim fortitudinis cunctis hostibus tremendam extruxit. Quippe antiquorum virtutes in suis moribus non modò perfectè expressit, verùm etiam in eisdem virtutibus superexcellenti gratia modum antiquorum longè excessit, vicitque singulos non tantum in aliis, sed & in præcipuis illorum: Abraham in obedientia, Moysem in mansuetudine, Dauidem in humilitate, &c.*

123\. *Maria turris ad miserorum refugium.* Hailgrin.

Porrò Cardinalis Hailgrinus acutè obseruauit, in turri signari miserorum refugium: in ebore præter candorem castitatis, & firmitatis constantiam, etiam quod ebur est os elephantis, qui habet agnatam cum dracone inimicitiam. *Beata autem Virgo* (inquit ille) *pugnam habet perpetuam cum serpente, vt nos ab illo turris fortitudinis tueatur.*

124\. *Sine Maria Ecclesiæ collo, Christi capitis nostri non fruemur influxu.* Richard.

Richardus de S. Laurent. lib. 5. sic Mariæ pulcherrimum collum laudibus effert: *Collum tuum sicut turris eburnea. Ipsa enim est collum Ecclesiæ propter coniunctionem diuinitatis, quæ per caput, & humanitatis, quæ per corpus figuratur. Quia in vtero eius facta est coniunctio diuinæ & humanæ naturæ: & vnitum genus humanum Christo capiti suo, vt in humana natura simus vnum cum Deo.* Tolle collum, membra

membra à capite omnino feparantur : fine Maria Chrifti capitis noftri influxu minimè potiemur.

Collum autem Mariæ turris meritò appellatur erecta quidem. Quare ? Refpondet Doctor. *Collum dicitur quaſi columna erecta, quia Maria nunquam inclinata fuit per peccatum, ſed ſemper erecta, cœlos attingebat ſtans in terra.*

125. *Cunctis ſanctis Maria ſupereminet.* Richard.

Turris verò dicitur hoc collum Ecclefiæ. *Quia ſicut collum poſt caput* (ille addit) *ſupereminet in corpore : Sic Maria poſt Chriſtum, qui noſtrum caput eſt, eſt excellentiſſimum membrum Eccleſiæ.* In hoc corpore myftico, collum, id eft Deipara Chrifto capiti inferior, cunctis aliis membris, feu diuis fuperior admodum oftentatur.

126. *Maria collum Eccleſia humeris noſtris apponenda, ne aberremus in via ſalutis.*

Adiicit opportunè, *Duplici humero collum ſupportatur : ſic & Maria portanda eſt ab Eccleſia fidelibus. Vnde de ſapientia vel Maria dicitur* Eccli. 6. *Subiice humerum tuum, & porta illam, hoc eſt, actus tuos ſuppone magiſterio eius, ſubiice per obedientiam & humilitatem, porta per fortitudinem.* Totum Ecclefiæ corpus per viam veritatis incedet, fi humeros fuos huic fuauiffimo ponderi fubmiferit.

127. *Materialis colli officia in Maria Eccleſia collo ſpiritualiter conſluunt.* Richard. Bernard.

Denique Mariani colli in hunc morem laudes accenat : *Sicut corpus niſi collo adhæreat, non poteſt capiti adhærere : ſic qui huic collo,* feu Deiparæ *non adhæret vera dilectione, non poteſt Chriſto capiti Eccleſiæ vniri. Sicut mediante collo verba humana formantur : ſic Maria coram Filio noſtra eſt aduocata,* efficaciffima fcilicet precatione. Vnde D. Bernardus ferm. 2. de Adu. *Domina*, inquit, *noſtra, aduocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta. Sicut mediante collo, deſcendit in corpus quidquid ei eſt neceſſarium cibi, potus, & potionis medicæ : ſic Maria mediante, venit ad nos Chriſtus, qui medicina eſt animarum noſtrarum, & cuius caro & ſanguis verè cibus eſt, & potus. Sicut collo interior aër emittitur, & exterior attrahitur : ſic per Mariam noſtra deuotio Deo præſentatur, & Dei miſericordia nobis redonatur. Collo verba proferuntur : ſic Maria cum ſit aduocata noſtra, bonum pro nobis loquitur, & precibus ſuis benè ſonantibus disiunctos nos à Filio per peccatum reconiungit. Collum facilè flectitur : ſic Maria flexibilis quoad Deum per obedientiam & humilitatem : quoad nos per pietatem.* Omnia itaque materialia colli officia in Mariæ Ecclefiæ collo fpiritualiter reperies.

128. *Maria à Deo donum lachrymarum accepit.* Deut. 2.

Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.] Hefebon fita erat in terra aquarum penuria laborante. Vnde Deut. 2. *Miſit nuncios Iſraël ad Sion Regem* Hefebon, qui ei eius nomine diceret : *Tranſibimus per terram tuam, publica gradiemur via, aquam pecunia tribue.* Quænam maior aquarum indigentia, quam de aquis pretio emendis inter viatores pacifci ? Vnde nefcio quo fundamento, Soto maior & Del-Rius afferuerint, regionem hanc aquarum effe abundantiffimam. Stagnis itaque, cifternis, & pifcinis arte conftructis ad plouiales aquas colligendas Prouincia illa vtebatur. Ciuitas hæc vtpotè Regia magnam populi multitudinem habitantis, ac confluentis continebat. Ideo dicitur *Filia multitudinis,* quomodo Ierofolyma Thr. 1. dicitur *Plena populo.* Quemadmodum ergo ficut pifcinæ, vel cifternæ illæ, quæ funt in portis ciuitatis Hefebon in frequentis populi vfum plenæ aquis exiftunt; fic oculi tui virginei ô Maria, pleni lachrymarum vndis oftentantur. Card. Hailgrinus. *Commendatur Beatiſſima Maria à gratia lachrymarum. Quod ſic abundant oculi eius lachrymis deuotionis, & amoris, ſicut abundant lachrymæ pœnitentium in oculis peccatorum.* Cur autem lachrymæ Mariæ pœnitentium lachrymis comparantur, fi nunquam contraxit maculam, quæ lachymis deberet abóleri ? Profectò ob hominum crimina lachrymas affiduè profundebat : quemadmodum eius Filius omnis criminis expers fuper Ierofolymam peccatis infectam aliquando lachrymas profudit. Hailgrin.

Propter peccata noſtra Maria innocens aſſiduè flebat.

129. *Maria porta eſt, vbi multitudo fidelium gratia aquis donatur.* Cant. 8.

Lachrymæ autem Deiparæ propter hominum falutem fluentes iure optimo dicuntur effe *in porta filiæ multitudinis.* Virgini enim portæ vocabulum aptatur hîc cap. 8. *Si oſtium eſt, &c.* Et ab Ecclefia *Porta lucis fulgida* nominatur. Porta eft Maria *filia multitudinis.* Aquas enim gratiæ in hac porta Deus conftituit, vt omnes filij lucis epotentur, illifque gratia decoratis facilis ad gloriam patefcat ingreffus.

130. *Maria oculi hominibus ſitientibus dant aquæ cœleſtis refrigerium.* Richard.

Quemadmodum verò pifcinæ in fitiente Hefebon dát æftuanti multitudini refrigerium: ita oculi Mariæ dum peccatores intueri dignatur, cœlefti illos refrigerio folatur, maximè cum eos videt plenitudinis accedere affectu. Pulchrè cogitationem hanc Richardus lib. 5. de Mar. laud. illuftrat. *Heſebon interpretatur cingulum mœroris, hoc eſt, mœror cingens, quia mœror pœnitentiæ cingit hominem, & reſtringit peccatorum ſaniem. Hoc cingulum competit pœnitentibus, qui in mœrore animi ſua peccata cogitant, & pœnas inferni, indéque humiliantur Talibus ſunt oculi Virginis quaſi piſcinæ, id eſt, reſpectus miſericordiæ eius multiplex refrigerium. Oculi Domini ſuper iuſtos* Pfalm. 33. *Oculi autem Dominæ ſuper peccatores. Et dicuntur oculi Mariæ eſſe in porta filiæ multitudinis, id eſt, Eccleſia, cuius ipſa eſt porta.* Ex Hailgrino Cardinali tranfcripfit.

131. *Maria ſpiritus innumeros oculos habet. Ideo multocula appellatur.*

Oculi tui. Gemini nè Mariæ oculi corporei hîc commendantur, an fpiritus ? Certè ad fpiritualia Virginis pulcherrima lumina, quæ non duo, fed innumerabilia funt hoc dirigitur elogium. Ideo non dixit fponfus, *Duo oculi tui*, vt dixerat, *Duo vbera tua,* fed *Oculi tui* abfolutè. Quia fcilicet fpiritu Maria multocula admodum eft. Quatuor animalia illa, quæ obiecta fuere Ezechiëli : *In circuitu & intus plena* erant *oculis* Ezech. 1. Mariæ geffere fimulachrum. Pulchrè Guilelmus. *His piſcinis aſſimilantur oculi piæ Matris. Nam plena erat oculis, & vtique multo plenior, quam quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus ſcriptum eſt, quod in circuitu & intus plena ſunt oculis.* Ideò Maria fæpè à Patribus *Multocula* appellatur, vti fuperius vidimus ex Epiphanio ferm. de Deip. Ezech. 1. Guillelm. Epiphan.

132. *Multi oculi Mariæ ſunt*

Quinam verò hi fpirituales animi Virginis oculi ? Refpondet Abbas. *Plena, inquam, Virgo erat oculis prouidentiæ ſine intermiſſione*

proui

in bene agendo preuidentia. Guillelm. *prouidentia sine intermissione prouidendo bona non tantùm coram Deo, sed & coram hominibus.* Rom. 12.

133. *Tota Maria vita adeò perfecta fuit, vt nonsolùm grata fuerit Deo, sed gratia ipsius expresserit imaginem.* Guilielm.

An vlla in his luminibus imperfectionis notula? Minimè quidem. Ideo enim piscinis, in quibus aquæ clarissimæ ostentantur, similia esse dicuntur. Addit Guillelmus, *Planè hos oculos Mariæ, nullus vnquam vel tenuis carnalis illecebræ puluis fuscauit: nullus vel modicus æmulationis, siue iracundiæ motus turbauit: sed ad instar aquæ viuæ puri semper, atque perlucidi fuêre; quia nihil in se turbulentum, siue puluerulentum habebant; sed quandam aquæ viuæ, id est, cœlestis gratiæ similitudinem exprimebant.* Mariæ vita tam aliena fuit ab vlla macula imperfectionis, vt non solùm gratiosa Deo fuerit; sed gratiæ ipsius cœlestis perfectissimam expresserit imaginem.

134. *Compungitur Maria purissima, & instar Spiritus sancti purissimi gemit, vt peccatores ad contritionem excitet.* Rupert.

Rogitat Rupertus, *In quo B. Virgo, oculi tui sunt piscinæ?* & respondet, *Nimirum in eo, quòd non deficiunt eis aquæ. Tu maximè præ cunctis mortalibus semper compuncta corde dicere poteras, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Psalm. 81. *Propterea dixi, sicut piscinæ in Hesebon, id est, in maxima compunctione. Hesebon quippe interpretatur cingulum mœroris: vnde & congruè nomen hoc significat magnitudinem compunctionis.* Vndenam Deiparæ nulla vnquam imperfectionis macula infectæ hic tam magnæ compunctionis affectus? Certè vt pro peccatoribus hoc magno compunctionis gemitu, veniam à Deo precaretur; quem modum *Spiritus sanctus* nullius capax piaculi *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vti Paulus ait Rom. 8. (Rom. 8.)

135. *Vita actiua & contemplatiua Deiparæ.* Alan.

De alio mœroris Virginis cingulo locum Alanus exposuit. *Oculi Virginis dicuntur vita contemplatiua & actiua. In actiua videt, quid agendum: in contemplatiua, quid diligendum. Comparantur istæ piscinis, quia Virginem spirituali refectione satiant, & à macula peccati liberant. Hæ sunt in Hesebon, id est, in cingulo mœroris. Virgo enim quantum ad actiuam vitam vallabatur mœroris cingulo pro laboris, & miseriæ diuturnitate: quantum ad contemplatiuam pro dilatione patriæ.*

136. *Respectus Virginis peccatoribus est lauacrum.* Philip.

Deiparæ oculi piscinarum aquis comparantur? O fœlices admodum peccatores, quos dignabitur respicere; ipse namque respectus illis erit & lauacrum. Abbas Philippus, *Oculi sponsæ Mariæ non infecti fæcibus serpentinis, sed conformati moribus columbinis. Ideo in præsenti similes sunt piscinis,* quia respicientes diluunt, (intercessione) peccatores, *lotos imbuunt, imbutos alliciunt salutaribus disciplinis.*

137. *Quot sunt multocula Mariæ lumina, tot sunt peccatoribus piscinæ multitudini ægrotantium peccatorum.*

Assident verò oculorum Virginis piscinæ *in porta filiæ multitudinis*, quia non vni, sed multitudini peccatorum in eis refrigeria apparantur. De piscina illa probatica sic Ioannes cap. 5. *Est autem Ierosolymis probatica piscina quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.* Descensu repentino Angeli aqua turbabatur; ei vero ex tota multitudine, qui primus tingebatur vnda, salus cedebat, aliis in ægritudine persistentibus. Profectò Deiparæ oculi non sunt piscina singularis, sed innumerabiles piscinæ, adsunt si non in porticibus, in porta patenti. Ibi *multitudo languentium*, seu *filia multitudinis*, nempè cuncti Ecclesiæ filij variis animi languoribus laborantibus. Semel turbata est piscinarum Mariæ ab Angelo aqua, cum Virgo *turbata est in sermone eius.* Luc. 1. & ex tunc omnibus ægrotantibus spiritu, perfecta valetudo paratur; habent enim *Hominem* Mariæ Filium, qui ad salutares aquas indigentes dirigit. *Oculi tui*, ô multocula Virgo, *sicut piscinæ*, quot oculorum Mariæ respectus, tot peccatoribus salutares piscinæ turbatæ obiiciuntur.

Ex quo ab Angelo Mariæ piscina turbata fuit, cunctis simul est salutaris.

138. *Oculi cor-poris, & animi Mariæ ineffabilis perfectio.* Carthus.

Oculorum Virginis perfectionem in clarissimis aquis piscinarum expressam Dionysius Carthusianus pulchrè describit. *Non dubium, quin ex assiduo corporali intuitu Verbi Incarnati oculi Matris illius fuerint miro modo clarificati, sydereique facti: in quibus & interna puritas, columbina simplicitas, supernaturalis sagacitas mentis tantæ Virginis elucebant mirificè, ita quod instar perspicuarum, clarissimarum aquarum, erant pellucidi, & sinceri. Sed & interiores oculi eius, piissimique respectus, acies intellectualis, fides, sapientia, scientia, prudentia nonnè præclara luce, ac lucida puritate, excellentique perfectione erant perfusi, ab omni perturbatione, & vitiorum inquietudine prorsus alieni? Quemadmodum aquæ piscinarum Hesebon leguntur intubidæ, atque perspicuæ extitisse.*

139. *Vberrimus in passione Filij Mariæ fletus.* Richard.

At Richardus à S. Laurent. lib. 7. de laudib. Virg. asserit Virginis oculos piscinis comparari ob lachrymas, quas in Filij passione profuderunt. *Vehementissimæ persecutionis vento impulsa fuit nubes Maria: & tunc resoluta fuit in multa lachrymarum stillicidia. Vnde & dicitur* Cant. 7. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Tam vber fuit Mariæ fletus in Filij passione, vt valeat iam roranti nubi, iam plenis aqua piscinis comparari.

140. *Hortus & ager Mariæ [...]m habet instar Axæ superius, & inferius lachrymarum irriguum.* Isai. 58. Eccli. 24. Ecclesiastis. Richard.

Ideò Matri Filius ait: *Eris quasi hortus irriguus.* Isai. 58. & Eccli. 24. *Rigabo hortum plantationum.* Et Ecclesiast. 2. *Extruxi mihi piscinas aquarum ad irrigandam syluam lignorum germinantium.* Quæ quidem Richardus lib. 12. lachrymarum Deiparæ vbertati accommodat: *De ea in Isaia dicitur, Eris hortus irriguus. Et in Ecclesiastico dicit Filius de Matre: Rigabo hortum. Et verus Salomon in Ecclesiaste, Extruxi piscinas aquarum, ad irrigandam siluam.* Profectò *Maria quæ est hortus*, seu silua virtutum germinibus abundans, *habuit in se vtrumque illum irriguum inferius scilicet, & superius. Irriguum inferius complectitur triplicem fletum, nempè pro peccatis propriis: sed hunc non habuit, quia nunquam peccauit. Item pro miseriis alienis; hunc habuit per compassionem transgressionum generis humani; quasi diceret: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, ô Fili mi. Communicans etiam passionibus Vnigeniti sui, pro quo abundanter creditur lachrymata: vnde & ei dicitur, Oculi tui sicut piscinæ. Item pro huius miseria incolatus dicens illud* Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Irriguum superius habuit post Ascensionem Filij lugens præ desiderio patriæ, & absentia sponsi. Vnde dicit* Cant. 5. *Filiæ Ierusalem (id est, ô vos virtutes Angelicæ) nunciate dilecto, quia amore langueo.* En Axam meliorem, cui non pater Caleb, sed Pater æternus *dedit irriguum* (lachrymarum) *superius, & inferius.* Iud. 1.

mali violentas motus patiuntur. Sola autem Virgo nihil in ſuo corpore huiuſmodi habuit. Illi ergo ſingulariter dicitur. Iunctura fœmorum tuorum ſicut monilia, &c. Denique hæc monilia non ipſa tu tibi fabricaſti: ſed manus ſummi Artificis ea tibi fabricauit, id eſt, diuinæ operatio gratiæ hac tam magna te prærogatiua donauit. Premè particulam. *Hæc monilia non ipſa tu tibi fabricaſti, ſed manus ſummi Artificis ea tibi fabricauit.* Nec enim vel perſpicax Mariæ ſapientiſſimæ ingenium poterat ſibi fingere tam perfectæ virginitatis gemmam: ſummi fuit Dei Artificis opus.

Virginitatis Mariæ tanta perfectio, vt ab ipſius perſpicaci ingenio fingi non poterat. Solius Dei Artificis gemma fuit.

46. *Tantò artificio Deus virginitatis Mariæ gemmam diſpoſuit, vt digna Artificis ſponſa exſurgeret.* Rupert.

Nec mirum, Deum tam accuratè hanc Mariæ virginitatis gemmam mirabili arte præparaſſe; ſibi enim arabat, dum tantam Virginem in ſponſam elegerat. Vnde ſic illam ornauit, vt digna ſponſa ſui Auctoris exſurgeret. Vnde Rupertus exclamat *O dilectiſſima dilectarum, quæ prima ſine exemplo virginitatem cuſtodire ita diſpoſuiſti, vt Virgo nulli vnquam cognita, vel cognoſcenda viro, digna fores coniungi Deo tuæ integritatis Auctori. Quantum eſt hoc decus? quanta honeſtas! Cuius eſt hoc opus, hæc virtus? Nimirum Dei altiſſimi.*

47. *Mariæ virginitas innumeras virgines Deo ſponſo parit.* Pſal. 44. Hailgrin.

Non excidat ſine pondere illa particula. *O dilectiſſima dilectarum!* Ideò namque ſponſus dilectiſſimæ ſponſæ Mariæ pudicitiam commendans, aliarum dilectarum gerit mentionem. Mariæ enim virginitas obiecta eſt à Deo cunctis ſacris virginibus in exemplum. Vnde Dauide Auctore. Adducuntur *Regi* Deo innumerabiles *Virgines poſt eam.* Pſalm. 44. Card. Hailgrinus. *Maria ad continentiæ munditiam Virgines per exemplum admonet, & inuitat.*

48. *Monilia virginitatis Mariæ ſunt caſtitatis monitoria.* Hailgrin.

Τὸ *Admonet* expendendum. Dixit ſponſus Mariæ virginitatem aureum eſſe *monile.* Monet enim Virgines tanta puritas, vt illius greſſus inſequi ſtudeamus. Pulchrè inquit Hailgrinus. *Mariæ virginitas non tantum dicitur pulchra, ſed etiam caſtitatis monitoria. Propter quod monilibus comparatur, quæ dicuntur monilia, quaſi caſtitatis monitoria.*

49. *Monet nos votum virginitatis Maria virginitatē nuptiarum fœcunditatē ſuperare*

Equidem non abs re *Monile* hoc dixerim eſſe votum virginitatis, quod Maria prima omnium virorum, fœminarumque emiſerat. Si autem dicitur à *monendo*, nos monet, tempus legis præteriiſſe, in quo fœcunditas coniugij erat in pretio, & virginitas nondum ſuum omnino fulgorem ſparſerat. Monet ergo nos Maria virginitatis voti monili huius gemmæ pretium nuptiarum fœcunditatem admodum ſuperare: cum votum emitti non poſſit, qui de meliori bono non ſit.

50. *Gratiæ diuinæ rore Verbum diuinum in Maria penitus concupiſcentiæ fomitem extinxit.* Hailgrin. Dan. 3.

Hinc Cardinalis penitus fuiſſe in Virgine Deipara concupiſcentiæ fomitem extinctum. *Hæc autem monilia* (addit ille) *dicuntur fabricata manu artificis. Nam Artifex Spiritus ſanctus in membris eius hanc munditiem, hanc caſtitatem, & virginitatis prærogatiuam fabricauit, vt nullum carnalis concupiſcentiæ fomitem per ſuperuenientem rorem gratiæ cœleſtis habuerit.* Appoſitè hoc priuilegium Mariæ *roris* vocabulo fuit expreſſum. Cum Azarias, & duo ſocij eius Nabucodonoſoris Imperio miſſi fuere in fornacem. *Angelus Domini deſcendit, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* Dan. 3. Vbi D. Athanaſius cont. Apollinar. ait virum illum ſimilem Filio Dei, quem Rex viderat eſſe *Verbum roriferum, quod inter illos aderat, & ignem excutiebat.* Vbi Verbum diuinum aderat ſub hominis ſpecie, quomodo non roriferum eſſet, vt fornacis flammas extingueret, ne iuſtos illos tangerent? Quid igitur mirum idem Verbum verè Homo futurum in Virginis vtero, omnino ſuæ gratiæ ſpecialiſſimo rore concupiſcentiæ ignem extinxiſſe? Athan.

At Dionyſ. Carthuſ. hìc rariſſimam Mariæ virginitatem cum fœcunditate coniunctam veneratur. *Fœmora* (ait) *Deiparæ Virginis ſunt virginea eius fœcunditas, & fœcunda virginitas, ſeu fœcunditas atque virginitas in ea ſibi inuicem iunctæ. Quæ cunctarum virtutum ornatibus tanquam monilibus deſuper fabricatis politæ. Magnum eſt, eſſe Virginem, magis autem, Virginem tam puram, vt nunquam inordinatum paſſa ſit motum. Maximum verò eſt, eſſe Virginem Matrem. At verò ſuper maximum eſt, eſſe Virginem, & Matrem veri Dei.* Monile quidem pretioſum eſt virginitas, necnon pretioſa eſt gemma fœcunditas; at monile ex virginitate ſimul & Dei maternitate compactum mirum in modum eſt pretioſius, quod nunquam viſum fuerat in terris, neque vlla humana arte poterat fabrefieri. Ideo dicitur manu cœleſtis Artificis fuiſſe elaboratum. En mirabilem *iuncturam* virginitatis, & fœcunditatis vnica ſplendentem in gemma. *Iunctura fœmorum, &c.* 51.

Mirabilis iunctura virginitatis, & fœcunditatis in Maria. Carthuſ.

Legunt Septuaginta, *Moduli fœmorum tuorum.* Quis autem ignoret, Latinam dictionem *Moduli* ad muſicum concentum referri? Vox Græca *Rithmus* in Græco originali reſpondens idem prædicat. Ac ſi ſponſus diceret. O Maria, in vtero tuo virgineo ſimul & fœcundo muſicum quendam concentum exaudio, qui ex vocibus acutis & grauibus pariter dulciſſimè pulſat auditum. Acuta vox virginitas eſt, grauis autem ab illis emittitur, quæ coniugalem grauidationem experiuntur. Profectò Rithmus hic ex acuta virginitatis voce & graui fœcunditatis artificio eſt homini impoſſibilis; à ſupremo Magiſtro, qui *ſcientiam habet vocis*, potuit huiuſmodi concentus temperari. 52.

Mariæ virginitas & fœcunditas muſico concentui ex voce acuta & graui comparatur. Septuag.

Ad virginitatem & fœcunditatem corporis ſimul ac mentis verba hæc Alanus accommodat. *Per iuncturam fœmorum nihil aliud intelligitur, quam concordia duarum virginitatum, & fœcunditatum, quæ fuerunt in Maria, vna mentis, altera ventris. Et hæc iunctura fuit ſicut monile, id eſt, habuit ſecum duplicem comitem, virginitatem, & fœcunditatem mentis, & carnis. Eſt ergo ſenſus. Iunctura fœmorum tuorum ſicut monilia, id eſt, ſicut tu prædita es duplici fœcunditate, ita & duplici virginitate.* Virginitas & fœcunditas carnis Mariæ oculis fidelium patet, virginitatem autem & fœcunditatem mentis Deiparæ ſolus perfectè Auctor ſummus agnoſcit. 53.

Duplex virginitas, & fœcunditas, ſcilicet carnis, & mentis in Maria.

Appoſitè quidem Mariæ virginitas, quæ ſemper immarceſcibilis extitit pretioſo monili comparatur. Nam monile qui poſſidet, non id facilè aſſolet alienare. Vnde comicus Menander dixit Sulpitio plures aureos nummos poſſidenti: *Si æternos apud te vis aureos nummos aſſeruare, eos in gemmas conuerte,* 54.

Æternam Dei puritatē Mariæ perpetua virginitas expreſſit. Menand.

quæ

quæ quidem ex hærede in hæredem assolent transferri. Virginitas ergo Mariæ gemma est pretiosissima æternum persistens. Aiebat Sixtus III. lib. de castit. *Vide, quantæ beatitudinis est, hoc perpetuò te esse, quod formatus es, & prima natiuitatis lineamenta seruare. Parum bonum putas, hominem sicut à primordio factus est, Dei similitudinem etiam in corporis integritate seruare? & aliquid tantæ Maiestatis habere perpetuum? Dicit enim scriptura: Fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, non immeritò, quem fecerat incorruptum.* Dixit Nazianzenus, Prima *Trias Virgo.* Profectò nulla pura ex filiis hominum Virgo tam perfectè Triadis virginitatem expressit, quam Maria.

Sixtus. Nazianzen.

55\. Porrò hanc Mariæ virginitatem primitiuam, seu recens natam Micheas cap. 7. celebrauit, Deum inducens Virginis sponsum profantem. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Quod ita Richardus Laurent. lib. 4. de Deipara exposuit: *Præcoqua ficus primitiua Mariæ virginitas: ficus enim profert fructus dulcissimos, & folia eius candidum lac emittunt. In candore lactis candor virginitatis. Fructus etiam ficus non est diuisibilis sicut nucum: & in hoc indiuisibilitas virginitatis Mariæ designatur, de qua dicitur ei Cant. 7. Iunctura fæmorum tuorum sicut monilia.* Virginitas ergo primitiua Mariæ Dei desiderio satisfecit. Si tam dulcis in exordiæ fuit Numini, quam precor ei dulcedinem in perpetuo virginitatis voto ministrauit? Vnde addit Richardus. *Domino dulce & sapidum valde fuit votum virginitatis in Maria.*

Dulcis fuit Deo Maria virginitas in exordio, dulcissima verò in persistentia vsque ad vitæ terminum. Mich. 7. Richard.

Vers. II.

Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.

56\. VMbilicus tuus crater tornatilis.] Maternitatis hîc Mariæ dignitas prædicatur. Prou. 3. *Time Deum, & recede à malo; sanitas quippe erit vmbilico tuo*, id est, in præmium iustitiæ filiorum abundantia donaberis. *Sanitatis* enim vocabulo sterilitatis ablatio intelligitur. Gen. 20. Orante Abrahamo, *Sanauit Deus Abimelech, & vxores, & ancillas, & pepererunt.* Sanari itaque vmbilicum, idem est, ac sterilitatem ablegari. O Virgo beatissima omnimoda iustitia exundans, quàm præstans tuo in vtero sanitas, quæ enixa est Saluatorem totius mundi sanitatis originem.

Omnis sanitas, seu fœcunditas in Maria vtero, quæ totius mundi enixa est sanitatem. Prou. 3. Genes. 20.

57\. Vterus autem seu Maternitas Virginis comparatur crateri non scalpello elaborato; sed ad tornum circumducto. Quæsieris, quonam torno crater hic, seu Mariæ vt Matris Dei dignitas fuerit affabrè circumacta? Respondeo: Æterni Artificis torno sapientiæ, & omnipotentiæ, qui quidem in Maria futura cratere, seu Dei ipsius Matre eam ineffabilem perfectionem constituit, quam arte diuina tanta dignitas exigebat.

Mariæ Maternitas educta est scientia & potentia Dei infinita torno.

58\. Liceat mysticum tornatilem Virginis vterum, siue illius Materniratem cum tornatilibus Christi sponsi & Filij eius manibus componere. Christi *manus tornatiles aureæ.* Mariæ vterus, seu Maternitas tornatilis. Quonam quæso mysterio? Manus Christi vt Deus est, quidquid vult operari, facillimè assequitur. Mariæ autem vterus, siue illius Maternitas tantam Virgini vim exerit, vt quidquid in hominum beneficium agere intendit, maxima dexteritate præstat. Attamen cum hoc discrimine, quod Christo Domino illa operandi dexteritas fuit per naturam agnata: at Mariæ Matri communicata per gratiam fuit.

Maria vt Dei Mater est, quidquid vult erga hominū vtilitatem gerere, quasi manu tornatili facillimè præstat. Cant. 5.

59\. Quis dubitet, in Scriptura sacra idem omninò esse, aliquod opus esse tornatile, ac esse perfectissimum. 3. Reg. 6. vt exprimeretur Templi Salomonici cælaturas vndequaque perfectas existere, dicitur factas fuisse *ad tornum.* Quemadmodum ergò Dei manus dicuntur tornatiles, quia perfectissimæ in operando, sic vterus seu Maternitas Mariæ tornatilis in esse operis vocitatur. Sicut ergo Dei manus dicuntur perfectissimæ in operando, sic & Maria Dei Mater in esse operis. Nihil ei deest, quod ad perfectissimam Dei Matrem posset requiri. Vis dignoscere, quam perfectam Mariæ Maternitatem Dei manus eduxerint? Audi Augustinum cont. Manich. *Si potui inquinari, cum illam facerem, potui inquinari, cum ex illa nascerer. De manu fabricata est mea.* Ac si diceret, tam pulchra & perfecta est Maria in esse Materno fabricata, vt possim gloriari ego Artifex, me eam tornatili omnipotenti manu perfecisse: *De manu fabricata est mea.*

Maria in esse operis perfectissima est quemadmodū Dei manus in esse operantis. 3. Reg. 6. August.

60\. Profectò Cherubini in Salomonis Templo fabrefacti dicuntur ad tornum. 3. Reg. 6. *Salomon omnes parietes Templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis Cherubin, & palmas.* Per Cherubinos Angelicos spiritus intelligere licet, per palmas verò Deiparam, vt latius infra ad illud: *Statura tua assimilata est palmæ.* Eccli. 24. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Vbi Richardus Laurent. lib. 12. *Cades interpretatur sancta translata. Plenitudo sanctitatis in duobus est. Vnum est rei mutabilis contemptus, aliud amor Dei immutabilis perfectus. Per hæc autem duo meruit Maria sicut palma exaltari, quia temporalia perfectè contempsit: & Deum perfectè amauit.* Cherubini itaque perfecti quidem è Dei tornatilibus manibus educuntur, Maria autem perfectissima; vnde signatur in *palmis*, quasi in cunctis perfectionibus palmam referat, cunctisque spiritibus præponatur.

Maria Dei Mater palmā refert in perfectione supra cuncta Dei perfectissima in creaturis puris opera. 3. Reg. 6. Eccli. 24. Richard.

61\. Rogitas, cur Mariæ manus, vt manus Christi Domini tornatiles minimè in hoc libro celebrentur; nulla enim manuum Virginis mentio agitur? Crediderim tantam fuisse Mariæ operum, quæ annotantur in manibus, perfectionem, vt quodammodo sponsus cœlestis non inuenerit verba, queis exprimi dignè possent; vnde vt rem prorsus ineffabilem, ea silentij velamine obduxit.

Quodammodò Deus nō inuenit verba, quibus operū Mariæ perfectio exponeretur.

62\. *Nunquam indigens poculis.*] Consulit hisce verbis diuinus sponsus famæ ac decori Matris Mariæ, eo quod eius vterus crateri similis ad illius castitatis probationem legis poculis non indigeat. Num. 5. *Si spiritus Zelothipiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur: adducet*

Mariæ castitas ad suam innocentiam probandam legis poculis non indiget. Num. 5.

ducet eam, vel traducet ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa: Ipſe tenebit aquas amariſſimas, in quibus cum execratione maledicta congeſſit: & dabit ei bibere, & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas. Ait itaque Spiritus ſanctus. Tuus virgineus vterus ô Maria grauidus apparuit Sponſo Ioſeph: ſed minimè indigens, zelothipiæ poculo à ſuſpicione liberari. Angelus enim dedit euidens de eius puritate teſtimonium. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

63. *Maria in ſuſpicione Ioſephi tribulatio ſcyphi Beniamini hiſtoria exprimitur.* Geneſ. 44.

Legit Guillelmus Abbas, Pagninus, & alij ex Hebræo originali, *Venter tuus ſicut ſcyphus tornatilis.* Vbi Deiparæ tribulationem in Ioſephi ſponſi ſuſpicione animique inquietudine contempler. An non hîc *ſcyphi* Ioſephi Patriarchæ innouatur hiſtoria? Gen. 44. *Imple* (ait Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ) *ſaccos eorum frumento, & pone pecuniam ſingulorum in ore ſacci, ſcyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici pone in ore ſacci iunioris*, id eſt, Beniamini. In ſacco huius *inuentus eſt ſcyphus*, clandeſtini furti reus apparet, turbantur fratres, innocens iuuenis maximè commouetur; innocentia excuſat, vehemens accuſat indicium. Ioſeph Mariæ ſponſus haud ignorante ipſa, ſcyphum plenum inuenit, nam *inuenta eſt in vtero habens*, conſcientia eam eximit à delicto, ab indicio tumentis vteri accuſatur, Ioſeph ſimul mirum in modum diſtorquetur. An neceſſarium fuit ad amariſſimarum aquarum pocula procedere? Scyphus Mariæ plenus quidem eſt rore cœleſti, ſed caſtiſſima Virgo non indiget *poculis* amariſſimis, cunctis benedictionibus circumdata. Ipſe enim ſponſus puritatis illius teſtis, videtur innocentiam obfirmaſſe Mariæ, etiam cum vterum tumentem aſpexit, *Inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Ac ſi ſibi Ioſeph perſuaderet tantæ puritatis fœminam haud poſſe in vtero habere, niſi ab Spiritu ſancto occulto myſterio accepiſſet.

Ioſeph tanti faciebat Mariæ puritatē, vt quando inuenta eſt prægnans, de Spiritu ſancto opus eſſe adiudicaret quodammodò. Matth. 1.

64. *Maria crater ſemper plenus aqua ac vino cœleſti.* Ildephonſ.

Legêre alij, *Venter tuus ſicut crater nunquam indigens aqua*, quia ſemper plenus aqua ac vino cœleſti. D. Ildephonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Verè venter* MARIÆ *tornatilis fuit, quia in eo ſapientia ſe influxit, quæ miſcuit in cratere vinum ſuum, indeficientem diuinitatis ſuæ pulchritudinem ſubminiſtrans.* Deus & homo in Virginis vtero exiſtens omnem Matri ſuæ pulchritudinem, ſeu gratiam infudit, quæ tam ineffabili dignitate debebatur.

65. *Maria portus peccatoribus ſecuriſſimus.*

Nyſſenus legit, *Venter tuus eſt, ſicut portus, nunquam indigens aqua.* Hoc eſt. Tu ô Beatiſſima Virgo vt Mater Dei es (in ventre enim eius Maternitas deſignatur) eſt ſecurus hominum portus, ad quem cuncti ne peccatorum naufragio obruantur, imò vt poſtquam ſubmerſi fuêre, vt emergant, confugiunt. D. Epiphanius orat. de Deip. *Aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix.* D. Ephrem de laud. Mar. *Aue portus tranquilliſſime, aue portus tutiſſime.*

Epiphan.

Ephrem.

66. *Maria portus noſtri refugij eſt.* Epiphan. *Deum olim fluctus iræ excitantem in portum refugij hominum conuertit.* Epiphan.

Quod autem portus ſit Maria ad hominum agitatorum peccati fluctibus liberationem crateris virtute, id eſt, quia Dei Mater extitit. D. Epiphanius affirmat, dum ait, Virginem portum eſſe, & portum Chriſtum Dominum peperiſſe. *Mare dixi* (vbi ſ. inquit) *vniuerſum mundum, cui Virgo ſerenitatem, & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum.* Filios aſſerit Philoſophus, *matriſſare*, ſeu matri eſſe in moribus ſimiles. Maria portus miſerorum enixa eſt Chriſtum portum. Debes ergo Mariæ in portum refugij, ac ſecuritatis Deum conuertiſſe, qui olim contra peccatores ſuæ iracundiæ fluctus excitabat.

67. *Maria Chriſti Mater in eius paſſione vas aureum ſolidum ſe oſtendit cœli ſoliditati ſimile* Bonauent.

D. Bonauentura ſerm. 1. de B. Virg. eius ventrem, ſeu maternum affectum crateri ſolido ſimilem eſſe dixit in Filij paſſione, cui argumento accommodat illud Eccli. 50. *Vas auri ſolidum.* Ac ſi diceret, Maria ex terra, vti Adami filia confecta paſſionis Domini inſtantia haud ſe fragile è terra vas, ſed ſolidum ex auro craterem oſtendit. Parum ſe dixiſſe videtur, Mariæ conſtantiam vaſi aureo ſolido comparando: ideo ad cœli ſoliditatem exſurgit. *Sicut cœlum non eſt vllo modo poroſum, ſed ſolidum: ſic & Dei Mater pia nullo modo fuit poroſa (vti vas fictile) ſed ſolida, quia omni gratia plena fuit. Cuius mirabilis patientia, & ſoliditas non poroſa tunc maximè claruit, quando prædulcem Filium mori conſpexit. Nam licet in ea aquæ inferiores, id eſt, vires ſenſitiuæ, vel ſenſibiles fortiſſimè fuerint compreſſæ ventis in Filij paſſione: ſuperiores tamen non fuerunt à pace permotæ: & licet pars inferior nauis, ſeu ſenſibilitas repleta fuerit tunc aquis amaris compaſſionis: pars tamen ſuperior nauis ſemper proſperis ventis nauigauit.*

68. *Maria vas ſolidū ſecreta cœleſtia continens.*

Necnon vas ſolidum ſeſe Maria in ſecretorum cœleſtium retentione ſe præſtitit. Nunquam prudentiſſima Virgo ſe oſtendit habere vanæ iactantiæ poros, per quos merita aliquorum aſſolent euacuari. Vnde Euangeliſta, *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc (ſeu Verbi Incarnati myſteria) conferens in corde ſuo.* Luc. 2. Tanquam ſcilicet in vaſe ſolido, quin vnquam ne guttulam quidem per minimum porum euaporarit: poſt Paracliti aduentum, cœleſti quidem monito, quæ aſſeruerat Lucæ ad Filij gloriam, veritatiſque Euangelicæ robur reſerauit. Luc. 2.

69. *Maria eſt ipſa perfectio ex eo, quod eſt Dei Mater.* R. Salomon.

Rab. Salomon apud Genebr. legit, *Vmbilicus tuus crater rotunditatis.* Ac ſi ſit ipſa rotunditas per excellentiam, & in genere Dei Matris ei omnis perfectio debeatur. Mathematici edocent, inter omnes figuras circularem ſeu rotundam eſſe perfectiſſimam. Vnde Ariſtoteles lib. quæſt. Mathematicar. aſſerit, *pleraque miraculorum naturalium accidere in circularis figuræ motionibus.* Appoſitè ergo maternus Virginis vterus circularis, rotundus, imò ipſa rotunditas dicitur. In ipſa etenim miracula naturalia, ac ſupernaturalia maiora omnibus ſcimus contigiſſe.

Ariſtot.

Cuncta miracula in Maria Dei Matre continentur.

70. *In Maria circulari vtero contraria motiones diuinitus adſunt.* Ariſtot.

Vnum verò ex præcipuis circularis figuræ miraculis Ariſtoteles vbi ſ. dicit eſſe. *Quoniam ſecundùm contrarias ſimul motiones mouetur circulus*; prout patet in orbibus cœleſtibus, qui contrariis ſimul motibus circumaguntur. Mouentur enim motu rapto atque communi ab oriente in occidentem: & motu proprio retrogrado ab occidente in orientem referuntur. An non in Maria miraculum hoc actum diuinitùs aſpectamus? Eſt quidem ſimul Virgo & coniux: Virgo ſimul & Mater Dei, & ancilla, &c.

Difficil

71. *Maria orbicularis & quadrata simul obiicitur. Ad Dei nutũ velocissimè rotas, in bono immobilis existit.* Aristot. Apoc. 21.

Difficillimum indicat Aristoteles *quadraturam in circulo inuenire.* Ast eam in Empyreo cœlo reperio. Corpus enim hoc perfectissimum Deus voluit vtramque formã rotundam ac quadratam continere. Ex superficie namque concaua rotundum est, vt sese reliquis cœlestibus orbibus quos suo continet in sinu accommodet; ex superficie verò extima quadratum obiicitur. Apoc. 21. *Ciuitas in quadro posita est*, vt æternæ mansionis denotet firmitatem. Planè Mariæ vterus orbicularis & quadratus est, vt ex eius Maternitate constet omnem in eam perfectionem deriuari. Instar Empyrei cœli *orbicularis* est, ad Dei nutum summa rotans velocitate: & simul *quadrata*, quia semper in bono immobilis extitit.

72. *In Maria mundi firmitas stabilitur.* Salom. Lar.

In orbis terræ centro aliam Salomon Larchius quadraturam contemplatur, ad quam alludi in his verbis: *Vmbilicus tuus, &c.* existimat, *Allegoria* (ait apud Genebrard.) *huius crateris refertur ad sedem quadro lapide excisam, quæ est in medio, seu vmbilico terræ sita.* Lapis ergo quadrus imaginarius est in terræ vmbilico, in quo terræ firmitas consistere videtur, vt innuit Iob, *Quis demisit lapidem angularem, seu quadratum terræ?* Planè Mariæ Maternitas eam mysticum mundi demisit in centrum angulare perpetuum. In Maria enim mundi firmitas stabilitur, ab ipsa enim procedunt omnes omnium pietatum lineæ, & in ipsa omnes omnium gratiarum è superis lineæ terminantur.

73. *Maria vt Dei Mater est Luna in perfectionum plenitudine.* R. Aben-Ez. Dramat.

Rab. Aben-Ezra apud Genebr. sic illa verba: *Vmbilicus tuus, &c.* versatur: *In Chaldaa interpretatione Saar, quæ vox hîc reperitur, Lunam significat. Et in Isaia ex hac voce sunt specula ad Lunæ similitudinem.* Quibus verbis indicatur, Virgineum Mariæ vterum esse quid omninò cœleste, Lunam planè in plenitudine, vti Dramatica interpretatio apud eundem Genebr. aduertit: *Comparauit eam cum Luna, quatenus plena est. Tua enim huius Lunæ lumen nunquam deficit.* Porrò specula ad Lunæ similitudinem Virgines illas vocitarim, quæ puritatis Mariæ æmulatrices, *post eam Regi* cœlesti quotidiè adducuntur.

74. *In Mariæ Maternitate est miraculũ nunquam ante visum nec videndum.* R. Aben-Ez.

Idem Aben-Ezra vbi suprà transfert particulam: *Non indigens poculis* in hunc modum: *Non indigens misto.* Additque sub hac voce Latina *Misto*, sublatere vocem Hebræam *Mazagag, cui in scriptura vniuersa similis alia non reperitur.* Et meritò quidem, quia in vtero Virgineo, seu in Virginis Maternitate est mystum quoddam admirabile, rarum, singulare, nunquam antè visum, nec posteà videndum: Mistum scilicet ex Matre & Virgine: ex Filio Deo & homine.

75. *Mariæ fidei cõstantissima debet Ecclesia, eius Magistros esse in fide constantes.*

Enimverò Philippus Abbas in Mariæ vtero (quadrato quidem, vt vidimus) illius mysticè doctrinam stabilem contemplatur. *Vmbilicus*, inquit, *Virginis eius stabilis est doctrina*; quæ Apostolis defluentibus timore carneo, & mollitie fœminina, fide virili constitit, nec simili defluit leuitate; sed leues, & ampliùs iusto vagos sua reuocauit firmitate. Facta enim resurrectione, reuocati ad illam humiliter dè præteritis erubescunt; sed mox eius auditui credibilius, & constantius adhærescunt. An-non debet Ecclesia constantissimæ Mariæ fidei eius Magistros esse in fide constantes.

76. *Ecclesia vniuersa Maria tornatilis crater fidei constantiæ liquore prouinat.* Philip.

Tam plenus autem fide crater hic, vt in totam Ecclesiam salutarem liquorem tornatilis effunderet. Abbas opportunè adiicit: *Cratere tornatili eius est plenior & perfectior tornatura, cui Christi resurgentis plenius genitura innotuerat; & omnia, quæ de illo longa temporum serie leguntur in scriptura, hausit Virgo abundantius, & cunctis refudit cum mensura auditoribus. Cuius crater tornatilis vel perfectio facilis disserendi non arescit inopia, non arctatur angustia capiendi, sed referta poculis, vinoque sapientiæ inebriata, cunctis longè populis & sufficit, & nunquam deficit, propinata.*

77. *Non indiguit Maria aqua ad fomitis refrigeriũ, quia penitus in ea fuit extinctus.* Guillelm.

Guillelmus verò illud: *Nunquam indigens poculis* (siue *aqua*, vt alij transtulerunt) ad extinctionem fomitis concupiscentiæ allicit. Nunquam Mariæ vterus aqua refrigerante indiguit, vt cuncti indigemus, ne concupiscentiæ æstu absumamur, hoc fomite in ea penitus extincto, quia Virgineus vterus Verbi Incarnationi præparabatur. *Virgo* (ait ille) *quæ Filium Dei procreauit, partus huius nouitati ab initio præparata, & singulari beneficio præuenta, in sua carne nunquam potuit calorem fomitis experiri. Ab initio enim innatus ille fomes concupiscentiæ in carne eius virtute diuina funditus est extinctus.*

78. *Maria omnibus largiens cœlestium bonorum aquas, nunquam aqua hac indiget, semper est plena.* Guillelm.

Non minus appositè idem Doctor verba hæc: *Nunquam indigens poculis* pietati Mariæ qua cunctis hominibus diuinæ gratiæ pocula ministrat, accommodat. Omnibus offert cœlestem hanc aquam, tam plenus est autem fons, vt nunquam indigere poculis, quæ offerat, comperiatur. *Nunquam crater* MARIÆ *indiget poculis. Quodlibet quilibet inde hauriant; & quantumlibet hauriant, nequit exhauriri. Nam etsi inde bibant omnes peccatores terræ, nihilominus abundat, & redundat. Quotidie toti mundo dè illo cratere magno propinatur, & non deficit.* Vltrò siti premitur, qui ad hunc craterem, fontem dixerim, non accurrit. Confirmat Alanus, *Nunquam indigens poculis, id est, plenus poculis. Nempè mundo propinans vinum dilectionis, vinum salutis, vinum lætitiæ, poculum vitæ.*

79. *Nulla molestia in cõceptu & partu Maria afficitur.* Alan.

Idem Alanus in his verbis: *Sicut crater tornatilis* Virginei conceptus & partus priuilegium recognoscit. Nec enim vt aliæ fœminæ agnatas conceptui, & partui molestias subiit. *Crater tornatilis dicitur*, (cum Alano loquor) *quia torno facilius operamur. Et Virgo sine omni difficultate, sine omni illecebra, sine omni carnis angustia concepit, ac peperit.*

80. *Ex Mariæ Maternitate pendet, vt Christum fontem vitæ sitientes largiter potentur.* Honor.

Audi pulchram Honorij Abbatis excogitationem. *Vmbilicus tuus beatus*, ô Virgo est, *in quo pependit Dei Filius. Vt enim in clauo clypeus, sic pendet in vmbilico infantulus. Qui Filius est crater tornatilis, nunquam indiget poculis, hoc est, omnibus se sitientibus præbet largiter.* Si crater Christus præbens potum gratiæ sitientibus pendet ex vmbilico, siue ex Maternitate Virginis, an-non ex Maria Dei Matre pendet nostra gratiæ refectio? Ob eius planè

Maria intercessione afficimur, vt Christum sitiamus. planè intercessionē potantur quilibet sitientes. Preme illam particulam: *Omnibus sitientibus præbet largiter.* Non enim præbet Mariæ Filius poculum nisi iis, qui illum sitiunt. At Matris intercessione corda nostra afficiuntur, vt Filium sitiamus.

81. *Christus in cruce affatim reficiebatur puritatis, & patientia Mariæ fluento.* Honor. Honorius itaque illa verba: *Nunquam indigens poculis* Christo Domino accommodant. Cui obiicio Doctori, Christum in cruce siti se affectum inclamasse, *sitio.* Ergo aliquando poculo indigens ostentatur. Sitiebat quidem, sed materiali liquore sitim explere nolebat, sed spirituali. Videns enim Mariam iuxta crucem, Virginitatis eius, & mortificationis, qua ex passione Filij afficiebatur dulcissimo poculo expetebat refici, & abundè reficiebatur. Apprimè Hailgr. Card. *Non indiget poculo, quo potetur, qui in cruce clamat: sitio. Quia de cratere Mariano potauit vinum, & lac. Nam cum lacte candoris Virginalis, mortificationem illius, quæ austerum saporem habet, in vinum commixtam inuenit. Vt delectaretur pariter in vtroque.* Tam gratum Christo poculum Mariæ Virginalis puritas, & constans patientia, vt diræ illius passionis amaritudinem affatim dulcoraret. Hailgrin.

82. *Passionis Dominicæ fructus in nos per Mariam exūdauit.* Carthus. Tam gratus fuit Deo ille amarissimus Deiparæ iuxta crucem affectus compassionis, & constans patientia, vt illius fructus in nos vberrimè redundaret. Ait Dionys. Carthus. ad hæc: *Per mollem vmbilicum accipi potest tenerrima Virginis compassio in Filij sui passione; qua compassione præcordialissima meruit, & obtinuit nobis pauperculis & pupillis fructum, virtutem, & meritum passionis Filij sui. Quemadmodum enim, teste Philosopho, fœtus per venas vmbilici attrahit sibi à matre nutrimentum: ita & nos per merita præfatæ compassionis, fructum Christi passionis haurimus.*

83. *Maria crater est tornatilis facilè profundens Christo lac, vt nobis ignoscat, nobis gratiæ cœlestis vndam largiens.* Richard. Piè admodum Richard. de S. Laurent. lib. 2. de laudib. Virg. hanc sententiam exposuit: *Vmbilicus eius crater tornatilis, qui nunquam poculis dicitur indigere. Maria dicitur vmbilicus Ecclesiæ. Quia sicut vmbilicus in medio totius corporis; sic ipsa in medio Ecclesiæ, quæ corpus est Filij sui, omnibus, quantum in se est, parata benefacere. Lacte Virgineo, quod habebat in se vini proprietates, potauit Filium; & inebriauit; quare dicitur crater, vt nostrorum peccaminum ipsum faceret obliuisci. Sicut autem crater tornatilis, si liquore sit plenus, aliquo tactu leuissimo fundit liquorem: sic plena gratia refundit gratiam, quoties tangitur pia prece. Nunquam autem poculis indiget, cum sit gratia plena, & semper hauriat aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Isai. 12.

Non *indigens poculis.* Non dixit *poculo* in singulari, sed *poculis.* Quia plena est Maria Dei Mater omnibus poculis, quæ ad hominum vtilitatem ipsa haurienda ab eis præparauit, postquam à fonte cœlesti accepit. Aptè Richardus lib. 10. *Maria crater recipit quemcumque liquorem, scilicet vinum deuotionis, oleum misericordiæ, mel diuinitatis, aquam lachrymarum, & huiusmodi. Et propter hoc dicitur: Nunquam indigens poculis.* An sibi Maria hosce liquores retinet? Tornatilis est crater, cunctis sitientibus propinatur. *Omnes liquores, quos à Deo suscepit, largè propinat hominibus.*

Illam particulam expendo: *Mel diuinitatis.* Quàm diuinus crater, qui ipsam Dei diuinitatem dat nobis in potum! Audi D. Ildephons. serm. de Assumpt. *De Maria in canticis dicitur, vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis. Verè aluus ille crater tornatilis fuit, quia in eo sapientia se influxit, quæ miscuit in cratere vinum indeficientem, & diuinitatis suæ plenitudinem subministrauit.* Ex Mariano scilicet cratere, Virgo enim Deum cælitùs recepit in vtero, vt diuinitatis vinum fragili humanitatis aqua temperatum nobis epotandum offerret. 84. *Maria crater hominibus ipsius diuinitatis plenitudinem subministrat.* Ildephons.

De Virginitate non solum corporis, sed etiam mentis Mariæ puritate rursus hæc verba expendo: *Nunquàm indigens poculis.* Quidnam est, poculis non indigere, nisi nihil sitire, quod libidinem sapiat? Nam *bibere* in minus modesto aliquando sensu in sacris accipitur. Eccli. 26. *Ab omni aqua proxima bibet.* Igitur *perfecta est in te ô Virgo,* (cum Rupert. loquor lib. 6. in cant.) *virtus castitatis. Quidnam enim est, craterem non indigere poculis, nisi non sitire per appetitum libidinis? Ergo tu ô Sunamitis, corde & corpore es casta: mente & carne integra, & incorrupta, cogitatione, & opere munda. Mente,* inquit, *& carne integra.* Parui etenim facienda corporis castitas, quam mentis puritas non comitatur. 85. *Mariæ duplex Virginitas corporis & mentis.* Eccli. 26. Rupert.

De Rebecca, quæ Isaacci vxor erat futura. Genes. 24. dicitur, *Ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, habens hydriam in scapula sua, puella decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro.* Si Virginem asseritur esse, quare incognitam esse viro adiicitur? Certè vt vtraque Virginitas, scilicet corporis ac mentis commendaretur. Excogitauit Orig. hom. 10. in Gen. *Quia Rebecca sancta erat corpore & spiritu, idcircò eius duplicat laudem, & dicit: Virgo erat, & vir non cognouerat eam.* Pulchrè olim dictum: *Virgo non est, cui, corrupta mente, corpus integrum.* Perfectissima itaque Deiparæ castitas. 86. *Rebecca dum esset Virgo, corpore & mente casta Mariam expressit.* Genes. 24. Origen.

Denique crater hic tornatilis, seu Virginis Maternitas pacis poculum exhibuit, quo inter Deum, & homines ablata sunt bella. Asserit Tertullianus, olim amicitias crateris mero pleni traditioni solitas stabiliri; vini enim haustu discordes animi conciliabantur. Hoc vinum Deipara in vteri sui cratere porrexit Deo & hominibus inter se conciliandis. Appositè D. Ildephons. serm. de Assumpt. Maria *posuit mensam, miscuit vinum in cratere ventris sui.* Iam meritò adiicit, *Inuenta sum coram eo quasi pacem reperiens* Cant. 8. vbi sermo redibit. 87. *Per Mariam inter Deū & homines pax constituitur.* Tertul. Ildephons. Cant. 8.

Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.] Hic Mariæ Maternitas simul cum Virginitate celebratur. Duo tuo ô Virgo contemplor in vtero, quæ visa sunt nunquam, nec deinceps sunt aspicienda, nempè fructus cum flore, triticum cum liliis, Maternitas cum Virginitate. Damasc. orat. de Assumpt. Mariam *inaratum cœlestis panis aruum* appellat. Ob Maternitatem *aruus panis* dicitur. Ob Virginitatis lilia *inaratus* nuncupatur. Idem de dormit. Virg. Christus *nullius agricolæ excultus est fructus.* Zachar. Episc. Chrysopol. *Dominus in Nazareth concipitur, & in Bethlehem nascitur. Nazareth florem, Bethlehem panem interpretamur.* Vt indicetur 88. *Maria cum Virginitate Maternitas.* Damasc. Zachar.

dicetur, in Mariæ vtero triticum fuisse simul ac lilia, Maternitatem & Virginitatem. Ildephonsus lib. de Virginit. Mar. cap. 1. *Antè partum sancta Virgo, B. Virgo, gloriosa Virgo, honesta Virgo. Post generationem Verbi Incarnati sanctior, & sanctissima Virgo, gloriosior & gloriosissima Virgo, nobilior & nobilissima Virgo, augustior & augustissima Virgo, honestior & honestissima Virgo.* Idem cap. 2. *Elegantissimè alternat honor Matris & Virginis in vna persona. Alternat Virginitas in generante, & in Virgine generandi facultas; & neutrum cedit vlli: & vtrumque in alternutris seruatur: vtrumque seruatur in proprio, vtrumque transit in alterum.* Venantius Poëm. 5. *Dignus ager Domini generans sine semine frugem. Et non cassa seges messe repleta places.* Amadæus Episcop. homil. 3. de laud. Virg. *Hæsisti Virgo pulcherrima strictissimis amplexibus Auctori pulchritudinis: & affectu plus Virgo, imò plusquam Virgo, quia Mater & Virgo. Hoc sanctum semen Deifica infusione suscepisti. Non solùm Maternitas tibi florem non ademit Virginitatis, sed addidit. Plus Virgo fuisti, cum facta es Mater Dei.*

Ildephons. Venant. Amadæ.

89\. *Nemo audet de Maria irreuerenter loqui, aut sentire.*

Quæsieris, cur Mariæ sacerrimus vterus aceruo tritici liliis vallato comparetur? Quænam inter septum, & lilia proportio? Septum dicit robur, & munimen, lilia sunt quid debile, & infirmum. Cur ergo venter, seu Maternitas Virginis *tritico munito liliis* (vti legit Ambrosius orat. de obitu Valent.) æquiparatur? Profectò vt nemo audeat ad Mariam Dei Matrem irreuerenter accedere: vt ei detrahat tantæ gloriæ, tantæ maiestatis particulam, necessarius non est septus impenetrabilis, sufficit fragilis vallum liliorum. Rab. Salomon apud Genebrard. *Sufficit ei sepes tenuis liliorum; nec vllus est, qui eam perrumpat ingressus causa.* Et Isidorus Clarus acutè quidem. *Venter*, inquit, *vallatus liliis, vel rosis est: vt lilia, & rosæ significent sepem debilem, quam quivis facilè transilire posset; sed recti ob reuerentiam minimè eam transiliant.* Omnis comitas, omnis pietas, omnis reuerentia Mariæ Dei Matri debetur; quilibet *rectus* perrumpere sepem non audebit, vt à Deipara detrahat vel particulam priuilegiorum, quæ ad tam augustam attinent dignitatem.

Ambros. R. Salomon. Isidor Clar. *Omnis comitas, omnis pietas Mariæ Dei Matri debetur.*

90\. *Maria custodia Angelorũ stipatur ad honorem, & maiestatem.*

Multi Interpretes existimant, lilia vterum Mariæ Dei Matris vallantia Angelorum signare custodiam non quidem indigentiæ, sed maiestatis. Deus enim illam specialissima prouidentia à primo conceptionis instanti circumdedit. Profectò nonnulli Patres singularem Angelorum custodiam Virgini assignant. Bernardus epist. 77. *Excepto Archangelo eius, qui & illi seruandæ ab initio assignatus fuisse creditus est.* Guillelmus 2. sentent. distinct. 2. *Virgo habuit Angelum custodem.* D. Antoninus 4. part. summ. tract. 15. cap. 29. §. 2. *Hæc ergo Psaltes gloriosa habuit, & spiritum suum supremum in ordine Angelorum. Quare non credetur habuisse nobilissimum spiritum* Dei Mater futura? Quinam verò nobilissimus hic spiritus? An Gabriel? Sophronius de Assumpt. *Virginem Angelus Gabriel vt cælestis paranymphus custodiuit.* Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. *Gabrieli Archangelo eius tota causa commissa est.* D. Hieronym. tom. 4. epist. 10. idem asseruit.

Bernard. *Vnicus Angelus custos Virginis.* Guillelm. Antonin. *Hic fuit Gabriel.* Sophron.

91\. *Magno in numero fuêre Mariæ custodes Angeli designati.*

Alij existimant magno in numero fuisse à Deo Mariæ custodiæ Angelos assignatos. Bernardin. Senens. serm. 51. *Adfuit Virgini Angelorum protectio; assidebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectione. Piè enim creditur, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam.* D. Bernard. serm. 89. in Cant. *Angelicis suffulta ministeriis, & suprema stipata agmine sponsa incedens similis est equitatui Domini.* D. Chrysostomo sequens clausula tribuitur: *Infinitam militiam Angelorum ad gloriosissimæ Mariæ obsequium deputatam nullatenus ambigimus. Qui cauerent, nè præparatum æterni Regis hospitium hostes intrarent.* D. Greg. Nicomed. de Annunc. *Oportebat, non vnum inseruire Angelum Mariæ, sed decies millia millium eam stipasse.* Damasc. orat. 1. de Natiu. Mar. *O sanctissima Filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris?* Alan. ad cap. 4. Cant. *Maria hortus conclusus Angelorum custodia circumseptus.*

Bernardin. Bernard. Gregor. Nicomed. Damasc.

92\. *Angeli Mariæ in vita, in obitu, in Assumptione, & nunc in cælis ministeria exhibent.*

Alij denique Virginis in vita, in obitu, in Assumptione, & post Assumptionem peculiaria assignant ei ab Angelis oblata ministeria. Vt scilicet constet, nõ tam ad custodiam, quam honorem & obsequium Reginæ Mariæ fuisse cœlestes Principes assignatos. Fuit itaque Maria antè Conceptionem ab Angelis celebrata. D. Thom. 3. p. q. 30. art. 2. ex Dionysio de cœlest. hierar. cap. 7. *Angeli ab initio creationis suæ Incarnationis mysterium cognouerunt.* Et per consequens (teste Suar. nostro hic disp. 22. sect. 1) Mariam futuram Dei Matrem. Quam quidem elogiis cœlestibus extulerunt. Angelus Mariæ parentibus illius Natiuitatem Annunciauit. D. Hieron. de Nat. Mar. *Angelus Domini Ioachimo cum immenso lumine adstitit, dicens: Vxor tua Anna pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam. Hæc enim erit, vt vouistis, ab infantia Domino consecrata.* Angeli in Mariæ Conceptione exultant, D. Vincent. Ferrarien. serm. 2. de Natiu. Mar. *Illicò ac concepta fuisti, Angeli in cœlo fecerunt festum Conceptionis.* Angelus nomen Mariæ à Deo impositum parentibus præscripsit. Idiota lib. contempl. de B. Mar. *Vocabitur tibi nomen nouum, ô beatissima Virgo, quod os Domini per Angelum nominauit.* Ierosolymæ cum adesset in Templo puella ab Angelis fuit cibis cœlestibus enutrita. Pantal. Diaconus apud Metaphrast. affirmat, à Zacharia patre Ioannis, *Visos fuisse Angelos, qui Mariæ cibos in Templo ministrabant.* Angeli viuificæ Mariæ morti, gloriosóque funeri adstiterunt. Sophron. serm. de Assumpt. *Ad cuius exequias Angeli famulabantur, & vniuersa congratulabatur cœlorum curia.* Brigitta lib. 6. c. 62. *Post hæc autem* (Maria ait) *amici mei Filij diuinitus missi corpus meum in valle Iosaphat sepelierunt; cum quibus fuerunt Angeli infiniti, quasi athomi solis.* In rerum natura nihil leuioris substãtiæ, quam solis athomi: Angeli autem coram Mariæ corpus exanime sub athomorum forma apparent, quasi profitẽtes, se in Mariæ etiam vita functæ conspectu propè nihil existere. Quid coram Maria Regina viuente? Angeli Mariam in cœlum assumptam stiparunt. Bernard. serm. 1. de Assumpt. *Quis cogitare sufficiat, quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo?* Angeli denique Mariã ad Filij dexteram sedentem æternùm concelebrant. Damasc. orat. de dormit. Virg. *Nec minus Seraphim gloria afficiuntur, cum gloria parenti gloriam tribuunt.* Ephren. de laudib. Deip. ser.

D. Thom. Suar. Hieron. Vincen. Idiota. Pantal. Sophron. Brigit. Bernard. Damasc. Ephren.

Hæc est canticum Seraphin, & Cherubin melodia. Est hymnodia Angelorum, est melos Angelicum. Antoninus part. 3. tit. 15. cap. 44. *Ad hunc igitur supremum ordinem Seraphim perueniente Maria Seraphica facta, obstupescentes de tanta gloria sublimitate: canticum eorum quod Isaias* cap. 6. *audiuit, Sanctus, Sanctus, Sanctus, mutarunt in hoc, dicentes: sancta Dei Mater, sancta Virgo, sancta Maria.*

Antonin.

93. *Maria Virginalis puritas tanta, vt per se sua ineffabilia merita, & priuilegia à fortissimis hostibus defendere.* Philip.

Abbas Philippus ait, in aceruo triticeo innumerabilium granorum congeriè priuilegia ac merita Deiparæ designari, quæ eius Maternitati signatæ in ventris vocabulo debentur. Quibus priuilegiis, ac meritis virginitatis ac puritatis illius lilia apponit vt vallum ad omnium custodiam. *Tanta Mariæ in vita priuilegia tanta, nè prædones auferre præsumant violenter, ne fures diripere, nè vel mures detrahere fraudulenter appetant, vallatur quidem non sudibus, non lapidibus, non cæmento, sed liliis, hoc est, munditia, & gratia inuiolabilis blandimento.* Tanta enim puritas Mariæ, vt valeat cunctorum fortissimorum hostium vires infirmare.

94. *Maria Ecclesiæ Magistra dignissimè ob castitatē ineffabilem potest cunctos edocere.* Rupert.

Rupertus verò in tritico Deiparæ sapientiam cœlestem contemplatus vallatam castitatis liliis, vt dignè possit Ecclesiæ Magistra cunctos fideles fidei mysteria edocere. *Venter,* inquit, MARIÆ *est sicut aceruus tritici nunquam indigens pane Verbi Dei: imò abundat omni tristitia quodcumque seminauerint omnes alij. Illuc illatum est omne, quod Prophetarum fides elaborauit: Huiusmodi aceruus benè vallatus est liliis; quia pulchritudo castitatis sicut claritudinem sensus, ad intelligendas scripturas efficit: ita & authoritatem parat omni homini, vt dignus sit foris eloqui ea, quæ intus reposuit, vel contulit verba Dei, triticum Domini.*

95. *Omnia priuilegia, omnes gratiæ quibus à Deo fideles cuncti donantur ex Mariæ vtero Materno, siue ex eius intercessione procedunt.* Guillelm.

Eleganter de more Abbas Guillelmus in aceruo hoc triticeo Virginis in ventre coacto signari credit omnia priuilegia, cunctas gratias, quæ in omnes homines Deus est collaturus. Ac si in Mariæ ventre, seu Maternitate fidelibus eius filiis sint digerendæ, ac ex ipsa eis communicandæ. *Quia cibo vitæ* (inquit ille) homines pascuntur vitaliter, & eo Matris Mariæ venter tumet, (quasi in horreo reposito) aptè propterea aceruo tritici comparatur. *Non enim est cibus* (gratiæ, aut virtutum) *hominibus, nisi ex ventre virgineo,* (siue ex Virginis Maternitate.) *Itaque non aliundè quam ex aceruo illo virgineo vitalis ad nos manauit* gratiæ *refectio.*

96. *Duplex Mariæ Virginitas corporis ac animi.* Guillelm.

Inferius autem duplicem Mariæ Virginitatem corporis scilicet, & animi ex dictione illa, *Vallatus liliis* rursum commendat. *Aceruum istud tritici vallauit Dominus liliis, id est, perpetuæ virginitatis candore. Nec enim dicitur vallatus lilio, & liliis propter duo lilia virginitatis, vnum intus in animi proposito, alterum foris in corpore incorrupto. Sine lilio interiori lilium exterius nihil est; quoniam sine proposito animi, carnis incorruptio est inanis. Sine lilio exteriori lilium interius non est; quia carnis incorruptione non extante, nullum in animo virginitatis est propositum.* Perfectissima igitur Mariæ Virginitas, quæ ex animi proposito & ex carnis incorruptione coalescit. *Venter eius vallatus liliis.*

97. Hailgrinus Card. trahit hæc verba ad spiritualem Mariæ vterum, quo doctrinæ triticum postmodùm Apostolis tradendum asseruabatur. *Venter,* ait, *spiritualis Mariæ, mens scilicet, aceruo tritici comparatur. Nam cum ipsa omnia verba conseruaret, & conferret in corde suo: ipsa tunc sancti Euangelij conseruauit triticum, quod Apostolis postea tribuit ruminandum.*

Maria Apostolorum Magistra. Hailgrin.

98. *Maria Maternitas cum Virginitate coniuncta.* Hailgrin.

Idem Doctor de fœcunda Deiparæ virginitate locum exposuit. *Vterus Virginis coaceruatum in se habebat triticum, quo pasci debeat columba, quo nutriri debeat Ecclesia.* En fœcunditas. *Et hic venter vallatus dicitur liliis, candore videlicet munditiæ virginalis.* En virginitas. Dionysius Carthusianus contestatur. *Virgineus ille intemeratissimæ adolescentulæ vterus ex prole adoranda fœcundus, atque tumescens, aceruo tritici rectè assimilatur. Et quoniam idem mundissimus vterus omni castitate redolentissimus extitit, meritò liliis decoratus obiicitur.* Carthus.

Per pulchram do D. Ildephonsi lib. de Virginit. Mar. cap. 2. sententiam. Ildephons. *Ecce insolito modo, insolito visu, insolito iure: in vna persona, in vno corpore, in vna conditione, in vna ætate alternat honor Matris, & Virginis: alternat pudor Virginis & Matris: alternat in generante virginitas: alternat in Virgine generandi facultas; & neutrum cedit vlli, & vtrumque in alterutrum deriuatur: & neutrum impeditur ab inuicem, & ambo properant sibi. Vtrumque seruatur in proprio, vtrumque transit in alterum: quia ambo vnum, quia duo idem, quia diuersa id ipsum, quia indistinctum accidens, quia indiscretum concurrens, quia indifferens superuentum. Non Matrem Virginitatis deserit decus, non Virginem maternus impedit partus; & Virginum non violat fœtus, & Matrem non violat pudor virgineus.* Vnde illud: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.*

99. *Priuilegium fœcundæ Virginitatis Mariæ in hominum dirigit protectionem.* Leo Imper.

Leo Imperator homil. 6. de laudib. Virg. pressius hoc celebrauit elogium. O MARIA, *ô Virgo, ô Mater, quæ virginitatem, & partum valde inter se diuersa in te coniuncta monstras!* Adiicit consequenter, *O tegumentum, ô perfugium, quæ totum mundum contines, & seruas!* Ex fœcunda Mariæ virginitate mundi salus consequitur. Ideò postquam dixit sponsus, *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis,* adiecit: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Vt Virginis pietas elucescat, quæ fœcundæ virginitatis priuilegium in nostram dirigat protectionem.

100. *Maria Stellis coronatur, quia Mater: induitur Sole, quia Virgo.* Apoc. 12. 1. Cor. 15. Pelus.

Celebrat hoc Virginis ac Matris elogium Ioannes Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim, & in vtero habens clamabat.* In cuius expositionem illud Apostoli 1. Corinth. 15. præmitto: *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum.* Vbi Diuus Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 351. *Soli eos, qui amplexi sunt virginitatem. Lunæ autem eos, qui continentiam. Stellis eos, qui honorabile connubium amplexi sunt, ac conseruarunt, comparari licet. Maximè cum D. Paulus calculum suum addat, & dicat: alia gloria Solis, alia gloria Lunæ, alia gloria Stellarum.* Preme particulam, *Stellis eos cōparat, qui honorabile connubium amplexi sunt, & conseruarunt.* Quidnam conseruauerint, requiro: ij, qui *honorabile connubium sunt amplexi?* Planè virginitatem, vt de nonnullis

diuis

dinis Ecclesiastica refert communi admiratione Historia. En Mariæ nuptæ Iosepho gloria. Stellis coronatur, quia Mater; induitur Sole, quia Virgo.

101. *Qui Mariæ sodalitio adscribuntur debêt vnione, & pace colligari.*

In aceruo tritici illo, cui Mariæ venter assimilatur fideles contemplor, quos Deipara verè Mater in vitam enititur. Quæsierim autem, quare non hi comparantur spicis tritici, sed granis? Crediderim, quia grana in aceruo inter se cohærent, vniuntur, in agro separantur, imò & spicæ armis ostentantur instructæ. Quid aristæ, quid granorum externa indumenta, nisi lanceas & thoraces obiiciunt? Porrò in aceruo exarmatæ aspectantur, concordiaque vniuntur. Qui Virginis fulciuntur in vtero, qui eius sodalitio adscribuntur, & filios se magnæ Matris esse profitentur, à rixis penitus alieni, debent charitatis, pacisque vinculo colligari.

102. *Cum Mariæ sodales dissident inter se, Matris sua quodammodo viscera extorquent.* Gen. 25. Guarric.

Væ illi, qui spiritualiter in Mariæ vtero conceptus, eam dissidiis torquet. Rebecca filios gestabat in vtero non instar granorum vnitos, sed spicarum armis instructarum instar dissidentes, & decertantes. Vnde Mater conqueritur: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Gen. 25. Ad quæ Guarricus serm. 3. de Annunc. *Cum se colligerent paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quæ prius orauerat, vt conciperet: dolensque ventrem suum à tribulatione malorum, & dolore, penè pœnitebat, quod concepisset. Si sic, inquit, futurum mihi erat, quid necesse erat concipere? Si de aliquo nostrum fratres* sodales Deiparæ, *sic conqueri contigerit viscera Matris nostræ, timeo, nè melius fuisset, si conceptus non fuisset homo ille.* Cultores ergo Virginis tritici sint aceruus, non pugnaces spicæ.

103. *Veri Mariæ cultores sanctitate fulgent.*

Cum autem in Virginis vtero, seu in materna pietate Mariæ grana, (seu illius cultores) à palleis omnino separata contemplor, iustitiam, virtutem, sanctitatem, qua veri Mariæ cultores fulgurant, recognosco. Tam piè enim degunt, vt nec leuium piaculorum palleis, seu imperfectionum stipulis inficiuntur.

104. *Omnis gratia communicanda hominibus ad Mariam profluit, vt ipsa eam illis vbertim expendat.*

Per Christum omnis iustitia, & æquitas, quæ hominibus communicanda est, venit ad Virginem, quæ quidem illam hominibus vbertim expendit. In cœlesti Zodiaco post Leonis signum Virgo sequitur, mox post Virginem Libra ostentatur. Christus. *Leo* est *de Tribu Iuda*, è quo æquitas hominibus impertienda in Matrem *Virginem* deriuatur. Si autem æquitas diffluit in Virginem, illico in *Libram* pergit, hominibus affatim *libranda*. D. Zeno serm. 5. ad Neophyt. *Leo noster est, Christus, quem competenter sequitur Virgo, prænuntians Libram; vt nosceremus, per Filium, qui incarnatus processit ex Virgine æquitatem & iustitiam terris illatam.* Porrò inter Leonem & Libram Virgo adest, quia Christus per Virginem Matrem æquitatem hanc vult hominibus communicari. Vnde qui speciali affectu Virgini adhæret, quasi Libra est, nempè non solum iustus, sed ipsa iustitia quodammodò potest vocitari.

Zeno.

Qui specialiter Mariam colit, nō solum iustus, sed quodammodò ipsa est iustitia.

105. *Maria quia Dei est Mater omnium fidelium etiam Mater extitit.*

Cur non dixit, *Sicut granum*, si Virgo vera Mater est solius grani; (qui de se dixit, *Nisi granum frumenti cadens in terram*, &c.) Sed *sicut aceruus tritici*? Profectò vt edisceremus, Virginem ex eo, quod illius vnici grani, id est, Christi Domini vera Mater est, omnium fidelium simul esse parentem: adoptione enim cuncti ad Mariæ vterum pertinemus. D. Ambrosius lib. de Instit. Virg. *Vnum granum frumenti fuit in vtero Virginis Christus Dominus, & tamen aceruus tritici dicitur; quia granum hoc continet omnes electos, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Ambros.

106. *Maria ager est non fructus vnius, sed plenus.* Genes. 27.

An-non est ager ille Mariæ venter, de quo Isaacus Gen. 27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Plenus ager Virginis venter. An vnicum continet frumenti granum Dei Filium? Adiicit Patriarcha. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti.* Abundat Maria tritico, venter eius velut *tritici aceruus*, ager est non vnici fructus, Christi videlicet, sed fructuum plurimorum. D. Gregorius Thaumat. serm. 1. de Annunc. Maria *ager est, qui non exaratus fructus profert pulcherrimos. Fructus* dixit, quia omnium fidelium Mater extitit.

Thaumat.

107. *Maria vnicū fructum corporaliter edēs, innumerabilium fructuū spiritualis est Mater.* Luc. 1. Richard.

Maria benedicta dicitur ob benedictum vteri eius fructum Christum Dominum. *Benedicta tu in mulieribus*, (dixit Elisabeth,) *& benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. Quomodo ergo dixit Thaumaturgus, *fructus pulcherrimos* protulisse? Certè quia eo ipso, quod fructum illum vnicum corporaliter peperit, omnes fideles spiritualiter est enixa. Ait Richardus de S. Laurent. lib. 8. de laud. Virg. *Ideò benedicta est in mulieribus, non tantum quia sola sine concupiscentia concepit, & sine dolore peperit Christum; sed quia præ omnibus in prole multiplicata est. Etsi enim corporaliter vnicum genuit Filium, in eo spiritualiter Mater effecta est magna multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est.*

108. *Non solum Maria fidelium fructus plures produxit, sed integrum peperit, arborum plenarum fructibus paradisum.* Cant. 4. Guilelm.

Nec solum Maria vnum vitæ arborem Christum producens, pulcherrimos edidit fidelium fructus; sed & integrum vitalium paradisum lignorum germinauit. Vnde sponsus Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Non dixit: *Emissio tua paradisus*, sed *Emissiones tuæ.* Vt signaret Virginem corpore vnicum Filium Iesum peperisse, sed simul ideo factam fuisse spiritualem omnium fidelium Matrem. Guillelmus ad hæc. *Emissiones sunt fructus ex Maria. Vnicus eius fructus est Iesus, sed in vno illo multiplex fructus. In vno Saluatore omnium Iesu multos Maria peperit ad salutem; pariendo vitam multos ad vitam peperit. Eo ipso quod Mater est capitis, eius membrorum Mater est.* Iusti fructifero ligno à Dauide comparantur. *Et erit sicut lignum*, quod *plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Psalm. 1. Ergo quicumque propter iustitiam arbor viuens nuncupatur, Virginis est emissio. Emissiones tuæ ô viuentium Mater omnia fructifera Ecclesiastici paradisi sunt ligna.

Psalm. 1.

Gg 3 Vers.

Vers. III.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

109. *Mariæ debemus non iam spe gloriæ nutriri, sed quodammodo hic ipsa gloria pasci.* HAbes cap. 4. vers. 5. vberem horum verborum, *Duo vbera tua, &c.* in laudem Virginis ponderationem. Nonnulla adiiciam. Ad primum quæsierim, cur cap. 4. dicitur. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ, qui pascuntur in liliis*, hic autem particula. *Qui pascuntur in liliis* detrahitur? Respondeo comparari illo cap. 4. Mariæ vbera hinnulis lilia edentibus, quia nondum Natiuitatis seu Incarnationis Christi facta fuerat mentio. Vnde tunc qui vberibus Mariæ filij adoptiui nutriebantur lilia carpebant, sola spe, floribus solummodo pascebantur. Postquam verò Maria Dei Mater est, non indigent filij eius floribus, cum ipsa nobis ex vtero suo, qui aceruo tritici assimilatur, nobis impertiat hunc panem, in quo est vita æterna, qua quodammodo vel in præsenti fruimur. Ne ab vberibus Virginis abstraharis æternum gere erga illam affectum; & vt vulgari idiomate facilius exponam. *Haz cuenta, que tienes ya la gloria en la manos.*

110. *Qui Mariæ vbera fugit, humilis & castus procedet.* *Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*] Capream Ecclesiam esse dixerim, duos hinnulos vnum & alterum fidelium populum; duoque vbera Deiparæ humilitatem, & castitatem. Superbus Iudæorum populus fugit à Mariæ vbere humilitatem, immundus olim Gentilium populus lac castitatis suxit. Honorius in sigillo. *Caprea est Ecclesia: duo hinnuli, duo fidelium populi ex circumcisione, & ex præputio: qui lac humilitatis & castitatis imitando suxerunt de vberibus B. Virginis.* Ecclesiæ ergo filius, qui superbiæ, aut libidinis vitio laborat, Mariæ vbera fugat, humilis procul dubio, & castus procedet. Honor.

111. *Mariæ virginitas & fœcunditas.* Rupert. Rupertus verò vtramque similitudinem capreæ hinnulorum, & eburneæ turris virginitati ac fœcunditati Deiparæ accommodat. *Ista*, inquit, *laus libera opposita est vituperationi ancillæ, imò & ancillarum, quæ ex vna factæ sunt duæ. Fili hominis (ait Dominus ad Ezechielem cap. 23.) duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua: ibi subacta sunt vbera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum. Quanta iniuria seruilitatis in illa tali subactione vberum, talique fractura mammarum! Et quantum decus libertatis hic secundum similitudines istas, videlicet hinnulorum gemellorum capreæ, atque turris eburneæ! Ergo tu ô libera Sunamitis* MARIA, *tu maximè, cuius vbera sunt gemella, seculis omnibus inaudita virginitas, atque fœcunditas. Tu inquam, ô dilecta singularis, libera es ab omni iugo peccati secundum istas similitudines hinnulorum capreæ, & turris eburneæ.* In eburnea itaque turri virginitatis Mariæ puritas, candidissima in vberibus lacte plenis, & gemellis hinnulis fœcunditas designatur.

112. *Maria nutrit nos ad vitam æternam, dum ad temporalem lactat Saluatorem.* Guillelm. Non incongruè autem in duobus hinnulis gemellis vtriusque sexus fideles contemplor, quos Deipara nutrit ad vitam æternam, dum ad temporalem nutrit Saluatorem. Audi ex Abbate Guillelmo. *Hinnulos*, ait, *gemellos interpretor fideles vtriusque sexus, eo quod vno partu à caprea (nempè Ecclesia) sunt effusi, & in accipienda gratia non est distinctio apud Deiparam masculi & fœminæ. His Mariæ viscera Saluatorem ediderunt. Nam sicut magnus ille paruulus natus est nobis, id est, ad salutem nostram, ita etiam nutritus est nobis. Pariebat nobis Virgo Mater salutem: atque eo ipso pariebat nos ad salutem: sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam. Piis caput nostrum brachiis suspendebat ad vbera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat. Nec sibi ille nascebatur, nec pascebatur, sed nobis: atque ideò nos in illo nascebamur, nos in illo pascebamur. Duo ergo vbera piæ Matris sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

Pondera illam particulam, *Piis caput nostrum brachiis suspendebat ad vbera sua, & nos ad eadem in illo suspendebat.* Vnde debemus Virgini fratres Iesu Dei & hominis esse. O Matris magnæ Mariæ pietatem, quæ effecta Dei Parens, simul curat hominum esse parentem. 113. *Mariæ debemus, Christi Dei & hominis esse fratres.* Guillelm.

Nec hunc solummodo in lactatione Iesu expressit affectum, sed & in partu. Nam nos (ait Abbas) *in illo nascebamur*, & *nos in illo pascebamur.* Non inquit: *Nascebamur cum illo.* Vt ex Deiparæ affectu non possemus homines membrorum instar, à Christo nostro capite separari. 114. *Maria nos Christi fratres cum ipso genuit.* Guillelm.

Nec verba illa sine pondere excidant: *Pariebat nobis Virgo Mater salutem, atque eo ipsa pariebat nos ad salutem: sacro lacte suo nutriebat nobis vitam, atque eo ipso nutriebat nos ad vitam.* Gratiæ scilicet & gloriæ. Annon hoc ex capite plus erga nos quam erga Iesum maternus Mariæ affectus obiicitur? Nutrit Filium ad temporalem vitam tuendam, nos in illo lactat, vt spiritualem gratiæ & gloriæ assequamur. 115. *Videtur quodammodo Maria ostendere maiorem erga nos, quam erga Christum affectum.*

Imò pietas Mariæ efficit, vt ipse Christus Dominus nostrum caput nos eius membra enutriat. Caput enim velut membrorum nutritius ostentatur. Ad hæc Guillelmus. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli, hoc est, duo vbera tua duobus congruunt hinnulis. Planè congruunt eis, id est, infirmitati eorum lac propinant dulcedinis eo ipso, quo Christum pro tempore nutrierunt*, vt ipse nos sua membra nutriret. *De quo infirmæ animæ per Prophetam dicitur, iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Psalm. 54. *Verè* (concludit) *duobus hinnulis, id est, ex vtroque sexu electis duo piæ Matris vbera congruunt, id est, imbecillitatem eorum congruè fouent, & nutriunt eo ipso, quo nobis pro tempore nutritorem omnium nutrierunt.* Nutriit itaque Deipara omnium nutritorem, vt ipse caput nostrum, nos sua membra nutriat. 116. *Maria Iesum caput hominum nutriuit, vt ipse nos sua membra nutriret.* Guillelm.

Alanus denique duo vbera exponit *carnem Virginis ab omni concupiscentia puram, & virginitate decoratam: & animam virtutum deliciis refertam.* Vt munificentiæ Mariæ erga nos ostendatur vbertas, cum non iam duo vbera cuique fœminæ agnata nobis exhibeat, sed totam se conuertat in vbera, vt oberius cuncti virtutum liquore purissimo potaremur. 117. *Maria totam sese nobis vbera esse ostendit, vt vberius ex ea virtutibus nutriamur.* Alan.

Addit

118. *Christus ex corporis ac animæ Mariæ vberibus interminabilem iucunditatem percipit, & viterrima erga illam dilectione potatur.* Alanus.

Addit Doctor, Virginem Christo Domino duo hæc vbera animæ scilicet, & corporis sugenda præbuisse. Quonam effectu? Dum nos sugimus virtutum exempla, Christus iucunditatis & dilectionis in Matrem lacte nutritur. *Corpus*, ait, *& anima Deiparæ vocantur vbera, quia ex iis Christus suxit specialiter iucunditatis, & dilectionis pabula.* A materialibus Mariæ vberibus Christus post consuetum lactationis tempus amotus fuit; sed animæ & corporis mysticis vberibus Matris semper adhæret, vt interminabilem percipiat dulcedinem ex ineffabilibus tantæ Matris perfectionibus, queis magis, ac magis in illius dilectione accendatur.

Mariæ corpus & anima corpori ac animæ Christi assimilatur. Alan.

Concludit Doctor, *Caprea Christus est, & huius duo hinnuli caro & anima Christi, quibus cum carne & anima Virginis maxima fuit similitudo.* Quanta in anima & corpore Mariæ puritas, si animæ ac corpori Christi digna est assimilari!

Vers. IV.

Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

119. *Tam fortis Mariæ castitas, vt possit ipsam munire humilitatem, quæ in aliis castitatem munire assolet, vt persistat.* Honor.

COllum tuum sicut turris eburnea.] Plura scripsi ad illud Cant. 46. *Collum tuum sicut turris David*; nonnulla adiiciam. Dum Infans Iesus Mariæ purissimis hærebat vberibus, collum illius de lactentis Infantuli more contrectabat, eique loco lactis accepti, illius castitati humilitatis infundebat affectum. Honorius ad hæc: *Duo Mariæ vbera fœlicia, quia suxit ea Dei sapientia. Collum etiam eius beatum, quia sæpè est brachiis Filij Dei amplexantis circumdatum: & ideo sicut turris eburnea, quia castitate contra superbiam firmiter munitum.* Castitas in aliis, vt persistat, solet humilitate muniri contra superbiam. At tam fortis Mariæ castitas, vt ipsam valeat munire humilitatem. *Si castitas* (addit Doctor) *humilitate non muniatur, superbiæ patet.* Tanta autem est in castitate Mariæ fortitudo, vt ipsa possit munire, inuincibilemque facere ipsam humilitatem.

120. *Fortis est instar turris, Mariæ humilitas.* Rupert.

Rupertus verò in hisce verbis Deiparæ humilitatem celebrari sigillatim affirmat. *Quid est*, ait, *collum tuum, vel quale est? Vtique non extensum, imò amabiliter demissum: & hæc est humilitas tua fortitudo tua magna, fortitudo pulcherrima. Verè sicut turris eburnea, quæ & aspectu amabilis, & statura sit fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis; diabolo autem terribilis, & inaccessibilis.*

121. *Maria Deo fortis ostenditur, ad eius iram infirmandam, dū se humilem in illius conspectu profitetur.*

Quomodo Maria Deo fortis ostenditur? Certè dum se humilem in eius conspectu profitetur. Numen enim aduersus peccatores iratum humili precatione pacatum reddit, strictique gladij hebetat acumen. Iacob humilitate potuit quodammodo Dei fortitudinem infirmare. *Si contra Deum fortis fuisti*, (Numen ait) *quantò magis contra homines prævalebis*? Genes. 32. Queisnam armis Iacob cum Domino decertabat? An-non humilitate? De Iacobo Oseas cap. 12. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum* Dei personam gerentem: *& confortatus est.* Vndenam tanta ei fortitudo? *Fleuit, & rogauit eum*, humili affectu vicit. Moses Deum ira succensum contra populum humili oratione compressit, nè in illum irrueret. Dauid, *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione*, (id est, in humili capitis & cordis demissione,) *in conspectu eius*, populus periisset. Recognoscens autem Deus vires humilitatis, ei Exod. 32. dixit: *Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Vt autem illum Deus ad dimittendam humilitatis pugnam afficeret, addidit, *Faciamque te in gentem magnam.* Videns autem Deus quod humilitatis potentiam superare non posset, denique dixit, *Dimisi iuxta verbum tuum.* Si hi humilitate victores euaserunt, quantò fortius Maria Deum iracundia accensum debellabit ineffabili illa capitis demissione: *Ecce ancilla Domini*, cum Domina ab Archangelo prædicatur. Hanc excogitationem ex Ruperto confirmo. *Quali fortitudine luctabatur iste vel ille, Moyses, & Iacob? Profectò humilitate. Igitur ô dilecta, collum tuum, quod est humilitas tua, turris eburnea, id est, fortissima est, atque pulcherrima, quam respiciens Altissimus, dedit tibi, &c.* Non fuit necesse, vti Patriarchæ illi Deum ad certamen adducere, respicere sufficit turrim tuæ humilitatis fortissimam, vt *det tibi* quidquid libuerit postulare. Gen. 32. Osee 12. Psal. 105. Exod 32.

Non pugnat Maria cum Deo, sufficit enim Deum illam aspicere, vt det illi quidquid libuerit postulare.

122. *Maria sanctitatis est turris vincens omnes sanctitatis turres celsitudine.* Guilelm.

Guillelmus autem asseruit, per eburneam turrim exempla sanctorum illorum Abrahæ, Isaacci, Iacobi, Dauidis, & cæterorum significari, Deiparam verò turrim esse cunctis sanctitatis turribus præcelsis eleuatiorem; omnes enim mirum in modum superauit. *Si per turrim*, inquit, *exempla Sanctorum significantur, sanè Deipara talis verissimè vocatur, quæ multò sublimius cæteris ex ebore illo antiquo turrim fortitudinis cunctis hostibus tremendam extruxit. Quippe antiquorum virtutes in suis moribus non modò perfectè expressit, verùm etiam in eisdem virtutibus superexcellenti gratia modum antiquorum longè excessit, vicitque singulos non tantum in aliis, sed & in præcipuis illorum: Abraham in obedientia, Moysem in mansuetudine, Dauidem in humilitate, &c.*

123. *Maria turris ad miserorum refugium.* Hailgrin.

Porrò Cardinalis Hailgrinus acutè obseruauit, in turri signari miserorum refugium: in ebore præter candorem castitatis, & firmitatis constantiam, etiam quod ebur est os elephantis, qui habet agnatam cum dracone inimicitiam. *Beata autem Virgo* (inquit ille) *pugnam habet perpetuam cum serpente, vt nos ab illo turris fortitudinis tueatur.*

124. *Sine Maria Ecclesiæ collo, Christi capitis nostri non fruemur influxu.* Richard.

Richardus de S. Laurent. lib. 5. sic Mariæ pulcherrimum collum laudibus effert: *Collum tuum sicut turris eburnea. Ipsa enim est collum Ecclesiæ propter coniunctionem diuinitatis, quæ per caput, & humanitatis, quæ per corpus figuratur. Quia in vtero eius facta est coniunctio diuinæ & humanæ naturæ: & vnitum genus humanum Christo capiti suo, vt in humana natura simus vnum cum Deo.* Tolle collum, membra

in bene agendo prouidentia. Guille'm.

prouidentia sine intermissione prouidendo bona non tantùm coram Deo, sed & coram hominibus. Rom. 12.

133. *Tota Maria vita adeò perfecta fuit, vt non solù grata fuerit Deo, sed gratiæ ipsius expresserit imaginem.* Guilielm.

An vlla in his luminibus imperfectionis notula? Minimè quidem. Ideo enim piscinis, in quibus aquæ clarissimæ ostentantur, similia esse dicuntur. Addit Guillelmus, *Planè hos oculos Mariæ, nullus vnquam vel tenuis carnalis illecebra puluis fuscauit: nullus vel modicus æmulationis, siue iracundiæ motus turbauit: sed ad instar aquæ viuæ puri semper, atque perlucidi fuêre; quia nihil in se turbulentum, siue puluerulentum habebant; sed quandam aquæ viuæ, id est, cœlestis gratiæ similitudinem exprimebant.* Mariæ vita tam aliena fuit ab vlla macula imperfectionis, vt non solùm gratiosa Deo fuerit; sed gratiæ ipsius cœlestis perfectissimam expresserit imaginem.

134. *Compungitur Maria purissima, & instar Spiritus sancti purissimi gemit, vt peccatores ad compunctionem excitet.* Rupert.

Rogitat Rupertus, *In quo B. Virgo, oculi tui sunt piscinæ?* & respondet, *Nimirum in eo, quòd non deficiunt eis aquæ. Tu maximè præ cunctis mortalibus semper compuncta corde dicere poteras, Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Psalm. 81. *Propterea dixi, sicut piscinæ in Hesebon, id est, in maxima compunctione. Hesebon quippe interpretatur cingulum mœroris: vnde & congruè nomen hoc significat magnitudinem compunctionis.* Vndenam Deiparæ nulla vnquam imperfectionis macula infectæ hic tam magnæ compunctionis affectus? Certè vt pro peccatoribus hoc magno compunctionis gemitu, veniam à Deo precaretur; quem modum *Spiritus sanctus* nullius capax piaculi *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vti Paulus ait Rom. 8.

Rom. 8.

135. *Vita actiua & contemplatiua Deiparæ.* Alan.

De alio mœroris Virginis cingulo locum Alanus exposuit. *Oculi Virginis dicuntur vita contemplatiua & actiua. In actiua videt, quid agendum: in contemplatiua, quid diligendum. Comparantur istæ piscinis, quia Virginem spirituali refectione satiant, & à macula peccati liberant. Hæ sunt in Hesebon, id est, in cingulo mœroris. Virgo enim quantum ad actiuam vitam vallabatur mœroris cingulo pro laboris, & miseriæ diuturnitate: quantum ad contemplatiuam pro dilatione patriæ.*

136. *Respectus Virginis peccatoribus est lauacrum.* Philip.

Deiparæ oculi piscinarum aquis comparantur? O fœlices admodum peccatores, quos dignabitur respicere; ipse namque respectus illis erit & lauacrum. Abbas Philippus, *Oculi sponsæ Mariæ non infecti fœcibus serpentinis, sed conformati moribus columbinis. Ideo in præsenti similes sunt piscinis,* quia respicientes diluunt, (intercessione) peccatores, *lotos imbuunt, imbutos alliciunt salutaribus disciplinis.*

137. *Quot sunt multoculæ Mariæ lumina, tot sunt peccatoribus piscinæ multitudini ægrotantium peccatorum.*

Assident verò oculorum Virginis piscinæ *in porta filiæ multitudinis,* quia non vni, sed multitudini peccatorum in eis refrigeria apparantur. De piscina illa probatica sic Ioannes cap. 5. *Est autem Ierosolymis probatica piscina quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.* Descensu repentino Angeli aqua turbabatur; ei vero ex tota multitudine, qui primus tingebatur vnda, salus cedebat, aliis in ægritudine persistentibus. Profectò Deiparæ oculi non sunt piscina singularis, sed innumerabiles piscinæ, adsunt si non in porticibus, in porta patenti. Ibi *multitudo languentium,* seu *filia multitudinis*, nempè cuncti

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Ecclesiæ filij variis animi languoribus laborantibus. Semel turbata est piscinarum Mariæ ab Angelo aqua, cum Virgo *turbata est in sermone eius.* Luc. 1 & ex tunc omnibus ægrotantibus spiritu, perfecta valetudo paratur; habent enim *Hominem* Mariæ Filium, qui ad salutares aquas indigentes dirigit. *Oculi tui*, ô multocula Virgo, *sicut piscinæ*, quot oculorum Mariæ respectus, tot peccatoribus salutares piscinæ turbatæ obiiciuntur.

Ex quo ab Angelo Mariæ piscina turbata fuit, cunctis simul est salutaris.

Oculorum Virginis perfectionem in clarissimis aquis piscinarum expressam Dionysius Carthusianus pulchrè describit. *Non dubium, quin ex assiduo corporali intuitu Verbi Incarnati oculi Matris illius fuerint miro modo clarificati, sydereique facti: in quibus & interna puritas, columbina simplicitas, supernaturalis sagacitas mentis tantæ Virginis elucebant mirificè, ita quod instar perspicuarum, clarissimarum aquarum, erant pellucidi, & sinceri. Sed & interiores oculi eius, piissimique respectus, acies intellectualis, fides, sapientia, scientia, prudentia nonnè præclara luce, ac lucida puritate, excellentique perfectione erant perfusi, ab omni perturbatione, & vitiorum inquietudine prorsus alieni? Quemadmodum aquæ piscinarum Hesebon leguntur imturbidæ, atque perspicuæ extitisse.*

138. *Oculorum corporis, & animi Mariæ inuisibilis perfectio.* Carthus.

At Richardus à S. Laurent. lib. 7. de laudib. Virg. asserit Virginis oculos piscinis comparari ob lachrymas, quas in Filij passione profuderunt. *Vehementissimæ persecutionis vento impulsa fuit nubes Maria: & tunc resoluta fuit in multa lachrymarum stillicidia. Vnde & dicitur* Cant. 7. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon.* Tam vber fuit Mariæ fletus in Filij passione, vt valeat iam roranti nubi, iam plenis aqua piscinis comparari.

139. *Vberrimus in passione Filij Mariæ fletus.* Richard.

Ideò Matri Filius ait: *Eris quasi hortus irriguus.* Isai. 58. & Eccli. 24. *Rigabo hortum plantationum.* Et Ecclesiast. 2. *Extruxi mihi piscinas aquarum ad irrigandam syluam lignorum germinantium.* Quæ quidem Richardus lib. 12. lachrymarum Deiparæ vbertati accommodat: *De ea in Isaia dicitur, Eris hortus irriguus. Et in Ecclesiastico dicit Filius de Matre: Rigabo hortum. Et verus Salomon in Ecclesiaste, Extruxi piscinas aquarum, ad irrigandam siluam.* Profectò *Maria quæ est hortus*, seu silua virtutum germinibus abundans, *habuit in se vtrumque illum irriguum inferius scilicet, & superius. Irriguum inferius complectitur triplicem fletum, nempè pro peccatis propriis: sed hunc non habuit, quia nunquam peccauit. Item pro miseriis alienis; hunc habuit per compassionem transgressionum generis humani; quasi diceret: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, ô Fili mi. Communicans etiam passionibus Vnigeniti sui, pro quo abundanter creditur lachrymata: vnde & ei dicitur, Oculi tui sicut piscinæ. Item pro huius miseria incolatus dicens illud* Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Irriguum superius habuit post Ascensionem Filij lugens præ desiderio patriæ, & absentia sponsi. Vnde dicit* Cant. 5. *Filiæ Ierusalem (id est, ô vos virtutes Angelicæ) nunciate dilecto, quia amore langueo.* En Axam meliorem, cui non pater Caleb, sed Pater æternus *dedit irriguum* (lachrymarum) *superius, & inferius.* Iud. 1.

140. *Hortus & ager Mariæ... habet instar Axa superius, & inferius lachrymarum irriguum.* Isai. 58. Eccl. 24. Ecclesiast. 2. Richard.

141. *Nasi & turris proportio ad Mariæ spiritualia elogia concipienda.*

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.] Comparatio nonnulla sumitur à forma quòd decenter erectus esset nasus, & planus, & vndique æqualis: potissima tamen sumitur ab officio, & vtilitate. Veterum turres à fastigio in mœniana quædam sensim exporrigebantur, quæ leuiter prominebant deorsum foraminibus suis instructa, vnde lapidibus, & aliis telis hostium ascensio, & impressio impediretur. Nasum ergo decus faciei, indicat talem esse, qui pulchritudini oris addat maiestatem adeò, vt quantum illa adspicientes in amorem allicit, tantum hæc lasciuos intuitus, & conatus cohibeat, atque repellat. Competentis magnitudinis nasus signum est probi odoratus; nam hoc membrum odores malos à bonis discernens, hominem monet quæ aspernari, & quæ ori oporteat admouere. Est etiam symbolum multi spiritus, & animi magna atque ardua voluentis, iuxta Virgilij illam generosi equi descriptionem, qui

Collectumque premens voluit sub naribus ignem.

Ideò nasum dicit similem turri, quæ in Libano fundata speculatoria & bellica Damascenam vrbem versus spectabat. Sic LXX. versio. *Nasus tuus sicut turris Libani prospiciens faciem Damasci.* Philo, *Libanus dealbatio. Damascus, sanguinem bibens, vel sanguinum potus.* Melius diceret, *Saccus ruber.* En pulcherrimam Deiparæ corporei nasus proportionem; & spiritualis venustatem, quæ à Patribus mirificè celebratur.

Philo.

142. *Maria turris fortissima, cuius aspectus Damasco, seu diabolo formidabilis.* Philip.

Philippus enim Abbas hinc Mariæ contra dæmonis insultus Ecclesiam impugnantis commendat fortitudinem. *Cum inimicorum dæmonum malignitas excrescit violentius, & impugnat, fortis hæc Virgo vt turris Libani prominet, & repugnat. Eo autem praualet, & malignis efficacius aduersatur, quo in Christo, qui mons est Libani, solidè confirmatur, in quo sita, & superedita Damascum respicit, & prospectat; vt prospectu solicito illam à proposito reuocet, ac deflectat. Damascus interpretatur sitiens sanguinem. Nostrum verò sanguinem sitit ciuitas perditorum, sed ne totum ebibat, respectu Virgo prohibet oculorum, qui & nobis petentibus salutarem conferunt munimentum, & malè sitienti* diabolo *potenter nocumentum inferunt.* Solo oculorum respectu Maria tartareas debellat aduersarios, Damascum euertit. Ideò dicitur, *Sicut turris, quæ respicit* (non quæ decertat) contra Damascum. Si solum respiciens vincit Virgo turris, quid cum *Sunamitis* ducit *choros castrorum?* quid cum ad decertandum cum hostibus ad campum procedit?

Si solùm aspiciens vincit Maria, quid cum decertare in campum procedit?

143. *Percipit confestim Maria fidelium orationes, vt illis festina succurrat.* Apoc 5. Guillelm.

Si autem nasi ministerio odores homo percipit: hinc pietatem Deiparæ singularem rimari licet. Ioannes enim Apoc. 5. vidit *viginti quatuor seniores habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt preces sanctorum.* Profectò Virgo huiusmodi odoramenta percipit, vt mox precantibus succurrat. Pulchram do Guillelmi sententiam. *Clementia piæ Matris, quæ se propitiam petentibus exhibet, hic insigniter commendatur. Nasi quippe officio hauriuntur odores. Quid autem preces piorum nisi odores quosdam suauissimos dixerim? Vnde cum Ioannes dixisset seniores habere phialas aureas odoramentis plenas, consequenter odoramenta exposuit, Quæ sunt, inquit, preces sanctorum. Nasus itaque piæ Matris præclara illa, cunctisque notissima est eius clementia, qua nimirum odores bonos attrahere, id est, pias ad se clamantium preces hilariter solet admittere, atque effectui mancipandas Filio præsentare.*

Cur autem turris libani, vel sita in Libano nuncupatur? In Libano contemplor Ecclesiam, cuius protectioni Deus Marianam turrim extruxit. Ait Guillelmus, *Per Libanum, qui candidatio interpretatur, Ecclesia in sanguine Agni sponsi proprij candidata signatur. Quippe Agnus ad hoc occidi dignatus est, vt in sanguine suo exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.* Ephes. 5. *Porrò quia diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret.* 1. Pet. 5. *Candidatis suis fabricauit turrim fortitudinis à facie inimici, turrim fiduciæ contra faciem Damasci, id est, propriæ Matris clementiam illis ad magnum, certumque munimen attribuit.* Certum quidem, quia Marianæ turris protectio haud est variis belli euentibus obnoxia, hostibus inexpugnabilis. Semper obiicitur. *Hæc est ergò,* addit, *turris Libani, fortis munitio candidatorum; ne quando dicat inimicus. Praualui aduersus eos.* Psal. 12. *& denigraui nitorem eorum.*

144. *Maria turris in medio Ecclesiæ sita ad eius protectionem, non est variis belli euentibus obnoxia, semper vincens obiicitur.* Guillelm.

Annotat verò sponsus Marianam turrim *contra Damascum* respicere. Cur non dixit, *Quæ respicit Damascum?* Crediderim, quia magna differentia in hisce inest propositionibus: *Respicit Damascum,* & *respicit contra Damascũ.* Primus respectus Virginis innuit pietatem, & amorem: Secundus autem iram, & inimicitiam portendit. Ego existimo Marianam turrim in præsenti & respicere, & contra respicere. Quemnam respicit, & contra quænam respicit? Respicit hæc turris peccatores, quos dignatur protegere; & simul respicit contra illum, qui eos perdere satagir. Pulchrè admodum Guillelmus, *Turris ista non respicit Damascum, sed contra Damascum. Respicit enim piè, quos respicit muniendos: porrò pro his, quos piè respicit, toruis ac terribilibus oculis respicit contra Damascum,* diabolum scilicet, *vt arceatur ab his, quos illa tuendos suscepit.*

145. *Maria respicit benignè fideles, toruo, & irato vultu contra diabolum dirigit oculos.*

Guillelm.

Vt autem edifcas, quanto beneficio à Deipara tuendus suscipiaris, audi ex eodem Abbate Damasci, seu dæmonis hostis tui horribilis descriptionem. *Damascus,* inquit, *interpretatur sanguinis potus, vel sanguinis osculum. Vtrumque autem diabolo conuenit; quia & sanguinem potat, & sanguinem osculatur. Nempe ipse est sanguisuga, de qua Salomon, inquit, sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, Affer.* Prou. 30. *Sanguinem iugiter sitit, sanguinem insatiabiliter sugit, & non nisi sanguine pascitur, qui solis hominum mortibus delectatur, mortes hominum summas delicias reputat, atque ideò perniciem hominibus machinari non cessat, ad aliud non intendit, totas in hoc artiũ suarum vires expendit, duabus maximè filiabus suis sibi iugiter cooperãtibus, superbia, atque luxuria; quarum vtraque dicit, Affer, Affer. Nam vt superbia semper vult instaurari honores, quibus homo inaniter glorietur, sic luxuria non vult interpolari voluptates, quibus turpiter delectetur. Tam multum quotidiè sanguinis potat sanguisuga hæc, sed non satiatur, atque ideo sanguinem assiduè osculatur.* Hæc hostis tartarei terribilitas: sed tanta turris Libani, seu Deiparæ fortitudo, vt solum toruum *contra* illum dirigens aspectum oculorum, omninò comminuat.

146. *Magnum beneficium confert in nos Maria, cum nos à crudelissimo planè beste, qui nostrum sitit sanguinem liberat.* Prouerb. 30.

Solo respectu toruo Maria diabolum debellat.

nnat. Diabolus ergò (concludit Guillelmus) *est Damascus, contra quem præclara illa turris Libani respicit*, vt ipso respectu diriter percutiatur.

147. *Præsentit Maria diaboli insidias, vt fortiter se aduersus illā pro nobis opponat.* Hailgrin.

Cardinali Hailgrino nasus Deiparæ, est discretio, *qua & præsentit diaboli malitiam, & à longè quasi è turri, seu specula prauidet. Vt scilicet sicut turris pro nobis se fortiter opponat. Dicitur autem in Libano sita, vt ostendatur, quod candore virginitatis suæ tanquam pede serpentis caput conterere valeat.* Si solo virginitatis Mariæ aspectu serpentis caput conteritur: quid si cunctæ innumerabiles Virginis virtutes ad certamen procederent?

148. *Maria discretio, ad discernendum fœtorem vitiorum à virtutum fragrantia.* Alan.

Alanus verò nasum hunc mysticum refert etiam ad discretionem purissimæ Virginis, *qua fœtorem vitiorum ab odore virtutum discernens, ab illecebris voluptatum, & dæmonum malignantium incursibus se tuebatur.* Nec enim Maria vt aliorum vtilitati studeret, propriæ perfectionis negligebat studium: imò ex hoc studio ad edocendos alios documenta eliciebat.

149. *Mariæ discretio in bono eligendo, & fugiẽdo malo pulchrè describitur.* Carthus.

Dionysius Carthusianus discretionem Virginis in bono eligendo, & fugiendo malo in mystici nasi descriptione annotauit. *Nasus*, ait, *vt cernimus, duo habet foramina, quorum vnum tendit ad concauitatem palati, & necessarium est ad spiritum, seu aërem attrahendum, & odoratum perficiendum. Aliud tendit suprà ad pelliculas cerebri: necessariumque est, ad superfluitates descendentes è cerebro expellendas. Ideò per nasum significatur discretio, cuius est bona eligere, ac nociua tanquam sordes abiicere. Quæ discretio fuit permaxima in B. Virgine: quippè quæ in discernendo nunquam errauit, nunquam malo sub specie boni decepta est, nunquam minus pro maiore bono elegit; sed vnumquodque sapientissimè ponderans, tanti illud ponderans æstimauit, quanti fuit æstimandum.* Sic ille & opportunè.

150. *Tantū erexit Altissimus turris Marianæ fabricam, quantū erigi decebat ad Matris Dei præcelsam dignitatem.* Richard.

Profectò Richardus à S. Laurent. narium officiis præclara Deiparæ inuenit elogia lib. 5. Commendat in primis Virginem ex *nasi debita quantitate*, seu proportionata ad officium Matris Dei altitudine, & pulchritudine: asserens vndequaque esse perfectam, ideoque turri Libani comparari. *Quoad se*, addit, *fuit Maria turris Libani fundata super petram, id est, Christum, cui soli innitebatur. Vnde* Cant. 7. *Innixa super dilectum. Quæ scilicet turris Libani est stabilis altitudo candoris eius, innocentiæ scilicet & virginitatis, iugiter respiciens contra Damascum, id est peccatum*, quo nunquam fuit infecta. Super petram Christum ipse fundauit eam Altissimus, nempe vt Christi Mater esset. Vnde eius altitudinem tantum erexit, quantum ad tam præcelsam Matris Dei dignitatem fuit necessarium.

151. *Maria prudentia dignoscens à longè diaboli astus, vt nos ab illo protegat.* Richard.

In nasi pulchritudini agnata proportione hominis discretionem prudentiamque colligimus? *Damascus* (ait ille) *interpretatur sanguinem bibens, seu diabolus, qui semper sitit bibere sanguinem peccatorum. Contra eius insidias opponitur nasus, seu discretio, & prudentia B. Virginis, quæ illius præsentit malitiam, & à longè prauidet quasi de specula. Vnde & turri comparatur, à qua de longè inimicorum videntur incursus. Ipsa ergo & à longè respicit contra hostem, & sicut turris fortiter pro nobis se ei opponit.*

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

152. *Maria intercessio homines à noxio peccatorum humore repurgat.* Richard.

An-non nasi ministerio noxius cerebri humor repurgatur? Certè Maria, quæ non habuit in se, quid purgaret noxium, in nobis hoc dignatur officium exercere. Pulchrè ille, *Ministerio nasi purgantur humores capitis: & adiutorio Mariæ vitia, & praui mores nostræ mentis, quæ caput est animæ.*

153. *Maria est via, per quam ad fidelium præcordia Spiritus sanctus penetrat.* Richard.

In nasi vno & altero foramine via aperitur, qua spiritus ad præcordia trahitur? Cœlestem spiritum trahimus per Mariam. *Nasus* (ait Richardus) *via spiritus est. Et Deipara est via, qua Spiritus sanctus venit ad nos, ad nostram scilicet iustificationem, & consolationem. Vnde* Cant. 4. *Veni auster, & perfla hortum meum, id est, conscientiam fidelis animæ.*

154. *Vitalē auram trahimus per Mariam.* Richard.

Corporeæ vitæ tuendæ à naribus respiratio ministratur? Vitalem auram trahimus per Mariam. Ille sic: *Nasus ministrat vitæ carnis respirationem: & Maria vitæ nostræ spirituali dat spei respirationem. Vndè dicit* Eccli. 24. *In me omnis spes vitæ, & virtutis. Et hoc patet in multis peccatoribus, qui nisi in pietate Mariæ sperassent, de Dei desperassent misericordia. Omnis spes*, dicit. Quænam enim salutis spes ei adesse potest, qui sine Maria vitalem auram trahere præsumit?

155. *Nos edocet Maria, quid reiicere quidque eligere ad eius exēplum debeamus.* Richard.

Inter fœtorem & odorem nasus discernens, sensum edocet, quid reiicere, quid eligere debeat? Virgo ex discretione, qua ad propriam vsa est vtilitatem, nos monet, quid reiicere, quid eligere debeamus. *Nasus* (cum Richardo loquor) *discernit inter fœtorem & odorem: & Maria fouens virginitatem, ad illam velut aromata se conuertit: & carnis corruptionem tanquam fœtorem longè à se proiecit.* Vt nos edoceret exemplo, quid agere debeamus.

156. *Piissima cum sit Maria, cōtra sordida quæque gerit indignationem.* Richard.

Num non in naso indignationis animi motus apparet? Ita planè; sed quisnam motus indignationis in Maria piissima potest aduerti? Respondet ille: *Penes nasum attenditur motus indignationis: & Maria per sanctam* (sic fari liceat) *superbiam, quidquid vile erat, & sordidum detestabatur: & omnem mundi gloriam per humilitatem abominabatur.* Quomodo *per humilitatem*, mundi gloriam, *abominabatur*, si *detestabatur* quidquid vile erat *per superbiam*? Quia Mariæ humilitas non erat vulgaris & abiecta, sed prorsus generosa & augusta, qua mundi gloriam vilissimum quid esse, imò nihil existere reputabat.

Mariæ humilitas non erat abiecta, sed prorsus augusta.

157. *Maria nulli obnoxia prohibita Dei ministris imperfectioni, dignissimè potest coram ipso ministrare.* Leuit. 21.

Huius denique nasi describens proportionem, profatur: *Non fuit hic nasus paruus, quia non defuit ei discretio; non grandis, quia non adfuit ei præsumptio; non tortus, quia nulla occasione declinauit à recto.* Annotans Deus, quinam sint inepti ad Sacerdotium, ait Leuit. 21. *Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si fuerit paruo, vel grandi, vel torto naso.* Profectò Maria apta est ad munera Deo pro hominibus offerenda, ad ipsi ministrandum, quia nulli horum trium defectuum obnoxia. Pulchrè concludit Laurentinus: *De his tribus impedimentis agitur* Leuit. 21. *Et idcircò fuit idonea Maria Domino ministrare. Vnde dicit* Eccli. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Richard.

Verſ. V.

Caput tuum vt Carmelus : & comæ capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.

158. *Præcelſa intentioni Mariæ præcelſa opera reſponderunt.*

CAput tuum vt Carmelus.] Præcelſam Virginis intentionem ad cuncta opera præſtanda monti præcelſo hic crediderim comparari. Intentionem enim caput eſſe interpretor, cui opera veluti membra adhærent; vnde ex celſitudine intentionis opera excelſa prodeunt. Si autem Virginis intentio montana fuit, arguitur planè cuncta illius opera ſimilem altitudinem expreſſiſſe. Confirmo ex
Philip. Abbate Philippo. *Caput Virginis mens eius, vel intentio non incongruè poteſt dici, cui opera reliqua vt membra ſubdita videntur ſic addici, vt nec dirigi ad proficiendum, nec ad placendum erigi mereantur, ſi praua intentione vt capite non regantur. Quæ intentio, quia eam non premit iniquitas, infirmitas non emollit, ſed ad ſuperiora ſano placendi deſiderio ſeſe attollit, montis eminentiam, & nomen meruit obtinere. Cuius interpretatio inuenitur fructu non carere.* Quia ſcilicet opera Mariæ huius capitis membra eius celſitudinem æmulantur.

159. *Egregia Mariæ opera præcelſæ illius intentioni ſemper reſponderunt.*

Præcelſa hæc Deiparæ opera præcelſæ intentioni reſpondentia Carmeli nomine deſignantur. *Carmelus* enim idem eſt ac *ſcientia circumciſionis, vel ſciens circumciſionem.* Tota Virginis vita tam pura, tam immaculata obiicitur, vt appareat, non ſolum ſcientiam circumciſionis eam habuiſſe, ſed & ipſam fuiſſe circumciſionem. Ad hanc mentem
Philip. Philippi ſententiam allicio. *Carmelus interpretatur ſcientia circumciſionis, vel ſciens circumciſionem. Circumciſio, vt Iudæi nouerunt, carnis ſciſſura eſt recidens carnale deſiderium in figura. Virgo igitur, cuius intentionem conſtat deſiderio præeminere, rectè Carmelus dicitur, carnalibus neſciens ſubiacere, quæ & corde, & auribus, cunctiſque ſenſibus ſpiritualiter circumciſa. Illa quidem noua Mater miram mortis excellentiam in ſe vidit : cum ei ſic obumbrat ſpiritus, ſpiritualis eam circumciſio ſic emundat, vt gignens, ad genitum culpam carnis hæreditariam non transfudit.* An-non ex tanta Mariæ puritate aſſerere poſſumus, eam adeò immaculatam eſſe, vt in ipſam circumciſionem conuerſam eſſe videatur?

Tanta fuit operum Mariæ puritas, vt in ipſam circumciſionem conuerſa eſſe videretur.

160. *Virgo ſciens Ieſum eſſe immaculatum, eum tamen circumciſioni tradidit, ob hominum ſalutem.*

Si Virgo habebat *ſcientiam circumciſionis,* quia erat *Carmelus*, quomodo ſciens, circumciſionem inſtitutam fuiſſe ad peccati originalis maculam abluendam, infantem Filium circumcidit, quem illi maculæ minimè fuiſſe obnoxium agnouerat? Profectò Deipara huic actioni ob hominum vtilitatem à Deo inſpirata operam exhibuit. Do perpulchram Guil-
Guillelm. lelmi Abbatis ſententiam. *Mens in Virgine Matre monti comparatur propter excellentiam gratiæ. Carmelus quippè in litteris ſacris mons eſt famoſus. Cur autem non alij monti, ſed Carmelo potiſſimum mens illa virginea comparatur, ratio eſt. Quia Carmelus interpretatur ſcientia circumciſionis, & ne pia Mater videatur fortè minùs intellexiſſe circumciſionis myſterium, quod in illo veteri populo contra originale reatum diuinitus ſanctum erat : eo quod Filium duxit circumcidendum, quem ſciebat eſſe ab omni originali labe immunem, & liberum : idcircò illi à Filio ſpecialiter dicitur : Caput tuum vt Carmelus; ac ſi apertè diceretur : ſciebas ô pia Mater, cur Dei populo datum eſſet remedium circumciſionis : & tamen me, quem ſine concupiſcentia, ac per hoc non in peccatis concepiſti, carnali circumciſioni, quaſi ab originali labe purgandum ſubdidiſti. Neque hoc inſipienter faciebas, ſed diuina inſpirationi per Spiritum docta ſeruiebas. Quippè oportuit, me datorem legis factum ex muliere, fieri quoque ſub lege, & hoc diſpenſatoriè, vt eos, qui ſub lege erant, redimerem.* Montana itaque, ſeu eleuatiſſima Deiparæ mens hac in actione ſeſe exerit ad pietatem tradens immaculatum legi circumciſionis Filium, vt tantæ humilitatis actio maculato hominum generi proficeret.

Ex hoc autem Chriſti Domini ineffabili 161.
humilitatis exemplo Virgo didicit ſe purificationis legi ſubmittere. Sicut habebat Deipara circumciſionis ſcientiam, habebat etiam ſcientiam purificationis. At animo & corpore mundiſſima; imò ipſa puritas voluit purificationis legi ſubmitti, videns Filium nulli obnoxium maculæ; imò omnis puritatis auctorem circumciſionis legi ſubiici voluiſſe. Vnde vt in feſto Circumciſionis tom. 1. in Euang. ſanct. ex Patre quodam expreſſi, *Maria à die circumciſionis Filij ſeſe ad diem purificationis præparabat,* vt immaculata immaculatum æmularetur.

Ex exemplo Chriſti ſine macula circumciſi, didicit Maria ſine macula legi purificationis ſubmitti.

Crediderim, ex hiſce verbis : *Caput tuum* 162.
vt Carmelus ineffabilem Mariæ erga Deum dilectionem commendari. Caput enim pro corde non ſemel ſacris in litteris vſurpatur : cor verò Virgineum Carmelum dixerim, quia ſcientiam veræ circumciſionis, quæ cordis eſt, habet : huiuſmodi autem circumciſio aliud non eſt quàm perfectiſſima Dei dilectio. Abbatem Rupertum cogitatio hæc ſortitur Rupert.
auctorem. *Carmelus ſcientia circumciſionis interpretatur. Caput principale eſt corporis membrum, & pro corde accipitur, quod eſt principale interioris hominis iuxta illud* Luc. 21. *His fieri incipientibus, leuate capita veſtra, (id eſt, exhilarate corda veſtra) quoniam appropinquat redemptio veſtra. Igitur caput tuum vt Carmelus, id eſt, cor tuum ſcientiam circumciſionis habuit, nempe ſcientiam circumciſionis cordis, non corporis. An-non Moyſes circumciſionem iſtam præſcripſit?* Deuteron. 10. *Circumcidite præputium cordis veſtri. Quid* (attende) *eſt iſta circumciſio cordis, niſi perfecta Dei dilectio? Nam & cum dixiſſet* Deuteron. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, ſubiunxit illicò : vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Quid de Mariæ erga Deum dilectione dicere intendam, ſi ineffabilis proculdubio fuit? An-non circumciſio corporis vulnere perficiebatur? Quis dubitet? Profectò hæc ſpiritualis Mariæ circumciſio vulnere non caruit. *Fulcite me floribus ait, quia amore langueo.* Alij legunt : *Quia vulnerata charitate ego ſum*, id eſt, ſemper fui ſpiritualis circumciſionis, ſeu dilectionis vulnere affecta.

Ineffabilis Mariæ erga Deum dilectio, in cordis circumciſione exprimitur.

Spiritualis circumciſio cordis Mariæ, ſeu eius erga Deum dilectio non fuit ſine vulnere.

A Dionyſio Carthuſiano hìc Virginis vo- 163.
luntas eleuatiſſima, inſtar Carmeli, ſemper ad Altiſſimi beneplacitum aſcendens prædicatur.

Mariæ voluntas eleuata.

...tas, & intentio semper Altissimi beneplacito adhæsit.

catur. *Caput*, ait, *Regina nostra est sancta eius voluntas nunquam ad inferiora hæc reprehensibiliter inclinata; sed ad eum, qui essentialiter bonus est, semper altissimè, ac fructuosissimè eleuata, vtpotè ardentissima charitate plenissima. Ideò monti Carmelo, qui valde sublimis, & frugifer est, similis perhibetur. Potest etiam per caput Imperatricis nostræ sanctæ & summa eius intentio sursum inuiolabiter fixa signari.* Planè voluntatem, ac intentionem animæ semper Dei beneplacito adhærescere, summam dixerim perfectionem.

Sicut Christus forma speciosus fuit præ filiis hominũ, sic Maria præ hominum filiabus.

164. *Et coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.*] Comarum virginei capitis pulchritudinem sponsus describit. Cum sit Carmelus (teste Theodoreto) mons Phœniciæ excelsus amœnitate, vinearum & fructuum omnium copia nobilissimus, huic simile dicit caput sponsæ, altius scilicet, speciosius, & ornatius, quam cæterarum fœminarum; & ab hoc ait capite pendere cæsariem pulcherrimam, similem quidem colligaturis, filorum sericorum, vel laneorum, quæ destinantur paludamento Regio texendo: suntque splendidioris conchylij sanguine recens fucatæ, postea, ne dilabantur, firmiter alligatæ in purpurariorum canalibus, vt iterum melius, & penitius tinctæ dibapho imbuantur. Docent hoc Cassiodorus, & D. Gregorius. Eadem postquam probè iam tincta fuerat alligatura, ne quid sordidum in lana remaneret, in iisdem canalibus aqua viua proluebatur, & sic crispata influxu vndularum limpidarum gratior longè eius aspectus intuentibus apparebat. Hæc, ni fallor, vis comparationis: sic comæ istæ roseæ humeris vento motæ inuolitant, sicut alligaturæ, quas diximus, præterfluentium aquarum leni decursu, & diuerberatione vndulatim crispantur. Talis itaque comarum Virginis pulchritudo; quia sicut Christus Dominus forma *speciosus* fuit *præ filiis hominum*, sic Deipara præ filiabus hominum extitit speciosa. Ad spiritualem hinc transeo comarum Mariæ pulchritudinem.

Cassiodor. Gregor.

Maria ex meditatione passionis Filij conuersa est in ipsius passionis purpuram, & in Dei amore ineffabiliter exarsit.
Philip.

165. Philippus Abbas cogitationes Virginis amarissimas circa Dominicæ passionis mysterium in his comis agnouit. *Comæ capitis eius, id est, sancti, & subtilissimi cogitatus, quibus accedit capiti decor non mediocris, vel ornatus, purpuræ Regis iunctæ canalibus assimilantur, dum fide, & amore passionis Christi velut sanguine quodam purpurantur. Apud Tyrum, & Sidonem lana subtilis, & candida in canalibus angustatur, quæ sanguine piscis conchylij superfuso, in colorem purpureum transmutatur. Quæ ideo perhibetur purpura Regis esse, quia Regum ab antiquo solebat quasi proprium illud esse, vt veste purpurea induerentur. Comæ itaque Virginei capitis in angustiis canalibus disponuntur, cùm cogitatus eius spiritualibus exercitiis supponuntur, cum passionis Christi fides locum sibi præparat mundiorem, cum in vellus descendens pluuia totum illud conuertit in amorem. Sanguis marini piscis ipsa est dilectio Redemptoris. Qui in mundo factus homo ex præcepto Genitoris Virgini, quam attendit includi in frixorio disciplinæ, amorem sui sanguinis superfundit, & infundit gratiam disciplinæ. Ex quo purpurea, imò purpura fieri perhibetur: & deinceps summo Regi tam propriè, tam specialiter exhibetur, vt vltrà non humano, sed diuino tantum vsui coaptetur: & non virum hominem, sed Deum hominem nosse, & diligere perhibetur.* Vel vnicum verbum ex hac sententia prætermittere, piaculum duxi.

Affectuum Mariæ spiritualium tanta intensio, vt quodammodo necessarium esset à Christo reprimi, ne suprà humanitatem exorbitarent.

Coma capitis tui. Quodnam Mariæ caput nisi Christus? quænam autem comæ huius capitis nisi Virginis actus semper ex Deifico capite procedentes, qui quidem ex ineffabili perfectione diuinitatem hallant. Pulchrè Philippus addit. *Deus homo non incongruè caput Virginis appellatur, qui excellentia principali mons domus Domini super verticem montium prædicatur. Comæ, quas constat capiti radicitus inhærere, & tamen longius euagari, nisi disciplina eas studeat coërcere, omnes actus sunt Virginis, quos in Christo à radice firmius solidauit, & à progressu nimio districtione iudiciaria reuocauit.* Tanta enim erat perfectionis, seu dilectionis erga Deum Virginis intensio, vt quodammodo necessarium esset à Christo suo capite contineri, nè supra humanitatem exorbitarent. 166.

Diritas Martyrij Deiparæ ex continua memoria ceremoniarum legis passionem Filij signantium.
Rupert.

Rupertus verò in comis signari scientiam, quam Deipara habuit circa fidei mysteria, in veteri lege prænuntiata signari asseruit. *Quid dicam de scientia legis, quam Maria habuit? Hoc nimirum quod omnem illam ceremoniarum spiritualiter intelligis. Hoc est, quòd dico, Coma capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus. Coma capitis, id est, sensus cordis tui in meditando, vel cogitando mysteria legis Dei. Exempli gratia; Quid mysterij contineat vitulus immaculatus: quid hircus de capris: quid caprea: quid ouis, & agnus: quid turtur, & quid pullus columbæ: cuncta referendo ad passionem dilecti tui; qui quæ passus est, Rex est constitutus, gloria, & honore coronatus.* Hinc pondero Martyrij Deiparæ ex compassione crudelitatem, quia toties exitialiter vulnerabatur, quoties aliquam ex ceremoniis illis mente euoluebat. 167.

Non potuit temporis decursus, qui solet afflictiones imminuere, vllam doloris Mariæ particulam tollere.
Hailgrin.

Hoc equidem debent tempori diriores hominum angustiæ, vt ipso transeunte, vel transeant è corde, vel saltem imminuantur. Haud sic Deiparæ compassionis vulnus. Sic namque transacta passionis Dominicæ instantia per totius vitæ tempus torquebatur, ac si iuxta crucem Filij suffixi assisteret. Non debuit tempori diffluenti vel minimum dirissimi vulneris leuamen. Acutè Hailgrinus Cardin. *Comæ tuæ, id est, cogitationes tuæ tinctæ sunt in memoria sanguinis passionis; & affectæ sunt cogitationes tuæ quasi recentem viderent sanguinem de vulneribus profluentem.* Non potuit tempus cunctas imminuens leni suo decursu afflictiones; vulneris Mariæ vel particulam alleuiare. 168.

Martyrij Mariæ ex passionis Filij compassione dira vis ponderatur.
Guilelmi.

Profectò qui deuotius, & disertius ex hac sententia: *Comæ capitis tui, &c.* Martyrium Virginis expressit, Abbas Guillelmus fuit, cuius integram periodum, haud inutiliter, transcribam. *Per comas capitis Mariæ piæ cogitationes eius à mente eius prodeuntes designantur. Hæ verò assimilantur purpuræ Regis iunctæ canalibus. Purpura Regis est proprio rubens sanguine caro Redemptoris. Caro illa sacrum Verbi indumentum erat, ex quo Verbum caro factum est; sed tempore passionis in Regalem purpuram hominibus & Angelis adorandam in proprio sanguine tincta est. Vnde Apostolus.* 169.

Propter passionem mortis ei dicit, datum est ei à Patre nomen, quod est super omne nomen. Dum autem sacra illa caro, quam sibi de Virgine propitia veritas sumpserat pro eliciendo pretio redemptionis humanæ, clauis & lancea foderetur, iuxta veridici Simeonis prophetiam, piæ Matris animam pertransibit gladius. Quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia Mater accipiebat in corde. Quod tres vel quatuor claui, & vna lancea faciebat in carne Filij, hoc vnus ille gladius faciebat in anima Matris. Rubebat caro Filij sanguine passionis, rubebant materna illa cogitationes, vt ita dicam, sanguine compassionis. Benè ergò illi dicitur. Coma capitis tui sicut purpura Regis. Quod autem additur. Iuncta, seu vincta canalibus, significat, quod tincturam illam Regalis indumenti, quæ facta est in passione, illicò sequuta est abundantia gratiæ eius, quæ in sacris litteris per aquam designatur. Passo enim, & clarificato Iesu, gratia spiritualis plenis cœpit fluere canalibus, quæ prius parcè fluere videbatur. Hactenus Abbas.

170. *Vis doloris Mariæ in Filij passione ex ipsius erga illum amore metiendus.* Vis doloris Mariæ in Filij passione ex ipsius erga illum amore metiendus. Plus cunctis creaturis Filium dilexit, ergo plus cunctis creaturis in eius passione doluit. Amor Virginis omnium hominum amorem superans, omnium hominum vicit dolorem. Amedæus hom. 5. de B. Mar. *Maria vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltrà humanitatem. Torquebatur magis, quam si torqueretur in se.* Vndenam tanta torturæ diritas? *Quia supra se incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.* Amor mensura doloris fuit. Immensurabilis amoris Deiparæ flamma immensurabilem tota transiit in purpuram. Amedæ.

171. *Tota Maria iuxta crucem in purpuram, seu in sanguinem fuit conuersa.* Totam Mariam iuxta crucem conuersam in purpuram, seu in sanguinem contemplor. Ioël cap. 2. prædixit, *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Videns Maria Solem Christum passionis ac mortis tenebris suffundi, visa est in sanguinis purpuram conuerti: Albertus Magn. serm. in Dom. 2. Aduent. *Tunc B. Virgo conuersa fuit in sanguinem, quando intellexit, dulcissimum Filium suum ad crucis martyrium postulatum. Tunc verò tota Luna facta est vt sanguis, quando assistens cruci vidit Filij caput spinis coronatum.* Si aspiciens Filium Regem spinis coronatum, in sanguinem est conuersa, quia ex spinarum punctionibus vti è canalibus sanguinis purpura fluebat, facta est Maria ex compassione: *Sicut purpura Regis iuncta canalibus.* Ioël 2. Albert.

172. *Dolor omnium sanctorum in contemplatione passionis Dominicæ quasi nihil est, si cum Deipara dolore comparetur.* Asserens autem Propheta, Lunam in sanguinem conuertendam, nihil de stellis memorat, cum alibi de stellis mentionem gesserit. Cur ità? Planè quia stellæ sanctos significant, qui in Christi passione, vel eius meditatione dolore sunt affecti. Qui quidem dolor quasi nihil est, si Mariæ dolori conferatur. Imò cunctorum Martyrum profusus sanguis illorum haud tingit stolam, haud facit purpureos, si in conspectu Virginis conuersæ, in sanguinis purpuram appareant. Vnde D. Anselmus de excel. Virg. *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil comparatione ô Virgo, tuæ passionis.* Ideò D. Bernardinus Sen. *Si dolor* Virginis *in omnes* Anselm. Bern. Sen.

creaturas, quæ pati possunt diuideretur, omnes subitò interirent. Quid mirum, solam Lunam Mariam in sanguinem conuertendam à Propheta affirmari?

Queritur Dominus Isai. 63. quod solus in torculari passionis sanguine tinctus fuerit. *Torcular calcaui solus.* Si solus calcauit sanguineum torcular, vndenam Virgo tincta purpura, seu sanguine obiicitur? Addit. *Et de gentibus non est vir mecum.* Non autem poterat dicere Dominus: *Et de gentibus non est mulier mecum*; quia fugientibus viris IESV Discipulis, Maria simul cum Filio torcular calcauit, & sanguinis purpura tincta fuit. Acutè Richardus de S. Laurent. lib. 3. de laud. Virg. *Quod dixerat Isaias in persona Christi, Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum, sic intelligendum est. Verum est, Domine, quod non est vir tecum, sed vna mulier adstat tibi crucifixo, quæ quascumque plagas, quæcumque vulnera, quoscumque dolores sentis & suscipis in tuo corpore, compatiendo suscipit in visceribus cordis sui.* Eandem clausulam transcribit lib. 1. & adiicit: *Et sicut lancea militis perforauit latus tuum: ita gladius doloris ô* Domine, *Matris tuæ animam pertransiuit.* 173. *In torculari passionis non est cum Christo vir, sed est mulier Maria.* Isai. 63. Richard. *Viuens Maria lancea militis vulneratur.*

An crudele fuit vulnus illud lanceæ mortuo iam Christi corpore inflictum? Crudele fuisse affirmat Ecclesia, *Mucrone diro lanceæ.* Quænam vulneris diritas cadaueri valet infligi, vnde mucro dirus possit appellari? Certè quia mortuum Christi corpus transuerberans, viuentis Mariæ præcordia penetrauit. Ipsa D. Brigittæ dixit: *Tunc mihi videbatur, quod quasi cor meum perforabatur, cum vidissem cor Filij mei perforatum.* En diri mucronis lanceæ crudele vulnus cordi viuenti inflictum. Vt sæpè Deipara Regis purpura tingeretur. 174. *Ideò mucro lanceæ dirus dicitur, quia viuentem Mariam transfixit.* Brigit.

Vers. VI.

Quàm pulchra es, & quàm decora charissima, in deliciis!

QVam pulchra es, & quam decora!] Postquam cœlestis sponsus perfectiones Mariæ à pedibus ad caput descripsit, concludit, epilogum agentis more, nihil in illa reperiri, quod perfectissimum non existat. Sic Philippus Abbas. *Quia laudes à gressibus inchoata ad caput, & comas recta serie deuenerunt, nihil non laudabile in prædictis omnibus inuenerunt: pulchritudinem Virginis quodam quasi breuiculo comprehendit, eam dicens charissimam, in qua nihil reprehensibile deprehendit. Quam pulchra est, inquit, voluntate, corporis nescia, sed viuaci! quam decora!* 175. *Nihil in Deipara à pedibus ad caput obiicitur, quod non sit perfectissimum.*

Verùm hisce particulis *Pulchra*, & *Decora* virginitatem Mariæ cum fœcunditate coniunctam hîc commendari existimo cum Guilielmo profante: *Quam pulchra es in virginitate fœcunda, & quam decora in fœcunditate virginea! Non est simplex virginitas tua, sed fœcunda, non est simplex fœcunditas tua, sed virginea.* 176. *Virginitas fœcunda, & fœcunditas virginea Mariæ commendatur.* Guilelm.

Illæ particulæ, *Quam pulchra! Quam decora!* admirationem innuunt. Admirabile enim 177. *Maria fœcun-*

da virginitas planè admirabilis. Guillelm.

enim prorsus est fœminam Virginem simul ac Matrem existere. Vnde postquam Guillelmus fœcundam Mariæ virginitatem commendauit, scitè adiecit: *Propterea non simpliciter dicitur: Pulchra es, & decora: sed. Quam pulchra! & quam decora es!* Ac si miraculum fœcundæ virginitatis, & fœcunditatis virgineæ audientes in admirationem arripiat. Hailgrinus ad hæc. *Quam pulchra es ô* MARIA *in Maternitate! quam decora in virginitate* diceris! quia *admirabilis in vtroque.*

Hailgrin.

178. *Virginitas fœcunda Mariæ admirabili cœlesti Iridi comparatur.* Eccli. 43.

An-non admirabilis aspicienti arcus cœlestis obiicitur tot fulgens coloribus? Quis dubitet? In arcu cœlesti, seu Iride admirans, fœcundam Mariæ virginitatem intueor. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.* Eccli. 43. En admirabilem Deiparæ fœcundam virginitatem. Pulchrè Hailgrinus. *Ita admirabilis est arcus cœlestis. Resplendet enim duobus coloribus, quorum vterque est alteri ad decorem. Habet enim virorem aquæ, quæ Mater est multorum animantium; habet & ruborem ignis, qui Virgo est: nullum enim animal parit. His duobus coloribus B. Virgo velut arcus cœli speciosa refulget.*

Hailgrin.

179. *Deus fœcundæ virginitatis Mariæ aspectu iram comprimit, & misericordiæ recordatur.*

Hæc Mariæ fœcunda virginitas, & fœcunditas virginea à Deo in cœlestis Iridis speciem efformatur, vt cum succensus in peccatores ira fuerit, illis tam placido sibi obiectu dulcoratus, misericordiam impertiat. Ad Noë post diluuium Deus, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum.* Genes. 9. Mariæ virginitas & fœcunditas, seu admirabilis Maternitas arcus cœlestis est, cuius obiectu Deus illius fœderis recordatur, nè homines iræ suæ diluuio comminuat. Appositè Hailgrinus, postquàm fœcundæ virginitatis Mariæ arcum descripsit, adiicit: *De hoc arcu dicitur ad Noë: Ponam arcum meum in cœlo, & recordabor fœderis mei. Maria enim in cœlestibus assumpta est, vt recordetur Dominus misericordiæ, quam generi repromisit humano.* Peccata hominum Deum cogunt, vt suam pietatem quodammodo obliuioni tradat. At Mariam Matrem adspiciens misericordiæ recordatur.

Genes. 9.

Hailgrin.

180. *Deiparæ corporea pulchritudo admirabilis.* Carthus.

Dionysius Carthus. existimat, duplici particula, *Quam pulchra es*, & *Quam decora*, mirabilem Mariæ pulchritudinem corporalem cunctas speciosas fœminas superantem, signari. *Quam pulchra es, & quam decora magis planè quàm Rebecca, quàm Rachel: & speciosa potius quam Esther.* Imò & cunctæ mulieres. Nec enim vnico verbo: *Quam pulchra es*, poterat præstantissima Mariæ species significari, nisi *& quam decora* adiiceretur. Pulchrè ad intentum Richardus à S. Laurent. lib. 6. de laud. Mariæ. *In hoc quod bis quæritur, quam pulchra sit, & quam decora? & geminatur nomen pulchritudinis, designatur, quod ipsa mirabiliter, inæstimabiliter, & immensurabiliter pulchra est.*

Richard.

181. *Interna Mariæ ex virtutibus pulchritudo.* Richard.

Idem Richardus illam replicationem: *Quam pulchra, Quàm decora* ad varias Deiparæ virtutes transfert. *Pulchra dicitur fide, decora bona operatione. Vel pulchra in virtutibus, quæ spiritum illuminant, & exornant: decora in virtutibus, quæ carnem venustant, & purificant.*

Charissima in deliciis.] Ad quæ Richardus vbi suprà. *Maria chara fuit sponso suo Spiritui sancto, quando in vtero extitit sancta, charior quando Vnigenito Dei impregnata, charissima, quia ob virtutum præstantiam fuit charissimè ab eo dilecta.* Licèt enim Virgo vt Dei Mater magna sit digna Creatoris dilectione, incomparabiliter dignior extitit ob innumerabilium virtutum exercitamenta. 182.

Maria fuit Spiritui sancto chara, charior, & charissima. Richard.

Vel dicitur: *Charissima in deliciis*, hoc est, ideò in superlatiuo charissima fuit Deipara Deo, quia eius erant deliciæ, bona temporalia fastidiens, cœlestibus satiari. Audi rursùs Richardum. *Ideò dicitur charissima in deliciis, quod tanquam delicata mulier cibos communes fastidiens, non potest gustare nisi quædam spiritualia: sic & Maria quidquid nociuum erat animæ, respuens, deliciis supercœlestibus tantummodo vacabat: quæ sic comeduntur, vt semper esuriantur, & sic satiant, vt semper fastidium tollant.* Eadem verba apud Cardinalem Hailgrinum de more inueni. 183.

Maria Deo fuit charissima, quia deliciæ eius fuere virtutū exercitamenta. Richard.

Ostendit Maria Christum sibi esse charissimum in doloribus, quibus ob illius passionem fuit affecta. Ideò Christus Matri parem gratiam rependens ostendit sibi esse charissimam *in deliciis*, quibus in ipso Filij ministerio potita fuit. Excogitationem hanc Dionysius Carthus. sic confirmat. *Quemadmodum præ cæteris compassa est Filio suo non solum in tempore passionis, sed & antea sæpè, dum futuram eius passionem attendit, & postea semper dum factam reuoluit; sic præ vniuersis ac singulis charissima fuit in deliciis Deo, quia datum est ei, spiritualiter gloriari in Christo, & suauissimè deliciari de eius conceptu, & gestatione in vtero, de eius lactatione, amplexu, deportatione in brachiis, & de mutuata conuersatione cum eo per tot annos.* 184.

Ineffabilibus deliciis fruitur in hoc ætate Virgo in præmium dolorum, quibus ex passione Filij affecta fuit. Carthus.

Deliciæ assolent hominum animos emollescere, desidesque efficere. An in Virgine hunc præstitere effectum? Respondet Guilelmus Abbas. *Non solùm chara. Sed charissima dicitur in deliciis, per quod in deliciis suis Deo insigniter placuisse monstratur. Non enim illæ tam sanctæ castæque deliciæ vigorem eius animi emolliebant, sed potius fouebant.* Patet itaque euidentissimè, Virginem nihil spiritualis vigoris in deliciis remisisse, siquidem in deliciis non charam, sed charissimam Deus esse sibi manifestat. *Tales deliciæ* (addit ille) *etiam in hac vita mortali decebant Matrem vitæ, Matrem maiestatis.* 185.

In deliciis Deipara Filio suo insigniter placuit, ideò vocatur charissima in deliciis. Guillelm.

Quæsierim verò quales istæ deliciæ, quibus Maria, dum viueret, fuerit à Deo donata? Respondet Guillelmus. *Maternæ quædam deliciæ erant, sed Virgini Matri singulares, nulli Virgini, nulli Matri ante eam: nulli post eam datum est experiri delicias istas. Maternæ deliciæ erant Virginis Matris super prole gaudentis. Quantis putas illa materna suauitatis affluebat deliciis, cum ei ad conceptum virtus Altissimi obumbrauit: dum corporatum Deum in vtero gestaret: dum nouo partu æternum lumen in sæculi luce funderet? Mulier cum parit tristitiam habet (ait veritas) at non ita ista Mulier, quæ sine dolore peperit, quia intacta concepit. In quantis agebat sanctæ iucunditatis deliciis, cum Deum Verbum maternis amplexibus* 186.

Deliciæ Mariæ omnes, esse cum Dei Filio homine facto, seu Hominis filiæ. Guillelm.

plexibus ſtringeret, & ſacra illi oſcula materni oris imprimeret? Cum illum, qui in cælo de ſe paſcebat Angelos, maternis vberibus aleret, & cætera materna pietatis officia pro tempore miniſtraret. Optimè nouerat, ſe eſſe Matrem Maieſtatis, & hoc noſſe, ſingulares illi, & veræ deliciæ erant. His itaque deliciis ſingulariter Deipara fruebatur, quia Maternitati ſingulari erant agnatæ. *Deliciæ meæ* (inquit Maria) *eſſe cum* Filio Dei homine facto.

187. *Spiritualium deliciarum ſingularitas Mariam non efferebat, ſed potius ad inferiores ſubmittebat.* Guillelm. Rom. 12.

Num iſta anguſtiſſima ſingularitas Mariæ animum efferebat, vt alios ſibi dignitate inferiores deſpiceret? *Verùm* (adiicit Abbas) *in his tam magnis deliciis non agebat remiſſius, aut ſapiebat elatius: in hac, inquam, fœlicitate ſingulari pia Mater non alta ſapiebat, ſed humilibus ſemper conſentiebat.* Rom. 12. *& quantò magis de diuina circa ſe diſpenſatione gaudebat, tantò minus cæteros aſpernandos ducebat; quin potius (quantum in ſe erat) parturiebat omnes viſceribus pietatis, pro eo quod ſingulari munere Mater exiſteret Maieſtatis.* Munus itaque ſingulare, quod poſſet eam in elationem efferre ſingularem, in ſummiſſionem ſingularem eam depreſſit.

188. *Vna ex præcipuis Mariæ deliciis fuit, gratias continuò Deo agere pro deliciis acceptis.*

An tot beneficiis acceptarum huiuſmodi deliciarum ſeſe præſtitit Deipara ingratam? Profectò vna ex præcipuis deliciis ei fuit, gratam ſe oſtendere largitori. Pulchrè Guillelmus. *Quia ergo humilitatem ſemper ad Deum proximumque ſeruando, de diuinorum inſignibus munerum non in ſe, ſed in Domino gloriabatur: proculdubio Largitori muneris tantò amplius placuit, quantò & propenſius ex conſcientia diuinæ erga ſe largitionis, in deliciis ſanctæ gratulationis fuit.* Gratulationem, ſeu actionem gratiarum Abbas appoſitè inter Virginis delicias annumerauit. *In deliciis ſanctæ gratulationis fuit*, quo quidem non poterat, vel inter delicias ingrata Deo exiſtere.

189. *Maria in delicijs pulchra, quia in abundantia gratiarum humilis.* Rupert.

Denique Rupertus Mariæ miram in tam anguſtis deliciis humilitatem ſic commendat: *Quid eſt in deliciis pulchram eſſe, niſi in abundantia gratiæ ſummam humilitatem cordis habere? Dona gratiarum veræ ſunt deliciæ, & humilitas cordis vera pulchritudo eſt, res decora, & Deo virtus eſt amabilis.*

Verſ. VII.

Statura tua aſſimilata eſt palma, & vbera tua botris.

190. *Tanta eſt virtutum Mariæ gloria, vt non virtutes, ſed virtutū præmiū eſſe videantur.* Septuag. Philip.

STatura tua aſſimilata eſt palma.] Legunt Septuaginta, *Hæc magnitudo tua* (de qua verſ. præcedenti) *ſimilis facta eſt palmæ.* In palma virtutum præmium, & meritorum retributio ſignatur? Tanta eſt tuarum virtutum gloria ô Beatiſſima Virgo, tantus tuarum meritorum ſplendor, vt non virtutes, non merita, ſed præmium iam virtutum, & meritorum eſſe videantur. Pulchrè Philippus Abbas. *Quia virtutum Mariæ ſtatio ad perfectum indeflexa conceditur proficiſci: palmam, id eſt, dignum victoriæ*, ſeu præmij titulum meretur *adipiſci.*

191. *Mirabilis Maria ſimilis palmæ de virtute in virtutem proceſſus.* Philip.

Profectò in his verbis, *Statura tua aſſimilata eſt palma* exiſtimo ſtatum vitæ Deiparæ de virtute egregia in virtutes præcelſiores procedentis cōmendari. Quod eleganter Philippus expreſſit. *Palma commendabili, tua, ô Virgo, eſt ſimilis ſtatura, quæ in imis anguſtior, in ſuperioribus ſpatioſa. Bonis gaudes in initio, & meliori termino fructuoſa. Denique palma ſicut accincto proponitur bellatori, ſic & diſcincto victori traditur. Et quæ ad laborem induxerat, & excitauerat animum prœliantis: in laudem erigitur cum manu geritur triumphantis. Tua ergo ſtatura palmæ huic ſimilis inuenitur, cum labor perſeuerans tantis laudum titulis inſignitur, cum ab imò inchoans* egregiè, *proceſſu fructifico virtutum dilataris: & victo mundi pugile, de iam certo præmio virtutum tenens verticem, gratularis.*

192. *Stat Maria immobilis ob conſtantiam in virtutum acquiſitione: & ſimul ad perfectiora proficiſcitur.* Philip.

Nunquam Maria in virtutum exercitamentis defecit, ſemper conſtans, inſtar palmæ, quæ ponderi non cedens conſtantiæ ſymbolum repræſentat. Abbas ad hæc. *Statura mea* palmæ non immeritò ſimilari perhibetur, quam in recto propoſito ſtare potius conſtat, quam curuari; *cuius ſtatio ad perfectum indeflexa*; ſed tamen *ei conceditur proficiſci.* Maria itaque & ſtat, & ſimul proficiſcitur: vti palma ſtat indeflexa ob conſtantiam ſectandi virtutes ſine vlla deflexione: & ſimul ad perfectiora per inſtantia ſingula proficiſcitur.

193. *Statura Mariæ, ſeu ſtatio iuxta crucē veram palmam eam fecit palmæ, ſeu cruci ſimilem.* Ioan 19. Guillelm.

Per palmam Chriſti Domini crux deſignatur iuxta Patrum myſticam expoſitionem. De Maria autem inquit Ioannes cap. 19. *Stabat autem iuxta crucem Ieſu Mater eius.* En ſtatura, ſeu ſtatio Matris iuxta crucem Filij eam ſimilem palmæ, ſeu cruci ipſi reddidit. Do excogitationem hanc ſuo auctori Guillelmo. *Vbi ventum eſt ad hoc, vt baiulans ſibi crucem Ieſus exiret in eum, qui dicitur Caluariæ locum, tollebat & ipſa Mater Ieſu Maria crucem ſuam, crucem interioris hominis ſui, & ducebatur crucifigenda cum eo. Vnde & ſequitur: Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Siquidem per palmam, qua manus victoris antiquo ritu ornatur, inſigne illud & victorioſum crucis lignum ſignatur, cui nimirum ſtaturam piæ Matris aſſimilatam inſinuans Ioannes, inquit: Stabat iuxtà crucem Mater Ieſu. Quis non tam piam Matrem dulciſſimo Filio in cruce morienti adſtantem acerrimi doloris ambigat crucem intus toleraſſe? Planè ille foris, illa intus patiebatur crucem. Stabat illa iuxtà crucem ſui IESV, atque eo ipſo ſibimet quodammodò per affectum maternum erat crux. Sic ergo cum ſtaret iuxtà crucem, ſeu inſignem illam palmam ſtatura eius palmæ eſt aſſimilata.* Pulchrè planè.

Maria per maternum affectum ſibimet erat crux

194. *Rectitudo intentionis ac vitæ Mariæ cruci aſſimilata ob mortificationē fugat dæmones, ſicut crux.* Hailgrin.

Crediderim, ſtaturam Virginis palmæ crucis aſſimilari, vt in rectitudine palmæ rectitudo intentionis illius, operumque ſignetur. Intentio verò operaque Mariæ terribilia ſunt diabolo, quemadmodum ei crux terribilis eſt. Fugit itaque communis hominum hoſtis, quoties ei ſtatura ſeu ſtatus vitæ, intentionis, & operum Deiparæ mortificatione plenus obiicitur, ac ſi crucis palmam aſpiceret. Acutè Hailgrinus. *Statura Mariæ, rectitudo ſcilicet bonæ intentionis, & ſanctæ operationis aſſimilata eſt palmæ crucis, vt ſicut palma, ſeu arbor triumphalis crucis Dominicæ terribilis eſt dæmonibus: ſic B. Virgo merito ſuæ rectitudinis malignos ſpiritus terreat, atque depellat.* O quàm plenus laboribus vitæ Mariæ ſtatus,

Horribilior eſt dæmoni vita Mariæ rectitudo, quam Matris Dei titulus.

qui

qui palmæ crucis meruit assimilari? Quam perfecta virtus, cuius aspectus est dæmoni, quam augustissimus Matris Dei titulus, horribilior!

195\. *Vita Mariæ vitam ac gloriam Christi æmulatur.* Honor.

Si in *statura* Mariæ perfectissimus vitæ eius status signatur, aptè palmæ, id est, Christo Domino assimilari dicitur, vt præmium vitæ Virginis præparatum quodammodo præmio vitæ Christi præmio respondeat. Honorius ad hæc: *Christus fuit palma in cruce, quia per eam homo adipiscitur victoria palmam. Cui assimilatur statura, seu altitudo vitæ & gloria Mariæ. Quia sicut ipse est Rex cœlorum, ita ipsa Regina est Angelorum.*

196\. *Mariæ rectitudo nũquam per culpam incuruata.* Carthus.

Dionys. Carth. in palmæ rectitudine Mariæ rectitudinem nunquam per culpam curuatam contemplatur. *Statura tua assimilata est palmæ. Nunquam enim per culpam est incuruata, sed in omni virtute iugiter stetit erecta; ac gloriosissimè de inuisibilibus hostibus triumphauit. Vnde victoria palma meruit insigniri.*

197\. *Quia Maria passionis tempore in fide stetit, datum est ei, vt nomẽ ipsius, instar crucis, terribilis sit dæmoniis.* Richard.

Mariæ persistentia in fide, quando Apostoli haud firmi steterant, hîc laudatur. Qua quidem à Deo obtinuit, vt ipsius nomen, instar crucis Dominicæ, terribilis dæmoni redderetur. Richard. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg. *Statura Mariæ assimilata est palmæ, id est, stabilis fides. Nam cum Apostoli tempore passionis Dominicæ vacillarent in fide, ipsa stabiliter, & immobiliter in fide perseuerauit. Et hæc ipsius statura, seu stabilitas in fide comparatur palmæ, id est, Dominicæ crucis arbori triumphali. Quia pro rectitudine perseuerantiæ suæ collata est ei hæc gratia, vt nominis eius deuota inuocatio, sicut signum crucis Dominicæ malignos spiritus terreat, & expellat.*

198\. *Maria in nocte passionis vt Sol sẽper lucens, in fide perstitit.* Richard. Apoc. 12.

Ioanni apparuit in cœlo *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Apoc. 12. En Mariæ in fide constãtiam, ac persistentiam ab omni mutabilitate immunem. Audi Richard. lib. 7. *Maria est mulier amicta Sole habens proprietates Solis: & Luna, id est, omnis mutabilitas sub pedibus eius. Nunquam deficit lumen Solis; similiter nec Maria in Filij passione, licet tunc deficerent alij sancti. Ideo de ipsa dicit Salomon* Prou. 31. *Non extinguetur in nocte (Dominicæ passionis) lucerna eius, id est, fides. Ideò etiam* Cant. 7. *de ea dicitur. Statura tua (qua scilicet in fide stetisti) assimilata est palmæ. Quia sicut palma nunquam foliorum amittit virorem; sic nec Maria fidei suæ virtutem.*

199\. *Mariæ humilitas exactata in palma exprimitur.* Richard.

D. Gregor. ait, *Palmam gracilem esse in imo, & iuxta fructum, id est, in superioribus grossescit.* Hinc Richard. Mariæ humilitatem lib. 12. commendauit: *Statura Mariæ assimilata est palmæ, quæ gracilis in imo, iuxta fructum grossescit. Nam ipsa prius humillima, modo gloriosissima est, ad Filij dexteram collocata. Omnes rami eius sursum eriguntur, quia quidquid boni habuit, Deo attribuebat dicens: Fecit mihi magna, qui potens est. Ideo rami eius elatæ palmarum appellantur* Alan. *Elatæ palmarum sunt rami productiores.* Alan.

200\. *Maria tota est gladius ad hominum defensionẽ, & diaboli ruinam.*

Profectò palma gladios habet pro foliis. His statura Mariæ assimilatur. Tota est Deiparæ gladius ad hominum defensionem, ad diaboli ruinam. Id Richard. expressit, vbi suprà *Palma, cui Virginis statura assimilatur, spatulas habet pro foliis. Et spata bellicum instrumentum. Rami seu virtutes Mariæ gladij sunt, quibus ipsa pro se dimicauit, nobis relinquens dimicandi contra vitia exemplum. Ramos suos circumquaque* in Ecclesia *diffundit, quia nos protegit contra iracundiam Dei, & dæmonum insidias.* Gladius est & palma simul victoriæ.

201\. *Maria non sedebat, sed stans iuxta crucem, imaginẽ Filij suffixi referebat simul ipsa suffixa.* Ludou. de la Puente.

Redeo ad Deiparæ Martyriũ. Profectò pendentem in cruce Christum Maria iuxta crucem stans referebat. *Stabat iuxta crucem*, non sedebat, Filio suffixo assimilari gestiens. Iustè igitur Virgini hæc verba conueniunt: *Statura tua assimilata est palmæ.* Palma crucem significari vidimus: statura Virginis palmæ est similis, quia stans cruci suffixum Filium referebat. Do mei Ludouici de la Puente doctrinã ac sanctitate præclari piam huius sententiæ expositionem lib. 9. in Cant. exort. 20. *Ideò enim iuxtà crucem non sedebat, sed stabat, quia instar Filij cruci affixa erat, in eaque spiritualiter extenta: vbi suam ipsius animam pertransiuit passionis gladius, pertransierunt & claui, eamque cruci affixerunt; vt statura ipsius imago esset crucis, & crucifixi effigies; vt posset dicere meliùs, quam Paulus, Christo confixa sum cruci.* Gal. 2.

202\. *Mariæ affectus ita erat Iesu patienti consonans, vt instar cithararũ pulsata, seu tacta eundem tristem sonum emitteret.* Gregor. August.

Ait D. Gregorius initio Moral. duas citharas posse ita inter se aptari, vt vna tacta, alia non tacta resonet ob quandam quasi sympathiam. Id difficile credam posse in musicis instrumentis accidere; sed in Christo ac Virgine accidisse non dubito. Sic enim corde & affectibus concordes extitere, vt pulsari Christus non potuerit, quin Maria tangeretur: cruci suffixo Filio, cruci affigeretur & Mater. Perpulchrè August. de Vich. in Sab. *Crux & claui Filij fuerunt etiam Matris. Quid enim? Erant duæ mysticæ citharæ, quarum vna sonante, resonat altera, nullo etiam pulsante. Iesu dolente, doles & Maria, Christo crucifixo, crucifigitur & Mater.*

203\. *Christi ac Mariæ summa mentium concordia, instar citharæ.* Arnold.

Si hoc in materialibus instrumentis musicis concordia efficit; quid mirum in spiritualibus, seu mysticis idem experiamur? Ita enim Christi ac Mariæ corda aptabantur, vt vna eademque voluntas illis inesset. Arnold. Carnot. de laud. Virg. *Omninò tunc erat vna Christi & Mariæ voluntas, vnumque holocaustum ambo pariter Deo offerebant: hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis.*

204\. *Ne pulsato Christo mortis attactu, Maria non tacta moreretur, fuit priuilegiũ Christo à Patre concessum.* Arnold.

Tanta erat harum concordia citharum, vt nè pulsato Christo mortis attactu, Maria exitialiter simul tangeretur, necessarium fuerit, (sic fari liceat) Christum speciali priuilegio fuisse à Patre donatum, vt Maria superstite, solus ipse moreretur. Audi Arnoldum ad illa verba: *Mulier, ecce Filius tuus. Christus carnem, Maria animam immolabat. Optabat enim ipsa ad sanguinẽ animæ, & carnis suæ adolere sanguinem, & eleuatis in cruce manibus, celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Iesu corporali morte redemptionis nostræ cõsummare mysterium; sed hoc solius summi sacerdotis priuilegium fuit.* Quasi quodammodo ne Maria tunc corporaliter moreretur, summo Sacerdoti collatum à Patre priuilegium fuerit.

205\. *Maria magis torquebatur in Filio patiente, quam in se ipsa, si eadem sustineret tormenta, torqueretur.*

Adhuc pondero vnius & alterius citharæ (id est Christi & Mariæ) temperationis identitatem. Maria magis torquebatur in Filio patiente, quam in se ipsa eadem tormenta sustinẽs torqueretur. Hoc ferè in omnibus parentibus filios diligentibus accidit, vt magis in illorum pœnis, quam in suis distorqueantur. Volens Noë filij Chani irreuerentiam sibi illatam in nuditate fratribus irrisoriè manifestata, dirè plectere, iratus dixit. Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis. Genes. 9. Cur inuerecundo filio Chano non est maledictionem imprecatus, sed eius Chanaano innocenti? Certè vt magis in filio

Chrysost. torqueretur. Eleganter Chrysost. hîc hom. 29. *Scitis quomodo sæpenumerò Patres orant, vt filiorũ pœnas ipsi ferant: & grauius illis est videre filios supplicio affici, quam si ipsi illi forent obnoxij. Factum igitur hoc à Noë, vt Chan ob naturalem in puerum amorem maiorem dolorem sentiret.* Si hoc dicitur de parentibus qui communiter diligunt natos: quid de Deipara sentiendum, quæ tam ineffabili amore Deum Filium amplectebatur?

206. *Misereri sibi Maria postulat cum Filius torquetur.* Matth. 15. A diabolo Chananææ filia cum torqueretur, mater dolẽs accessit ad Christum. *Miserere mei*, inquit, *Domine*. Mat. 15. Cur non dixit, *Filiæ meæ miserere Domine*, si filiæ à dæmonio vexatæ quærebat medicamen? Planè quia amans filiæ, sic in illius diuexatione torquebatur, vt quodammodo doloris filij oblita, sibi videretur seipsam solummodo torturam pati. Plus enim parens diligens filiorum doloribus afficitur, quam ipsi patientes. Sic Virgo Mater in patiente Filio cruciabatur, vt sibi quodammodo videretur, se solam tunc dignam esse Dei miseratione: *Miserere mei Domine*, quia Filius meus dirè à ministris diaboli torquetur.

207. *Christus magis dolebat de Maria, quam de seipso, dum è ligno penderet.* An Dominica cithara ad hos Marianæ citharæ modulos temperatur? Ita quidem. Christus enim patiens plus de Matre quam de se dolebat, è ligno dum penderet. Vnde Chananææ instar, dum ipse corpore, Mater spiritu pateretur, clamat ad Patrem *Respice in me, & miserere mei. Saluum fac Filium ancillæ tuæ.* Psal. 24. Psal. 24. Cur non simul precatur, vt Pater simul Virginis Matris misereretur, cum sciret ipsam tunc dirè torqueri? Profectò quia sic Christus dolore Matris afficiebatur, vt videretur sibi, se solum miseratione paterna indigere. Ipsa Virgo Bernard. id profitetur, dum in lament. D. Bernard. inquit, *Filius meus plus dolebat de me, quam de se.*

208. *Queritur Christus, se à Patre derelictum, dum Matrem tot doloribus affici videt.* Matth. 27. Brigit. Hinc verba illa, quæ è cruce pendens protulit. *Deus meus, Deus meus: vt quid dereliquisti me?* Mat. 27. Me quasi à te derelictum quodammodo aspicio, dum tot doloribus animi Matrem meam affici voluisti, qui quidem magis me, quàm propria vulnera dira torquent. Audi Mariam D. Brigittæ profantem: *Filius meus videns me hærentem cruci, oculis in cœlum directis, clamabat ad Patrem: Pater, quare me dereliquisti? Quam vocem ego nunquam, donec ad cœlum veni, obliuisci potui; quam plus ex compassione mea, quam sua permotus protulit.* En tam idemticam vnius alteriusque citharæ concordiam, vt pulsata vna, altera non tacta resonans audiatur.

209. *Mariæ magisterium Ecclesiæ eruditioni admodum vtile.* Philip. *Et vbera tua botris.*] Celebratur hîc Virginis magisterium, quo in spiritualibus & moralibus fideles vtiliter planè erudit. Vtiliter inquam, ideoque lac illius doctrinæ, vineæ botris assimilatur. Aptè Philippus Abbas, Vbera tua, quibus lactas, *siue pascis abundè circunstantes fideles, id est forma vitæ tuæ, qua & moraliter, & spiritualiter erudis ignorantes, similia sunt non herbis inutilibus, non arboribus infœcundis; sed botris fertilibus optimo vino lætabundis.* Optimum Deiparæ magisterium, cuius præcepta vitæ perfectio dicta, cuius dogmata sunt ineffabilia perfectionis exempla: *Forma vitæ tuæ erudis ignorantes.*

210. *Vita Mariæ exemplo adeo perfecta, vt videntes & audientes in stuporis rapiant ebrietatem.* Philip. Cur autem vitæ Virginis exempla, queis fideles docet perfectionem, vineæ botris comparantur? An quia tanta illius vitæ perfectio, vt videntes, & audientes in admirationem, & in stuporis rapiat ebrietatem? Ita Philippus, *Qui attentè perspiciunt tam in moralibus, quam in spiritualibus te perfectam: & de terra gremio ad sublimem palmæ similitudinem sic euectam, admirantur, obstupescunt, & intra suos terminos non tenentur, dum inter omnes mulieres nullam tibi similem intuentur. Vbera ergo tua quibusdam considerationis manibus exprimentes, & ex eis vtriusque vitæ perfectionem manare prauidentes, quosdam velut sibi botros videntur expressisse, stuporisque, & admirationis vinum inebrians protulisse.*

211. *Spiritualia Mariæ vbera, queis nutrit adoptiuos filios.* Enimverò examinare oportet, quænam sint hæc Deiparæ vbera, & quonammodo facta sint quasi botri vineæ? Non enim existimo, hoc loco de sacris illis vberibus agi, quæ Dei Filium corporaliter aluerunt, quia lac ei, non vinum exhibuêre. Commendantur igitur in præsenti spiritualia Mariæ vbera, quibus homines enutrire satagit. Abbas Guillelmus mecum Guillelm. sentit. *Habet pia Mater spiritualia vbera, quibus nimirum datum est illi adoptiuos fratres Filij sui spiritualiter enutrire.* Fœlicissimi planè, qui talium vberum sunt alumni.

212. *Maria sit nobis cerua charissima, & ipsa efficiet, vt hinnulus eius Iesus nobis sit gratissimus, & vt vino vtriusque dilectionis inebriemur.* Guillelm. His dicitur Prou. 5. *Sit vena tua benedicta, & delectare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore.* Mariæ dicit Christus Dominus, *Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. fidelium te Matrem constituo ab adolescentia, delectentur hi, talem mulierem habere parentem, cuius piissimis vberibus admoneantur, botris vineæ similibus, & suauissimo earum vino inebrientur. Audi ex ore Guillelmi. De his quidem Mariæ vberibus potest intelligi, quod in Prouerbiis dicitur: *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, &c. Cerua ista charissima, quæ habet gratissimum hinnulum, est Maria, quæ peperit Iesum. Vbera ceruæ charissimæ huius inebrient te in omni tempore. Vt autem vberibus ceruæ charissimæ iugiter inebrieris, in amore hinnuli illius Iesu necesse est iugiter delecteris.* Cerua Maria sit charissima tibi, & ipsa efficiet, vt hinnulus Iesus sit tibi gratissimus, & vtriusque amore inebrieris.

213. *Maria omnes ad suæ pietatis vbera inuitat.* Cunctos Deipara ad suæ pietatis vbera inuitat, nullus enim ab hoc inebriante lacte repellitur. *Planè illa* (adiicit Abbas) *materna solicitudine quotidiè parturiens infirmiora membra hinnuli sui, donec Christus planè formetur in eis, neminem à sua pietatis sinu repellit; sed potius inuitat, & attrahit vniuersos. Omnes, ait, pusillanimes venite ad vbera mea, & sugite vinum & lac.* Nostra ergo desidia tam dulci tam vtili priuabimur alimento.

214. *Maria peccatores ad eam confugientes primùm lacte consolationis potat, deinde vino exultationis ob veniæ quandam quasi certitudinem.* Guillelm. *Sugite*, inquit, *vinum & lac, vt non solùm refocillemini, sed etiam vsque ad sobriam iucunditatem inebriemini.* Lac & vinum suis offert Deipara alumnis. Cum enim peccator ad piæ Matris vbera accedit, consolationis lacte reficitur, sperans illius intercessione veniam à Domino esse consequuturum. Deinde sugit ex eisdem vberibus vinum lætitiæ ob assecutam veniam. Nemo enim confugit ad Virginem, qui huiusmodi lætitia nõ perfruatur, si ab illius sinu non recedit. *Primùm* (Virgo ait ex ore Guillelmi) *de vberibus meis sugite lac consolationis.* Confugere enim ad Mariam piissimam Matrem ob veniæ assequendæ spem dulcis est consolatio. *Deinde vbera eius assimilantur botris, vt bibatur ex eis etiam vinum inebrians sanctæ exultationis.*

Multi

Multi quippe de peccatis grauibus emergentes, ad vbera piæ Matris opem eius flagitando confugiunt: ac primò pia interuentione consolationis munus suscipientes, de vberibus pietatis eius quasi lac sugunt: & nondum vbera Mariæ botris assimilantur. Postea vero de certitudine veniæ exhilarantur, & tunc de vberibus piæ Matris vsque ad obliuionem veterum delictorum sanctæ exultationis vino ebriantur: & tunc fiunt vbera Virginis sicut botri vineæ. Preme particulam,

Diu Mariæ vberibus peccatori hærescere, signū est, illum à Deo veniam fuisse donatum.

Posteà verò de certitudine veniæ exhilarantur. Vndenam hæc veniæ certitudo, si nullus scit, num amore vel odio sit dignus? Verùm ad Virginis pietatem confugere peccatorem, eiusque diu vberibus inhærescere, perspicuum est indicamentum, veniam à Domino esse assequutum.

215. *An-non minus Maria meruit fundens ex vberibus lac ori Iesu, quam Martyres sanguinem profundendo?* Richard.

Scio quidem alios Doctores locum hunc de vberibus Deiparæ Iesu lac exhibentibus explicuisse; ideóque vineæ botris assimilari existimasse, quia Virgo lactando Filium, aptè debet Martyribus signatis in vineæ botris comparari. Richardus Laurent. lib. 5. *De vberibus Matris dicit ei Filius* Cant. 7. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Vbera Mariæ botris assimilantur, in quo mirabilis prærogatiua merendi demonstratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac ex vberibus suis ad nutrimentum Filij, quam meruerunt Martyres, qui per botros figurantur, fundendo sanguinem suum per Martyrium. Omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur.* Haud dubium, quin ex

Hailgrin.

Cardinali Hailgrino transcripserit prosante, *Vbera quoque botris assimilata sunt. In quo mirabilis prærogatiua merendi demonstratur in Virgine, quæ non minus ministrando lac de vberibus suis ad nutrimentum Filij meruit, quàm Martyres, qui per botros vineæ figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum, in Martyrio, de vulneribus.*

216. *Maria pietas est vinum cor afflictorum lætificans.* Carthus.

Dionysius Carthusianus locum intelligit, de consolatione & lætitia, qua opplentur, qui mœrore affecti ad Virginem confugiunt. Vbera Mariæ botris assimilantur. An-non *vinum cor hominis lætificat?* Sic pietas Dei genitricis. *Ipsa etenim amabilissima Domina multis præbuit vbera consolationis, & sua inæstimabili charitate ac pietate, instar affectuosissimæ genitricis, atque nutricis, omnes ad se accedentes, & confugientes refouit, lætificauit, & tanquam optimo vino spirituali poculo recreauit.*

217. *Magna Mariæ dignitas voluisse Deū ab eius vberibus velut botrus è vite pendere.* Oleast.

Et vbera tua botris. Assolet infans qui vbera sugit, botro comparari, quia à matre ille, sicut botrus è vite, pendet. Oleaster ad Leuit. *Paruulus Olal dictus, quod ab vbere suæ matris pendet, velut botrus à vite. Nam verbum Olal est vindemiare, & racemare.* Hinc Marianæ vitis gloriam contemptos, cuius Deus ipse voluit esse botrus, ab ipsiusque vberibus succum excipere. O ineffabilis Virginis dignitas, quæ illum potuit pascere, à quo Angeli, hominesque pascuntur!

Ildephons.

D. Ildephonsus serm. 4. de Assumpt. *Qui præsentia maiestatis suæ in cœlis Angelos pascit, Virgo hunc sacrosancto vbere Matris aluit lacte. Et ad cuius arbitrium totus orbis terrarum regitur, huius gloriosæ Virginis vberibus infans nutritur.*

Laur. Iustin.

Et Laurent. Iustin. de Spe cap. 5. *Quæ ratio capere sufficit redemptionis beneficia? Quomodo factus est homo hominis factor, vt sugeret vbera regens sidera, vt esuriret panis, sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur.* Proh ineffabilem Virginis dignitatem! cuius ex vberibus Deus tanquam botrus è vite pendere dignatur. Ildeph. serm. 1. de Assumpt. *Lacta Maria creatorem tuum.* Ildephons.

218. *Ineffabilis Mariæ Iesum lactantis lætitia.* Bernard. Bustos.

Cum autem Maria lactaret creatorem, eius vbera, seu eius materna pietas botris vineæ similia obiiciebantur ob cordis lætitiam, qua ineffabiliter opplebatur. Ait Bernardin. Bustos serm. 6. de pace Mar. *Si ad partum eius gaudet chorus cœlestium, & Angeli canunt Deo. Etsi, vt dicitur* Mat. 2. *Magi gauisi sunt gaudio magno valdè, videntes stellam, quæ illos ad Puerum natum, & Matrem eius perduxit: profectò nulla lingua fari posset, nec intellectus capere ingentissima gaudia Virginis gloriosæ, quæ habuit in Filij partu lactando eum.* Dixi lætitiæ vino piissima Mariæ vbera, seu pietatem eius esse perfusam in Filij lactatione.

219. *Ideo Virgo Iesum lactans, lætabatur, quia sciebat, lac illū conuertendum in sanguinem ad spiritualem hominum refectionem.* Richard.

Quare precor? Certè quia sciebat Virgo vitis quidem abundans, è qua botrus, seu Filius lac sugens pendebat, purissimum illud lac in sanguinem esse conuertendum ad mundi redemptionem, & ad fidelium in calice Eucharistico satietatem. Richard. à S. Laur. lib. 1. ad illa verba: Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti,* ait: *Si beatificat Mariam mulier, quæ adhuc carne & sanguine Christi communicare non meruit: longè magis à nobis beatificanda est, qui de illius Filij carne & sanguine reficimur in altari.*

220. *Maria lacte Iesum potat, vt ira fortè vinum lactis commistione suaue reddatur.* Arnold.

Virgineum lac in Iesum vineæ botrum infunditur, vt iræ merum admodum fortè lactis commistione suaue reddatur. Hinc Arnoldus Carnot. tract. de laud. Virg. illius vbera: *Clementiæ monumenta, & charitatis insignia* appellauit; Christus enim ea exprimens, sic vini ardentis temperat fortitudinem, vt in lacteum dulcorem conuertatur.

221. *Mariæ vbera vino meliora. Vinum enim facit homines obliuisci, & inebriari, vbera Virginis obliuisci, & inebriari Deū quodammodo efficiunt.* Cant. 7. Richard.

Itaque Virginis vbera iure *botris* similia esse dicuntur, quia eorum lac vini vires habuerunt. Vinum causa est obliuionis, & quid madet, res memoriæ hærētes prorsus obliterat. Hinc illud:

Vinum memoriæ noxa est præsentissima,

Mariæ lac vino fuit simile, quo potatus Dominus nostra crimina obliuioni tradidit. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Cant. 7. Ad quæ Richard. lib. 2. *Lacte virgineo, quod habebat in se vini proprietates, potauit Maria Filium, & inebriauit. Quare dicitur crater, vt nostrorum peccatorum ipsum faceret obliuisci.*

222. *Postquam Deus Mariæ vbera suxit, ira oblitus, totus misericors ostentatur.* Cant. 1. Richard.

Vnde postquam Dei Filius à Mariæ vberibus sicut botrus à vite pendens, lac ebibit, ac si cum lacte peccatorum obliuionem ebibisset, totus misericors hominibus ostentatur. *Meliora sunt vbera tua vino.* Cant. 1. Audi Richard. lib. 2. *Meliora sunt vbera Mariæ vino. Melioris enim, potentioris, & vtilioris efficacia vbera Mariæ quàm vinum. Nam vinum inebriare potest hominem, vt præteritarum sit immemor offensarum, & sit facilis ad condonandum, & largus ad donādum: Vbera verò B. Mariæ Deum quasi inebriare potuerunt. Nam postquam de Matris vberibus lac bibit, ac si cum lactis dulcedine dulcedinem potasset misericordiæ, proiecit ab oculis suis peccata nostra post tergum, & factus est largus ad dādam veniam peccatorum, largus ad dandam gratiam, & operum iustitiam.* Non iam Deus sæuit igne, diluuio, aliisque olim pœnis propter peccata inflictis: totus lacteus obiicitur.

Vers. VIII.

Dixi: Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.

Christus Mariæ indicat suum ad crucis palmam ascensum, vt pro redimendis intercedat.

Honor. Hailgrin. Rupert. Matth. 20. Ioan. 12.

223. DIxi: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*] Qui hæc verba Christo Domino tribuunt in crucem ascensuro (vt Cassiodorus, Vvilleramus & multi alij) rationem dialogisticam perturbant, & à litterali sensu ad meditationem deflectunt. Alij magis conformes litteræ verba hæc à Deipara prolata esse existimant: Si autem, & illi iuxtà suam expositionem egregia elogia de Virgine excogitarunt. Honorius & Hailgrinus hæc volunt à Christo Domino piæ Matri dici. Quòd confirmat Rupertus, dum inquit. *Si Dominus Apostolis indicauit* Mat. 20. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur ad crucifigendum; imò si & inimicis* Ioan. 12. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: quantò magis hoc indicauit Matri.* Ascendam in palmam crucis, & fructus illius apprehendam, id est, hominum redemptionem: & æternam salutem, si tu Mater mea, & Mater illorum pro illis intercedens tua mihi vbera ostenderis. *Erunt* enim tunc *vbera tua sicut botri vineæ* me facientes dulci potu eorum criminum obliuisci. Quod aiebat Richardus, *Vbera Mariæ Deum quasi inebriare potuerunt*, vt *post tergum*, seu obliuioni nostra crimina traderet.

Richard.

Maria palma est excelsa meritorum priuilegio, ad quam Deum per Incarnationem ascendit.

Philip.

224. Philippus Abbas asserit Mariam esse palmã, ad quam Verbum diuinum per Incarnationis mysterium ascendit. *Dixi: Dictum eius, id est, sponsi propositum est, quod ab æterno voluit ordinari, quod apud se* fixum *diutissimè occultari voluit. Tandem verò cum illuxit fœlicissima temporum plenitudo, data est Virgini dicti huius certitudo plenissima. Dixi; ait, & quod dixi, diutius non tacebo, sed ascendam in palmam, hoc est visibilis apparebo. Ascendam in Virginem, per eam ceteris me monstrabo, per assumptam eius carnem mundi principem triumphabo. Virgo igitur palma est excelsa priuilegio meritorum*, quibus scilicet antè Incarnationem Verbi ipsa fulgebat.

Tam excelsa erat Maria palma meritis, vt in eam descendens è cœlo Deus dicatur ascendere.

Quanta tunc Virginis merita, quæsierim? Tam excelsa erat vel ante Incarnationem sublimis meritis hæc palma, vt Verbum diuinum è superis descendens ad terram in eam dicatur, imò & ipse asserat se ascendisse. *Dixi ascendam in palmam. Virgo igitur palma est excelsa* adeò *priuilegio meritorũ*, (ait Abbas) *vt in eam sponsus* è superis descendens, *ascenderit*. Si antequam Maria Dei Mater esset, tot tãtisque meritis ornabatur: quid quæso de illorum incrementis postquam facta est Deipara, licet excogitare?

Tam immaculata Maria caro, vt indicans Deus eius puritatẽ confundat eos, qui indignum Deo latrant, eum carnem assumpsisse.

225. Infideles quidem, & qui carneis oculis hunc Dei in Mariæ palmam ascensum contemplantur, non eum palmam ascendisse asserunt, sed in ficulneam humilem, vilem planè arborẽ. Vnde Incarnationis mysteriũ audent vti fatuum opus despicere. At Verbum profitetur, se in Virginis palmam tanquam in ficulneam humilem ascendisse, quia ipsa dixit, Ecce ancilla Domini; sed nihil in ea reperisse, quod huiusmodi ascensus gloriæ repugnaret. Addit acutè Philippus. *In palmam hanc sponsus ascendere voluit, tanquam in arborem sycomorum, cuius ascensio, id est, carnis assumptio infideli cuique ficus fatua reputatur: ei autem, qui dignè suscipit, fructum salutiferum operatur. Quem fructum gratanter* in eam ascendens *ipse sponsus apprehendit, cum in ea displicere sibi nihil penitus deprehendit.* Deus itaque qui sublimem ascendens in palmam ab impiis ascendisse in ficulneam fatuam reputatus est, se ab indecentiæ calumnia vindicauit, asserens nihil in Maria deprehendisse, quod sibi displicere posset. Igitur Deus *acceptat, approbat, suo gaudet beneplacito conuenire*, *quod saluti fidelium detur palmæ fœcunditas*, id est, quòd ex Virgine Deus Homo nascatur. Philip.

Et apprehendam, inquit, *fructus eius*. Quinam fructus Palmæ Mariæ? Ex Philippi ore respondeo, *Apprehendit fructus eius, cum ei custos fidelissimus appropinquat, cum præmunit, & præcauet, ne quid illi exponendum auibus derelinquat: cum ipsam palmam fouet, & tantam prouehit in virtutem, vt ex ipsa dependeat* (en palmæ Marianæ fructus) quidquid mundo congruit ad salutem. *Dependet* (seu pendet ex ea, instar fructuum ex arbore) *Christi caro, carnis passio, lignum crucis, culparum abolitio, noctis fuga, reditus veræ lucis, mundi reconciliatio, virtutum constantia, fiducia præmiorum. Quæ omnia gratanter apprehendit, qui Auctor est eorum.* 226.

Palma Mariæ fructus sunt omnia quæ Christus in hominum salutem gessit.

Philip.

Vidit Deus è superis Virginis palmam suauissimis virtutum fructibus plenam, & vt eius apprehenderet homo fieri dignatur. Mariæ enim ineffabiles planè virtutes Deus è superis ad terram traxêre. Ait Dionysius Carth. *Si per palmam intelligitur illustrissima Virgo, constat, quod Vnigenitus Dei per Incarnationis mysterium venit ad eam, & apprehendit fructus eius. Quia merita præclarissima Virguncula tam accepta habuit, quòd dignatus est fieri Filius eius. Propter quod falsa est ipsa. Respexit humilitatem ancillæ suæ; & sicut respexit humilitatem ipsius, ità & fidem, puritatem, Charitatem, & cæteros virtuosissimos actus eius. Apprehendit ergo fructus eius, quia ex purissimis eius sanguinibus assumpsit, & formauit sibi corpus humanum, quia nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* 227.

Palmæ Mariæ fructus sunt ineffabiles virtutes, quæ Deum adduxerunt, vt eius Filius fieri dignaretur.

Carthus. Luc. 1.

Mox idem Doctor illa verba: *Ascendam in palmam* prolata esse à Virgine non improbans, adiicit: *Porrò si per palmam intelligatur crux Saluatoris, hanc quidem optima Mater vnà cum Filio ascendit affectu, & per imitationem dignissimam, compassionemque maximam dicere poterat: Ascendam* (imò ascendi, iam) *in palmam. Christo confixa sum cruci. Ego stigmata Christi in corpore meo porto. Sicque apprehendit fructus eius, id est, merita passionis Christi, imò effectus meritorum illorum participauit.* 228.

Maria in palmam crucis cõfigẽda cum Christo ascendit affectu.

Carthus.

In ascensu autem Christi in crucis palmam, ineffabilis Mariæ erga homines pietas innotescit. Conscia enim passionis Filij dilectissimi, non solùm eum à patiendi proposito auertere non procurauit, vt aliquando Petrus; sed se gratissimè illius dispositioni conformauit. Pulchrè Guillelmus, *Ante passionẽ, ò pia Mater, intimaui tibi, quod exaltatus à terra omnia traherem ad me ipsum. Cum autem tibi dicerem. Ascendam in palmam* crucis, *& apprehendam fructus eius, plenissimum huius verbi habebas intellectum, & sponsionem meam gratissimè accipiebas.* Vndenam Maria tam gratanter admisit tam dirum Filij in cru- 229.

Tanta Mariæ erga homines pietas vt dirum Filij in cruce ascensum gratissimè ob eorum salutem acciperet.

Guillelm.

ceun

cem aſcenſum? Ipſe Chriſtus expoſuit Abbatis ex ore. *Gratiſſimè ſponſionem accipiebas meam, aſcendam in palmam. Nam cum intimatione illius myſterij pariter & promiſi tibi, quod à me apprehenſis fructibus palmæ, vbera tua forent, ſicut botri vineæ.* Id eſt, tuæ pietatis lac conuerſum eſt in vinum dilectionis erga humanum genus, cuius ſalus meæ fructus erat paſſionis, & in crucis palmam aſcenſus.

230. *Tanta eſt ſanctitatis Mariæ perfectio, vt valeat cum tota Euangeliorũ perfecti. ne comparari.* Honor.

Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ.] Legit Honorius, *Et erunt merita tua.* Quaſi diceret, (addit) *tua merita*, ſeu virtutes, ô Mater *erunt* omnibus imitabilia ſicut Euangelia, *quæ ſunt vinea Chriſti.* Omnis perfectionis epilogus in Euangeliis continetur. Tanta ergo eſt ſanctitatis Deiparæ perfectio, vt valeat cum tota Euangelij perfectione, quam ſectatus eſt ipſe Chriſtus Dominus comparari.

231. *Maria tanta ſunt merita, vt non poſſint ſatis exprimi, niſi hyperbolicè cum Chriſti meritis comparentur.* Num. 13. Honor.

Altius quid aſſerere piè Honorius eſt auſus, dum legit, *Merita tua ſicut botrus vineæ.* Quinam botrus, quænam vinea? Equidem botrus eſt Chriſtus, vinea verò Deipara eſt. *Chriſtus* (ille ait) *eſt botrus, quem portauerunt filij Iſraël in vecte*, Num. 13. *vectis erat crux, portantes Prophetæ, & Apoſtoli; vinea, de qua allatus eſt botrus, fuit floridum corpus Mariæ, qui botrus fuit in torculari crucis expreſſus, & inde fluxit fidelium potus.* Quàm ineffabilia ſunt Chriſti Domini merita, mortem ob voluntatem Patris ad mundi ſalutem ſubeuntis, botri inſtar in torculari crucis expreſſi? Quomodò ergo Mariæ puræ creaturæ merita poſſunt meritis Dei Hominis comparari? Profectò tanta eſt ſanctitatis Mariæ ſublimitas, vt viſum fuerit Honorio, non ſatis exprimi poſſe, niſi illo hyperbolico verborum ornamento vteretur: *Merita tua ſicut botrus vineæ tua* Chriſtus.

232. *Mariæ interceſſio impetrat portantibus Chriſti crucem vires, ad eam ſuauiter tollendam.* Guilelm.

Poſtquam Chriſtus Dominus in palmam crucis aſcendit, de apprehendendis illius fructibus eſt ſollicitus. Fructus verò arboris crucis ſunt illi omnes fideles, qui laborum crucem humeris apponentes, Ieſum ducem cruci ſuffixum contendunt æmulari. Difficilè quidem eſt huius crucis pondus ſuſtinere. Propterea autem ipſe Dominus diſpoſuit, vt dum hærens palmæ crucis ſuos ad crucem portandam inuitat, de Deiparæ vberibus memoria fieret: *Et erunt* tunc *vbera tua ſicut botri vineæ*; vt ſcilicet tua efficaciſſima interceſſione eis à me vim impetres ad placidam laborum crucis tolerantiam. Audi Guilelmum. *Plurimi preſſuris crucis tribulationum laborantes ad vbera pia Matris properant, id eſt, opem Genitricis Dei implorant. Et primò per* *Interceſſio Mariæ efficit, vt in laboribus iucunditate inebriemur.* *interuentionem eius refocillantur, ne crucis labore frangantur: poſtea verò ab ipſis tribulationibus, illa eripiente, fœliciter emergentes, ſancta iucunditate inebriantur. Primò itaque de vberibus eius lac bibunt neceſſaria,* ad tollendam crucem, *conſolationis: deinde vinum ſanctæ congratulationis: & ſic vbera Mariæ* ad cruciferorum ſolatium, *aſſimilantur botris.*

233. *Per Mariæ interceſſionem non ſolùm aliquo tempore, ſed omni tempore crucem laborum alacriter tollimus.* Guillelm.

Aſſolet quidem frequens crucis ſublatio tanta aliquos moleſtia afficere, vt facilè eam ex humeris propellant; alio temporis interſtitio patienter labores ſuſtinent; alio impatienter ſub pondere ingemunt. At qui Virginis vberibus hærent botrorum, cui aſſimilantur, efficacia roborantur adeò, vt omni tempore magna animi tolerantia ſuam crucem attollant. Vnde cerba illa chariſſima Maria, quam ex eodem Guillelmo paulò ſuperius Deiparam ſignificare diximus, ſic inebriat vberibus botris vineæ ſimilibus cruciferos ſuos, vt nunquam ab onere liberari queant. *Vbera* (inquit ſapiens) *eius inebriente omni tempore.* Prou. 5. Prou. 5. Qui *lactantur* Mariæ vberibus *omni tempore*, (loquor cum Guillelmo) *per vberiorem gratiam in aduerſis exultant, & B. Matris intercedentibus meritis, in ipſo feruore malorum ſecundum Apoſtolum* 2. Cor. 5. *mente excedunt* 2. Cor. 5. *Deo vſque ad obliuionem laborum. Hos planè vbera cerba chariſſima inebriant omni tempore in aduerſis.*

234. *Recordatio vberum Mariæ, quæ Chriſtus ſuxit, fecit eum quodammodò dolorum obliuiſci.* Hailgrin.

Auguſtius quid de vberum Mariæ, quæ aſſimilantur botris, licet excogitare. Profectò Chriſto Domino è cruce pendenti recordatio lactis, quod ex Mariæ vberibus ſuxit, fecit eum inter mortis anguſtias dolorum quodammodò obliuiſci, ac ſi meri efficaciam experiretur. Bellè Hailgrinus. *Dixi, ſeu ab æterno diſpoſui, quod aſcendam in palmam, ſcilicet, crucis arborem triumphalem, & apprehendam fructus eius, fructus victoriæ, reſurrectionem videlicet, & aſcenſionem, & fidem Apoſtolorum. Et tunc inter mortis anguſtias erunt vbera tua ſicut botri vineæ. Recordabar enim, quod lac de tuis vberibus ſuxerim, & iſta recordatio tanquam vini potus præſentis anguſtiæ obliuiſci me* quodammodò *fecit.*

235. *Chriſtus noluit bibere vinum myrrhatum, quia ad leuamen dolorum ſola lactis vberũ Mariæ recordatio ſufficiebat.* Matth. 27.

Domino, priuſquam crucis palmam aſcenderet, *dederunt vinum bibere cum felle miſtum. Et cum guſtaſſet, noluit bibere.* Matth. 27. Græce & Syriace *dederunt ei vinum cum myrrha miſtum*, quæ quidem fellis amaritudinem referebat. Hic potus ſuffigendis cruci propinabatur, vt illo velut inebriati torturæ dolorem non perciperent. Chriſtus autem bibere noluit. Quare precor? An quia nolebat dolorum vel particulam imminuere? Non quidem abnegarim: ſed ad inſtitutum præſens ideò exiſtimarim ab illo potu Dominum abſtinuiſſe, quia ad dolorum leuamen efficaciorem potum, Deus ei præparauerat, recordationem ſcilicet vberum Matris, ex quibus lac ſuxerat infans, quæ quidem vbera *viro dolorum* lac cum vino miſtum, ſeu lac vineæ botris ſimile propinarunt in torturæ leuamen.

236. *Pietas vberũ Mariæ potuerunt Chriſti indignationẽ contra ſuffixores ita ſopotare, vt fecerit eum pro illis preces fundere.* Math. 27. Hailgrin.

Maiorem adhuc vim Mariæ vbera in palma crucis oſtentarunt. Potuerunt enim indignationem Chriſti ſuffixi aduerſus peccatores, & contra illos, qui eum ligno addixerunt, ita abolere, vt fecerint inclamare Dominum: *Pater ignoſce illis.* Matth. 27. Perpulchrè Cardinalis adiecit. *Tunc inter mortis anguſtias in hora indignationis meæ contra crucifixores, erunt vbera tua ſicut botri vineæ. Recordabar enim, quod lac de vberibus tuis ſuxerim; & iſta recordatio tanquam vini potus præſentis irritationis & indignationis obliuiſci me fecit, nè feſtinarem ad vindictam:* Imò vt clamarem: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.*

237. *Mariæ vbera, sũt quaſi ipſa Dei miſericordia.*

Eadem verba Hailgrini Richardus à S. Laurent. lib. 5. tranſcripſit, ſed addidit particulam, quam ponderandam annoto: *Iſta*, ait, *recordatio tanquam vini potus præſentis irritationis,*

Richard. Abac. 3.

ritationis, & indignationis obliuisci me faciet, ne festinem ad vindictam. Quod (attende) *prauiderat Abacuc Propheta* cap. 3. *dicens: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Recordaberis enim vberum Mariæ, quæ tanta pietate exundant, vt recordatus vberum, misericordiæ recorderis; vbera enim Deiparæ & misericordia idem prorsus in Altissimi conspectu. Recordabor quod de tuis vberibus lac suxerim; vnde cum iratus fuero, dum recordor vterum, misericordiæ recordor. Quid enim Matris meæ vbera, nisi ipsa misericordia?

238. *Beneficia quæ per Mariam ex cruce accepimus, debent nostras mentes inebriare in tantæ largitricis amorem.*

Recolo beneficia illa maxima, quæ asseruit superiùs Abbas Philippus, nos in Mariæ palma à Domino meritis & intercessione Virginis accepisse, nempè. *Ex Maria* (ait ille) *dependet, quidquid mundo congruit ad salutem. Dependet ex ea Christi caro, carnis passio, lignum crucis, culparum abolitio, noctis fuga, reditus veræ lucis, mundi reconciliatio, virtutum constantia, fiducia præmiorum.* Hosce Christus, vt hominibus largiatur, fructus apprehendit in palma, quam Abbas dixit signare Mariam: *Virgo igitur palma est excelsa.* Post autem horum fructuum apprehensionem addit sponsus, *Et erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Quia tot beneficia nobis ex vberibus seu pietate Mariæ profluentia fortissimum debent esse vinum, qui mentes omnium debet inebriare. Pulchrè Philippus. *Quibus apprehensis per Mariam fructibus, vbera eius botris vineæ assimilantur: quia eius beneficiis mentes dignè considerantium inebriantur, in tantæ largitricis dilectionem.*

Philip.

239. *Maria stans iuxta crucem, per compassionem tot gratiis donata fuit, vt valeat vberrimis vineæ fructibus cõparari.* Carthus.

Dionysius verò Carthus. asseruit, palmam quam Dominus ascendit, esse crucem, iuxta quam Maria adstans per compassionem vberibus signatam tot gratiis exundauit, vt meritò hæc vbera seu compassio vberrimis vineæ botris comparentur. *Gloriosissima Genitrix Saluatoris ex consideratione, imitatione, compassioneque Filij sui consequuta est affluentiam gratiæ tam ineffabilem in omni charitate, sapientia, pietateque profectum, vt hæc ipsa spiritualia eius vbera redundantissima sint ad reficiendos nos omnes vino & oleo, quæ Samaritanus infudit homini à latronibus vulnerato.*

240. *Ex palma Mariæ Deus omnes sanctorum Angelorum & hominum fructus apprehendit.*

Non autem silentio inuoluam singulare admodum Deiparæ elogium, quòd in sententia eorum, qui verba illa, *In palmam ascendam*, dicta esse de Virgine existimant, obiicitur. Ait enim Dominus: *Et apprehendam fructus eius.* Non dixit *fructum* in singulari, sed omnes fructus apprehendam. Mirabile quidem est, quòd cum Dominus Virginem Matrem repræsentet sub symbolo non multorum, sed vnicæ arboris, dicat se ex ea plures, aut omnes fructus collecturum. Angeli, & homines sancti fructum iuxta speciem, aut statum suum proferunt. Angeli quidem Cherubini, Seraphini, &c. singularem fructum iuxta perfectionis suæ altitudinem exponunt. Martyres martyrij, Virgines puritatis fœtus producunt: & sic reliqui

Oportebat vt Maria Dei Mater omnibus sanctitatis fructibus abundaret.

Diui. At Deipara prodigiosè fœcunda omnes simul fructus ostentat, fructum Cherubini, Seraphini, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum. Vndenam hæc? *Et erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Id est vbera tua, quibus Dei Maternitas designatur, vineam botris plenam, siue omnium virtutum fructibus ornatam, quæ cunctos sanctos in sui ordinis perfectione constituunt, simul Angelorum, & hominum admiratione, acclamationeque ostender.

Et odor oris tui sicut odor malorum.] Philippus Abbas, qui per purissimum vberum Mariæ lac ipsius doctrinam, quam verbo & exemplo virtutum expressit, significari affirmat, his verbis ab sponso commendari arbitratur. *Odor eius, vel odor oris eius, efficitur vt malorum; quia fama virtutum eius, & doctrina eius bene sapit in naribus auditorum.* Non solum bene olet, sed *benè sapit.* Quia Mariæ prædicatio non tam verbis, quam operibus perfectionem suadentibus insonat, Ambrosius, *Magisterium probitatis.* 241. *Maria verbo & opere fuit perfectionis Magistra.* Philip. Ambros.

Omnem tulit punctum Deiparæ sermo, miscens quidem vtile dulci. Pulchram dò Guillelmi sententiam. *Factus est* (inquit Dominus) *odor oris Matris meæ sicut odor malorum. Sanè odora quædam insipida sunt, at malorum non tantum odor, sed & sapor bonus est. Cum ergo odor eius, odori malorum comparatur. Os eius non tantum odorum; sed etiam saporum demonstratur: non tantum odorum, loquendo delectabilia; sed & sapidum, loquendo salubria. Erat Mariæ sermo non tantum iucundus, sed vtilis. Quia ergo in verbis eius non erat tantum sancta delectatio, sed etiam vitalis refectio; benè odor oris eius, sicut odor malorum dicitur.* 242. *Omne tulit punctum Magisterij Deipara miscens vtile dulci.* Guillelm.

Non minus aptè Hailgrinus Cardinalis his verbis signari dixit intercessionis Virginis efficaciam. *Odor oris tui* (ait sponsus) *id est, precum tuarum erit mihi delectabilis sicut odor malorum.* Si tanta voluptate Deus afficitur, dum Maria precatur, eius proculdubio precibus annuet, vt rursum delicias ei illatura pro nobis precetur. 243. *Delectabilis Deo Mariæ intercessio; ideoque efficax.* Hailgrin.

Porrò Dionysius Carthus. orationis, seu meditationis Virginem, dum Deum laudibus, & canticis efferebat, illa sententia significari contemplatur. *Odor*, inquit, *admirabilis oris eius quasi odor malorum. Id est, suauitas suæ orationis, laus, & Psalmodia, quibus Deum iugiter collaudauit, eminentissimè implens, quod scriptum est. Benedicam Dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psalm. 33. 244. *Admirabilis odor orationis Mariæ Deum laudantis.* Carthus. Psal. 33.

De orationis Mariæ fragrantia ipsa dixit. *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Eccli. 24. Ad quæ Richardus à S. Laurent. lib. 5. *Ad honestatem oris multum facit dulcedo anhelitus. Vnde Filius Matri Cant. 7. Odor oris tui sicut odor malorum. Per odorem oris Mariæ significantur orationes eius, quæ tota sunt aromatica. Vnde dicit de se ipsa. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi. Et quod orationes sint aromata, habetur* Apoc. 5. *vbi dicuntur viginti & quatuor seniores habere phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Dicit ergo Filius Matri. Odor oris tui, id est, orationes tuæ aromaticæ, mihi placidus est, & delectabilis sicut odor malorum.* 245. *Orationes Mariæ tota sunt aromatica.* Eccli. 24. Richard. Apoc. 5.

Mox adiicit Doctor, illa particula *Oris tui* signari illos, qui Deiparam laudant, egregiaque de illa euulgant elogia. *Possunt dici* 246. *Laudantium Mariam vita debet esse laudabilis.* Richard.

quodam

quodammodo os Mariæ, qui ipsam deuotè confitentur, laudant, prædicant, & elucidant. Qualis autem esse debeat vita eorum, qui Deiparam verbis commendare curant, exponit. *Et talium odor, id est, fama & opinio debet esse sicut odor malorum, qui fructus sunt, & signant bona opera: non solum foliorum, id est, verborum; vt non solum de ea loquantur, sed ad imitationem, & odorem eius, quod bonum est operentur.*

247. *Qui laudant Mariam quasi Dei os sunt pretiosum à vili separantes, nihil vile vnquam in ea fuisse asserentes.* Ierem 15. Monet autem Mariæ laudatores, qui os eius appellari possint, debere oris Dei reddere similitudinem. De Dei ore inquit Ieremias cap. 15. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Qui de Deipara loqui intendit, sibi persuadeat oris Dei ipsius esse æmulatorem, vnde debet pretiosum à vili separare. Nihil quod vile sit, quod peccati, aut minimæ imperfectionis suspicionem indicet, de Maria dicendum, omnia pretiosa sint, quæ de Deipara ex ore promantur. Richard. *Sicut os Domini sunt*, (inquit pulchrè Richardus) *qui* de Maria loquentes *separant pretiosum à vili.* Quia Verbum diuinum nihil de Matre sua à primo sui esse loquutum est, quod non sit *pretiosum.* Qui verò aliquid vile in Matre Dei aliquando extitisse loquuntur, non id Dei ex ore, sed ex hominis, qui seduci potest, ex ore, eos constat iam fuisse loquutos.

248. *Mariæ verba homines ad cultum Filij attrahunt.* Richard. Adhuc pius Doctor. *Vel ideò commendat Filius Matrem ab odore oris, quia optimo doctrinæ, & sapientiæ, quæ procedit ex verbis illius positis in Euangelio; & confidentia de orationibus eius attrahunt homines ad cultum Filij: sicut odor malorum gustum allicit ad edendum.*

Vers. IX.

Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandum.

249. *Suauissima sunt Deo Mariæ verba.* GVttur tuum sicut vinum optimum.] Guttur hic pro oratione, & eloquio ponitur. Laudantur ergo præcedentia verba Deiparæ, vt humilitate, prudentia, ac charitate condita: dicunturque sponsi palato futura instar lectissimi, pretiosissimi, ac fortissimi vini. Quia vinum optimum, quod sine vlla austeritate aut remora liquidò defluit, blandè per guttur ingreditur, & sic inoffenso pede se ad interiora penetrat. Optimo itaque vino Deiparæ sermo comparatur. Quid sermoni, seu eloquio Virginis cum vino? Lubens exponam.

250. *Maria in Dei laudes proferendo, Angelos, & Diuos homines superauit.* Guillelm. Profectò si hic sponsus celebret verba Mariæ, quæ ipsa proferat ad Dei laudes euulgandas, vinum optimum esse quis dubitet? *Quis* (cum Abbate Guillelmo loquor) *tam iucundè, atque decorè, tam hilariter atque sincerè Deum laudauit, quam Virgo illa Mater Dei? Nulli enim sanctorum tanta laudationis Dei occasio suppetebat. Denique pro collatis sibi diuinitùs in gentibus illis, insignibusque beneficiis, spirituale guttur suum exultationibus Dei repletum insinuans. Magnificat, inquit anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes.* Luc. 1. *Benè ergo guttur eius non simpliciter vino, aut vino bono, sed vino optimo comparatur.* Si Virgini suppetiit maxima omnium illa Dei Maternitatis laudationis occasio, & non poterat tanta Maiestas Matris tantæ ingratitudinis vitio notari, haud poterit esse tam optimum laudationis Angelorum vel hominum vinum, quod in conspectu laudantis Mariæ Dominum non acescat. Luc. 1. *Supremā habuit gratissima Virgo Deū laudandi occasionem.*

Quid si his verbis Dominus ineffabilem Deiparæ fidelium Magistræ doctrinam ab ipso Spiritu sancto acceptam laudibus contendat ei[illegible] Apposité Honorius in sigillo. *Bonum vi[illegible] legalis instructio, melius Euangelica [illegible]tio, optimum est Spiritus sancti infusio. Guttur Virginis est eius doctrina à Spiritu sancto inspirata, quæ est vt vinum optimum ad potandum, id est, placens ad imitandum.* Quid suauius Euangelio pacis, de cuius doctrina Dominus dicit, *Onus meum leue?* Si autem Mariæ doctrina vinum optimum, siue suauius est, quam Euangelica, quanta Virginis dogmata suauitate redundabunt? *Melius* vinum est, quam legalis instructio. *Euangelica eruditio, optimum vinum est doctrina Mariæ à Spiritu sancto inspirata.* 251. *Maria fidelium Magistra doctrina vel Euangelij suauitatē videtur superare.* Honor.

Signatur & his verbis admirabilis Deiparæ discretio in precibus Deo pro hominum instantia offerendis. Solum enim Virgo petit, quod discretè petitur. Eleganter id exposuit Cardinalis Hailgrinus. *Preces ex gutture procedentes* MARIÆ *erunt planè sicut vinum optimum, quod affectorum dolores consolari, & releuare consueuit.* Sed agnatam aliam annota proprietatem gutturis Mariæ, vt optimo vino componi queat. *Guttur diuidit escas, bonas retinet, malas reuomit: hæc est virtus discernendi spirituales preces; quæ sicut vinum faces suo calore expellit, vt remaneat vinum optimum eliquatum, & defæcatum. Commendatur ergo discretio Virginis in precibus; quæ hoc solùm petit, quod discretè petitur, quod bonum, quod pium, quod purum, & ab omni macula defæcatum.* O quoties ad Mariam clamantes, optatis non fruimur, quia sine discretione nobis noxia perimus, quæ Virgo discretissima & piissima haud debet à Filio postulare! 252. *Virginis discretio in precibus pro hominibus. Nec enim petit, nisi quod discretè petitur.* Hailgrin.

Nec ineptè crediderim, hoc optimum vinum, cui Mariæ guttur assimilatur significare doctrinam illam, siue mysteria illa, quæ diu corde retinuit, & conseruauit, in posterum Apostolis aperienda. Vnde possumus Mariæ dicere. *Optimum vinum reseruasti in posterum.* Ioan. 2. Excogitationem hanc ex Dionisij Carthus. sententia confirmo. *Sicut per os, ita per guttur sacra verba formantur. Vnde legitur* Ose. 8. *In gutture tuo sit tuba, id est, altisona prædicatio. Studiosissima autem Virgo conseruauit in corde suo omnia, quæ audiuit de Christo ab Angelo sancto, à Zacharia, & Elisabeth, à pastoribus, à Magis, à Simeone & Anna, & ab ipso sponso Domino Filio suo. Hæc ipsa postmodum* (seu *in posterum*) *opportunè docuit alios ad ipsam pro pleniori informatione confugientes. Quæ informatio fuit optimum vinum conseruatum* (seu *seruatum in posterum*) *spiritualiter inebriatiuum.* 253. *Maria vinum optimum mysteriorum, quæ in corde seruauit in posterum, Apostolis ministrandum.* Ioan. 2. Carthus.

Aptius

254. *Suauissima est Maria suis cultoribus.* Philo. Philip.

Aptius tamen existimo sponsum voluisse illa sententia, *Guttur tuum sicut vinum optimum.* (Philoni Carp. hæreo) gustum passiuum Virginis commendare, id est, suauitatem miram, qua afficiuntur Deiparæ cultores. Elegans accipe Abbatis Philippi testimonium. *Gustum Mariæ sponsus gutturis nomine figurauit; quem commendare volens, vino illum optimo comparauit. Quia cuicumque guttur, seu gustus Virginis innotescit, videtur sibi potus, quo ineffabiliter hilarescit. Nam cui gustum suum non inuida Virgo notificat, cor illius tanquam vino potatum lætificat. Et bene vinum istud sponsus optimum prædicauit, quo quicumque potatus est, nullum melius æstimabit.* Gustate ergò; & videte quam suauis sit Maria.

255. *Mariæ verba vini optimi æmulantur effectus ad hominũ vtilitatem.* Richard.

Guttur præterea Mariæ, seu [illegible] eius aptè vino optimo comparantur, quia illius æmulantur effectus, ad nostram vtique vtilitatem. Quod Richardus de S. Laurent. lib. 2. de laud. Mar. expressit. *Guttur Virginis vino optimo comparabile est. Verba inquam, quæ procedunt de gutture eius more vini dolores releuant afflictorum, & mentes illorum alienant à sensu carnali, suauiter pungunt, & stimulant benefacere, pigritantes ad recurrendam viam mandatorum Dei, amandum, & orandum. Sapida verò sunt Christo per deuotionem in precibus, & pungunt cor eius, vt inde miseris eliciant misericordiam; & sic Christum inebriant, vt eum faciant obliuisci delictorum nostrorum.* Tam optimum vinum ô Virgo ne serues *in posterum*, illicò nobis sitientibus exhibe. Loquere Domina, bibamus, vt viuamus. Idem Doctor lib. 5. *Doctrina, quæ continetur in verbis tuis est sicut vinum optimum. Quia deuotos delectat, & à sollicitudinibus mundanis elongat; & sic inebriat, vt sobrios reddat, non amentes faciat.* Ibi, & alibi plura.

256. *Mariæ eloquiũ non solũ terricolas, sed & cælicolas lætificat; & inebriat.* Richard.

Profectò Mariæ guttur, seu eius eloquium simile est tam optimo vino, vt non solùm homines lætificet, & inebriet ad salutem, sed cælicolas Angelos, sanctos, & Deum ipsum lætificet, & inebriet ad gloriam. Rursum audi lib. 7. Richardum. *Maria confecit verbis suis vinum aromaticum, quo Filium potat, & cælestes conuiuas: Vnde & pincerna gloriæ congruè appellatur. Quare dicit ei sponsus. Guttur tuum sicut vinum optimum. Et ipsa respondet, dignum dilecto meo ad potandum. Et* Cant. 8. *dicit ipsa dilecto, dabo tibi poculum ex vino condito. Ipsa enim cælestes lætificans conuiuas dicit* Cant. 5. *Bibite, & inebriamini charissimi.*

Cant. 8.

Cant. 5.

257. *Verba Mariæ tam dulcia sunt, vt Deus velit vinum optimum non solum epotet, sed & ruminet.* Richard.

Dignum dilecto meo ad potandum; & dentibus, ac labiis illius, ad ruminandum.] Multi ex antiquis hanc sententiam attribuunt Deiparæ respondenti sponso. *Dicit enim ei sponsus.* (verbis vtor Richardi vbi sup.) *Guttur tuum sicut vinum optimum: Et ipsa respondet, dignum dilecto meo ad potandum, imò & ad ruminandum.* Illum dixerim ruminare vinum, qui illius particulam antequam hauriat, lingua dentibus, labiisque versat, an gustui aliquid repugnans inueniat; si omnino suave est vinum, illud traiicit ad stomachum; si acidum, ex ore proiicit. Verba Mariæ tam defæcata sunt, vt Deus ipse non solum epotet, sed ea ruminare valeat, & ad pectus sine vlla suspicione traiicere.

258. *Mysteria, quæ Maria Lucam edocuit, sicut vinum lætificant, & inebriant auditores.* Richard.

Ipse Richardus lib. 5. ad mysteria, quæ Maria Euangelistæ Lucæ, & aliis in eo prædicatoribus tradidit, hæc verba accommodans, profatur, *Guttur tuum, id est, doctrina, quæ continetur in verbis tuis*, (quæ in corde conseruabas, aliquando sacris scriptoribus aperienda) *est sicut vinum optimum, quia audientes delectat, & sic inebriat, vt sobrios faciat.* Addidit opportunè. *Audiens autem Virgo, sic se commendari à dilecto, rapit verbum ab ore eius, & subdit: Dignum dilecto meo, id est, placens ei ad potandum, hoc est, vt inde potet alios. Placens etiam labiis eius, id est, prædicatoribus, & dentibus, id est expositoribus, ad ruminandum, sicut patet in Luca, & ceteris Euangelistis, & expositoribus sacris.*

259. *Mariæ preces Deum ita delectant, vt ei vini optimi proprietates adiiciant.* Hailgrin.

Aptius adhuc crediderim, in præsenti Deiparæ preces pro hominum salute profusas à Domino celebrari. *Guttur ait tuum, seu preces tuæ* è gutture procedentes *mihi vini optimi dulcedinem adiiciunt. Petis enim quod bonum, quod pium, quod purum, quod ab omni macula defæcatum* (loquor cum Cardinali Hailgrino) *Et Maria respondet, dignum est* precum mearum *vinum dilecto ad potandum, vt ei placeat, & ipse in eo delectetur. Dignum labiis Christi, quia dignum, vt fauor benignus illud recipiat, & quod bene sapiat, & placeat diuinæ bonitati. Et sicut vinum optimum sine difficultate, & cum delectatione seruetur: sic petitiones meæ cum omni facilitate, & delectatione Filius admittit.*

260. *Deus in precibus Mariæ affectus dulcedine delectatur specialissimè.* Hailgrin.

Quanta autem voluptate afficiatur Deus, dum hoc dulcissimo precum Matris suæ vino potatur, ipsa Virgo exposuit adiiciens. *Et labiis, ac dentibus illius ad ruminandum.* Aptè Hailgrinus. *Verùm quia eius, quod bibitur, gustus citò præterit: eius verò, quod ruminatur, sapor diu remanet, subdit, & dentibus illius ad ruminandum. Vt sic ostentet, quod non perfunctoriè, sed tanquam affectus placita dulcedine in Matris petitionibus Filius specialiter delectetur.*

261. *Gratitudo Mariæ pro beneficiis à Deo acceptis ineffabilem ei afferunt voluptatem.* Guillelm.

Tradidi ex Guillelmo vers. hoc à sponso commendari Virginis affectum gratias Deo reddentis pro ineffabilibus beneficiis, quibus ab eo fuit donata. Porrò huiusmodi Deiparæ gratitudo vinum est dulcissimum largitori. Vnde postquam ipse gratitudinem Mariæ commendauit, *Guttur tuum sicut vinum optimum*, Maria respondit, *Dignum dilecto meo, &c.* Audi Doctorem. *Quia vinum optimum est guttur Mariæ, id est, laus decora, & iucunda: ideo dignum ad potandum dilecto, & ad ruminandum. Nunc quia vinum* (seu gratitudinem illam) *Virginis bonum libenter potat: & quia optimum libenter ruminat, id est, laudationem, quam illi iugiter omnia Virginis ossa dicunt, profusiori dignatione acceperat.*

262. *Doctrina Mariæ nempè quod Deus superbos dispergit & humiles exaltat, memoria tenenda.* Luc. 1.

Aliter longè Honorius hanc sententiam, *Dignum dilecto meo, &c.* explicauit. Guttur Virginis est eius doctrina à Spiritu sancto inspirata, quæ est vt vinum ad potandum, id est, placens ad imitandum. *Ait enim: Dispersit superbos, & exaltauit humiles.* Luc. 1. *Dignum* est dilecto meo hoc facere, nempè parcere subiectis, & superbos debellare. Labia Dei sunt voluntatem eius aperientes: dentes verò vitia conterentes. His est Doctrina

Virginis

Virginis ruminanda, id eſt, memoriæ tradenda, ſcilicet, quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Iac. 4.

Iac.4.

Verſ. X.

Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.

263. Maria Dei tota, & Deus velut agnata vehemẽti inclinatione ad Mariam fertur. Gen.3.

EGo dilecto meo.] Suppono, particulam *Conuerſio* ex Hebræo vocabulo שוק *SVK* vicum ſignificare, qui à platea alīorſum excurrit; inde תשוקה *TESVKA* accurſum quemdam, ſeu excurſionem à vehementi natam deſiderio ſignificat. Geneſ. 3. vbi noſter. *Sub viri poteſtate eris.* Hebraicè verti poteſt, ad virum tuum conuerſio tua, hoc eſt ſpontanea, & vehemens prorsùs inclinatio: ſicut potentia loco motiua eſt menti rectrici obediens. Ait itaque Virgo, poſt tot à ſponſo exaudita elogia: Me honori tali non dignor: qualis autem, qualis ſum, ſi quid in me laudabile, id totum ſponſi liberalitati acceptum fero: cui totam me do, dico, addico. Exiguum planè obſequium, cum ſciam eius ad me conuerſionem tam promptam, tam vehementem eſſe, vt ad diligendum me ardenti velut agnata inclinatione feratur. Ex quo ille ſe mihi largiri dignatus fuit, & quaſi meæ poteſtati permittere; ego viciſſim totam me illi permiſi, nihil volo, niſi quod ipſe: toto animo & oculis ab eo pendeo.

264. Maria iuxta crucem tota dilecto per cõpaſſionem, & ad eam dilecti conuerſio, vt eam Ioanni commendaret. Guillelm.

Acutè admodum Abbas Guillelmus meditatur, Mariam, dum ſtaret iuxta dilecti crucem, ſe totam ei per compaſſionem tradidiſſe: quare dilectus piiſſimam ad illam geſſiſſe conuerſionem, dum eam dilecto Diſcipulo commendauit. Elegans planè eſt Abbatis ſententia, ſantis ex ore Deiparæ: *Eximietas dilectionis meæ tunc maximè declarata eſt, cum ſtarem iuxta crucem Filij, & maternis intuerer oculis tam acerbum eius exitum. Quippè in meo tunc pectore amor, & dolor ex æquo ſe inuicem reſpondebant: & magnitudinem amoris, doloris magnitudo declarabat. Ego tunc dilecto meo ad declarandam mei in ipſum amoris quantitatem. Et eius ad me tunc conuerſio facta eſt ad filialem eius charitatem declarandam. Quantum enim me diligeret in ipſo paſſionis articulo præclarè oſtendit, cum videns me piam Matrem, & Diſcipulum quem diligebat, ad me de cruce conuerſus, dixit mihi: Mulier, ecce filius tuus: Diſcipulo autem, ecce mater tua. Planè illius ad me in tanta acerbitate dolorum tam filialis conuerſio, quam filialem in me animum generet, inſigniter declarabat. Itaque ego dilecto meo pro omnibus morienti commoriebar, in argumentum amoris eximij: & ad me conuerſio eius ratione filialis obſequij.* Egregiè.

Dum Chriſtus Mariam Ioanni commendat, ineffabilem erga illam amorem oſtendit.

265. Conuerſio Chriſti ad Iudæos, ſeu Iudæorum ad

Ego autem non minus aptè meditor, Deiparam, quæ pro conuerſione Eccleſiæ de Iudæis ſæpè Filium fuerat deprecata, illis indicere in præſenti, ſe eorum conuerſionem à Filio fuiſſe conſequutam. Vnde conuerſio illorum ad ſuas preces eſſe referendam. Acutè Honorius in ſigil. *B. Virgo repetit verba, quæ pro Eccleſia de Iudæis conuertenda fecerat ad Filium. Ego dilecto meo pro vobis ô* Iudæi *preces effudi: & ad me conuerſio eius, id eſt, per me voluit, vos ad miſericordiam conuerti.*

Chriſtũ conuerſio Mariæ precibus debetur. Honor.

a Ant. de Eſcob. & Mendoz. In Cantic.

266. Quantũ Maria dat affectus Deo, tantũ Deus Mariæ rependet. Carthuſ.

Conuenientius adhuc crediderim hîc Deiparam exponere quid ineffabilis eius erga dilectum amor faciat eam agere in illius obſequium: & quid dilectus, vt debitum ſoluat, gerat erga Matris honorem. Quod Dionyſius Carthuſianus egregiè planè expreſſit. *Locutiones vehementer amoroſæ ſolent eſſe truncatæ, quoniam vehementia affectionis abrumpit & præſcindit verba loquentis: & ita eſt in his verbis. Ego dilecto meo totaliter ſum intenta, deuotiſſimè ei vacans, affectuoſiſſimè ſemper inhærens. Et ad me conuerſio eius, ab eo quippe excellentiſſimè ſum electa, ſingulariter prædilecta, familiariſſimè coniuncta, & facta ſum ei Mater, & ſponſa, filia, & ancilla, ac Domina, quia ſubditus fuit mihi. Et tam ſummè & vnicè me dilexit, & hilariter me aſpexit, cuſtodiuit, protexit.*

267. Dei Filius ſic dilexit Mariam, quæ tota erat ſibi, vt Patrem ac Matrẽ relinqueret, vt ei ſponſæ chariſſimæ hæreſceret.

Si Maria Dei ſponſa veraciter dicit, *Ego dilecto meo*, ſiue tota ſum dilecti: quid mirum, ſi veraciter de dilecto dicere valeat. *Et ad me conuerſio eius*, ſiue dilectus meus eſt totus. An-non Patrem æternum Filius dicitur reliquiſſe, vt Mariæ vxori adhæreſceret? Hoc agit ſponſus, qui vxorem ardenter diligit, relinquit parentes, vt totus ſit ſponſæ. Euigilans è ſomno Adamus: Eua è coſta ipſius ædificata, dixit: *Hoc nunc os de oſſibus meis. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Geneſ. 2. Audi pulchram ex Richardo Laurentino vtriuſque loci, meæque excogitationis confirmationem. *Poſtquam Adam* (inquit lib. 6.) *euigilauit ab extaſi vel ſomno, vbi præuiderat lapſum generis humani, & modum reparationis; vnde euigilans prophetauit; dicens: Propter hoc, ſcilicet propter lapſum generis humani reparandum relinquet Deus Homo factus, vel Filius Dei carnem ſumpturus Patrem, in mundum veniens, quia expreſſus à Patre: & matrem, id eſt, ſynagogam, de qua natus eſt ſecundum carnem: & adhærebit vxori ſuæ, id eſt, Mariæ. Et in hoc Sacramento fiet illud nouum & mirabile, ſcilicet, quod duo erunt in carne vna, hoc eſt Filius & Mater. Ad hoc facit, quod ipſa B. Virgo dicit: Ego dilecto meo, & conuerſio eius, hoc eſt ſum Filio* Sponſa *& Parens ſingularis & vnica: & dilectus meus eſt mihi ſingulariter, & vnicus* Sponſus & *Filius.*

Gen 2. Richard.

268. Quia Maria tota eſt Deo, ideo tota eſt ſimul hominibus. Carthuſ.

Preme illam Dionyſij Carthuſiani particulam. *Ego dilecto meo totaliter ſum intenta.* An ita Deipara totaliter eſt intenta dilecto, vt nihil ex ea hominibus remaneat? Profectò quia tota eſt dilecto, totam ſimul ſe hominibus, imò & Angelis eſſe gloriatur. Vt huic faueat excogitationi, nunquam Richardum Laurentinum *lib.* 10. elegantius ac deuotius ſcripſiſſe exiſtimarim. *Ego dilecto meo; & ad me conuerſio eius, quia me ſibi*

Richard.

domum ædificauit. *Numquid tantum sibi? Ad hoc notandum, quod prius ædificauerat Angelis cœlum, dæmonibus & damnatis hominibus infernum, hominibus lapsis mundum, pisces posuerat in aquis, aues in aere, stellas in firmamento. Qui autem prius hospitatus fuerat cætera, nunc proprio sibi intendit hospitio. Ideò dicitur* Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum. Et numquid tantum sibi? Verùm domum sibi soli, in qua solus habitaret. Sed tamen Angelis data est* ideò *in restaurationem, hominibus, & naturæ nostræ in reparationem, sibi in Matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo in ereptionem.* Itaque quia Maria se totam dilecto tradidit, ideò dilectus disposuit, vt tota hominibus succurrendis, & Angelis honorandis simul intenderet; & quia dilecto soli habitaculum præparauit, facta est à dilecto domus, seu ciuitas refugij peccatoribus. Plura cap. 2. ad illa verba: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Quia Maria tota est Dei solius domus, ideo simul est domus refugij hominibus.

Vers. XI.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

269. *Tanta Mariæ erga homines pietas, vt à deliciis spiritualibus abstracta, velit in mundum pergere, vt cunctos ad Christum homines attrahat.* Philo. Cassiod.

VEni dilecte mi, egrediamur in agrum.] Ad quæ Philo: *Adhortatur sponsa sponsum, eundemque precatur, iam inde aduenire, vt vna cum ipso ingrediatur in hunc agrum, hoc est in hunc mundum, dicente Domino* Mat. 13. *Ager mundus est, & pernoctent in pagis.* (Hebraïcè loco *Commoremur*, dicitur *Pernoctemus*,) *& fiat vnum ouile, & vnus Pastor.* Ait Cassiodorus, *Nemo nescit, paganos à villa dictos, quia pagos* Græcè, Latinè est *villa*: *inde pagani dicti, quia longè sunt à ciuitate Dei.* Tam ineffabilis sponsæ Mariæ erga homines pietas, vt sitiens admodum eorum salutem, à spiritualibus deliciis abstracta velit per totum orbem nomen, & fidem dilecti propagare, & spirituales ei filios gignere. Ex Philippo Abbate confirmo. *Veni ergo dilecte mi, in agrum egredi simul festinemus, vt nomen tuum mundo, tuam gratiam annunciemus, vt quæ primum abscondita disponis iam diutius non latere, innotescant omnibus.*

Philip.

270. *Maria nō solùm conciuibus, sed & indigenis fauet.* Philip.

Mariæ pietas non Iudææ, vbi nata fuerat, finibus intercluditur, vt conciuibus succurrat: ad Gentiles pergere etiam alienigenas expetit, vt eos Filij domesticos efficiat. Vnde sic dilecto verba facit: *Egrediamur in agrum, &c. Non solum in Iudæa,* (loquor cum Philippo) *quæ nostra quasi ciuitas appellatur, vbi nostri sunt conciues, & nostræ carnis propagatur generatio: sed in villis etiam, id est, foris in Gentibus nostram faciamus notitiam euulgari. Et vt efficacius diuulgetur, non pigeat, diutius ibidem commorari: Commoremur in villis.* Canebat Græcus ille,

Amor patriæ dulcis, conciuium agnatus amor.

Latius patet Virginis pia dilectio, igneis alis auolat ad indigenas: & nullus in mundo degit homo, qui Mariæ conciuis dici non valeat.

Nullus homo est in mundo, qui non possit conciuis Mariæ appellari.

271. *Maria proprij nominis, & gloriæ oblita, curat Christi nomen & gloriam celebrari.* Philip.

Ideò Deipara expetit ad agrum pergere, vt Filij nominis gloria omnibus innotescat. *Veni dilecte mi* (loquor cum Philippo) *in agrum egredi festinemus, vt nomen tuum mundo, tuam gratiam annuntiemus.* De proprio suo nomine euulgando, de propria sua gloria Virgo aperienda mundo non curat: sed solùm expetit nomen & gratiam Christi omnibus reuelari. Ideo autem Christus quasi proprij nominis, & gloriæ oblitus, solùm videtur de Matris nominis, & gloriæ propagatione in orbe curare. Do perpulchram Philippi sententiam: *Dilectus & dilecta tunc videntur in agrum egredi, & in secreto thalami non teneri, ianua clausa, cum mundus Matrem Mariam veneratur. Ad eos verò necdum Filius, & Mater sunt egressi, qui agresti hebetudine abhorrentes; fœcundam Virginem, seu Dei Matrem digna reuerentia non honorant.* Maria igitur egredi vult in mundum ad Filij gloriam proferendam: Christus verò egredi curat, vt Matris gloria omnibus innotescat.

Christus quasi proprij nominis, & gloriæ oblitus, curat vt Mariæ nomen, & gloria celebretur. Philip.

272. *Mariæ cultores per eius intercessionem mox veniunt ad Christum.*

Si egressionis huiusce Christi, & Mariæ est hominum salus, cur non præcipuè; imò vnicè Christus curat proprium suum nomen, & Euangelij gratiam mundo reserari? Profectò quia scit Dominus, Mariam tam efficaciter pro suis cultoribus exorare, vt à Deo impetret quòd & illum agnoscant, & inter fideles oues annumerentur. Concludit Abbas: *In villas, id est, in Nationes, quæ procul à ciuibus erant stultæ, quæ doctrinam Prophetarum non nouerant, rudes adhuc & incultæ Maria venit, & apud eos morosam facit mansionem.* Quoniam autem fructu? *Vt sic illi adhæreant Filio.* Dum enim illi Virginem humili reuerentia honorant, ipsa pro eis replicat preces, quas Deus semper gratus admittit, illisque annuere delectatur.

Philip.

273. *Fideles ex Gentibus nostram fœlicitatem Mariæ debemus.* Guilelm.

Quòd verò fideles ex Gentibus Deiparæ nostram fœlicitatem precibus debeamus, expressit Guillelmus eleganti planè sententia. *Postquam dilectus expleto humanæ salutis negotio præclaris onustus lucris ascendit, vbi prius erat, piam Matrem modico tempore passus est commorari, & à suis deliciis peregrinari. Sed & ipsa pia Mater in cœlum, Filio iam assumpto, vberrimis meritis Apostolicum laborem iuuabat: & primitias ex Circumcisione per eos acquisitas Filio iugiter commendabat. Vbi ergo Iudæi in salutaris doctrinæ ministros apertè sæuire cœperunt, lapidando Stephanum, occidendo Iacobum, vinciendo Petrum, arbitrati sunt, sese obsequium præstare Deo. Super tanta ingratitudine & cæcitate eorum indignata Deipara, & conuersa ad Filium: Veni, inquit, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villulis. Parum est, te esse in Iudæa cognitum. Populus Israëliticus repulit à se Verbum Dei; exeamus ergò in mundum vniuersum, & prædicetur Euangelium omni creaturæ.*

274. *Maria sine Christo, & Christus sine Maria non incedit.* Guillelm.

Non autem sine pondere excidat particula illa: *Veni, egrediamur.* Non dixit: *Vadam, egrediar,* sed *Veni, egrediamur.* Deipara enim nunquam sola incedit, semper illam Dominus comitatur. Guillelmus ad hæc. *Sine te non egrediar: Veni, egrediamur. Nec tu sine me egredieris, aut sine me alicubi*

alicubi commoraberis. Quia ego semper tecum, & præ omnibus te sequor ô Agne, quocumque ieris: tecumque manebo, vbicumque moram feceris. Nam grata mihi erit Gentium salus. Ad quam assequendam quasi necessarium erat, vt Mater semper Filium sequeretur, nè absente Matris intercessione, Christus in peccatores iratus insurgeret. Nota illam particulam, *Nec sine me alicubi commoraberis.* Difficile enim admodum est, vt quis diu in gratia persistat, nisi pius sit Deiparæ cultor.

Difficile quis in gratia diu persistet, si non sit Deiparæ cultor.

275. Nunquam quidem dignè commendabitur Mariæ pietas illis verbis expressa, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Alij diui vocati ab hominibus veniunt opem laturi egentibus. Maria non vocata accurrit ad Christum, eumque ad homines allicit. Quod Hailgrinus Cardinalis annotauit. *In his verbis ostendit Mater sollicitudinem, quam gerit pro Ecclesia: qualiter sollicitet Filium; vt eam visitet, & profectus videat; quatenus quod minus est visitando compleat*, id est, vt id suppleat dum visitat, in quo fideles inuenti fuerint à Christo *minus* habentes. In nuptiis Cana Virgo non vocata accurrit ad Filium, vt vini suppleret defectum, & in Ruperti sententia, vt gratiæ cœlestis mero hominum *minus*; imò nihil habentium repleret vacuitatem. Si ergo vel non vocata venit Virgo, vt gratia, ea sollicitante Filium, repleamur: quid si affectu cordis eam aduocaremus?

Maria non vocata Filiũ sollicitat, vt nos gratia repleat: quid si deuotè à nobis aduocetur? Hailgrin.

Ioan. 2.

Rupert.

276. Licet enim Deipara Filium ad omnes generatim alliciat succurrendos, speciali affectu attrahit Christum, vt faueat iis, qui in agro, & in villis commorantur, hoc est eis, qui prædicationis ministerio incumbunt: & qui Monasticæ solitudinis affectu proprio profectui vacant. Appositè Hailgrin. *Dicit* MARIA: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. Visitemus illos, qui sunt in agro, & vomere prædicationis humanorum cordium terram proscindunt. Veni dilecte mi, commoremur in villis, facientes mansionem apud illos, qui habitantes in vnum per dilectionem vno iure viuunt.* En Virginem specialiter erga veros Concionatores, & Monachos perfectos benè affectam.

Speciali affectu Maria Concionatoribus, & Religiosis se munificam exhibet. Hailgrin.

277. Porrò quia verbum *Visito*, in sacris non solum Dei erga homines amici signat affectum; sed & Iudicis irati indicat horrorem: iuxta illud Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus fortis, Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios:* Concionatoribus, & Regularibus debent timorem incutere verba illa Deiparæ: *Visitemus illos, qui vomere prædicationis humanorum cordium terram proscindunt: & qui habitantes in vnum per dilectionem vno iure viuunt.* Visitemus Concionatores, & Regularis status cultores, vt videamus, an vnius & alterius muneris obligationibus satisfaciant. Time igitur à Maria visitari; licet enim *pulchræ dilectionis*, simul etiam *timoris* Mater appellatur. Attamen si in timore adhuc *Mater* est Maria, ipse timor visitationis eius nobis salutaris existet.

Maria visitat Cõcionatores, & Religiosos, vt videat, an probe suo muneri incumbant. Exod. 20. Hailgrin.

Mater amoris Maria, sed etiam timoris.

278. *Veni*, inquit Maria, *dilecte mi.* Richardus à S. Laur. lib. 8. existimat, hîc Virginem cultores dilectos suos hortari ad meditationis de ea exercitium. *Campus, seu ager locus est aptus ad spatiandum, seu dilatandum animum, ipsa* MARIA *vocat amatorem suum, seu cultores suos ad meditandum de ea. Veni dilecte, egrediamur in agrum.* Addit Pater, *In hoc quod dicit, Egrediamur, ostendit se esse socium meditantium de ea.* Quis non assiduè de Virgine meditationi studium impendet, vt tam dulcem sibi sociam acquirat?

Gratus est Maria, qui de ea meditatur: eique socium se adiicit. Richard.

279. Pondero ineffabilem Mariæ erga homines charitatem. Nam omnia dona, quæ à Domino accepit tanta equidem vbertate, eius quodammodo non implent desiderium, quousque totus mundus ad Christum conuertatur. Audi Dionysium Carthusian. *Deus summè & vnicè me dilexit: gratè & hilariter me aspexit, in omnibus me direxit, custodiuit, protexit. Ab eo excellentissimè sum electa, singulariter prædilecta, familiarissimè & fructuosissimè ei coniuncta: & facta sum ei Mater & sponsa, Filia, & Domina.* An tot plena donis cunctis optatis tuis ô Virgo fuit satisfactum? Minimè quidem. *Nam quia tam gratiosissime Deus egit mecum totis præcordiis, opto mundi salutem: ideo deprecor eum: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, meritis tuis, & precibus meis conuertatur mundus ad fidem tuam: gratiosèque visitemus genus humanum; vt non in populo Iudæorum dumtaxat, sed vbique terrarum diuulgetur in Gentibus Euangelium tuum.* Illam expende particulam, *Totis præcordiis opto mundi salutem.* Quia aliquid optat, aut desiderat, indicat se plenum adhuc non esse. Igitur Maria *gratia plena* optans, desiderans obiicitur mundi salutem, vt ostendat se quodammodo plenam non esse, donec totus mundus Domino conuertatur.

Omnia dona, quæ à Deo Maria accepit, quodammodo eius cor non implent, dum nõ videt totius mundi salutem. Carthus.

280. Aliter particulam illam expono: *Quia tam gratiosissimè Deus egit mecum tot me beneficiis afficiens, totis præcordiis opto mundi salutem.* Ac si pro actione gratiarum de tot beneficiis acceptis Virgo se præparet ad mundi salutem procurandam. Edocet Deipara Euangelij Ministros, optimam esse pro acceptis à Deo beneficiis gratiarum actionem speciali studio saluti proximorum incumbere. Quia tam affluenter (ait Virgo) Deus mecum egit, tot in me dona conferens, ideo, vt gratam me ostendam, totis præcordiis opto, & totis viribus totius mundi procuro salutem.

Docet Maria exemplo suo, optimam esse pro beneficiis à Deo acceptis gratiarum actionem proximorũ saluti incumbere. Carthus.

281. Mariam contemplor cum Filio Ierosolymæ inhærentem, vt Iudæorum saluti incumberet. At cum eandem secreti, & reclusionis amantem audio Filio suadentem, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis,* magnum aliquid innui arbitror. An-non ô abscondita virginum Virgo, proclamabas aliquando, *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini,* (seu in Ierusalem) *morabor?* Cur ergo iam quasi claustra abhorrens, quasi requiem fastidiens, Dilectum vrges, vt Ierosolymam deserat, & procedat ad agrum, ad villas properet? Profectò piissimæ Virginis affectus non poterat in Ierosolymæ in Iudææ angustiis contineri, ad immensum Gentium spatium ferebatur. Guillelmus ad hæc, *Egrediamur ô Fili,* (ait Maria) *de Ierusalem, quæ melius Babylon* vocitabitur, *egrediamur in mundum vniuersum, commoremur in villulis Gentium vsque ad vesperum sæculi, grata enim mihi Gentium salus.*

Quam ingens Mariæ affectus ad Gentium conuersionem ostenditur, dum à Ierosolyma egredi petit. Eccli. 24.

Guillelm.

282. Debet ergo Deipara Gentilium Mater appellari. Abraham Gentium pater, Saráque Gentium mater ob fidem fuêre nominati. Iustius planè Maria Gentium Mater est; nam

Maria debet Gentilium Mater appellari.

præter fidei ineffabilem exceſſum cunctos ex Gentili populo fideles ſpiritu peperit, dum precibus Filium Gentilitatis adduxit ad agrum ad villas attraxit. Pulchrè Rupertus lib. 7. in Can. *An-non tu Mater noſtra, quæ vitam, & ſalutem peperiſti? Si Abraham pater Gentium, & Sara mater Gentium dicitur propter fidem: quanto magis tu ô fideliſſima fidelium Mater es omnium noſtrûm?* Si ob ſolam fidei præſtantiam aſſerit Abbas Mariam potiori iure debere Matrem Gentium dici, efficacius id affirmaret, ſi audiret eam Filium ad egreſſum in agrum allicientem, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.*

Rupert.

Verſ. XII.

Manè ſurgamus ad vineas; videamus, ſi floruit vinea, ſi flores fructum parturiunt; ſi floruerunt mala punica; ibi dabo tibi vbera mea.

283. *Ardentiſſimus Mariæ ad Eccleſiæ protectionem affectus.* Pſal. 79. Aymon.

MAnè ſurgamus ad vineas.] In præſenti rutilat ardens Deiparæ affectus ad Eccleſiæ protectionem. Dauid Pſal. 79. cecinit, *Operuit montes vmbra eius.* Ad quæ Aymon. *Vmbra, id eſt, protectio Eccleſiæ operuit montes; quia nullus eſt tam altus in Eccleſia, qui non ſub protectione Eccleſiæ Dei protegatur; & vnione: quia ſi ſeparatur de vnione Eccleſiæ Dei, ab omni altitudine decidet.* Eccleſia itaque montes, ſeu montanos altitudine ipſius filios. At vt Eccleſia illos protegat, ipſa à Deipara protegitur: montes ab Eccleſia obumbrantur, quia Maria obumbrat Eccleſiam. Collis enim Deipara eſt protegens omnes Eccleſiæ montes, imò ipſam Eccleſiam. Bellè Andreas Cret. ſerm. de dormit. Virg. *O collem vmbroſum, non Iudæorum ingratum populum, ſed electam Dei plebem, gentem ſanctam, tuos maternis vlnis inumbrans!* Num particula *inumbrans* indicat, opacam eſſe Deiparæ nubem? Minimè, eſt enim velut illa nubes, quæ Transfigurationis die obumbrauit Apoſtolos: *Et nubes lucida obumbrauit eos.* Mat. 17. Maria obumbrat, ſeu protegit Eccleſiam, eam luce illuminando; auroræ namque inſtar diluculo ſurgit. Vnde dilecto dicit: *Manè ſurgamus*, ô Sol Eccleſiam tuo fulgore, meáque claritate illuminaturi.

Andr. Cret.

Maria lucida nubes.

Mat. 17.

284. *Maria eſt ſicut ſplendida Salomonis pelles protegẽs Eccleſiæ tabernaculum.* Cant. 1. Hailgrin.

Similem ſe dicit Virgo Cant. 1. ſe eſſe pellibus Salomonis. *Sicut pelles Salomonis.* Hiſce pellibus Salomonicum tabernaculum ſignans Eccleſiam, tegebatur. Pulcherrimæ illę pelles Deiparam ſignificant, quæ ſuæ protectionis fulgore obumbrat Eccleſiam. Ipſam exaudi Hailgrini ex ore, *Sicut pelles protegebant totum tabernaculum: ſic ſub lucida mea protectionis vmbra defendo totam Eccleſiam.*

285. *Maria eſt Eccleſiæ diadema, eam illuminans ac muniens.* Apo. 12. Proclus.

Eccleſiam vidit Ioannes Stellarum corona ſtipatam. *Apparuit in cœlo mulier: & in capite eius corona Stellarum.* Apoc. 12. Patribus eſt hæc mulier Eccleſia, cuius fulgentiſſima ſtellarum diadema eſt planè Deipara. Proclus orat. 6. de Virg. *Ipſa* MARIA *eſt Eccleſiæ diadema*, quod eam illuminat ſimul ac protegit.

Manè, inquit, *ſurgamus. De gallina matre* cecinit Græcus Comicus, *Antelucano tempore ſurgit, vt pullos paſcat, & à miluo protegat.* An-non Maria Mater hominum hîc oſtentatur manè ſurgens gallinæ inſtar, eos à diabolo protectura? Ad Mariam igitur accurramus protegendi, qui ab inuiſibili hoſte liberari cupimus. D. Thomæ à Villanoua conc. 3. de Natiuit. Mat. ſententiam audiamus, *Sicut pulli volitantibus deſuper miluis ad gallinæ alas accurrunt: ita & nos ſub velamento alarum tuarum, ô Virgo, abſcondimur. Neſcimus aliud refugium niſi te, tu ſola es vnica ſpes noſtra, in qua confidimus; tu ſola patrona noſtra ad quam omnes Eccleſiæ filij aſpicimus.* 286.

Maria inſtar gallinæ matru, manè ſurgit ad pullorum, ſeu fidelium protectionem. Menand. Th. à Villan.

Non dubium, quin Chriſtus Dominus ſe ſolicitum gerat ſuæ vineæ cultorem. *Manè* (ait Philippus Abbas) *ad vineas cultor ſolicitus vult exire, procurare illis vtilia, & ab inutilibus expedire, amputare ſuperflua, neceſſariis diligentiam adhibere.* Nec tamen exit, donec à Maria moneatur. Ipſa enim deprecans inquit: *Manè nos itaque ſurgamus ad vineas.* Si cœleſtis *cultor ſolicitus vult exire*, quare Matris hortationem expectat? Certè quia vult, homines ſaluos fieri, ſed Deipara mediatrice. Vt dignoſcamus, quantum nobis interſit Virgini cultum exhibere. 287.

Vult Deus homines ſaluos fieri, ſed Maria mediatrice. Philip.

Ægyptiacis mundus tenebris obruebatur, ignorantiæ nocte mentes hominum poſſidente: quare ligno, lapidi, æri thura litabat. At MARIA *Manè ad orbem terrarum attulit auroram, & ſolem ad fugandas tenebras adduxit.* Addit Philippus, *Manè ſurgamus* (ait Virgo) *id eſt, feſtinemus horrorem tollere veſpertinum, Manè ſeu auroram dare vineis, Solem infundere matutinum. Noſtra viſitatio tenebras ignorantiæ pulſet longius, & retundat, & gratiæ nouum lumen Eccleſiis Gentium ſuperfundat. Gentes, quæ prius ſteriles & aridæ nocturna hebetudine grauabantur, Manè proficiunt, & florent.* (*Manè*, id eſt, luce matutina, quæ Mariæ precibus fuit donata,) *& vineæ fertiles habentur. Inſiſtamus operi; tu ô Fili, potenter, & miſericorditer antecedens: ego verò diligenter, & fidenter pro Eccleſiis intercedens.* An-non fideles ex Gentibus Mariæ interceſſioni debemus vineam Domini Sabaoth eſſe factos? 288.

Maria attulit mũdo Manè, ſiue matutinam lucẽ, ad idololatriæ tenebras abigendas. Philip.

Hoc argumentum Abbas Guillelmus vberius, & de more eleganter illuſtrat. *Surge tu ô Fili* (ait Deipara) *& quia ego ſemper tecum, ſurgamus: & manè, id eſt, maturiùs, dum Eccleſia naſcentis manè eſt, cum adhuc in ſuis primordiis eſt. Manè ſurgamus ad vineas in Gentibus plantandas, & excolendas; veſperè reuerſuri ad vineam illam Sabaoth Domini, domum Iſraël, quæ nunc degenerauit, atque elanguit; fecit vuas, ſed vuas fellis, & botros amariſſimos, cum tibi ingrata vinum cum felle mixtum propinauit. Nubibus tuis, ſeu Apoſtolis manda dilecte mi, nè pluant ſuper eam imbrem: & dicant ei, vobis oportebat primum loqui Verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes. Conuerſæ igitur ad Gentes nubes tuæ ibi pluant, ibi fructuosè prædicent; atque ita manè ſurgamus ad vineas, Eccleſias per orbem plantandas atque excolendas: quæ in vnam magnam vineam, id eſt, Eccleſiam Catholicam redigantur.* Manifeſtè quidem Virgo exponit ſuam erga Eccleſiam ex Gentibus pietatem, dum quaſi oblita agnati in patriam Iudæam affectus, Filium 289.

Maria Chriſtum à Iudæa ingrata allicit ad gentes. Guillelm.

Iudæi aliquando ad fidem conuertendi, suam Mariæ precibus debebunt reductionem.

linm curat ad Gentilium conuersionem adducere. Illam autem nota particulam, *Vesperi reuersuri ad illam vineam Sabbath Domini.* Vt constet Iudæos qui vespertino mundi tempore sunt ad Dominicum gregem reducendi, suam Mariæ precibus debere reductionem.

290.
Mariæ preces multos credentium cœtus in vnicam Catholicam Ecclesiam adduxit.
Guillelm.

Videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.] Si Deipara ad plures vineas inuisendas adducere dilectum conatur, cur vnicam vineam, se visuram inclamat, *Videamus si floruit vinea?* Planè quia Virginis præsentia fecit, vt omnes populi, qui illius precibus singulares ob fidem constituebant Ecclesias, seu Christianorum cœtus, in vnicam Catholicam Ecclesiam coalescerent. Guillelmus. *Surgamus, inquit Maria, ad Filium, ad vineas, hoc est Ecclesias per orbem plantandas, quæ in vnam magnam vineam, id est, Ecclesiam Catholicam redigantur. Sequitur. Videamus si floruit vinea. Tuum est ô Fili, videre hæc, id est, cunctos fidelium cœtus in vnam vineam, in vnam Ecclesiam reductos: quia ego tecum sum semper.* Vt scilicet præsentia mea grata admodum tibi, ac precibus meis *semper* videas, quod vis, scilicet tuæ Ecclesiæ profectus, tuæ vineæ vnicæ fructus.

291.
Nulla potest subesse dubitatio de Ecclesiæ profectibus, vbi Maria se asserit protectricē.
Philip.

Particula illa *si* non semel iterata, videtur dubium innuere, an vinea Ecclesiæ floruerit, an ediderit fructus? At vbi Maria se protectricem præstat Ecclesiæ, nulla de florum emissione, vel de editione fructuum potest esse dubitatio. Quod eleganter Philippus Abbas expendit. *Videamus* (inquit Virgo) *si floruit vinea, id est, gratum habeamus, quod vinea floruisse videatur. Iam viruit, iam floruit, iam cultori gaudet sollicito spem dedisse, & specie florulenta certorum signa profectuum edidisse. Et quia flos non sufficit, si ad fructum non datur peruenire, videamus, approbemus, quod flores fructus videantur parturire. Nam quod coniunctio syllabica* Si *toties replicatur, non est dubitatio, sed loquutio confirmatur. Quia nequaquam dubium, sed certum est Virgini, quod prædicit.* Vbi enim adest Virgo intercedens, quomodo de vineæ flore & fructu potest subesse dubitatio.

292.
Affectus fidelium ad Martyrium ex Mariæ assistentia prouenit.
Philip.

Eodem sensu ex mente Abbatis Deipara cum Filio properat videre malorum punicorum flores, & fructus, id est, fortissimos Ecclesiæ Martyres, poma quidem Regia cœlesti corona ornatos. *Videamus etiam* (cum Philippo loquor) *si mala punica floruerunt. Perpendamus, quod in illis tanta plures fortitudine viguerunt, vt amore feruidi, ad perferendum Martyrium sese exponant: etiamsi carnifices materialem foris gladium non apponant.* Non dubito, quin ille egregius admodum affectus ex Deiparæ adstantis ope prodierit. Vnde adiicit opportunè Mariæ ex ore Doctor. *Cum videro* Martyres *in conspectu nostro* effectu, vel affectu *punica pulchritudine colorari: tunc hora scilicet opportuna tempore congruenti, mea infundam vbera, meum dabo auxilium.*

293.
Conuersis Gentium, eorumque mirabiles profectus ex Virginis præsentia, seu protectione habuere ortum.
Rupert.

Dixerat Virgo, se cum Filio in Villis, seu in Gentilium populo commoraturam, vt ex eiusmodi assidua Deiparæ præsentia Gentium conuersionem, eiusque mirabiles profectus ortum habuisse existimemus. Ponderat hoc Rupertus, dum ait, *Commoremur in Villis, vt videlicet qui erant agrestes, fiant domestici: qui erant villani, fiant ciues Dei. Illuc egrediamur, ibi commoremur: & ibi commorantes, mane surgamus ad vineas, sine dubio iam nostra commoratione propagantes. Videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Nam tunc floruit vinea, cum iam in Villis huiusmodi de carne Gentilium agrestium nati sunt plures qui sunt ad vitam æternam præordinati, sine dubio mox credituri; & tunc flores fructum parturiunt, si dociles inueniuntur ad bona operandum. Tunc etiam floruerunt mala punica, si inueniuntur in illis aliqui, quorum fides vsque ad Martyrium durare sufficiat. Quod sine dubio futurum est.* Duas preme particulas, *Sine dubio mox credituri*, & *Quod sine dubio futurum est.* Vndenam ô Virgo tam constantem hanc concipis certitudinem? Mox adiicit. *Quia ibi dabo tibi vbera mea, scilicet nutriendo multitudinem filiorum, quos fœcunda tibi gratia in nouam pariet infantiam.* Vbi Mariæ vbera adsunt, vbi eius pietatis lac profunditur, quomodo hominum salus erit incerta?

Sine dubio Gentiles ait Virgo esse conuertendos, quia sciebat se pro illis oraturam.
Rupert.

194.
Vbi videris homines in virtute, ac perfectione proficere, certum babe, ibi adesse Mariæ vbera pietatis.
Hilgrin.

Vbi videris homines ab exordio spiritualis vitæ in virtute & perfectione proficere, ibi firmiter crede, Mariæ vbera pietatis adesse, quæ id à Domino precibus impetrat. Hailgrinum Cardinalem audiamus. *Mane* (ait Maria) *surgamus ad vineas plantandas in fide. Videamus si vinea floruit* vniuscuiusque *per boni operis exordium. Si flores fructum parturiunt per boni exordij complementum. Videamus si floruerunt mala punica, quorum flos ruber desiderium imitandi passionem Dominicam demonstrat in viris fidelibus, qui per illas arbores designantur.* Quid ô Rex gloriæ, quid ô Regina vidistis? Vidimus mirabiles hominum in virtute, in perfectione profectus. Igitur vbi hominum viget sanctitas, *ibi* Deiparæ pietas necessariò adesse reperitur. Ibi, ait, dabo tibi vbera *mea, vt gustes interpellationes meas pro illis, quæ procedunt de vberibus meis. Per quæ* (addit Doctor) *suprà diximus Mariæ pietatem & misericordiam designari.*

295.
Ad rectè operandum & ad persistendum in virtute, necessaria nobis est Mariæ protectio.
Carthus.

Mihi credite, ad rectè operandum, & ad persistendum in virtute, necessaria nobis est Deiparæ protectio. Quod Dionysius Carthus. asseruit. *Manè surgamus ad vineas, visitando velociter, ac benignè quascumque congregationes fidelium, quia ipsis periculum est in mora, qui indesinenter indigent tua gratia & mea assistentia pia. Quare ibi dabo tibi vbera mea, id est, ad tuum honorem effundam charitatem, & pietatem meam super credentes eos fouendo, ac protegendo.* Nisi enim iustos pietas Virginis foueat, difficile, (imò impossibile quodammodò) eis erit in virtute persistere.

296.
In Mariæ pietatis vberibus, cuncta Dei bona, & omnes deliciæ continentur.
August.

Ibi dabo tibi vbera mea.] Se Virgo dilecto suo vbera largituram promittit. Cur non offert daturam se cuncta virtutum aromata, nardi humilitatis fructus, Malum Martyrij punicum, rosæ virginitatis plantationem, &c. sed solummodo vbera? Planè quia Deo in Mariæ pietatis vberibus cuncta bona omnes spirituales deliciæ, omnes thesauri continentur. Augustinus lib. 1. confess. cap. 7. de se ipso infantulo, cum matris Monicæ vberibus hæresceret, ait, *In fonte lactis vbertim manante, atque abundante, opulentissimus erant.* Se

opulentissimum iudicabat Doctor sapientissimus, dum Monicæ sanctissimæ vbera sugebat. Vbera enim piæ matris cœlestium thesaurorum est vber origo. An non hoc ex capite Christus Dominus conuenientius diceret. *In fonte lactis* cœlitus pleno *eram opulentissimus.* In vberibus enim pietatis Matris meæ Mariæ omnes cœlestes thesauri continentur.

297. *Sicut Deus vocatur Deus vberum, Maria Dea vberum, quodammodo potest appellari.* Psal. 81.

Nonnulli Patres Mariam *Deam* appellant. Per naturam *absit*, (ait Damascenus orat. de Assumpt.) *hoc Græcarum præstigiarum figmentum*; sed per participationem, quemadmodum Deus de iustis inquit, *Ego dixi: Dij estis.* Psalm. 81. Etsi igitur Iesus Infans vti Dei Vnigenitus ex paterna mamilla infinitos diuinitatis sugebat thesauros: at vt Filius hominis hauriebat ex Matris Mariæ vberibus redemptionis mundi thesaurum, hoc est, lac quod erat in sanguinem conuertendum, pretium scilicet, quod pro satisfactione iusta præuaricationis nostræ Patri debebat offerri. O quàm hinc vberibus Patris Matris similia vbera obiiciuntur! Honorificentissimum vocabulum *Saddai* Deo competit, quod idem est, ac *Deus vberum.* Vocabulum hoc Deus Matri communicauit, vt *Dea vberum* appelletur; & constet Christum non solum ex Patris mammilla, sed etiam ex Matris vberibus cœlestes thesauros hausisse; vnde poterat proclamare: *Fonte lactis manante* Genitricis meæ, *opulentissimus eram.* Ad illum inexhaustum fontem pauperes accurramus cœlestium bonorum opulentia proculdubio donandi.

298. *Sciens Maria multas in vinea vites sterilitate laborare, dicit, se iudici sua vbera daturam, vt illius iram emolliat.* Arnold. Brigit.

Cum Maria Christum inuitat ad visitandas vineas, sciens, inueniendos esse ab eo innumerabiles defectus, multas vites sterilitate laborantes, aut acinos amaros parturientes: dicit, se ei sua vbera præstituram, vt conceptam Iudicis iram emolliat. Nihil enim est ad Dei iracundiam placandam efficacius post Christi vulnera, quam vbera Matris. Sic Arnoldus. *Tu ô Fili, ostendis Patri pectus & vulnera; ego pectus & vbera.* S. Brigitta orat. 4. ita laudans Mariæ vbera exclamat: O Virgo, *benedicta sunt vbera tua sanctissima super omnes fontes aquarum dulcissimos, quia sicut aqua eorum scaturiens præbet solamen, & sitientibus refectionem: tua etiam sacra vbera ô Beata, Filium Dei lactando præbuerunt nobis indigentibus medicinam.*

299. *Memor Christus delectationis, qua ex Mariæ vberibus fuit affectus, latroni pepercit.* Brigit.

Multorum Doctorum sententia, bonus ille latro Deiparæ precibus ad frugem meliorem fuit adductus, & æterna salute donatus. Audi Brigittam lib. 6. cap. 24. *Maria loquebatur, Benedictus sis tu Fili mi Rex gloriæ, & Angelorum: rogo te iterum pro latrone. Respondit Filius: Benedicta tu sis charissima Mater; sicut lac tuum in corpus humanitatis meæ intrauit, & omnia mea membra confortauit: sic verba tua intrant, & delectant cor meum. Quia omnis petitio tua cum discretione est, & omnis voluntas ad misericordiam. Ideò faciam* propter vbera tua, seu *propter charitatem tuam misericordiam cum latrone.* Premè illam particulam. *Sicut lac tuum in corpus humanitatis meæ intrauit, sic verba tua intrant, & delectant cor meum.* Memor enim Christus delectationis, qua ex dulcissimo vberum Virginis lacte fuit affectus, efficit, vt illius precatoria pro hominibus verba ei sint instar lactis delectabilia; vnde quidquid Mater postulat, illicò Filius executioni tradit.

Laudaturus D. Ildephonsus vberum Mariæ pietatem, & efficaciam, inquit Epist. ad Mogunt. *Iustitia Dei his temporibus muliebris est.* Ac si diceret. Priusquam Deus fieret mulieris Filius erat quasi virilis totus, fortis, vehemens. O quàm virilis olim ira Dei in Nadab & Abiu! Leuit. 10. dicitur. *Arreptisque Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper offerentis coram Domino ignem alienum. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt.* O quàm viriliter tunc Dei ira in sacrilegos exarsit! Postquam verò Dei Filius mulieris vbera suxit, illius ira quasi *muliebris* effecta. Christus Templum Salomonicum inuisit, & sacrilegia Sacerdotum, ac mercatorum aspiciens, & *cum fecisset quasi flagellum,* illos diuerberauit. Ioan. 2. Non dicitur fecisse flagellum, sed *quasi flagellum.* Ex qua quæso materia? Respondet Lyranus. *Dicunt aliqui, quòd Christus vtebatur funiculo pro cingulo: & illum funiculum accepit, quo erat præcinctus, & ipsum duplicatum fecit quasi flagellum.* Lyrano assonat Auctor Libri de Triumpho Christi, tit. 4. alleg. 1. Legi Christum Dominum cingulo non spartæo, aut cannabæo vti solitum, sed laneo. Vt appareat, quam *muliebris* erat Dei ira postquam factus homo mulieris vbera suxit, si in sacrilegos non ignem iam immittit, sed laneo quasi flagello illos magis videtur fouere, quàm percutere.

300. *Maria vbera quasi muliebrem Dei virilem iram reddidit.* Ildephons. Leuit. 10. Ioan. 2. Lyran. Auctor libri de Triumph. Christi.

301. *Maria vbera Dei Rhinocerotis instar, fortissimo, quodammodò infirmarunt.* Num. 14. Auct. lib. de Triumph. Christ.

De Dei fortitudine, quando ira succenditur, dicitur Num. 14. *Cuius fortitudo est quasi Rhinocerotis.* Huius animantis robur sic Auctor citatus alleg. 2. describit: *Rhinoceros tantæ fortitudinis est, vt nulla venantium fortitudine capiatur.* Illum verò faciliter capiendi, annotat artem. *Sed sicut asserunt qui de naturis rerum scripserunt, puella virgo proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille, omni ferocitate deposita, caput ponit, sicque soporatus velut inermis capitur.* Dei itaque fortitudo est Rhinocerotis. An quia Deus Virginis sinu exceptus homo factus, illius sinus vbera suxit; lacteque soporatus virilem fortitudinem antiquam in muliebrem mansuetudinem commutauit? Addit Auctor. *Quid est dicere, quod fortitudo Dei seu Filij Dei est similis Rhinoceroti, nisi quòd voluit Propheta nobis insinuare, quòd Deus venturus erat in hunc mundum: & licet Deum nullus capere posset, nec suam placare fortitudinem, & iram: quia non ipsum placuerunt Patriarchæ, nec Prophetæ, nec viri sancti veteris Testamenti. Tamen cum venit. B. Virgo, ipse Deus sua ira, & ferocitate venit in vterum, & gremium, seu vbera B. Virginis, & ibi existens, & quasi dormiens,* dulci vberum liquore potatus, *captus, & mansuefactus est.*

302. *Vt homines in gratia persistant, Maria vbera præstat.* Philip.

Parum quidem esset, vineam esse plantatam, vuas protulisse, arbores fidelium flores & fructus germinasse, si eo in fœlici statu non persisterent. Profectò, vt persistant, vbera Deiparæ præstant. Philippus Abbas. *Cum videro* (inquit Maria) *vineam nouis floribus insigniri, cum fructus sequuturos decore florum prauio parturiri, cum in conspectu nostro*

punica

punica pulchritudine colorari fructus: *ibi, id est, tunc mea infundam vbera, meum dabo* (ad perseuerantiam) *auxilium indigenti.*

303. *Maria promittit nobis cuncta auxilia necessaria à Deo ad salutem se impetraturam.* Philip.

Nec vnum, vel alterum auxilium Virgo nobis indigentibus se daturam promittit, sed omnia ad protectionem suorum necessaria. *Ibi dabo vbera mea.* Non ait, *vber*, sed *vbera* dabo. Pulchrè Philippus. *Et bene se daturam non vber, sed vbera Virgo spondet. Quia plerique volunt, & voluntati actio non respondet. Multi videntur compati, quando miseros nos attendunt, sed inopia, vel auaritia laborantes, manum auxilij non semper extendunt. Virgo verò nostras miserias affectu beneuolentiæ miseratur, & manu potentissima quidquid necessarium nobis viderit, semper operatur.*

304. *Maria propter Filium, quem diligit, & videt admodum homines amare, suæ pietatis nobis vbera offert.* Philip.

Si autem Maria vberum suorum pietatem nobis porrigendam promittit, cur illam particulam addidit. *Ibi dabo tibi*, & non potius. *Ibi dabo* hominibus *vbera mea?* Certè quia quidquid pietatis nobis Maria præstat, totum id ad Filij dirigit honorem. Quod pulchrè Philippus annotauit. *Quia verò nullius nostrum Mariæ benignitas miseretur nisi propter Filium, quem nobis misericordissimum intuetur, ne causam beneficij referre videatur ad nos potius, quam ad ipsum, quem non vtique propter nos, sed nos diligit propter ipsum; ideò non dixit, dabo illis vbera mea; sed dabo tibi. Quidquid ergo inueniar tuis misericorditer impertire, quos florere vt vineas, quos opera bona videro parturire, quos denique iniusta patientes perpendero malis punicis similari, ad nos tantum suspirare nostrum patrocinium præstolari: quidquid adiumenti talibus conferam, tibi dabo; quia per te, & propter te, & totum ad te referens eos adiuuabo.*

Quia Maria nobis propter Filium fauet, ideò securior erit nostra protectio.

Hinc Virginis patrocinium certius nobis asseritur; quia quomodo non potest Filium non diligere, *quem nobis misericordissimum* semper *intuetur*, ideò nec nobis poterit suæ pietatis vbera denegare.

305. *Maria spondet, se sollicitam admodum futuram circa Ecclesiæ ex Gentibus salutem, quia scit illam à Filio ardentissimè diligi.* Guillelm.

Cur existimas Virginem tam sollicitam se circa Ecclesiæ ex Gentibus spiritualia commoda ostentare, vt dilectum ad illam inuitandum alliciat: nisi quia *eum* erga illam *misericordissimum intuetur?* Ideò *Ibi* id est, in vinea, in Ecclesia ex Gentibus se Christo daturam vbera spondet, dum se propter ipsum ad Ecclesiam ex Gentibus nutriendam vberum præparat pietatem. Elegans do Guillelmi Abbatis testimonium. *Ibi dabo tibi vbera mea. Id est, in Ecclesia Gentium dabo tibi, quæ & in Ecclesia Iudæorum olim tibi dedi vbera mea. Verè apud Iudæos dedi tibi vbera mea corporalia ad pascendum te: porro in Ecclesia Gentium dabo tibi vbera mea spiritualia ad pascendos tuos, seu propter te, spiritualiter enim pascam paruulos tuos lacte materna pietatis, quæ te olim paui lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo, quod tibi sum Mater corporalis, ero tuis Mater spiritualis, materna charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis: materna ibi cura nutriens eos, donec in virum perfectum in eis grandescas. Totum autem hoc facias, eos tibi commendando, & augmenta gratiarum eis piis à te precibus impetrando.*

Vers. XIII.

Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: noua, & vetera dilecte mi, seruaui tibi.

MAndragoræ dederunt odorem suum.] Duplicem apud Interpretes lectionem inuenio. Quidam enim ex Latinis legunt. *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris. Omnia poma: noua & vetera, &c.* Huic distinctioni repugnant LXX. & Hebræus fons. Sequor ad litteralem sensum lectionem Codicis Romani & Regij, quam exhibui, ad mystica autem Deiparæ elogia iam vna, iam altera lectione vtar. Operæpretium autem est, nonnullas huiusce germinis prætermittere proprietates. Mandragoræ dicuntur Hebraicè *Dudaim*, quod similes sint rotunditate ollulis, seu vberibus, vnde Hebræum nomen deductum. Sunt admodum odoratæ non graui tantum odore, sed & suaui. Sunt aspectu pulchræ & delectabiles. Illarum radix similitudinem refert humani corporis sine capite tamen. Sunt rebus medicinalibus aptissimæ. Is, qui vigiliarum laborat incommodo, haustu huius pomi releuatur, ac dormire potest. Propinatur exterior cortex vino mixtus bibendus iis, qui cauterio sunt inurendi, vel torquendi, vt sensus doloris obtundatur. Nauseam stomachi earum succus compescit. Prosunt ad fœcunditatem. Hæc & alia apud Auctores bonæ notæ legi, in quibus egregias Mariæ laudes reperio. 306. *Mandragoræ germinis proprietates Deipara elogia prædicant.*

Suauissimum Mandragoræ odorem post Dioscoridem celebrat Augustin. lib. 22. cont. Faust. cap. 56. Ineffabilis Christi Domini Deificus odor mirabiliter in Deiparam exundauit, adeò quidem, vt odor eius quasi Deificus videatur. Elegans admodum præmitto Guillelmi Abbatis testimonium, ex quo vel particulam præterire, piaculum duxi. *Scriptum est* Gen. 30. *quod primogenitus Liæ Ruben egressus in agrum tempore messis triticeæ, reperit mandragoras, quas & matri retulit; cui soror Rachel, Da mihi, inquit, partem de mandragoris filij tui. Sic primogenitus Mariæ Iesus post triginta ætatis suæ annos, quibus putabatur filius Ioseph, egressus in publicum, & hoc tempore acceptabili & die salutis, quasi tempore triticeæ messis (egrediebatur quippe operaturus salutem in medio terræ) egressus in agrum vomere legis excultum Hebraïcum populum, singularis fragrantiæ mandragoras reperit, in eo, quòd Dei Filius esse innotuit. Quem scripsit Moyses, & Propheta inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.* Ioan. 1. *ait Philippus Nathanaëli. Nondum planè inuenerat mandragoras in Philippo & Nathanaële, vnde & filius Ioseph vocatur. Quærit ergo mandragoras, pro quibus vtique quærendis in agrum iam egressus erat. Quærit dicens Nathanaëli: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Tum ille: Rabbi (inquit) tu es Filius Dei, tu es Rex Israël.* Ioan. 1. *Hîc planè suauissimi odoris mandragoras reperit. Item quærebat mandragoras, cum Discipulis aiebat. Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt, alij esse*

307. *Ineffabilis Christi Deificus odor mirabiliter in Deiparam exundauit.* Guillelm. Gen. 30.

esse Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Matth. 16. *Nihil adhuc mandragorarum est, nihil fragrat. Quærit ergo eas diligentius, dicens: Vos autem quem me esse dicitis? Tunc Petrus. Tu es, inquit, Christus Filius Dei viui. Hîc planè repertis mandragoris, Dominus Iesus earum delectatus odore, Petro respondit: Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Profectò hæc mandragorarum inuentio in gloriam Virginis ineffabilem exundauit. Pergit Abbas. *Porrò has summi odoris mandragoras foris repertas piæ Matri pius Filius detulit; quia declaratio maiestatis eius ad Matrem eximiè redundauit. Quamdiu enim ille putabatur filius Ioseph, ipsa quoque nihil aliud putabatur nisi vxor fabri, & puri hominis mater. At vbi claruit diuinitas Filij, Matris quoque virginitas declarata est; atque eo ipso, quod Filius eius agnitus est Dominus gloriæ, prorsus quidquid inglorium, vel minus gloriosum in ea videbatur assumptum est. Itaque pia Mater Filij sui mandragoris fragrat in odorem suauissimum omnibus sæculis.* Fragrat Maria Filij sui mandragoris? Quid fragrantia mandragorarum in Filio? Diuinitas. Ergo quodammodo Maria diuinitatis fragrantiam emittit.

Matth. 16.

Quodammodo Maria Deitatis fragrantiam emittit.

308\. Tanta autem Mariæ pietas, vt sic quasi Deificata mandragoris tantæ maiestatis à Filio acceptis, nos illarum participes efficiat, iamque Dei filij possimus appellari eius participes diuinitatis. Bellè addit Guillelmus. *Sed & nos de mandragoris Filij eius pro modulo nostro accipimus. Vt (quòd Adæ filiis valde gloriosum est) filij Dei nominemur, & simus.* 1. Ioan. 3. *Et quoniam participatio, propter quam filij Dei appellamur, eiusdem piæ Matris meritis nobis augetur, cum summa deuotione illi dicendum est; Da nobis partem de mandragoris Filij tui; quod vtique toties illi dicemus, quoties eam nobis deuotis conciliamus obsequiis, vt pro nobis apud Filium meritorum vbertate suorum interuenire dignetur.*

Maria admirabilis huius Deitatis odoris nos participes efficit, vt iam per eam Dei filij nominemur, & simus? Guillelm. 1. Ioan. 3.

309\. Verba illa. *In portis nostris*, quæ nos cum secunda huius versiculi parte connectimus, Philippus Abbas, Rupertus, & alij cum prima sic connexêre: *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris.* Hinc colligit Philippus Virginis erga Iudæos pietatem, qui ob eius intercessionem aliquando ad Christi fidem sunt conuertendi. Et quomodo tam lapidea corda potuerunt, nisi ex lacte pietatis Deiparæ emolliri? *Quia vineas, & villas, & mala punica Virgo antea nominauit, in quibus Ecclesias Gentium, & profectus earum varios signauit: ad Iudæos faciens transitum, sub ænigmate nihilominus, & figura, prædicit, quod eorum quoque conuersio sit futura. Quorum conuersionem naris prophetica, & sagacissima sentiendi odoratur, & lætatur spe certissima conuertendi, sciens, & præsentiens conuersionem populi Iudæorum, quæ differenda quidem, in fine tamen veniet sæculorum. Quod præsignans, odorem, inquit, in portis nostris mandragoræ iam dederunt: & nares nostræ non obtusæ ignorantia præsenserunt. Quod postquam ingredi plenitudini Gentium concedetur, tunc reliquiæ Iudæorum, tunc omnis Israël conuertetur.* Illam particulam expende: *Et lætatur* MARIA *spe certissima conuertendi illos.* Vndenam Virgo illam concipit certitudinem circa Iudæorum conuersionem? Certè quia eius pietati quasi omnipotenti Filius committet, vt illorum conuersioni operam expediat. Intercedet pro Iudæis Virgo? Certissima est eorum conuersionis spes.

Ob Mariæ intercessionem Iudæi aliquando ad Christum conuertendi. Philip.

Intercedet pro Iudæis Virgo? Ergo certissima illorum conuersionis spes.

310\. Radix mandragoræ refert hominis sine capite formam, vti asserunt Philo Carpat. Rupertus, Angelomus, & alij. En Iudæorum effigiem, quam Philippus Abbas eleganter descripsit. *Mandragoræ, vt aiunt, humanam effigiem, excepto capite, præferunt, per quas Iudæi sapientes & erronei congruè satis figurantur, qui ad cultum diuinum lege scripta vtpote homines informantur: verùm quia Christum fidelium caput nesciunt, nec adorant truncati, & turpati totum corpus reliquum decolorant; & qui per scientiam scripturarum, & mandata legalia fidelibus conformantur, per absentiam capitis, & infidelem ignorantiam deformantur. Et hi quidem nec dum in ædibus, nec dum in thalamo fructum proferunt meliorem, sed in portis, id est, in sensibus spiritualibus gratum Virgini dant odorem. Quia quod eis diuina bonitas diebus vltimis disponit impertire, iam à longè odoranti datur Virgini præsentire.* Quare precor Virgini præsentire datur, quod diuina bonitas impertire disponit? Planè, quia nihil disponit Deus hominibus impertire, nisi per piissimas Virginis intercedentis manus. Vnde largiturus Iudæis gratiam, qua se ad meliorem frugem excipiant, illo fragrantissimo odore Virginem monet, debere se pro illorum difficili reductione precoces iam effundere preces. Virgo igitur preces instituens iam. *Præsentit,* (cum Abbate loquor) *quòd postquam plenitudo Gentium fuerit introgressa, Iudæa, quæ nunc errans ab Ecclesiæ finibus est egressa, quæ laborans inedia, nec micas suscipit de mensa dominorum, tunc ad fidem conuertetur, & filiorum panibus conuescetur.* Iudæi itaque homines sine capite Mariæ debebunt, vt illi terreo trunco corpori caput aureum Christus Dominus apponatur, vt omnia membra aurea effecta suo capiti assimilentur.

Iudæi sine capite homines Mariæ precibus Christum caput recipient. Philip.

311\. Præterea mandragoras ad fœcunditatem prodesse Rupertus scribit, quod Del-Rius noster hîc approbat, & vndenam vim huiusmodi habeant, exponit. Ego autem in mandragoris, quas num. proximo dixi Iudæos significare, iam eis Gentiles adumbrari affirmo, quorum conuersionem sæpè vidimus Deiparæ precibus deberi, quæ quidem Filium ex Hebræo populo ad Gentilium vineas attraxit: *Manè surgamus ad vineas.* O quanta sterilitate Gentilitas laborabat olim: & quanta nunc fœcunditate potitur! Gentilis sterilis mandragora ipsi sibi, Lucina Maria fauente medicamen extitit. Rupertum audiamus. *Mandragoras sterilibus quoque mederi fertur, vt concipiant. Mandragoræ ergo dederunt odorem ô Fili, in portis nostris, id est, experimento præsto sunt, quod iam fieri debeat illud, quod Gentilitati adhuc sterili spiritus propheticus promittit.* Isa. 54. *Lauda sterilis, quæ non paris. In portis, inquam, nostris, hoc est, dum adhuc sumus in finibus nostris, in finibus Iudaicis sensimus huiusmodi odorem. Venerat iam Æthyops eunuchus adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum: legensque Isaiam Prophetam, cum ecce sentiens Spiritus*

Mariæ precibus Gentilitas sterilis mira Deo donata est fœcunditate sanctitatis.

Rupert.

Isai 54.

ritus sanctus odorem eius, dixit ad Philippum:
Act. 8 *Accede, & adiunge te ad currum istum.* Act. 8. *Sed & nunc eramus in portis nostris, quando odorem dederunt in conspectu Domini eleemosynæ*
Act. 10. *Cornelij Centurionis.* Act. 10. *Ad quem odorem & illud pertinet, quod postmodum cuidam amicorum talis visio per noctem ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos.*
Act. 16. Act. 16. *His atque aliis modis odorem dederunt mandragoræ in portis nostris fœcunditatem significantes de loco sterilitatis.* Profectò & sterilem Gentilitatem concepisse, & fœliciter edidisse fidei fœtum Mariæ precibus, & protectioni debetur.

312. *Maria virtutes & merita Christi virtutibus, & meritu simillima.* Carthus.

Dionysius Carthusianus per mandragoras mysticè intelligit Deiparæ virtutes, & merita per totum orbem simul cum Filij fama fulgurantia. Vbi enim prædicatur Christum Mariæ Filium esse Deum, ibi gloria Matris ineffabiliter profertur. *Mandragoræ*, inquit, *dederunt odorem in portis nostris, id est, pretiosissimæ virtutes tuæ & merita mea, sapientia, & fama Euangelij tui, ac excellentia mea suauiter sunt diffusæ ad Gentes propinquas; & per sanctos Apostolos, per quorum prædicationem tanquam per portam alij introierunt ad fidem, atque Ecclesiasticam vnitatem, notificata sunt Gentibus.* Magna admodum Mariæ est gloria, vt cum virtutibus & excellentiis Christi Dei Filij eius virtutes & excellentiæ prædicentur. Nihil enim dici potest de Filij gloria quodammodo, quod in gloriam Virginis Matris non exundet.

313. *Suauissima Mariæ contēplatio commendatur.* Richard.

Ad contemplationis Mariæ sublimitatem hæc verba allicit Richardus Laurentinus lib. 4. *Ratione suæ contemplationis dicit Maria sponso, mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris. Per mandragoras signantur studia contemplationis, quæ ita faciunt dormire hominem in deliciis suis, vt abscissionem ab inimicis suis carnalibus nec sentiat, nec attendat. Dicit ergo, mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris, scilicet in portis quinque sensuum, quæ tunc fiunt nostra, si odor mandragorarum ad eas perueniat, & ab eis excludat odorem mundanum. Nam si benè dormiat interius anima, sensus suos claudit ad exteriora. Et verè talis erat contemplatio Mariæ.*

314. *Plures mandragoræ proprietates piissimis Mariæ vberibus assimilantur.*

Diximus, mandragoras rotunditate similes esse vberibus, vnde Hebræum nomen *Dudaim* deductum. Fauet, quòd postquam Maria dixit, *Ibi dabo tibi vbera mea*, mox subdit, *Mandragoræ dederunt odorem suum:* id est, in meis vberibus mandragorarum similitudinem recognosco. Nam si (vti innuimus num. 306.) mandragoræ vim exerunt somnum inducendi, & obliuionem: Lac Virgineum & efficacissimæ Mariæ preces diuinam faciunt iram profundo somno sepeliri, vnde quasi obliuioni nostra scelera tradit. Si mandragoræ virtutem habent reddendi homines mutos: Mariæ vbera silentem Deum faciunt contra peccatores, ita vt ad eorum conspectum sileat Deus in dilectione nostra, ipso dicente, *Silui, patiens fui.* Si mandragoris virtus inest amorem conciliandi: Mariæ vbera Deo homines conciliarunt; ita vt possimus dicere: Illicò ac fuit Deus lacte Mariæ potatus, quasi mandragorarum succum biberit, fuit quasi amatorio quodam philtro fascinatus, vt nos ardenti amore prosequeretur. Si mandragorarum naturæ datum, vt hominum membra obstupescat, nè vim tormentorum sentiant: postquam Christus vbera Mariæ suxit, sic dolores patienter sustinuit, sic fortiter tolerauit, vt quasi insensibilis esse redditus videretur.

Asserit Apponius, Honorius, & alij, mandragoram simul cum fructu effossam formam 315. *Maria de cadaueribus Sanctorum honorandis, curam agit.*
cadaueris humani referre. Qui humano cadaueri cum Mariæ pietate, seu vberibus, quæ in mandragoræ fructu designatur? Profectò Mariæ pietas, & protectio non solùm cultorum suorum animam fouet, verum & cadaueris curam agit. Audi D. Brigittam Brigit.
lib. 2. cap. 30. à Deo edoctam, quanto affectu intercesserit Virgo pro translatione cadaueris Episcopi ad sublimiorem locum, quod in humili sepultura iacebat. *Nunc autem* (Maria ait) *ô Fili, anima eius tecum est in gloria: vas autem instrumenti eius depressum est, & in humili loco iacet; ideò Fili mi da corpori eius altiorem locum, & eleuatum, & honora istud, quod te pro suo modulo honorauit. Respondit Filius, Benedicta Mater charissima, non decet, vt tantæ bonitatis amator tangatur à tam immundis: tantaque humilitatis amicus ab amatoribus mundi contingatur. Hoc lumen videre, indigni sunt obcæcati amore suo; ideò priusquam eleuetur, iustum est, vt illi qui immundi sunt, purgentur: & qui cæci sunt, illuminentur.*

Isidorus Clarius, & alij legunt: *Viola dederunt odorem suum.* In agro floribus, & 316. *Maria humilitas, ita Deo Filio placuit, vt ex ea denominari dignaretur.*
graminibus odoriferis pleno cur specialiter Virgo violarum fragrantiam spirituali sensu percepit? Crediderim, quia viola symbolum est humilitatis. Absconditur inter folia ita vt ferè non videatur, vix à terra assurgens. Dixit D. Basilius, *Viola quia humiles nullis ventorum flatibus impelluntur.* Virgo itaque se futuram mox Dei Matrem agnoscens, adeò violæ instar, maiestatem abscondit, vt seriò se vocitaret ancillam. Ita hæc Mariæ submissio Christo Filio placuit, vt ex Matre *viola* Filius *viola* denominari Clar. Basil.
dignaretur. Ideo dicit Cant. 2. *Ego flos campi.* Cant. 2.
Legunt alij, *Ego viola campi.*

In portis nostris omnia poma: noua, & vetera dilecte mi, seruaui tibi.] Frequen- 317. *Maria tribunal iudiciarium Filij in paradisum commutauit.*
tissima phrasis est in scriptura, vt per *portas* iudiciarium tribunal significetur, olim enim in populo Israelitico iuxta ciuitatis portas tribunal iudiciarium erigebatur. Amos Amos 5.
5. *Odio habuerunt corripientem in porta.* Prouerb. 31. *Nobilis in portis vir eius, quando* Prou. 31.
sederit cum senatoribus. Marinus in suo Hebræo Diction. legit, *In portis nostris om-* Marin.
nia poma fructus, & flores seruaui. An Virgo iudiciarium Dei tribunal in deliciarum Paradisum flores, & fructus simul vernantem commutauit? *Fructus & flores*, id est, fœcunda virginitas, Virgo & Mater. Dum igitur Deipara Christi tribunali iudiciario sistitur, tribunal in hortum deliciarum Iudicis commutatur, vnde peccatores iamiam addicendi exitio, venia donantur.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic. Ll Poma

318. *Gentiles & Iudæi aliàs amara poma ex manu offerentis Mariæ mirabilem dulcedinem Deo exhibent.* Philip.

Poma noua & vetera piiſſima Virgo ſeruat Deo, dum Iudæis, & Gentilibus ſe ſalutarem oſtendit. Audi Philippum Abbatem. *Itaque dilecte mi, poma noua & vetera ſeruo tibi, cum vtriuſque populi Iudaïci, & Gentilis merita concerno, cum Gentilis & Iudæi non permitto bona initia deperire, ſed illorum firmari propoſitum. Quæ merita, vel opera ideò Virgo poma voluit nominare, quia ſponſo ad veſcendum gaudet huiuſmodi munera præparare, vt ſcilicet eorum delectabili ſpecie capiatur.* Offerentis enim Virginis manus adeò gratæ ſunt Deo, vt vel amari cibi ab ipſis conditi mirabilem ei dulcedinem exhibeant.

319. *Ad Deū Gentilitas adducitur, & Iudaiſmus reducitur, Manu Mariæ auxilium ſuggerente.* Philip.

Quonammodò autem Deipara Gentilium, & Iudæorum poma ſeruat, vt præparet Domino in cibum, Abbas exponit. *Poma ſeruat Gentilium, cum eorum fouet, & amplectitur nouitatem, cum eos gaudet inſeri, & inſertis oleæ dari largius vbertatem. Iudæorum verò poma videtur nihilominus conſeruare, cum ea tandem miſerans, vult diutius non errare; cum domeſticos generis ſui reſtituere ſatagit in antiquum; & populum diu hoſtem fidei, manu data, conuertit in amicum. Noua ſeruat, & vetera, cum Gentiles ſic adiuuat ad fidem iam conuerti, vt à Iudæis vetuſtioribus velit penitus non auerti; cum ad fidem iam amiſſam, vel potius intermiſſam Iudæos diligit ſic conuerti, vt tamen non inuideat, quòd Gentiles antea ſint inſerti.* Cuncta hæc Maria efficit, *manu data*, quia nec aberrans Gentilitas adduceretur, nec Iudaïſmus fugiens demum reduceretur, niſi efficaciſſima Mariæ manus exereretur.

320. *Maria in cunctis ſuis operibus gloriam Filij, nō ſuam quærebat.* Philip.

In cunctis his & aliis operibus Maria non ſuam, ſed Filij ſui gloriam promoueri ſtudet. Ideo addidit, *ſeruaui tibi*, non mihi. Philippus annotauit, *Hæc autem ſeruaui, ait, non mihi quærens gloriam propriorem; ſed omnia prorſus tibi, tuum ſcilicet ad honorem. Quia cum de illis, aut pro illis Virgo ſolicita gratulatur, non in ſe, ſed in ſponſo gloriatur.*

321. *Qui opportunè vult loqui, aut ſcribere de Scriptura ſacra prius ad Mariam accedat omnium myſteriorum ſeruatricem.* Rupert. Luc. 2.

Profectò Rupertus memor verborum illorum: *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Luc. 2. ita hunc verſiculum expoſuit: *Omnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi, id eſt, omnia noui, ac veteris Teſtamenti Sacramenta conſeruaui conferens in corde meo proferenda in tempore ſuo, in tempore opportuno.* Vnde colligo, non debere Concionatores, aut Scriptores Catholicos immediatè ſacra adire volumina, vt teſtimonia exponenda proferant; ſed priùs ad Mariam accedere omnium Sacramentorum vtriuſque Paginæ ſeruatricem, vt ex ipſa & per ipſam accipiat, qui opportunè loqui, aut ſcribere ſatagit.

322. *Myſteria infantiæ Ieſu noua quidem & vetera Maria ſeruauit opportuno tempore promenda in Eccleſia vtilitatem.* Guillelm.

Guillelmus verò de myſteriis ad Chriſti Incarnationem, & infantiam attinentibus conſernatis à Virgine, hæc verba eleganter expoſuit. *Planè dilecte mi, omnia poma noua, & vetera, quæ ex te ligno vitæ, dum olim ageres ſub materna cura mea, decerpere potui: id eſt, quæcumque in te, vel circa te tunc temporis comperi, quæ naturam in te Diuinam, & humanæ veritatem comprobarent, ſeruaui tibi. Quid eſt, ſeruaui tibi? In corde meo pro tempore occultaui opportunè promenda, & expendenda in ſpiritualem alimoniam tuorum. Nam quod ſine corruptione es conceptus, & editus, quod ab Angelis præclarè prædicatus, quòd per ſtellam deſignatus, quòd à Magis myſtica dona es odoratus, & huiuſmodi, noua planè erant, & Diuinitatem tuam declarabant. Porrò quòd paruulus natus es, quòd pannis inuolutus, quòd lacte nutritus, & huiuſmodi, vetera erant, quia de vetuſtate carnis erant: & hæc in te humanæ veritatem ſubſtantiæ comprobabant. Ego autem conſeruabam omnia verba hæc, conferens ea in corde meo! Conferens vtique noua cum veteribus, & vetera cum nouis: & vtriſque pariter collatis, te ſimul Deum, & hominem comprobans: & ſic omnia pona noua, & vetera ſeruaui dilecte mi, conſeruabam tibi, ſuo tempore promenda, & expendenda in tuos. Et quidem ſufficienter iam expenſa ſunt in eos, qui crediderunt in te ex circumciſione: ſupereſt, vt expendantur in multitudinem Gentium, vt & ipſi cognoſcant myſterium Incarnationis tuæ, & viuant.* Quod vt fiat, egrediamur dilecte mi in agrum, eamus in mundum vniuerſum, & prædicetur *Euangelium omni creaturæ.*

Per Mariam Iudæi, & Gētiles fidei myſteria didicerunt.

323. *Maria in rectis operibus perſeuerantia.* Hailgrin.

Cardinalis Hailgrinus bonorum operum perſeuerantiam in Virgine hac ſententia commendari exiſtimat. *Bonorum operum perſeuerantia demonſtratur in Virgine? Dicit enim, omnia boni odoris opera ô dilecte, quæ feci: tam vetera, quæ ex mandato legis veteris proceſſerant, quam noua, quæ produxerunt præcepta Euangelica, ſine infectionis macula, ſine corruptionis putredine ſeruaui tibi tanquam grata xenia præſentanda.* Magna admodum perfectio eſt, diuturno tempore in ſanctitate ſine maculæ ſuſpicione perſiſtere.

324. *Maria aſſolet non ſemel infideles inſtruere circa veritatē fidei, vt conuertantur.* Carthuſ.

Dionyſius Carthuſianus ſic locum interpretatur: *Omnia poma noua, & vetera, id eſt, quod ex lege, & Prophetis, & ex Euangelica lege didici, ac profeci, ad tuæ Maieſtatis gloriam ô dilectiſſime ſponſe, ô Fili reſeruaui, retuli, nuncque communico cunctis electis ad te conuertendis, & per te ſaluandis, quorum me Matrem, & aduocatam conſtituiſti.* Nec enim ſemel piiſſima Virgo infidelibus apparuit, eoſque ad fidem adduxit, inſtruenſque eos circa fidei myſteria ſacræ vndæ dedidit. Et *nunc* id Virgo præſtitit Mauro cuidam Regi Marochiæ, qui à Melitenſi Duce captus, in Melitam adducitur: factâque à patre redemptione, cum ad Munichiatem (Meca) inuiſendi ſeductoris Prophetæ ſui cadauer cauſa nauigare contenderet, ei noctu Deipara apparuit, ad viam veritatis clemens perduxit, docuit eum fidei neceſſaria myſteria, & Baptiſmo dilutum, Romam pergere perſuaſit. Vbi ſocietati noſtræ à Pontifice traditur diutius inſtruendus, & poſt multa experimenta ſocius noſter aſſurgit, illius vxore eum à contractus vinculo liberante. Sacris Ordinibus initiatus, Genuam mittitur, vbi feruentiſſimo zelo multos Mauros ad fidem conuertit. Rex parens occumbit, noſtri Balthaſaris Ignatij de Loyola (hoc nomen ei ſacra vnda dedit) filius Regnum hæreditario iure accepit. Quem vt pius parens Balthaſar à Mahometicis nugis auertat, & veram ſalutis ad paradiſum ſimul cum Regno alliciat, iam Genuam deſerens, Madritum petiit, inde ad Marochium tranſiturus, vt filium Regem Regnumque ad Chriſtum adducat, aut ſanguinem fœliciter pro fide profundat.

Filio Regis Marochiæ iam Soc. IESV ſtrenuo militi Gaſparis de Loyola nomine Maria apparuit, & ad fidem adduxit.

Denique

325. *Maria singulares omnium sanctorũ virtutes ineffabiliter in se collegit, & cunctos superauit.* Richard. Eccli. 24. Denique Richardus à S. Laurent. lib. 5. de laudib. Virg. illam particulam, *Omnia poma noua, & vetera*, sic exposuit: *Omnes, & singulas virtutes, & dona gratiarum habuit Virgo in superlatiuo, cum alij Sancti singuli singulas. Vnde Noë dicitur iustus, Abraham fidelis, Ioseph castus, Moyses mansuetus, Iob patiens, Dauid humilis, Salomon sapiens, Elias Zelator legis, & huiusmodi. Vnde de quolibet sancto Confessore canitur illud* Eccli. 44. *Non est inuentus similis illi, &c. Quia quilibet illorum præcellebat alios sui temporis in aliqua speciali virtute. Tempore enim suo non habuit Abraham parem in fide, nec Isaac in obedientia, nec Ioseph in castitate, nec Moyses in mansuetudine, nec Iob in patientia, nec Dauid in mansuetudine, nec Elias in Zelo. Apostoli verò Domini excesserunt omnes in virtutibus istis, & aliis* singularibus. *Sed B. Virgo omnes Sanctos veteris, ac noui Testamenti supergressa est non in quibusdam, sed in singulis virtutibus. Vnde dicit* Cant. 7. *Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi. Virtutes & opera virtutum appellantur poma propter refectionem, quia sunt cibus animarum propter sanitatem; cibus infirmorum propter odorem, quia delectant, confortant, & refouent audientes currentes in odorem huiusmodi vnguentorum. Dicit ergò, omnia poma noua, & vetera, id est, omnia priuilegia Sanctorum veteris, & noui Testamenti in me coniecta, & colligata seruaui tibi; custodiui scilicet in me, tibi attribuens quidquid boni habeo, & non meritis meis; quia gratia Dei sum, id quod sum.* 1. Corinth. 15. *Et propter hoc dicitur* Prou. 31. 1. Cor. 15. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu verò supergressa es vniuersas.* Prouerb. 31. *Voluit siquidem Christus, vt omni pulchritudini participaret Mater sua, & esset mulier ex omibus, sicut* Eccli. 7. *dicitur. Propter hoc eleganter dicit de ea quidam, Sol, Luna lucidior, & Luna sideribus: sic Maria dignior creaturis omnibus.* Hactenus Richardus.

CAPVT OCTAVVM.

QVis mihi det, te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parua, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus: & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mihi, & assimilare capreæ hinnulóque ceruorum super montes aromatum.

Vers. I.

Quis mihi det, te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?

1. *Iudæos ad Christum cõuerti, idem est Mariæ, ac dulcissimo Dei osculo frui.* Honor.

QVIS mihi, &c.] Honorius in sigil. sic Mariam loquentem inducit: *Quis mihi det, te fratrem meum de Iudæa gente natum, sugentem vbera matris meæ, synagoga sub lege educata: vt foris te inueniam, vt à Iudæis, qui adhuc foris sunt, excoli videam; & deosculer te, seu ab eis diligi conspiciam; & iam me nemo despiciat, seu nullus de Iudæis sit, qui non credat, me sine viri semine Virginem permansisse.* Illam expende particulam, *Et deosculer te, seu ab eis diligi conspiciam.* Quid Mariæ dulcius, quam Filij Dei osculo frui, quod anxiè postulabat? *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. Itaque idem est Virgini, oscula dare dilecto, & ab eo recipere, ac conspicere, Iudæos Christi amatores. Vt ineffabilis eius erga homines pietas annotetur, cui conspicere Filium ab hominibus diligi, idem est, ac suauissimis Filij osculis potiri

Qui non credit Mariam Virginem concepiſſe, & peperiſſe, eam admodum deſpicit, negat enim eam eſſe Dei Matrem.

potiri. Deinde illud annota, *Nemo me deſpiciat, ſeu nullus ſit, qui non credat me Virginem permanſiſſe.* Agnatum profectò erat Dei Matri Filium Deum ſine virginitatis iniuria concepiſſe, ac edidiſſe; vnde qui id abnegaſſet, idem eſſet ac Mariam deſpicere, annumerando eam cum reliquis fœminis puri hominis Matrem, & non Filij hominis & Dei, cui planè debebatur ſpecialiſſimum in conceptione ac partu priuilegium.

2\. *Maria expetit fieri hominem Deũ, non vt ipſa honoretur ex Matris Dei dignitate, ſed vt homines ille ad ſalutem adducat, & ipſe ab illis colatur.* Carthuſ.

Ferè omnes Interpretes hæc verba referunt ad deſiderium Mariæ affectuoſum videndi Dei Verbum hominem factum. Ex huiuſmodi autem Virginis deſiderio mirum in modum Filius, & homines ei reddimur obærati. Non enim ad propriam dignitatem, & excellentiam adſtruendam, id Maria expetit; ſed ad Filij gloriam, & hominum vtilitatem. Dionyſius Carthuſian. *Quis mihi det, te fratrem meum, ô vnigenite Patris æterni, quis mihi concedat, vt tu Deus meus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vnus es Deus, vnuſque Dominus: fias frater meus aſſumendo naturam humanam.* An id expetis ô Virgo, vt Matris Dei ineffabili dignitate potiaris? Minimè, ſed *vt te foris inueniam prædicantem, & inter homines conuerſantem*, vt eos ad viam ſalutis adducas. Inferius addit, *Poteſt hic paſſus in perſona exponi Virginis glorioſæ ardentiſſimè cupientis, fidem, ac religionem vnici Filij ſui toto orbe terrarum diffundi, & ipſum fratrem, Filium, ac Dominum ſuum ab omnibus, & ſingulis debitè honorari, & coli.*

3\. *E[...] quod Maria ex Incarnatione gloriam Chriſti, & hominũ quærit vtilitatẽ, hic affectus in ipſius gloriam exundat.* Carthuſ.

Profectò Chriſtus diſpoſuit, vt eo ipſo, quod Virgo non quærit ex illius Incarnatione propriæ dignitatis gloriam, ſed gloriam Filij, & hominum vtilitatem, eius Incarnatio in auguſtiſſimum Mariæ honorem exundet. Pulchrè Dionyſius Carthuſ. *Quo facto* MARIÆ *omnes homines eam vt Dei Matrem venerantur; quia cultus, & honor Filij honor eſt eius, ac redundat in eam, ſicut & eius. Quemadmodum enim dixit Saluator* Ioan. 5. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum: ſic dicere potuit: Qui non honorificat Filium, non honorificat Matrem, quæ genuit eum.* Qui autem Filium honorificat, & colit, eo ipſo Matrem tanti, tamque erga homines munifici Filij honore proſequitur.

4\. *Expetit Maria, vt omnes Chriſtũ Deum & hominem eſſe dignoſcant ad illius gloriam, & illorum ſalutem.* Philip.

Hoc argumentum eleganter de more Philippus Abbas perſequitur. *Quis mihi det te, id eſt, quis tanto munere me beabit, vt foris te fratrem meum valeam inuenire, & quæ mihi nota ſunt, cæteris ignorantibus expedire! Te fratrem meum, imo & omnium carnis effecit genitura. Te paſcit temporaliter Mater, non neceſſitas, ſed natura. Tu eius ſugis vbera, tu ab illa ſumere paruulorum alimoniam non recuſas, cum cibo, potu, veſte, ſomno vteris, te eſſe hominem non excuſas.* Quid igitur ô Virgo, expetis Dei Filio hominum Filio exte facto, & tuis vberibus adhærente? An vt apud homines Dei Mater agnoſcaris, & prædiceris? Abſit. Quid ergo deſideras? *Quis mihi det, vt foris te inueniam; in platea, inueniam inquam, te non hominem tantum, quod oculis infidelium non negatur; ſed Deum factum hominem, quod nonniſi fidelibus intimatur. Volo, vt Gentiles, atque Iudæi, qui cognitores nonniſi viſibilium ſolent eſſe, te videant, te intelligant Deum eſſe: & qui Deus abſconditus prophetico vaticinio prædicaris, ab iſtis fide certa, reuelato cordis oculo videaris. Quod ſi datum fuerit, quòd te illic inueniam, gratulabor, & inuentum apud homines gratulanter oſculabor! hoc eſt, amore, & honore tui nominis delectabor, cum ſcilicet te amari, & laudari ab hominibus contemplabor.* En Maria ex Dei Incarnatione non propriam Matris Dei gloriam, ſed honorem Filij, & hominum expetens vtilitatem.

5\. *Cum Maria ſolam Filij gloriam, & ſalutem hominũ expetit, magis Dei maternitatis eius iubar rutilat.* Philip.

An cum Virgo ſuam gloriam non requirit, ſed gloriam Filij ex hominum profectu exoptat, ipſius gloria in tenebris latitat? Equidem magis euulgatur, & à cunctis effertur. Opportunè Philippus: *Cuiuſmodi honor cum dignè Filio* ab hominibus *defertur, ipſi quoque Virgini reuerentia debita non tolletur; erit namque in oculis rectè quærentium non deſpecta, quæ ad gignendum talem Filium præ cunctis mulieribus eſt electa. Quiſquis inquam Filio iuxta beneplacitum eius vult honorem deferre, apponit quoque Matri honorem debitum non auferre. Quia bonus Filius cuiuſquam obſequium non acceptat, qui deferre conſequenter Matri Virgini non affectat.* Preme aduerbium *conſequenter.* Quiſquis Deum colis, & diligis, debes conſequentiæ neceſſitate (ſi ſapis) Deiparam colere, & diligere.

Qui Deum diligit, debet conſequentia neceſſitate diligere Mariam.

6\. *Ineffabilis Mariæ erga Filij gloriam, & hominum profectum affectus.*

Adhuc efficacius pondero Mariæ ad Chriſti propagandam gloriam, & vtilitatem hominum procurandam, affectum. *Vt deoſculer te.* Non dixit, *Vt oſculer*, ſed *deoſculer.* Vim huius vocabuli, & differentiam à verbo *oſculer*, acutè Philippus expreſſit. *Nec tamen oſculari Virgo, ſed deoſculari vult inuentum; Verbique compoſitio nihil minus innuit, ſed augmentum. Et illo* deoſculari *(vt aliquibus viſum eſt) affirmamus, quod per loca plurima exprimentes maius deſiderium, oſculamur. Vultque illum Virgo ſic apud homines inuenire, vt totum deoſculetur, & nihil compellatur ſine gaudio præterire, vt ab illis videat Deum & hominem honorari, & inſigni honore gemino deoſculans gaudeat delectari.* Videns igitur Virgo Chriſti gloriam ad ſalutem hominum propagari, præ exultatione non iam vult *oſculo oris ſui* ſolummodò frui, ſed totum expetit deoſculari. Liceat, vulgariter exponere: *No ſe contenta con vn veſo dulce en los labios; en manos en pies, en hombros, en pecho de pura alegria deſea darle mil veſos.*

7\. *Adeò abſtracta Maria à propria dignitatis ex Maternitate Dei affectu, vt poſtulet Chriſtũ ab alia naſci fœmina, dummodo hominibus ſaluandis oriatur.* Gillem. Luc. 1.

Mirus eſt ſpiritus Guillelmi parui in huius verſ. expoſitione. Ponderans enim illam particulam, *Te fratrem meum*, aſſerit, Virginem adeò abſtractam à proprij honoris, & dignitatis ambitu in Dei Incarnatione extitiſſe, vti anxiè eum deprecetur, vt naſcens ex alia fœmina *Filius*, *Frater* ipſiuſmet, ſicuti omnium hominum oriatur. Ab Angelo audierat. *Quod à te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*, & conſequens tuus erit, & vocabitur Filius. Luc. 1. Attamen ſuam humilitatem, & ardentiſſimum erga homines cunctos affectum oſtentans, ſic ex Abbatis opere profatur, *Quis mihi det te, fratrem meum! Pollieeris, quod Filius mihi naſcaris; ſed vtinam naſcendo de alia qualibet, vel Frater mihi naſcaris per humanæ communionem naturæ, dum tamen naſcaris in meam, omniumque ſalutem.* Quàm longè aberat affectus Virginis à propriæ dignitatis ſupremæ illius affectatione, ſi ho-

norem

norem illum ad aliam quamlibet fœminam transferri se expetere videtur, & solùm de omnium salute curam agere ostendat.

8\. Vndenam autem hic affectus renunciandi Matris augustissimam dignitatem exoritur, nisi ex illius ineffabili humilitate? Adiicit Guillelmus. *Et vnde hoc mihi, vt Dominus meus nascatur ex me, sumendo hostiam humanæ redemptionis ex me, & de meis pascatur vberibus, qui etiam Angelos pascit in cœlestibus? Transferatur* ergo, *si placuit, hæc tam grandis & præclara dignitas ad aliam quamlibet generis Abrahæ. Vtinam vel mihi frater sis per humana communionem naturæ, qui te mihi Filium polliceris.*

Maria ex ineffabili humilitate petebat vt Christus ex alia nasceretur eius Frater, non ex se ipsa Filius.

9\. Expende illam particulam. *Hæc tam grandis, & præclara dignitas transferatur ad aliam quamlibet.* Si eam Maternitatis dignitatem tam grandem, tam præclaram ô Virgo esse dignoscis, cur ad aliam quamlibet fœminam Israëliticam transferri postulas, & non ad aliam egregiam admodum mulierem, quæ tanta sit dignior excellentia? Planè Virgo adiudicabat quamlibet fœminam se digniorem existere, vt tam augusto priuilegio donaretur. Addidit Abbas pulchrè. *Veruntamen si hanc mihi singularem dignaris tribuere dignitatem, vt de meis nascaris visceribus, & de meis vberibus nutriaris, non sum incredula, vel ingrata: Ecce ancilla. Nam nec pater noster Abraham incredulus, vel ingratus extitit, cum tibi filium ex Sara sterili pollicenti, miraculi nouitate obstupefactus, & diuini muneris verecundus acceptor, respondit. Vtinam Ismaël viuat.* Gen. 17. *Sic nimirum pollicenti tibi per Angelum, quod ex me nasci dignaveris, tantæ dignitatis pondus non ferens, & multo rectius quam Abraham obstupescens, respondeo. Quis mihi te det fratrem meum! Vtinam hoc mihi simpliciter tribuas, vt incarneris, qui te ex me incarnandum polliceris.* Incarneris tantùm, & sufficit vt *Frater meus sis tantum*, licet Filius non existas.

Iudicabat humillima Maria quamlibet mulierẽ digniorem ea esse, vt in Dei Matrem eligeretur. Guillelm.

Instat Maria precibus, vt alia fiat Dei Mater, & ipsi sufficiat vt soror Christi sit, vti cuncti fideles.

10\. *Vt inueniam te foris.*] Dulcissimè hæc verba Guillelmus commentatur exprimens Deiparæ affectum, vt Dei Incarnatio sit hominibus cunctis salutaris. *Inueneris* (ait Virgo) *iugiter intus, sed ab iis, qui sunt intus, id est, ab Angelis sanctis; porrò ab iis, qui sunt foris, id est, ab hominibus non inueniris intus, sed nec foris adhuc inueniris ab eis, qui totus es apud Patrem. Itaque per Incarnationis mysterium exi à Patre, & veni in mundum, vt inueniant te homines foris, scilicet à te traiiciendi intus. Egredere ad nos, vt nos facias ingredi in gaudium Domini nostri; non intrabimus, nisi tu exeas: non inueniemus te intus, nisi prius inuentum & deosculatum foris. Egredere, id est, incarnare, vt inueniam te foris, & deosculer te.*

Ardentissimus Mariæ affectus, vt omnes homines Deum foris inueniant, vt ipsi à Deo intus recipiantur. Guillelm.

11\. Mox Virgo nos edocet, quonammodo Christum foris deosculari debeamus, vt Incarnationis frui fructu possimus. *Quippè inuenire te* foris, *& non deosculari, nihil est; quia fides sine charitate mortua est.* Nemo itaque inaniter exultet, quod Deum foris inuenerit, nisi inuentum eum deosculari contendat, nisi firma fide charitatis opera moliatur, Magistra Dei genitrice.

Docet nos Virgo debere ad salutem Christum fide, & operibus deosculari. Guillelm.

Et iam nemo me despiciet.] Quam augustum honorem Maria cunctique homines ex Humanitate Dei acquisierint, ipsa exponit. *Quis autem* (addit Abbas) *despicere nos poterit, inuento te, & deosculato à nobis? Quis poterit despicere homines in Deo homine facto? Quis vilem iudicabit hominem pretio sanguinis tui pro homine dato? Nemo ergo nos despiciat, nemo planè; quia nec Deus, nec Angelus siue bonus, siue malus. Non Deus, quia propter te hominem, & in te Homine omnium hominum iam fratre, curabit homines. Angelus bonus non; quia & ipse propter te hominem homines amabit, eorumque saluti, quantum ex ipsis est, hilariter ministrabit. Porrò Angelus malus inuidebit quidem, sed tamen timebit homines propter te Hominem; vnde nec despicere poterit homines, te propter homines Homine facto.* 12.

Exponit Maria quam augustum honorem ex eius partu ipsa, & homines acquisierint.

Rupertus quidem hisce verbis Gentilitatem profitentem inducit. Quis mihi te det! *Si Abraham pater, & Sara mater Gentium rectè dicuntur, & sunt, videlicet propter fidem: quantò magis ô tu fidelissima fidelium Mater es omnium nostrûm? Propterea dicit ista valde attonita,* (dùm videt Mariam Matrem Dei suam etiam esse Matrem, ideóque fratrem suum esse Deum) *magna gaudij multitudine: Quis mihi te det fratrem meum sugentem vbera fratris mei! Fratrem suum dicit dilectum, & describit eum dulci descriptione. Sugentem vbera Matris meæ. Cuius Matris meæ nisi Virginis Mariæ? Propterea de patre nihil dixit; quia videlicet in fratre isto, vt conciperetur, vel nasceretur, filiusque fieret naturæ, vel carnis nostræ, vir nihil patrauit. Totum quod noster frater est, de Matre est.* O quàm obærati reddimur Dei genitrici, si ei soli debemus magnæ fidelium Matri, fine terreni parentis respectu Dei fratres verè posse nominari, imò Patris cœlestis filij. Addit Gentilitas, iam Christo per Mariam fratre foris inuento: *Et iam me nemo despiciet. Despiciebatur enim, vtpote deserta, sterilis, & sine viro, id est, sine Deo in hoc mundo. Quid est inuenire te foris? Quid est te deosculari? Inuenire te foris est, exire ad te extra castra; qui sicut extra portam passus es, ita extraneus fratribus tuis, & peregrinus filiis matris tuæ factus es. Teque deosculari est, improperium tuum venerari, & sacramenta pietatis tuæ familiariter cognoscere.* 13.

Maria fidelium Mater, cuius maternitati debemus, vt verè possimus Christi fratres, & Dei filij nominari. Rupert.

Hailgrinus Cardin. allicit hanc sententiam ad effectum; quo flagrabat Deipara circa Iudæorum rebellium conuersionem. *In hoc capite ostendit Mater desiderium suum circa Filium seruatorem reliquiarum populi Iudaici. Dicit ergo. Quis mihi te det Filium meum, in humana natura fratrem, & in legali quoque doctrina. Vnde subdit, sugentem vbera matris meæ, legis scilicet, vel synagogæ, cuius tunc Christus suxit vbera, cum in se legis compleuit sacramenta: cum Doctores interrogabat, qui erant vbera synagogæ. His itaque dictis super iis, quæ desiderat in Filio seruatore, ostendit desiderium suum super conuersione populi sui. Et quis mihi det, vt nemo me despiciat! Adhuc siquidèm B. Virgo à perfidis Iudæis despicitur, cum ab ipsis non Mater Dei* 14.

Maria flagrans affectus circa Iudæorum rebellium conuersionem. Hailgrin.

creditur, *sed tanquam Mater hominis peccatoris blasphematur.* Optans autem Virgo non despici à Iudæis, non ostendit illam vitandi iniuriam, affectum; sed illorum conuersionis ardens desiderium. Conuerti enim Iudæos, idem erit, ac Mariam non solum non deinceps despicere; sed eam ad summum honoris verticem eleuare, profitendo illam Dei & hominis esse Matrem. Et quis potest fidelis dici, qui cordiale erga Virginem non ostendit affectum?

Virginem valde honorat, qui eam Deiparam esse profitetur.

15. Nec minus appositè Doctor locum explicat de Mariæ ardentissimo desiderio Deum facie ad faciem, sicuti est, videndi. *Quis mihi te det, ut inueniam te solum foris, & deosculer te! Inuenire eum solum, in diuina scilicet natura, in qua solus est, & humanum non habet consortium. Inuenire desiderat eum, vt eum non solùm cognoscat in carnis ergastulo, sed vt immensitatem Deitatis inueniat, quæ nullo concluditur termino, & omnia continet, atque concludit. Et ipsum sic inuenire desiderat, vt deosculetur eum, vt videlicet eum videndo præsentem, tanquam facie ad faciem, in eius amore delectetur.* An optatui huic aduenit effectus? Multi Doctores asserunt Deiparam non semel dum viueret, Deum clarè vidisse. Et quomodo poterat Filius sese continere, quin tam dilectæ Matri id tam anxiæ desideranti suæ diuinitatis velum panderet?

Ardentissimus Mariæ affectus Christi diuinitatem videndi. Hailgrin.

Probabile admodum, Mariam, dum hic ageret, Deum clarè vidisse.

16. Denique D. Amedæus homil. 1. *de fructibus Mariæ* asserit præcipuum illius fructum fuisse, Matrem esse Christi Domini. Ea sola meruit concipere, & parere Dei Filium, per eam vtique hominibus impertiendum. Vnde à Maria ardentissimis suspiriis precatur Ecclesia, vt ei dignetur Filium, iam hominum fratrem elargiri. *Christum sola Virgo meruit suscipere, sola parere, sola lactare, in votis, & ardenti præstolatione deprecantis, & dicentis Ecclesiæ. Quis mihi te det fratrem sugentem vbera Matris, vt inueniam te foris, &c.* Scio, te ô Mater Virgo, solam fuisse dignam Christum in vtero accipiendi, sed precor, vt digneris, eum fratrem mihi offerre, vt per te accipiam, vnde iam nullus sicuti olim, me despiciat. Videns autem Ecclesia, Christum in Mariæ vtero commorari, adeò certa de eius pietate, ac munificentia existit, vt cœlestem thesaurum se ineffabiliter inuenturam speret. *Inueniam te* (addit ille) *foris in luce, qui es secretum Patris: inueniam te apparentem in carne, qui lates in inuisibili maiestate. Inueniam te procedentem è thalamo sponsum, qui* vel quia *in ventre virginali* MARIÆ *conceptus es de Spiritu sancto.* Tam certa est de illius inuentione, quia eum in Mariæ vtero latentem contemplatur. Virgo enim munificentissima cuncta bona, quæ possidet, hominibus gestit impertire.

Ostendit Ecclesia, se infallibiliter Christū fratrem, quia in Mariæ vtero absconditur, quæ munificentissima gestit eum nobis thesaurum exhibere. Amedæ.

Verf. II.

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi *me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.*

APprehendam te, & ducam in domum matris meæ.] Cap. 3. addidit Virgo. *Et in cubiculum genitricis meæ.* Quænam hæc domus matris, & quodnam hoc genitricis Mariæ cubiculum, ad quam, & ad quod ipsa offert Filium recens foris inuentum, seu recens natum se introducturam? Carthagena hom. de concept. Mar. contemplatur domum matris esse Ioachimi & Annæ habitaculum in Nazareth, cubiculum autem genitricis Virginis esse Annæ vterum. Petrus Galat. lib. 7. de arcan. cap. 5. Quando inueni amicum meum in eius incarnatione foras, seu recens natum, apprehendi eum, nec dimisi, quousque introduxi eum *in cameram seu in vterum Annæ genitricis meæ.* D. Damascenus orat. 2. de Natiu. Mar. *Proponitur itaque hic tanquam thalamus quidem Annæ cubiculum, id est vterus.* Ad Annæ nè vterum expetit Virgo suum Filium introducere? Ita planè. Vt enim filia obsequentissima curauit Maria genitricis suæ Annæ vterum honorare, innuens hisce verbis dignissimum esse sponsi thalamum, ad quem ipse posset hilariter diuertere, iucundissimè commorari. O Filij, ô Rex gloriæ, quid cum præsepio tibi? Vt digno hospitio recipiaris, ex meo vtero te ad matris meæ Annæ thalamum (sic vterum Annæ Galatinus appellat) transferri curabo. Loquor experta. Inibi ego per nouem mensium spatium tot fui cœlestibus priuilegiis affecta, tot deliciis spiritualibus potita, vt prorsus in superna beatitudine me commorari mihi viderer. Vnde vterus matris meæ cœlum planè erat. Si autem *cœlum sedes eius,* qui meo ex vtero prodiit, aptè in matris meæ vterum transferri poterit ex præsepio, vt ex thalamo suo sponsus procedens, adhuc in thalamo persistat. *Proponitur* enim *hic thalamus Annæ cubiculum, id est vterus.* Si vterus Annæ ex Maria in eo habitante factum est Dei cœlum, & Christi sponsi thalamus, Mariæ vterus ex Christi apud eum commoratione proculdubio cœlo augustior prædicabitur.

17. *Annæ vterus postquam in eo Maria habitauit factus est dignum Dei cœlū, & Christi sponsi thalamus.* Carthag. Galat.

Mariæ vterus cælo augustior.

Philo Carpat. singulariter hæc verba legit, & exponit. *Ducam te in domum matris, & in promptuarium genitricis meæ. Vt enim in promptuario thesauri reconduntur, sic in morte, iustorum animæ requiescunt. Iesus humana carne indutus, vt mortem perderet, vitamque repararet æternam, pro nobis mortem suam quasi in domum intulit, eamque in intimum promptuarium, ac sinum terræ vbi nos omnes colligabat, triumphator inuexit, vt inde sanctorum animas, quæ illic,* vel in Limbo, vel in Purgatorio *velut in thesauro recondebantur, eximeret.* Profectò Dominus ex primo suæ Incarnationis

18. *Affectus Mariæ animas, quæ in purgatorio cruciantur succurrendi.* Philo. Carpat.

instanti

instanti maximo desiderio inuisendi per mortem cubicula, seu repositoria sanctorum dormientium, educendique ex Limbo animas Patriarcharum, & ex Purgatorio animas eorum, qui temporario igne ad expiationem omnimodam torquebantur. Cum autem Deipara diuinitus instructa hunc Filij sui dignouisset affectum, ait: O Fili, vel recens natum, te precibus meis in cubiculum, seu locum introducam, vt tua præsentia, seu benignitate illi electi spiritus ab igne liberentur, & ad placidum Abrahæ sinum transferantur, donec tuæ mortis vi vita potiantur æterna.

Maria Filiū recens natum cum hominibus habitare curat; quod enim in infantia edisci tur, tenaciùs postmodum retinetur. Philip.

Aptius dixerim, naturam humanam esse hîc Deiparæ genitricem, domum verò naturæ, vbi ipsa commoratur, homines ipsos esse. Cum autem Virgo inquit, se Filium ad genitricis domum esse ducturam, ostendit piissimum erga homines affectum, quos cupit à Christo salute donari. Mecum Philippus Abbas. *Ducam te in domum matris meæ. Mater Virginis ipsa mortalium est natura, quæ nos omnes in hanc lucem profert nō dissimili genitura. Quæ vt habeat sibi domum, in qua vsque ad finem sæculi sit mansura, parit sibi homines successione, nullo tempore defitura. In hanc domum, hoc est in homines Virgo sponsum ducere pollicetur, vt in eis misericorditer suam salutem operetur, vt in eis deambulet, & ad cubiculum deuenire gaudeat, vbi cubet, vbi pauset, & quietis accubitum valeat inuenire.* Quasi ab infantia curat Virgo, Filium cum hominibus habitare. Quidquid enim cum infantia, seu pueritia ediscitur, assolet tenacius postmodum retineri.

19. *Salutem Iudæorum & Gentilium Maria admodum expetit, & procurat.* Guillelm.

Ad eundem ferè sensum allicit Guillelmus hæc verba, sed vberiori verborum apparatu. *Quid* (ait Virgo) *si hanc singularem excellentiam ancillæ tuæ largiri dignaris, vt ex me incarneris, ego hanc singularem gratiam cum quanta possum gratiarum actione suscipiens, apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ. Apprehendam te, quia forti, & deuota fide concipiam, & cum apprehensum nouem mensibus clausero in vtero meo, sacro partu te carne indutum in orbem inducam. Et quidem toti mundo te pariam, sed principaliter ouibus, quæ perierunt domus Israël, scilicet, vt ipsæ primò requirantur; sed suo pòst tempore in plenitudine gratiæ migraturum ad Gentes. Habet siquidem eadem genitrix mea domum, id est, plebem exterius habitantem; habet & cubiculum, id est, Scribas, & Pharisæos subtiliori conuersatione in ipsis quodammodo legis penetralibus quiescentes. Ad confundendam verò Scribarum, & Pharisæorum superbiam, prius te ducam in domum; prius enim in te credet piscator Petrus, quam Magister in Israël Nicodemus, prius assumens idiotas, quam littera legis inflatos. Et hoc quidem iam me docuisti per internam vnctionem; sed etiam per rerum euidentiam idem me illic docebis, prius visitando domum, quam cubiculum: prius ex gente mea assumendo idiotas, quam prudentes; prius peccatores, quam legis Doctores.* Ex hac eleganti planè sententia, illam premo clausulam. *Ego hanc singularem gratiam cum quanta possum gratiarum actione suscipiens, apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* Ac si Deipara intendens suscipere beneficium Maternitatis Dei quanta potest gratiarum actione recipere, vice gratiarum actionis, sese exerat ad alliciendum Filium ad hominum salutem. Quanto cordis affectu, quanta precum instantia Virgo nostræ salutis negotia geret, si hic affectus, hæc instantia gratiarum actionis vices pro tam singulari beneficio agere debet? Edocet Maria sacros Ministros optimam gratiarum actionem pro acceptis à Deo beneficiis esse, affectuosam curam circa proximorum salutem expedire.

Maria loco actionis gratiarum pro ineffabili Maternitatis

Dei beneficio accepto, se exerit ad salutem hominum procurandam.

Docet Virgo sacros Ministros optimam pro Dei beneficiis gratiarum actionē esse, proximorum salutem procurare.

Dionysius Carthus. illa verba. *Apprehendam te* sic exposuit: *Beatissima Mater dulcissimum Filium suum iugiter apprehendit spirituali apprehensione contemplando, diligendo, brachiis charitatis stringendo eundem. Vicissimque eum apprehendit corporaliter ad lactandum, ad deferendum, ad amplectendum, ad deosculandum.* Vbi edocet Virgo, per contemplationem Deum ab anima apprehendi, firmiterque teneri. Verbum enim *Apprehendere* idem est, ac fortiter tenere aliquid, nè è manibus facilè elabatur. Qui cupit Deum ab eius spiritu non abesse, curet meditationis, ac orationis exercitamentis studium impendere.

20. *Nos edocet Maria Deum firmiter apprehendi & teneri à nobis, si meditationis ac orationis exercitiis vacemus.* Carthus.

Illud verò. *Et ducam eum in domum matris meæ*, in hunc modum commentatur: *Gloriosissima* Virgo *diebus purificationis expletis, duxit Filium suum ad Templum, quod fuit domus synagogæ: & fuerat* in eo quasi in cubiculo *eius* (ante desponsationem) *scilicet in sancto sanctorum.* Nihil prius Maria quando licuit expletis purificationis diebus, cogitauit, quam ad Templum proficisci. Filia enim erat Templi in illo educata. Ideò quod erga Templum maternum ab infantia amorem conceperat, tota vita retinuit. Pergit itaque ad Templum haud purificationis legi obnoxia (quæ *accepto semine* non conceperat) vt dilectissimam matrem seu Templum inuiseret. Quod à pueritia didiceris, toto vitæ tempore retinebis.

21. *Maria Templi filia, id post partum quando licuit, non lata lege protinus inuisit.* Carthus.

Aliter idem Doctor. *Latis quoque oculis deduxit Maria Filium hora Ascensionis ad cœlestem Ierusalem matrem suam, & ad thronum gloriæ velut ad cubile.* Patria cœlestis Mater Virginis appositè vocitatur, quia Maria tot supernis priuilegiis ornata, potius videtur è cœlo, quam è fœminæ vtero prodiisse. Vnde Apoc. 12. à primo conceptionis instanti *Apparuit in cœlo*, quasi cœli filia *Mulier amicta Sole.* Sed cur Deipara dicitur deduxisse Christum ad Ascensionem, & ad cœlestem Ierosolymam, & hoc apprehendendo fortiter eum, vt ascenderet? An cupiebat Mater piissima dulcissima Filij præsentia orbari? Profectò tanta erat Mariæ erga hominum salutem pietas, vt tam dulci præsentia orbari curaret, vti ascendente in cœlum Filio, cœli cardines hominibus recluderentur.

22. *Maria Templi filia, semper parentē honorare intendit.* Carthus.

Apoc. 12.

Maria se libenter orbari Filij præsentia curauit, vt illo ascendēte, cœlorum porta hominibus reserarentur.

Ibi me docebis.] Diximus verba illa. *Ducam te in domum matris meæ* ad Incarnationis mysterium spectare. Iuxta quem sensum Deipara dicit: *Ibi*, id est, in vtero meo existens nouem mensibus, me ô Patris sapientia, *me docebis.* Scimus ex sapient. cap. 7. Sapientiæ spiritum esse *multiplicem, subtilem, acutum, omnem habentem virtutem, mobilem, sese in animas sanctas transferentem.* Cum autem sapientia infinita

23. *Dum Christus in Mariā vtero moratur, eam cœlestis sapientia arcana edocuit.* Sapien. 7.

infinita adeò communicabilis in vtero Matris incluſa, nullum præter ipſam Virginem auditorem haberet, quid non edoceret ſingularem Diſcipulam? quid arcanorũm cœleſtium ei non aperiret? Hinc Iſichius Ieroſolym. orat. 2. de Natiu. Mar. *Maria Cathedra eſt non inferior Cherubica.* Tam docta ex Domini magiſterio euaſit. Germanus orat. de B. Virg. *Virgo vacat in ſchola virtutum; vt ipſa ſit forma diſciplinæ Chriſti*, à quo didicit. *Conuerſatur cum ſenatoribus cœli intra curiam paradiſi ſub Spiritus ſancti diſciplina, & magiſterio totius Maieſtatis.* Gregorius Thaumat. orat. 2. de Annunt. *Sanctiſſima Dei genitrix conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo, velut quæ omnium myſteriorum vas, & receptaculum eſſet.* Idem vbi ſupr. *Præclara quidem ſterilis Eliſabeth verba. At illuſtriora viciſſim ſanctiſſima proloquuta eſt Virgo: & Canticum Deo gratiarum actionis, bonique odoris, ac Theologiæ plenum retribuit: cum antiquis, noua annuntians, cum iis, quæ à ſæculo, & ab initio, & quæ ſæculorum conſummatione acciderant prædicans, breuique ſermone Chriſti myſteria ſummatim perſtringens.*

Iſichi. Maria Cathedra Cherubica. German. Maria forma diſciplinæ Chriſti. Thaumat. Maria omniũ myſteriorum receptaculum. Thaumat. Maria Canticum theologiæ plenum, omnium ſumma myſteriorum.

24. Eccli. 14. Virgo vocitatur *Mater agnitionis.* Quare precor? Quia tot cœleſtia arcana agnoſcebat in Chriſto dum in vtero eius commoraretur, vt non ſolum agnoſcere, ſed ipſa agnitio debeat appellari. Audi D. Antoninum tom. 4. tract. 15. cap. 44. §. 8. *De Maria dicitur, quod ſit Mater agnitionis. Quod S. Auguſtinus ſic probat. In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, Chriſtus autem eſt in Maria: Ergo omnes theſauri ſcientiæ ſunt in Maria. Vt ſit Mater agnitionis*, ſeu ipſa myſteriorum Dei agnitio.

Maria eſt ipſa ſcientia cœleſtis, agnitio, ſeu intelligentia. Eccli. 14. Antonin. Auguſt.

25. Audi pulchram eiuſdem Antonini ibid. cap. 43. §. 2. contemplationem. *Piè imaginari* (ſeu contemplari) *poſſumus, quòd ponebat B. Mater dulciſſimum Filium ſuum ad ſedendum* (in vteri cathedra) *& ipſa ſe ponebat ad pedes eius, dicens: O dilecte Fili, rogo vos, dicite mihi ordinem Angelorum, quomodo ſtant in cœlis? Quoniam Moyſes, & alij Prophetæ de hoc nihil dicunt. O dilectiſſime Fili, ego in quo ordine horum ero? Et Filius ad Matrem. O Mater mea, vos non eritis in aliquo horum ordinum, ſed ſuper omnes ordines.*

Virgo à Filio in vtero cœleſtia arcana edocebatur. Antonin.

26. Profectò ante Verbi Incarnationem iam B. Virgo ab vtero, & poſtmodum in Templi habitaculo fuerat à Spiritu ſancto vberrimè edocta. Vnde Albertus Magn. *ſuper Miſſus eſt* cap. 17. ait. *Iſtum Angelum miſſum non fuiſſe de ſuperioribus Lucas dicit, ſed Angelum, & hoc in ſanctiſſimæ Virginis honorem; quia ſi quis de ſuperioribus miſſus diceretur, ab ipſo illuminari crederetur. Vnde Angelus ab ea requiſitus de modo, tranſmiſit eã ad Spiritũ ſanctum. Nam Beatiſſima Virgo Maria, licet in aliis hoc non ſit impoſſibile, nihil interioris illuminationis accepit ab Angelo. Et vt hoc Euangeliſta ſignanter exponeret, & omnem contra hoc opinionem remoueret, ipſum, qui re vera Archangelus fuit, per totum Euangelium non Archangelum, ſed Angelum nominauit.* Ego autem tanti Doctoris venia, crediderim, etiamſi *Archangelus* ab Euangeliſta nominaretur, nullum cordatũ ſuſpicari potuiſſe, Virginẽ electam ad Dei Matrem fuiſſe ab Archangelo illuminatã, cum ipſa (Auctore Iſichio citato) *ſit Cathedra non inferior Cherubica.* Id eſt, Magiſtra adeò à Spiritu ſancto illuminata, vt veluti inferior haud poſſit à Cherubinorum magiſterio edoceri. Adiicit Doctor inibi, cap. 263. Ait Angelus. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Ac ſi reſpondeat Virgini* requirenti. *Quomodo fiet iſtud? Quid à me quæris quod in temet experieris? Scies, ſcies, & fideliter ſcies: ſed illo Doctore, quo & Auctore. Nec potes doceri niſi à donante.* Solus enim Spiritus ſanctus, à quo donum hoc perfectiſſimum, poteſt eſſe Magiſter Mariæ, à cuius ſapientia poſſunt Cherubini edoceri.

Non exprimit Lucas, miſſũ fuiſſe ad Virginem Archangelum, ſed Angelum ait immiſſũ, ne ſuſpicari poſſemus, Mariam fuiſſe ab Archangelo edoctam. Albertus. Etiamſi expreſſiſſet Euangeliſta, Archangelum miſſum ad eam fuiſſe, nemo cordatus ſuſpicari poſſet, Mariam ac Dei Matrem electam potuiſſe vel ab Archangelo edoceri. A ſolo Deo poteſt ſapientiſſima Maria edoceri. Albert.

Scimus, Angelum Ioſepho Mariæ ſponſo apparuiſſe, vt eum de Dei diſpoſitione circa abſceſſum Chriſti Infantis cum Maria in Ægyptum edoceret. Luc. 1. Cur non Mariæ Angelus apparuit, ſed ſponſo? Exiſtimo, quia iam Maria circa huiuſmodi profectionem fuerat à Filio Magiſtro ſuo edocta. Pulchrè Albertus. *Ioſeph in ſomnis ab Angelo edocetur, vt ſciret, quid facere deberet: non vt faciendum Beatiſſimæ Virgini intimaret, quæ priuſquam ipſe ſciebat, quidquid ad eius operandi neceſſitatem pertinebat. Nec ad hoc indigebat aliquo hominis documento, vel Angeli; quia illum habebat in gremio, qui eſt Doctor, & Magiſter Angelorũm in cœlo.* Tam ineffabilis itaque eſt Mariæ ſapientia, vt non à Ioſepho ab Angelo edocto, non ab ipſo Angelo, ſed à Deo ſolo poſſit edoceri. 27.

Maria à Filio edocta fuerat circa fugam in Ægyptum, ideo Angelus non monet illam, ſed Ioſephum. Albert. Luc. 1.

Vt autem vberius agnoſcas, quam immenſum ſit mare ſapientiæ Mariæ, Dionyſius Carthuſ. affirmat, eam non ſolum à Chriſto cum ipſum in vtero geſtaret, ſed dum viueret, per ſingulas horas fuiſſe edoctam, edocendam adhuc in ſuperis ſine termino. *Certum* (ait) *quòd Chriſtus increata ac genita ſapientia Patris Matrem ſuam dulciſſimam atque docilliмam docuerit omni hora in vita hac. In ſuperna autem Ieruſalem docet eam ſua viſione beata, & de effectibus ſuis, & de myſteriis ſecretis eam tam excellenter informat, vt vniuerſi Angelicorum ſpirituum ordines purgentur, illuminentur, & perficiantur ab ea, vt D. Dionyſius faſſus eſt.* Iam impoſſibile eſt, ſapientiæ Mariæ pelagi altitudinem comprehendere. 28.

Maria per ſingulas horas, dum viueret, à Chriſto de nouis myſteriis, & arcanis cœleſtibus inſtruebatur. Carthuſ. Maria adhuc à Deo in cœlis edocetur.

An hæc verba. *Ibi me docebis*, poſſint alicui ſcrupulum ingerere circa ſapientiam Mariæ ante Verbi Incarnationem? Ait enim Virgo. *Ibi*, id eſt, cum meo in vtero incola fueris, *docebis me.* An quia ignorans vſque ad illud tempus extitiſſet? Abſit. Edocta quidem fuit ab vtero à Spiritu ſancto, & ad lucem egreſſa ſic in cœleſti doctrina profecit, vt Angelorum poſſet eſſe Magiſtra. At reſpectu ſcientiæ, quæ ipſi communicata fuit poſt Verbi Incarnationem poteſt loqui Maria. *Ibi me docebis*, quaſi antea nihil omninò didiciſſem. Inquit Ioannes Baptiſta Ioan. 1. *Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum: & ego neſciebam eum.* Quomodo potuit Ioannes veraciter aſſerere Chriſtum neſcire, ſeu non agnoſcere? Aliqui explicant, oculis corporeis eum non agnoſcebat. Alij experimentaliter. Ego aptius inſtituto meo dixerim. Reſpectu clariſſimæ cognitionis, qua eum tunc ſciebat, præte- 29.

Ab vtero edocta fuit Maria à Spiritu ſancto, & ad lucẽ egreſſa ſic in ſapientia profecit, vt poſſet fieri Angelorum Magiſtra. Sed reſpectu ſapientiæ, quam in Verbi Incarnatione acquiſiuit, quaſi ignorans erat. Ioan. 1.

præterita scientia, qua eum antea dignouerat, pro non scientia potest reputari.

30. *Edisceit Maria à Filio Doctore, eam debere totam se ad omnium hominũ procurandam salutem semper consecrare.* Philip. Enim verò scientiæ, quam Maria à Spiritu sancto, & à Filio didicit, speciale aliquid annotemus. Ait in præsenti Abbas Philippus. *Ibi, ait, me docebis, cum apprehendero te, & duxero in domum genitricis meæ humanæ naturæ. In homines Virgo Filium ducere pollicetur, vt in eis misericorditer suam salutem operetur. Ibi ait, me docebis, cum ad hoc ventum fuerit, vt te ad electos quosque gaudeam introduci, & ab eorum salute peragenda, culparum merito* (vel causa) *non reduci; tunc me docebis, & certam facies occultorum. Tunc sciam illos electos esse, & me sollicitam electorum esse debere.* Edisciit Maria Christo Doctore, arcano Dei consilio electos ob eius piissimam sollicitudinem salute esse donandos.

31. *Maria Filiũ suum, vt fratrem, non vt Filium volebat recipere in commune bonum.* Cant. 8. Tam sapiens ex hoc magisterio Deipara euasit, vt Filium non vt particulare bonum sibi, sed vt bonum commune toti humano generi acceperit. Vnde hîc vers. 1. dixerat. *Quis mihi te det fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris!* Cur non dixit. *Quis mihi te det Filium*, sed *Quis mihi det fratrem*, quasi filium vniuersæ humanæ naturæ? Porro quia Virgo totius humanæ naturæ vtilitatem expetebat, quasi nata non sibi, sed omnibus. Pulchrè D. Damascenus orat. 1. de Nat. Mar. *Vitam natura præstantiorem habes*, ô Virgo, *non tibi ipsi. Non enim tui ipsius causa progenita es.* Alibi. *Nec enim tibi ipsi in lucem produisti*, sed in bonum vniuersale. Damasc.

32. *Si natura docet filios in commune bonum gignendos esse: quomodo edocta à Deo Maria Filium gigneret, nisi ad mundi bonum?* Ioan. 16. Chryso t. Theoph. Alex. August. Acutè ponderat D. Chrysostomus illa Domini verba. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius* ob acerbissimos partus dolores. *Cum verò peperit, iam non meminit pressuræ, sed gaudet*, & sibi gratulatur, *quia natus est homo in mundum*. Ioan. 16. *Non dixit* Christus. *Quia natus est homo in mundo*, sed *in mundum*, hoc est, *ad mundi vtilitatem*. Id autem vel à brutis animantibus mulieres edocentur. De quibus Theophylus Alex. lib. 1. ad Autolic. inquit. *Ipsa etiam animalia bruta generant, nec id faciunt respectu priuatæ vtilitatis, sed vt homo alimenta, & necessaria capiat.* D. August. lib. 15. de ciuit. cap. 10. annotat, primam inordinationem in mundi exordio vniuersali diluuio obrutam fuisse, quod illæ filiæ hominum filiis Dei nuptæ natos generabant non communis boni causa, sed priuatæ voluptati vacantes. Gen. 6. *Postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuissent.* L X X. *Genuerunt sibi.* Ad quæ Augustinus. *Significat, quòd prius antequam caderent filij Dei, Deo generabant, non sibi, id est, non dominante libidine, sed seruiente officio propagandi.* Si hunc affectum natura parientibus materialiter indit, quomodo Maria ad bonum spirituale hominum nata Filium Deum sibi arrogaret, & non potius in commune bonum eniteretur? Gen. 6.

33. *Ipsum nomen Mariæ significat, Virginem natam esse non sibi, sed vt Deum toti humano generi impertiret.* Ambros. Hoc quidem nomen *Maria* manifestat, quod D. Ambrosio Auctore, interpretatur, *Deus ex genere meo*. Ac si Virgo diceret, me natam non mihi, sed hominum generi, ipsum nomen *Maria*, quod recens nata accepit, prædicat. Deus quidem carne indutus ex me orietur verè meus Filius; sed nolo, vt nomen meum *Maria* insonet, *Deus ex me*, sed *Deus ex genere meo*. Nec enim intendo illum mihi vt proprium Filium in propriam vtilitatem abrogare; sed vt Deum ex toto hominum genere natum, omnium vtilitati exponere.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

34. *Nomen Christi & Mariæ assimilantur, quia ad bonum commune respectum insonant.* Cant. 3. Isa 7. Hinc planè Christi, & Mariæ nomina assimilantur. Ait Isaias cap. 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, quod interpretatur. *Nobiscum Deus.* Ac si diceret, ô fratres, Deus non solum est mecum, sed & vobiscum, quia in commune bonum ex Virgine prodiit. Salomon fuit illustris Christi Domini typus. Cant. 3. *Videte Regem Salomonem*, id est Christum. Profectò Salomon etiam *Samuël* appellabatur. Cur autem Christus voluit *Salomon*, & non *Samuël* appellari. Planè quia *Samuël* Hebraïco idiomate idem est, ac *in quo Deus.* Quid autem aptius dici poterat de Verbo Incarnato, vel de Homine, in quo erat Deus non solùm per potentiam, & præsentiam, sed etiam per essentiam vnionis hypostaticæ, quam *Samuël, In quo Deus?* At Samuëlis loco *Salomon*, seu *Pacificus* appellatur, quia pax in communem vtilitatem stabilitur Deo cunctis communicato: vt Deus non solum in ipso sit, sed in cunctis habitet. Ita ex innumerabilibus nominibus, quibus poterat insigniri, nomen *Emmanuëlis* elegit, quod sonat *Nobiscum Deus*, respuens nomen *Samuëlis*, siue *in quo Deus*. Quia non vult, vt Deus in ipso solo existat, sed Nobiscum esse, id est, cunctis hominibus communem esse thesaurum. Haud aliter nomen *Maria*, seu *Deus ex genere meo*, non sibi Filium Deum arrogat, sed toti humano generi piè prodiga expendit.

35. *Maria soror Mosis non vocatur Maria, cum propria vtilitati incumbit, ne hoc nomen primo audiretur, nisi cum de bono agetur communi.* Exod. 2. Quis nesciat, Mariam illam Mosis, & Aaronis sororem nomine ac gestis Deiparæ vmbraculum extitisse? Crudeli Pharaonis decreto Hebræis indicitur, vt fœmellis reseruatis, infantes masculos in Nilum proiicerent. Puerulus Moyses in fiscella scyrpea inclusus flumini traditur. Arcula fluitans enatabat *spectante procul sorore eius*, rei euentum. Ipsius beneficio, ac pietate filiæ Pharaonis fuit ex aquis eductus, & in filium illius adoptatus. Exod. 2. Miraberis, quod in huiusmodi circumstantia sororis Moysis nomen non exprimat Historia dicens, *spectante procul Maria sorore eius.* Quænam quæso aptior circumstantia adesse poterat, vt nomen *Maria* primùm audiretur, quam hæc, in qua infantulus tantus de vita periclitans inter medias vndas saluatur, in symbolum quòd Mariæ Deiparæ agnatum est, naufragis penè iam mersis manum porrigere, iamiamque suffocatos ad incolumitatem reuocare? Respondeo, noluisse Dei prouidentiam, vt inibi primò *Maria* nomen in mundo exaudiretur, quia tunc de vnico eripiendo à morte infante agebatur, cum reliqua infantium communitas fluctibus obrueretur. At cum Virgo non vni, sed omnibus hominibus eripiendis à morte nasci deberet, non erat decens, vt nomen *Maria*, quod ei in natalitio imponitur, primo audiretur, quando vnus solummodo infantulus liberatur.

 Quando

35\. *Primò in mundo auditur nomen* Maria, *cum totus populus à Pharaone liberatur in nominis Deipara typum.* Exod. 15.

Quandonam igitur primo nomen *Maria* fuit exauditum? Filij Israël ex tyrannide Pharaonis liberantur, Rex iniquus intendens illos rursum ad captiuitatem reuocare cum equis, & curribus proficiscitur, diuiditur mare, iter totum fugientibus offert, Ægyptiis insequentibus operatur exitium. Liberato itaque Hebræorum populo, & exercitu Ægyptiorum vndis submerso, Textus addit *sumpsit ergo Maria soror Aaron tympanum.* Exod. 15. Tunc nomen *Maria* primò in mundo exauditur, quando non vnus vel alter homo, sed omnis communitas à morte liberatur, vt constet Mariam Prophetissam Deiparæ symbolum orbi annuntiare, venturam in mundum Mariam alteram, quæ omnibus hominibus liberandis quantum in illa erit, exeretur. *Sumpsit ergo Maria.* Particulam: *Ergo Maria* aduertas quæso. Cum enim pro antecedente facer Historicus præmisisset totius populi liberationem, pro consequentia adiecit: *Ergo Maria.* Nomen Maria tunc primo in orbe nascitur, tunc primo exauditur, cum cunctis Hebræis salus apparatur.

36\. *Maria cantat exultans non cum frater ab vndis emergit, sed cum totus populus liberatur, in Deipara typum.* Exod. 15.

Sumpsit ergo Maria tympanum in manu sua, egressaque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino. Exod. 15. Cum frater Moses fuit ab vndis ereptus, & Pharaonis filiæ adoptatus in filium, Maria non cecinit: sed postquam fuit à fluctibus Rubri maris totus populus Israël liberatus. Nam vt verum Mariæ Deiparæ typum ageret, non debebat vnius fratris vtilitas, nec priuatum proprium ipsius Prophetissæ commodum eam ad canendum, sed omnis populi salus excitare.

37\. *Deipara canit exultans non cum Christũ concipit, sed cum cum aliis communicat.* Luc. 1. Paulin.

Paulinus egregius ille Regum Galliæ Christianissimorum Concionator serm. 2. de Visitat. Mar. hanc excitat quæstionem: *Quaritur, quomodo Maria cantat in beneficio Visitationis, & non in beneficio Incarnationis? Aptior enim videbatur illa circumstantia, quando ipsi Maria collata est gratia, vt esset Mater Dei. Quomodo ergo cantat in domo aliena, & non in propria?* Acutè respondet. *Quia Maria cum in Incarnatione Verbum Incarnatum possidebat, hoc tantum bonum habuit vt proprium sibi, eo quod in mundo propalatum non esset, & communicatum. Nunc autem videt tantum bonum aliis communicari, & ideo cantat.* Videbat enim bonum cœleste communicari Elisabethæ prophetanti, ac Ioanni sanctificato in vtero, & à communi tunc labe mundato, *& ideò cantat.* Cantat igitur in dono aliena, & non in propria, ne de Incarnationis mysterio tanquam de bono sibi solummodò proprio blandiri, & gratulari videretur; sed quando ad domum alienam, seu ad alios cœpit vt beneficium commune Incarnationis gratia deriuari.

38\. *Maria vel gloriam suis operibus debitam, vult quodammodo cum hominibus cunctis diuidere.* Luc. 11.

Nec in superis quodammodo vult Virgo tota gloria tot virtutibus respondente potiri, nisi cum hominibus illam veluti partiri permittatur. Cantat mater Ecclesia in Assumptionis Mariæ solemni Euangelium illud. Intrauit Iesvs in quoddam castellum. Luc. 11. vbi de Maria Marthæ sorore dicitur. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Non videntur verba hæc Assumptioni Virginis aptè accommodari, illa enim fœlicissima die non partem gloriæ, sed totam gloriam ineffabilibus meritis agnatam acquisiuit. Dicat igitur Ecclesia. *Maria optimum totumque gloria pondus sibi debitum elegit, siue legit, & assequuta est*, quæ ab ea non auferetur in æternum. Aptissimè quidem Ecclesia Spiritu sancto edocta dixit. *Optimam partem elegit sibi.* Quia tam agnatum est Mariæ omnium hominum vtilitati incumbere, vt vel gloriam quodammodo totam sibi velit adscribere, sed cunctis nobis curet communicari. *Partem elegit sibi*, reliquum gloriæ pondus gestit inter homines diuidi.

39\. *Maria nascitur ex Phares non ex Zaram, quia hic manum prodit ligatam, ille verò nomine signat bonorum diuisionem.* Math. 1.

Decreuerat Deus, vt ex primogenito filiorum Iudæ Christus & Maria nascerentur. In Thamar matris vtero gemelli Phares & Zaram de primatu decertant, Zaram extrahit manum, quam obtetrix coccineo filo insigniuit in signum victoriæ. Ast diuinæ prouidentiæ nutu subito mutatæ sunt sortes, cedente Zaram fratri Phares, qui primus egrediens potitur principatu, & pater Christi & Mariæ constituitur. Quare ab hac dignitate Zaram excluditur, & Phares ad eam eligitur? Crediderim quia Zaram manum habuit coccineo filo ligatam. Noluit autem Deus, vt in Mariæ generatione nec per vmbraculum manus ligata appareret. Ne cum filiæ patrissent ex sententia Aristotelis, aliquod foret sinistrum omen in Natiuitate Mariæ, quod portenderet, eam manu vsuram ligata, contracta, auara erga homines; sed potius soluta, larga, ac diffusa. Quod in patris sui Phares nomine designatur. *Phares* enim idem est Hebraïcè ac *Diuisio.* In Maria enim sunt *gratiarum diuisiones.* Quid mirum si cum hominibus gestiat gratias diuidere, parte sibi reseruata, quæ vel gloriæ sibi eligat *partem* vnam, vt partes reliquæ inter homines diuidantur. Hæc dogmata Beatissima Virgo à Christo Domino: *Ibi,* id est, dum eum haberet in vtero, fuit edocta.

40\. *Omnium virtutum vino Deipara dilectum potat.* Richard.

Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.] Quonam condito vino Deipara, quonam malogranatorum musto Christum potauit? Certè innumerabilium heroicarum virtutum suauitate. Aptè Richardus de S. Laurent. lib. 12. *Ostendit Mater cuiusmodi poculo dilectum suum potauerit, cum dicit: Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Vinum dicit *charitatem, conditam melle deuotionis, & bonorum operum aromatibus. Malogranata vocat contubernia bonorum operum contenta sub cellulis singularum virtutum, & ex eis procedens suauitas dicitur mustum malogranatorum. Et signanter dicitur*, Meorum; *quia malogranatis ipsius nulla alia comparantur. Multæ quidem filiæ, multæ animæ diuæ congregauerunt virtutum diuitias*, & malogranata oculis obiiciuntur. *Sed tu, ô Virgo, supergressa es vniuersas* Prouerb. 31. Vnde cum malogranatis tuis nulla possunt malogranata comparari, quia ferè nec mamalogranata apparent. Ideò quod non est,

Omnes aliorum sanctorum virtutes quasi non sunt, si cum Mariæ virtutibus comparari velint.

quomodo

quomodo potest cum tanta virtutum essentia componi?

41. *Christus suis charissimis virtutes Mariæ imitandas offert, vt illos in bono confirmet.* Tantam Christus dulcedinem ex condito Deiparæ vino percepit, vt amicis suis, & Mariæ cultoribus illud offerat epotandum. Adiicit Richardus. *Christus hoc satiatus vino, alios satiari vult ex eodem. Dicit ergo familiaribus suis, & amicis Matris suæ: Bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. *Licet ipse magnas delicias habeat spirituales in Matre, vtpote qui eius prærogatiuas nouit, quas mens humana non capit; nihilominus tamen quilibet fidelis secundum mensuram acceptam inuenit in B. Virgine quid bibat, & vnde confirmetur in bonum: inuenit vnde confortetur cor suum; inuenit, vnde valeat inebriari; vt quæ prius in mundo dilexerat, de cætero ad memoriam non reducat. Dicit ergo, Bibite, & inebriamini charissimi de vino, quod vobis propinat vitis illa, quæ dicit* Eccli. 24. *Ego quasi vitis fructificans suauitatem. Imò quæ expressius dixit. Qui bibunt me, adhuc sitient. Quasi diceret: Qui dulcedinem meam gustauerit in præsenti, adhuc plus de ea desiderabit experiri.* Charissimis itaque suis Christus Dominus vt eos in bono confirmet, & certam eorum ad salutem æternam vocationem efficiat, *virtutum Matris suæ vinum offert.* Pia enim ad Deiparam deuotio perspicuum est prædestinationis documentum.

Pius ad Mariam affectus signum est prædestinationis.

42. *Maria suis precibus impetrat, vt labores patienter sustineamus, eosque Deo in poculū suauissimum offert.* Philip. Non incongruè crediderim, vinum hoc conditum, quo se potaturam Deipara offert sponsum, esse iustorum erga eum dilectionem, laboribus propter institiam sublatis temperatam. Ille enim se Deum veraciter diligere probat, qui propter eum labores gaudet sustinere. Maria ergo huiusmodi vino Christum epotat, cum suis precibus impetrat, vt iusti patienter labores sustineant. Ait Philippus Abbas. *Dabo* (Virgo inquit) *tibi poculum, gustu suauissimum, & sapore: conditum quidem vinum, amorem compositum ex labore. Iustorum amores, & labores quasi congeram in cratere, & tuo potui propinabo. Vt accipias gratius, deuota beneuolentia commendabo.* Quas tribulationes patienter non toleret, qui scit Mariæ precibus debere, in illis tolerantiam exercere, & illius manibus eas vti suauissimum poculum Domino esse offerendas?

43. *Martyres Mariæ precibus debent, & quod fortiter dimicent, & quod fæliciter corona potiantur.* Philip. Addit Virgo, se etiam Christo malogranatorum mustum propinaturam: *Et mustum malorum granatorum meorum.* Eleganter hæc verba in gloriam Deiparæ idem Philippus commentatur. *Mustum feruet, & ebullit, omnes à se eiiciens fæces impetu fortiori, amorem illum signans, qui non curat vitæ huius quiete deliniri, sed currens ad Martyrium, ardet pressuris, & pressionibus expoliri. Per mala verò granata illos voluit figurari, in quibus velut grana virtutes constat plurimas congregari. Quos interna virtutum collectio efficit pretiosos, & passionum rubicunda facies speciosos. Meorum verò ideo Virgo dicit, quia quisquis amans Christum, passioni & Martyrio sese addicit, ipsa illi auxilium, & curam impendere gratulatur: & quidquid ille proficit; totum proprium arbitratur.* Maria igitur verè ab Ecclesia *Regina Martyrum* appellatur, si eius auxilio, & cura in patientia proficiunt. Illam expende particulam. *Et quidquid ille proficit, totum proprium arbitratur.* Quia scilicet Mariæ auxiliatricis precibus debent virtutem, quam à Deo accipiunt, vt fortiter dimicent, & fœliciter corona potiantur.

Maria Martyrum Regina.

44. *Habet Maria innumerabiles Martyres sine sanguine, quorum est Regina.* Phi ip. Non autem Virgo appellanda Martyrum, qui sanguinem pro fide profuderunt, Regina. Habet enim alios absque numero Martyres sine sanguinis profusione, nempè illos, qui Dei amore succensi cuncta aduersa patienter sustinent; quorum meritis mustum dulcissimum dilecto præparat epotandum. Adiicit Philippus. *Mustum malorum granatorum amor feruidus est eorum, qui se promptos exhibent ad sufferendum omnia patienter, quæ mundus vel minatur horridè, vel lætatur inferri violenter. Huius musti poculum Virgo diligit* Deo *propinare, cum ferventes spiritu gaudet virtutibus coruscare, sublatosque de medio ad sponsi tandem mensam, vel conuiuium indeficiens pertransire, & epulantis gustum suaui meritorum excellentia delinire.* Non solùm igitur Maria *Regina Martyrum* est vocitanda, sed & *Confessorum*, siquidem sua protectione efficit, vt meritorum mustum ita suaue reddatur, vt dignum sit, quod possit illius manibus Domino in potum offerri.

45. *Maria obtulit Deo intensissimū amorem loco actionis gratiarum pro beneficiis ab eo susceptis.* Gu'lielm. Præterea nos hîc edocet Virgo, quonammodo Deo pro acceptis beneficiis acceptabiles gratias reddemus. Nam postquam Guillelmi Abbatis ex ore accepta à Domino sibi beneficia memorauit, adiecit: *Et propter hoc dabo tibi poculum ex vino condito. Charitas vinum est, quo inebriatur anima; sed non simplex vinum. Charitas enim nunquam sola est, sine aliis virtutibus. Vinum ergo est conditum patientia, humilitate, obedientia, castitate, cæterisque virtutibus; hæc sunt pigmenta, quibus conditur vinum charitatis. Itaque dabo tibi* (ait Virgo) *poculum ex vino condito, id est, gratiarum actionem ex sancti amoris feruore procedentem. Non enim tepidè, vel insipidè gratias agam tibi; sed, vt decet, in multo feruore, & suauitate amoris.* Si ergo amor Deiparæ erga Deum gratiarum actionis pro ineffabilibus beneficiis ab illo susceptis vices egit: quam feruens fuit amor, Virgo, tuus, qui potuit pro tot tantisque beneficiis digna gratiarum actio existere? Docemur itaque, præstantissimam pro beneficiis à Deo acceptis gratiarum actionem esse illi dilectionem virtutibus conditam offerre.

46. *Maria curauit loco actionis gratiarum pro beneficiis à Deo acceptis alios sui imitationem allicere.* Guillelm. Nec solùm Virgo huiusmodi gratias Deo egit feruentissima erga eum dilectione cunctis condita virtutibus: sed verbo & exemplo curauit alios ad imitationem ipsius allicere; quæ quidem perfectissima pro beneficiis à Deo acceptis gratiarum est actio. Audi pulchram Guillelmi sententiam. *Dabo tibi præterea mustum* (in gratiarum actionem) *malorum granatorum. Non enim tantummodo de feruore, & dulcedine animi gratias agam tibi in memetipsa; sed verbo, & exemplo faciam in amorem tuum spiritus feruere multorum, in tantùm, vt moriendo pro te, gloriosi Martyres fieri valeant, qui per mala rubea figurantur. Quod cum factum fuerit, erunt malogranata mea, id est, ad gloriam itam in amore Christi rubentia, quotquot propter*

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

me ad hanc excellentem profecerint charitatem. *Verbo*, inquit, *& exemplo faciam.* Quomodo exemplo id fecit Deipara? Planè iuxta crucem, ipsius anima Simeonis gladio vulnerata, *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Luc. 1. Vnde non solum verbo; sed & exemplo fecit Martyres tanta vi dilectionis feruere, vt vitam alacres pro fide dilecti litarent.

Maria exemplo fecit Martyres alacriter pro fide vitam Deo litare.

47\. Fauet huic excogitationi Rupertus. *Dabo tibi mustum malorum granatorum meorum, id est, pretiosam in conspectu tuo mortem Sanctorum, qui quam plures ex me tua mortis imitatores erunt. Ex me*, inquit, quia Deiparæ precibus & exemplo acceperunt à Domino, vt fortes exurgerent ad certamina, & tormentis contemptis, Christum Ducem imitarentur cœlesti corona redimendi. Vnde iustissimè Mariæ Martyres appellantur: *Malorum granatorum meorum.*

Maria Martyres iuste appellat suos, quia eos fortiter pro fide mori impetrauit. Rupert.

48\. Adhuc Virgo alium gratiarum actionis gerendæ modum excogitauit: nempè Eucharisticum calicem Domino offerendo. Canebat eius pater Dauid. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Et sibi respondebat, *Calicem salutaris accipiam.* Psalm. 115. Nihil enim gratius Deo potest offerri pro *omnibus* ab eo receptis beneficiis, quam Eucharistico calice dignè epotari. Sic Deipara quotidie se, dum viueret post Spiritus sancti aduentum Eucharistiæ epulo reficiebat, vt omnibus beneficiis, quæ Matrem Dei decent, donata, à Domino dignissimas ei gratias exhiberet. Appositè Rupertus. *Dabo tibi poculum ex vino condito. Quid enim aliud, & maius dare possum? Hoc vt daret, inuenit ille, qui dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Hæc deliberans, ad id veni, cum aliquid maius non possim, calicem salutaris accipiam. Hoc est ô Fili, quod nunc dico: Dabo tibi poculum ex vino condito, id est, sacrificium offeram sacratum inuisibili passionis tuæ Sacramento. Vinum enim Eucharisticum poculum est conditum humanitate, & diuinitate Christi.* Edocemur itaque à Virgine, optimam esse gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis, dignè Eucharisticam mensam inire.

Maria gratiarum actionis loco pro beneficiis, Eucharistico epulo quotidie reficiebatur. Psal. 115. Rupert.

49\. Acutè autem de more Cardinalis Hailgrinus asseruit, Deiparam, vt gratias Deo pro acceptis beneficiis ab eo redderet, eadem beneficia accepta in xenium ipsi offerendum, præparare. *Ego tunc*, seu post accepta à te tot beneficia *tibi offeram in xenia, quæ per gratiam à te donata accepi.* Tanta enim sunt beneficia, quæ à Deo Deipara accepit, vt velut ingrata existeret, nisi Deo ipsa beneficia, quæ ab illo acceperat in gratiarum actionem redonaret.

Maria ipsa beneficia à Deo accepta ei pro gratiarum actione offert, quasi aliter non posset debito satisfacere. Hailgrin.

50\. Aliter idem Doctor affirmat vinum conditum, & malogranatorum mustum esse Virginis charitatem virtutum aromatibus præparatam, qua potum dulcissimum Deo prælibat. *Ego tibi dabo poculum ex vino condito. Vinum conditum dicit charitatem conditam melle deuotionis, & aromatibus bonorum operum. Et mustum malorum granatorum meorum. Malogranata vocat contubernia bonorum operum contenta sub cellulis singularum virtutum, & ex eis procedens dulcis suauitas dicitur mustum malorum granatorum. Et signanter dicitur meorum, quia malogranatis ipsius nulla alia comparantur.* Eandem sententiam superius ex Richardo Laurent. exposui.

Gratissimum Deo poculum Mariæ charitas specialibus aromatibus omnium virtutū condita. Hailgrin.

Memor autem sententiæ illius Christi Domini. *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm suprà nonaginta iustis, qui non indigent pœnitentia.* Luc. 15. Crediderim, Virginem Filio promittere hisce verbis, *Dabo tibi poculum ex vino condito, &c.* se ei, cunctisque cœlicolis daturam ineffabile gaudium ex innumeralium peccatorum suis precibus conuersione. Dionysius Carthusian. tam pulchrè, quàm breuiter. *Porrò quod subditur. Et dabo tibi poculum ex vino condito*, sic interpretor. *De conuersione, & saluatione innumerabilium peccatorum dabo multiplicem iocunditatis cœlo materiam.* Vndenam ait Deipara, se huiusmodi daturam cœlo materiam iocunditatis, nisi quia eius precibus illi innumerabiles peccatores ad pœnitentiam à Domino addicuntur? 51.

Maria immensa gaudia cœlicolis prælibat ob innumerabilis peccatores preci bus illius ad Deum conuersos. Luc 15. Carthus.

Vers. III.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

LÆua eius, &c.] Recipiet me in sinum & amplexu suo reget, defendet, atque fouebit. Sunt eadem cap. 2. vers. 6. verba: nisi quod quæ illic optabat tantum Maria, hîc prædicit futura, & certò sibi in domo matris tribuenda pollicetur. Nec vltra ferens vehementiam desiderij, debilitata insuper laboribus in sponsi sinum (qui vt deficientem fulciret consederat) lassum caput reclinat, & sopore opprimitur. Vota sunt Virginis, quæ præ vehementia amoris & desideriorum apud lacrymarum vallem vti parturiens ingemiscit, ardentissimè exoptans in cœlum rapi, & vltimis nuptiis æternum dilecto colligari: Fouet illam interea sponsus, ac protegit, viresque subministrat, vt licet languens, perferat tamen & obduret certa spe futurorum. Eleganter Guillelmus pergit introducere Mariam loquentem de Incarnationis mysterio. *Cum cœlestis mihi nuntius futurum cum integritate conceptum, & partum intimasset, tibi, dilecte mi, iam excitanti potentiam tuam, vt venires in salutem, aiebam: Quis mihi te det fratrem meum? Porrò te iam ex me corporaliter nato, prædicato ab Angelis, cognito à pastoribus, adorato à Magis, conseruabam omnia verba hæc conferens in corde meo: atque in hac collatione fructum Incarnationis tuæ subtili consideratione perpendens, ita mecum loquebar ad te: Læua eius sub capite meo, id est, sustentans, & subleuans caput meum; sed hoc interius. Nam suo tempore dextera quoque illius amplexabitur me. Siquidem, vt scriptum est* Eccli. 40. *Graue iugum super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium; in-* 52.

Ardentissima Deiparæ desideria, à corpore dissolui, & in superis cū dilecto commorari.

gum scilicet mortalitatis, quod & ego fero cum cæteris filiis, & filiabus Adæ. At læua dilecti mei caput meum, id est, mentem meam sub tam graui pondere laborantem consolando sustentat, & subleuat. Læua eius est dignanter ex me assumpta similitudo carnis peccati. Venit enim non in carne peccati, vt cæteri: sed in similitudine carnis peccati; vt de peccato damnaret peccatum in carne. Rom. 8. *Denique generale pondus leue mihi efficitur consideranti, quòd Dominus omnium idem pondus ferre dignatur mecum, & cum omnibus filiis Adæ: non solum dignanter, sed & dispensatoriè; ille qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corporis claritatis suæ.* Philip. 3. *Sic læua eius nunc sub capite meo: suo tempore dextera illius amplexabitur me. Dextera eius gloria Resurrectionis eius; quæ in carne eius absorbet similitudinem carnis peccati; illa tanti prærogatione exempli, de secutura membrorum eius imitatione exhilarabit subtiliter antecedentem; quia primitiæ Christus, deinde qui sunt Christi.* 1. Corinth. 15.

53. *Perfecta Virginis cõtinua contemplatio.* Alan.

Ad præcelsam Deiparæ contemplationem dirigi hæc verba, Alanus affirmat. *Virgo ea, quæ videbat menti suæ supposuit; & ea, quæ non videbat, omni conatu, & vniuersis cogitationibus appetiit. Quæ tanto desiderio cœlestia sectabatur, vt omnia visibilia pro nihilo reputaret, mentem suam cœlestibus desideriis occupans. Ergo læuam sub capite habebat, quia mente erecta ad beatitudinem, vitam præsentem sub se portabat: & dextera Christi eam amplexabatur, quia ex omni parte cœlestis eam dilectio tuebatur: & quia Virgo in contemplatione erat, Euangelistas Christus admonet, ne eam suscitent.* Id est, nè innumerabilia opera egregia quæ Virgo gessit, enarrent, quia ad Ecclesiæ totius solatium sufficit, vt credat contemplationi continuò vacare, vbi nostras egestates videns, nostras aduertens ægritudines, precibus obtineat à Domino medicamen. Ideò vtile nobis admodum est, vt Maria nunquam à contemplationis somno suscitetur. *Euangelistas admonet, nè eam suscitent.*

Cur Euangelistæ plura de Maria gesta non scripsere?

Nobis sufficit scire, Mariam semper pro nobis precari.

Vers. IV.

Adiuro vos filiæ Ierusalem, nè suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

54. *Maria in cõtemplatione continua pro salute omniũ exorat.* Alan.

Adiuro vos, &c.] Similia hæc sunt dictis cap. 2. vers. 7. & cap. 3. vers. 5. vnde petenda mixta de Deipara vberior interpretatio. Dumtaxat addiderim, illa verba ex Alano proximè tradita, *Et quia Virgo in contemplatione erat, Euangelistas Christus admonet, nè eam suscitent: Adiuro vos, dicens, filiæ Ierusalem ne suscitetis dilectam.* LXX. *Charitatem*, id est, Mariam, quæ ex pietate erga homines ipsa est charitas. Euangelistæ hîc significant Euangelij sectatores, seu Christicolas, qui etiam in filiis Ierusalem designantur. Christus itaque Christianos monet, nè suscitent Mariam contemplationi vacantem. Quia in contemplatione charitatem ipsam se ostendit, precibus à dilecto continuis exquirens iustis bonorum spiritualium incrementum, peccatoribus veniam. Vnde & iustis, & peccatoribus valde vtile est, Mariam semper orare, & non deficere.

55. *Nihil Deus Mariæ petenti denegat.* Guillelm.

Aliter (acute planè) illa verba Guillelmus exponit, quæ pressius suprà ponderaui ex ipso: vberius in præsenti. Supponit in primis Abbas Christum maximum honorem Matri impendere, nihilque ei postulanti denegare. Quod ex Bersabee expendit historia. 3. Reg. 2. *Scriptum est*, ait ille, *quòd veniente matre Salomonis ad eum, surrexit Rex in occursum eius, positúsque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius. Cúmque illa dixisset: Vnam petitionem paruulam ego peto à te, ne confundas faciem meam. At ille respondit, pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam. Si ergo nuncupatiuus ille Salomon ei, quæ fuit Vriæ pro eo, quòd esset Mater, tamen honorem exhibuit: quantum putas intemeratæ Matri suæ verus Salomon honorem impendit? Cum illam ad se de terris acciuit, dubitandum non est, ipsum filialiter surrexisse in occursum eius, positumque ei esse, ministrantibus Angelis, thronum iuxta thronum Filij: eamque perpetuò sedere ad dexteram eius. Quòd si illa ducat, aliquid pro aliquo petendum, num verum Pacificum piæ Matris minus clementer, siue reuerenter responsurum putas; quàm suæ quondam matri, cùm peteret, nuncupatiuus ille respondit? Imò verò multò fauorabilius, multóque suauius pia Mater à Salomone suo, quod olim à suo Bersabee audiuit, pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Itaque nihil Christus Dominus denegat Matri deprecanti.

3. Reg. 2.

56. *Multa petimus per Mariam à Deo quæ nõ assequimur, quia aut mali bona petimus, aut boni male postulamus.* Guillelm.

Hac quidem illecti securitate Christiani semper piissimam Matrem preculi adimus, (quod secundo Guillelmus supponit.) *Norunt hoc Christiani, atque ideò familiare est eis piæ Matris meritis se commendare, piæ Matris suffragia sedulò postulare. Omnes ad eam confugiunt: Impetra mihi hoc, vel illud, dicunt singuli. Ab omnibus quidem hoc dicitur; sed fructu tamen petitionis suæ pauci donantur.* Num quia Matri petenti aliquid à Filio denegatur? Absit. Sed quare precor? Quia multa, quæ ab illa petimus, ipsa nec vult, ne potest postulare. *Multi* (addit ille) *petunt, & non accipiunt, quia vel minus digni, vel minus digna petunt. Petit aliquis vltionem de inimicis suis;* (loquitur Auctor de priuata inimicitia, & vltione,) *sed hæc fœda petitio est apud eum, qui ait, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. *Alius petit diuitias, siue dignitates sæculares:* (loquitur de ambitiosorum, & auarorum petitionibus) *sed hæc quidem petitio fœda est apud eum, qui per os Apostolicum loquitur: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* 2. Ioan. vers. 15. *Porrò alius honesta petit, id est, quæ non dedeceant: sed non talis est, qualem decet petentem esse: & ob hoc suæ petitionis effectu fraudatur.* Itaque ad hoc vt fructuosè petatur non tantum

Ideò non cõsequimur, quæ per Mariam à Deo petimus, quia nõ vult petere à Deo, quod non decet.

2. Ioan. v. 15.

tum petitionis, ſed etiam petentis deſideratur honeſtas.

57\. *Si vis per Mariam quæcumque expetieris, à Deo conſequi, dignus ipſe digna poſtula.*

Maria igitur cui petenti nihil à Deo negatur, licet pia Mater eſt, licet charitas ipſa ſit, minimè orabit Filium quando indecentia, vel indecens ipſe illam pro te poſtulas deprecari. *Quia ergò* (concludit Abbas) *multi vel indigna, id eſt, quæ præſtari non debeant: vel indigni, id eſt, quibus non debeat præſtari, poſtulando piam Matrem in intimæ ſuauitatis deliciis quieſcentem, quantum in ipſis eſt, improbis clamoribus inquietant, eorum importunitatem cæleſtis ſponſus reprimit dicens: Adiuro vos filiæ Ieruſalem, &c. Filias vocat, in quo vt molles notat. Nam ſi viriliter ſaperent, agerentque, Filij vocarentur.*

Moleſtus eſt Virgini, qui vel precatur indignus, vel noxia poſtulat.

Adiuro vos, inquit, non ſimpliciter moneo, ſed adiuro, id eſt, vehementer prohibeo, nè ſuſcitetis dilectam, id eſt, quantum in vobis, inquietetis, talia poſtulando, quæ præſtari non debeant: neque euigilare faciatis tales poſtulando, quibus nihil præſtari deceat: donec ipſa velit. Nondum enim vult ſurgere ad effectum petitionum veſtrarum, quia nondum poſtulatis quales poſtulare, & qualia poſtulari decet. Ergo poſtulate digni exauditu, digna impetratu: vt delectet piam Matrem ſurgere interpellando pro vobis. Digni poſtulate digna, & tunc non fruſtra poſtulabitis, quia volentem ſurgere ſuſcitabitis, atque euigilare volentem dilectam facietis.

Pro nobis ſtat quòd Virgo nolit ſurgere ad nobis ſubueniendum.

Verſ. V.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

58\. *Virgo de virtute in virtutem valdè Filio ſimilis aſcendit.* Guillelm.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens?] Vocem hanc eſſe exiſtimo Catholicæ Eccleſiæ non quidem dubitantis, ſed *contemplantis Deiparam, eiuſque excellentiam congratulatoriè admirantis*, vti inquit Guillelmus. Vndenam in hoc Virginis aſcenſu Eccleſia eius potuit excellentiam annotare? Certè quia vidit illam pulcherrimam cæleſtis ſponſi ſimilitudinem referre. Ait Guillelmus, *Quæ eſt iſta*, (clamat Eccleſia) *quæ mihi tam ſublimis, & glorioſa apparet? Iſta, quæ meæ conſiderationis oculis ſpecies*, (ſeu ſimilitudinem) *Dilecti iugiter exhibet?* Filium enim ſemper de virtute in virtutem aſcendentem, pia Mater ſemper æmulatrix aſcendit.

59\. *Mirum planè, Mariam ex tenebroſo humani generis deſerto tam fulgidam aſcendiſſe, vbi omnes deſcendunt.* Guillelm.

Mirum planè eſt, quòd de deſerto tantæ gloriæ affulgens Deipara aſcendat. Deſertum genus humanum ſignificat per peccatum tenebris offuſum. An-non cæleſtis gratiæ portentum, ex tam tenebricoſo deſerto Mariam inibi natam tanto fulgore circundatam vſque ad ſupremum thronum aſcendere? Ita aſcendit Maria. Audi Guillelmum. *Verè* Virgo *aſcendit. Sed vnde? Planè non aliunde, quam de deſerto. Per deſertum rectè intelligitur genus humanum, quod nimirum gratia conditoris propter peccatum Adæ deſeruit, & lugendâ bonorum omnium ſterilitate deſerendo damnauit. Atque ita genus humanum factum eſt, quaſi de loco voluptatis locus horroris, & vaſtæ ſolitudinis.* Deuter. 32. *In hoc horrore & ſqualore beneficio gratiæ nata eſt, ſicut & cæteri,* Adami filia. *Sed beneficio gratiæ* à primo Conceptionis puncto *aſcendit vſque ad thronum Regni.* Admirabile omnino, quòd ex tam horrido, & vaſto generis humani deſerto ſola Maria pulcherrima ad thronum aſcendat; ideò admirans clamat Eccleſia, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto*, vbi deſcendunt omnes? Deut. 32.

Mirabile etiam admodùm eſt, quod dum Maria aſcendit ad cœli delicias, iam *deliciis affluens* aſcendat, quod reliquis aſcendentibus non accidit. Solius Virginis vita tota fuit beatitudinis cœleſtis imago ob deliciarum ſpiritualium exundantiam. Id Guillelmus idem pulchrè annotauit. *Aſcendis ergo de deſerto, & non ſimpliciter, ſed deliciis affluens. Habes vnde aſcenderit in eo, quod aſcendiſſe de deſerto dicitur: porrò in eo, quod dicitur deliciis affluens aſcendiſſe, habes quantum, & quouſque aſcenderit. Multi namque electione gratiæ, & Chriſtianæ profectibus pietatis aſcendunt de deſerto humani generis: ſed nullus eorum aſcendit deliciis affluens; aſcendunt ad delicias, non autem in deliciis. Euntes autem cum fletu portantes manipulos ſuos.* Pſalm. 125. *Et quidem cum aliquantula delectatione, id eſt, quadam cœleſtis gaudij modica præguſtatione, vel potius quadam odoratione aſcendunt, perueniuntque, quò tendunt. Quòd ergo Dei genitrix aſcendit de deſerto, commune cum multis eſt; quod autem cum deliciis aſcenderit, illi eſt ſingulare.* Dum ergo Virgo ad patriam tendit, iam quodammodo degit in patria ob cœleſtium deliciarum exundantiam. 60.

Maria vitâ tota fuit cœleſtibus deliciis affluens, ac ſi quodammodo iam eſſet in patria. Guillelm.

Pſal. 125.

Si verò huiuſmodi deliciarum expetis nomen, & eſſentiam audire, ex Guillelmi eiuſdem ore percipe. *Quæris de deliciis iſtis. Dicimus: in magnis deliciis fuit, ex quo Deum Verbum concepit. Nam Spiritus ſanctus in illam ſuperueniens, dum ex eius carne hoſtiam reconciliationis humanæ formaret, placido illapſu mentem eius illuſtrauit atque inenarrabili ſuauitate interiora eius inebriauit. Denique ex vicinitate illius ineffabilis Sacramenti, quod in eius vtero celebrabatur, cor eius mirè tangebatur, & ſuauiſſimè afficiebatur. Tunc ergo deliciis affluere cœpit, cum Dominum ſuauitatis de Spiritu ſancto fœta concepit. Nullus vnquam virorum, nulla fœminarum has in ſe delicias potuit experiri, quia ſingulares ſunt Matri Verbi. Hoc in eius pectore perfunctoria eſſe potuit illa ſuauitas; ſed poſtquam eius mentem ſemel imbuerat, nunquàm poſteà vel leui ſui diminutione remiſſior extitit. Itaque ex quo genuit Saluatorem pia Virgo, de deſerto aſcendebat deliciis affluens.* 61.

Spirituales deliciæ queis Maria, dum viueret, velut in patria fruebatur. Guillelm.

An eiuſmodi deliciarum fruitio extulit Deiparam, vt de propriis meritis præſumpſerit, id profluere? Abſit. Cunctas illas delicias ſe à dilecto accepiſſe gratis eius humilitas profitetur. Vnde aſcendebat *deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum.* Ac ſi ipſa actione profiteatur, 62.

Spiritualium deliciarum fruitio Mariam non efferebat, imò plus reddebat humilem.

teatur, illam deliciarum exundantiam è proximo ei dulcedinis fonte prouenire. Id Guillelmus annotauit: *In tanta autem excellentia nisi custodem bonorum humilitatem sollicitè tenuisset, proculdubio ab excellentia cecidisset. Proinde Ecclesia non tantum excellentiam eius miratur, cum dicit, Quæ est ista, quæ ascendit deliciis affluens: sed etiam in tanta excellentia cautissimam eius humilitatem stupet, & veneratur cum subdit, innixa super dilectum suum.* Quasi ipsa clamet: totum quod in me excellentiæ aspicitis, ex me non est, gratis à Deo, cui innitor, accepi.

Guillelm.

63. Aptiùs tamen existimo, hæc verba, *Innixa super dilectum suum*, innuere omnimodam illam Deiparæ à rebus creatis abstractionem, qua Deo solo innitebatur, omnia mundi fulcra arundinea esse reputans, queis nullus valeat inniti. Mecum idem Guillelmus, *Dilectum dicit, cui nupsit in spiritu secundùm illud Apostoli: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* 2. Corinth. 11. *Innixa planè Virgo fuit non super baculum arundineum, cui si innixus fuerit homo, confractus intrabit manum eius, & perforabit eam.* Isai. 36. *Sed super dilectum stabilem vtique ad supportandum. Quod sanè non ignorans David. Fortitudinem, inquit, meam ad te custodiam.* Psalm. 58. *id est, super te innitar, qui nunquam deficis, nec subtrahis te, vt cadat, qui super te duxerit innitendum. Denique super baculos arundineos innituntur, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum.* Psalm. 51. *Quid enim sibi homo nisi baculus arundineus? Vnde Ieremias* cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem baculum suum. Porrò de his, qui innituntur super Dominum Deum consequenter annexuit, Benedictus vir, qui confidit in Domino, & cuius Dominus fortitudo eius.* Ibid. *Quia ergò pia Mater, quantò magis apud Deum excelluit, tantò humilius de se sensit, docta & assueta, non in se, sed in Deo spem ponere; nec in se, sed in Domino de acceptis muneribus gloriari, aptè postquam dicta est, deliciis affluens, dicitur etiam innixa super dilectum suum.*

Mariæ à cunctis terrenis omnimoda abstractio, soli que Deo addictio.

Guillelm. 2. Cor. 11. Isai. 36. Psal. 58. Psal. 51. Ierem. 17.

64. Breuissimè Honorius totam sic clausulam interpretatur: *Sequitur laus Ecclesiæ conuersæ de Iudæis admirantis gloriam Virginis. Quæ est ista, id est, quanta laude digna, quæ virtuosa ascendit de deserto Libano mundi, deliciis affluens cæli: innixa super dilectum suum, ab eo exaltata super choros Angelorum?* O quàm mirabilis erat gloria Deiparæ viatricis adhuc, quam Iudæi, qui olim cæcutientes inuidia Christi solis fulgorem tenebras esse reputabant, tam magnifico elogio concelebrant!

Magna gloria Deiparæ, dum viueret, quam vel Iudæi inuidi applaudunt.

Honor.

65. Profectò Maria ex generis humani deserto tam pulchra, tam splendida ascendit in orbem, vt ipsa vita, ipsum esse hominibus appareat, hoc est, vt iam non creatura, sed creatrix esse quodammodo videatur. Ait Ioan. cap. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Deus enim est *vita & lux*. At Maria ex illo deserto humanitatis offuso tenebris, & mortis caligine tam viuax, tam fulgens ascendit, vt ipsa vita, ipsa increata lux esse appareat. Pulchra hæc est D. Ruperti excogitatio: *Quæ est ista? vbi erat? vbi latebat? Mira res, nobis nunquam erat, nulla erat. Sed illi erat, in illo erat, de quo veraciter dictum est, In ipso vita erat. Qualis enim Maria est? qualis ascendit?* Ascendit quodammodo vt vita, quæ in Deo ipso vt vita latebat.

Tam pulchra ascendit Maria ex humani generis deserto, vt quodammodo nō creatura, sed creatrix appareat.

Ioan. 1.

Rupert.

66. *Et vita erat lux hominum* (pergit Ioannes) *& lux in tenebris lucet.* Diuina enim lux ex hoc ostendit, se esse Deificam, quod non inutiliter fulgurer, sed in hominum vtilitatem exponatur. *Vita* est Maria, ac simul *lux* hominum, vt creata vita, & lux increatæ vitæ ac lucis æmulatrix appareat, homines viuificans, & illuminas. Rupertus sic illam particulam, *Deliciis affluens* interpretatur. *Ascendit deliciis affluens. Iure miremur, quantis vel qualibus deliciis affluit. Deliciis gratiarum, quæ manifestantur ad vtilitatem, videlicet, sermone sapientiæ, sermone scientiæ, fide, gratia sanitatum, operatione virtutum, prophetia, discretione spirituum, generibus linguarum, interpretatione sermonum.* 2. Corinth. 12. Omnia hæc opera Virgo in hominum *vtilitatem* exerit. Vnde eius deliciæ sunt hominibus esse salutarem, vitam eis, & lucem Dei æmulatione impertiendo.

Maria viuens, & lucens in hominum vtilitatem, Deum, qui vita est, & lux omnibus, imitatur.

Ioan. 1. Rupert.

2. Cor. 12. *Deliciæ Mariæ sunt, esse hominibus salutarem.*

67. Cur autem *innixa super dilectum* Deipara ascendat? rursùm requiro. An quia, dum in terris egit, plurimis acta tribulationibus, & laboribus super Deum innititur, ne succumbat? Ita Rupertus. *Ad quid ascendit Virgo innixa super dilectum suum? Nimirum vt non timeat timorem hominum, vt non deficiat in tribulationibus, quæ illam inuenerunt, seu inuenturæ sunt: tribulationibus*, inquam, *atque persequutionibus inimicorum visibilium, atque inuisibilium, Paganorum, Iudæorum, Hæreticorum, & spirituum malignorum. Quomodò enim inter hæc omnia subsisteret, nisi innixa esset super dilectum suum? Numquid innixa deberet esse super semetipsam, aut super quemlibet alium? Tunc vtique caderet, stare non posset. Nunc autem dicit, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Psal. 26. *Hoc dicere, & facere nimirum est, innixam esse super dilectum.* Nos Deipara edocet, necessarium nobis esse fragilibus Deo inniti, vt interriti huius vitæ tentamina sustineamus: quando fortissima illa, de qua Salomon *Mulierem fortem quis inueniet? &c.* Prou. 31. ne excidat, super dilectum, ascendens, seu progrediens, innititur.

Maria Deo innitens, cunctas tribulationes superauit.

Rupert.

Psal. 26. *Fortissima Maria super Deum innititur, nè excidat: Quid nos debiles, & infirmi?*

Prouerb. 31.

68. Alanus ita locum exposuit: *Descendit Maria in desertum per natiuitatem, ascendit de deserto progrediens de virtute in virtutem: ascendit super desertum, omnem mundanorum contemnens sublimitatem: ascendit de deserto in æternum beatitudinem.* O quàm longum meritorum cursum perfecit, quæ vix nata in deserto mundi, de virtute in virtutem non inambulans. Sed volans ascendit!

Ineffabiles in perfectione processus egit Maria, quæ totum cursum volans perfecit.

Alan.

69. Quare autem in ascensu Mariæ mundum vocat, *Desertum?* Desertumnè porest dici mundus tot exundans hominibus? Certè Virgini mundus quasi *Desertum* fuit; degens enim in mundo, cuncta quæ in mundo aderant deserebat. Card. Hailgrinus appositè. *Ascendit* MARIA *de vitæ præsentis exilio supra choros Angelorum assumpta. Ascendit autem de deserto, scilicet de mundo quem deseruit, & tanquam desertum reputauit, quòd ab ipso omnem suum auertit affectum.*

Mariæ mundus desertum erat ob miram à cunctis creatis abstractionem.

Hailgrin.

De

70. *Affluentia meritorum faciebat, Mariam magis Deo inniti.* Hailgrin.

De deliciis verò, & adhærentia Virginis ad dilectum sic Cardinalis. *Affluere autem dicitur gratiarum deliciis, & virtutum: & innixa super dilectum. Nam nè perderet delicias affluentes, non suis meritis, sed ipsius innitebatur gratiæ, qui gratiam tribuit, & meritum præmium superaddit.*

71. *Super ipsum Christū Maria ascendit, quia subiici Matri voluit.* Richard.

Ascendit itaque MARIA *super dilectum.* An dilecto superior? Certè Christus Dominus in Matris gloriam sub illius esse potestate, eique humiliter obedire gaudet. Pulchrè Richardus à S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virg. Innixa est MARIA *super dilectum suum, quasi dilecto superior.* Qui ambulat super pennas Seraphinorum, & Cherubinorum Deus Homo Virgini submittitur. O mira Dei hominis facti dignatio! O mira fœminæ dignitas!

72. *Christus Mariæ obtemperat, vt filius matri.* Cant. 2. Richard.

Ait ipsa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ad quæ Richardus inibi: *Ego dilecto meo obtemperans, & obediens, sicut filia Patri, sicut ancilla Domino, sicut creatura Creatori.* Iusta quidem, ac debita huiusmodi est Mariæ submissio. Illud autem mirabile, quòd *dilectus meus mihi, subditus scilicet, & obediens, & obtemperans, sicut filius Matri.*

73. *Alij Diui cū Deo sunt; Deus autem cum Maria quasi ei subditus.* Luc. 1. Richard.

Dixit Mariæ Angelus, *Dominus tecum.* Luc. 1. Magnum prorsus Mariæ esset, esse cum Domino; id enim de illustrissimis Diuis prædicatur. Nam de Enoch, cuius sanctitas egregia fuit, dicitur Genes. 5. *Cum Deo ambulauit*, siue cum Deo fuit. At de Maria quotidie dicimus, *Dominus tecum*; tecum est ille, cum quo omnes Sancti sunt. Mariæ enim obtemperat ille, cui omnes Diui obediunt. Audi rursum Richardum. *In his duobus verbis, Dominus tecum, notatur Mariæ dignitas, & dominium super Filium suum,* (seu *super dilectum suum* innixio.) *Cum enim de omnibus Sanctis ceteris dicatur, & magnum sit eis, Esse cum Domino: vnde & Enoch dicitur, ambulasse cum Deo, quod faciunt, qui eius per omnia obediunt voluntati: Maria maius aliquid ceteris Sanctis sortita est, vt non solùm ipsa subiiceretur voluntati Domini, sed etiam Dominus voluntati ipsius. Super dilectum suum. Dominus tecum.* Alij Sancti cum Deo, Deus cum Maria.

74. *Miratur Maria, quod Christus sine illius licentia apud Ierosolymam remaneret.* Luc. 1. Bernard.

Cum puer IESVS in Ierosolyma remansit, Maria ei inibi inuento dixit, *Fili, quid fecisti nobis sic?* Luc. 1. Quasi admiretur, quod Filius sub Matris potestate constitutus, sine illius licentia apud Ierosolymam remanserit. Opportunè Bernardus homil. 1. sup. Missus. *Annon Deum, & Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat dicens, Fili, quid fecisti sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti, & vocati sunt Angeli. Maria verò Matrem se agnoscens, Maiestatem illam, cui illi cum reuerentia seruiunt, cum reuerentia suum appellat Filium. Nec dedignatur vocari Filius, qui subditus esse dignatus est.* Filius enim & Matri subditus idem prorsus.

75. *Iesus non solùm Matri erat subditus, sed & Iosepho propter ipsam.* Luc. 1. Bernard.

Manifestè ait Euangelista, *Et erat subditus illis.* Luc. 1. Ad quæ Richardus vbi suprà. *Quis, quibus? Deus hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ; nec solum Mariæ, sed etiam Iosepho, propter Mariam.* Adeò enim gratum erat Deo super se Mariam habere, eique obedire: vt propter ipsam etiam Iosepho illius sponso subiici voluisset.

76. *Ob culpam Eua sub potestate viri, Deus sub potestate Mariæ gratia merito.* Gen. 3. Bernard.

Acutè adiicit Doctor. *Dictum est Euæ merito transgressionis suæ, sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Genes. 3. *Dictum est Mariæ, Dominus tecum, merito gratiæ, quam inuenit.* Ac si diceret, præuaricationis in vindictam Eua sub viri potestate constituitur; at ob gratiam, quam ob virtutes egregias apud Deum inuenit, assequuta est Maria, vt ipse ei subiiceretur, & creatura dominaretur creatori, qui *subditus* illi esse dignatur.

77. *Maria in nuptiis præcipit Iesu, vt vinū suppleat, & ille obedit illius iussioni.* Ioan. 2. Hugo.

An-non Virgo apud Cana Galilææ se cum Domino tanquam dominatricem illius gessit? Deficiente vino ait Filio Maria, *Vinum non habent.* Ioan. 2. Eis ergò vini supple defectum. Cur ô Virgo, non Christum precaris? Cur non dicis, si placet, ô Domine, eis merum elargire? Imperasnè, an rogas? Planè videtur Deo veluti subdito imperare. Aptè quidem Hugo Victor. lib. de modo orandi c. 3. tom. 2. *Vinum,* ait, *non habent. Non dixit; Peto, vt defectum poculi vinum creando, aut commutando suppleas; sed hoc Maternæ reuerentiæ priuilegium deberi existimauit, vt quidquid vel innuendo se velle significaret, pati à Filio repulsam non debuisset.* Cui Matris imperio Christus ei subditus illicò obediit, licèt dixerat, *Nondum venit hora mea.* Sed sufficit imperij tui ô Mater, horam aduenisse, vt alacer obediam, *Implete hydrias aqua, &c.* Alibi plura.

78. *Super cuncta terrena ascēdit Maria, ea nihili faciens.* Num. 24. Richard. *Maria docet perfectionis studiosos, per terram non ambulare debere, sed ascēdere super terram.*

Quæ est ista, quæ ascendit? Mirabilis Mariæ ascensus de deserto celebratur Numer. 24. *Ipsa enim* (ait Richard. lib. 4.) *erat virga consurgens ex Israël, quæ duces Moab, id est, res temporales, quibus reguntur filij huius sæculi, percussit, dum omnia arbitrata est, vt stercora. Huius virgæ ascensum, & deliciarum affluentiam, & innixionem super dilectum mirabatur Synagoga, cum dicebat: Quæ est ista, quæ ascendit, &c. Quia ipsa Synagoga descendebat, & deliciis indigebat; nam sub mundo premebatur, & ei innitebatur, nec in cœlo conuersabatur; sed sub Sole, vbi non est nisi afflictio spiritus.* Eccli. 1. & 2. Hinc perfectionis sectatores à Virgine edocentur, non iam debere solùm per desertum pedum festinatione tendere, sed omninò voluerunt instar ascendentis, nullam vel minimam pulueris particulam contingere. Virga sint percutiens visibilia quæque ad Deiparæ imitationem.

79. *Christus omnésque cœlicolæ Mariam in cœlum ascendentem comitantur.* Richard.

Idem Auctor lib. 6. hæc verba Deiparæ Assumptioni ad cœlum accommodat, cui ipse dilectus cunctis cœlicolis stipatus procul dubiò affuit. *Hoc,* inquit, *Angeli, imò & omnes Sancti testantur, qui considerantes Virginem ascendentem de terra ad cœlum, in sua Assumptione, dicunt admiratiuè: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum? Quomodo ad litteram inniteretur dilecto, nisi præsens esset dilectus? Quia verius est, & consuetudo, quòd Proceres Regni interesse tenentur coronationi Regis, & Reginæ credibile est,* (ego certum existimo) *quod singuli, & vniuersi Angelorum Ordines, & Sanctorum Reginæ suæ coronandæ præsentialiter obuiauerunt. Et hoc est, quod legitur* 2. Reg. 6. *Adduxit David Arcam Domini in ciuitatem David cum gaudio, & erant cum eo septem Chori. David Christus, Arca B. Virgo, ciuitas David paradisus cœlestis, septem Chori Sanctorum vniuersitas plena gratia septiformi.*

2. Reg. 6. *Cum Arca Mariana ad cœlos inuehitur, Christus, & cœlicolæ adsunt.*

Lib. 11.

80\. Lib. 11. afferit, Deiparam esse castellum *ascendens*, seu eleuatum admodum sine ruinæ periculo; super Deum enim ipsum innititur, vnde firmissimum est Ecclesiæ, siue hominibus cunctis præsidium, & protectio. *Maria*, inquit, *Castellum est propter vteri virginalis diuersorium augustissimum, contra inimica tyrannidis impetum, munitissimum. Fundatum suprà firmam petram, quæ est Christus. Vnde* Cant. 8. *dicitur innixa super dilectum suum ascendens. Et ita est castellum quoad se, Castrum etiam est quoad nos. Quia omnibus impugnatis à triplici concupiscentia, vel ab hoste multiplici, fidele est, & inexpugnabile refugium, si ad eam confugerint sapienter.* Proximam expende particulam. *Si ad eam sapienter confugerint.* Quid est confugere sapienter ad Mariæ protectionem? Certè ad eius protectionem confugere non vt nos adhuc in proposito delinquendi manentes à Dei ira defendat; sed vt suis precibus nobis pœnitentiæ affectum, & effectum consequatur. Insipienter quidem ad Mariam confugit, qui illius vti expetit protectione, vt impunè delinquat. Sibi enim Mariam vti hostem acquirit, dum ambit in ea sortiri protectionem.

Maria castellum eleuatissimū Deo innitēs sine ruina periculo. Richard.

Insipienter Mariæ protectionē quærit, qui ea vtitur protegente, impunè delinquere.

81\. Porrò D. Bernardus serm. 4. de Assumpt. celebrat delicias, queis *affluens* Virgo ad cœlos ascendit. *Quid nisi delicias dixerim virginitatis decus cum fœcunditatis munere, humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam gloriæ singularis? Propter huiusmodi delicias cantat ei Ecclesia, speciosa facta es, & suauis in deliciis tuis, id est, tibi soli conuenientibus.* Addit Richardus lib. 12. *Item deliciæ Mariæ sunt virtutes, & priuilegia, quæ ipsi soli conueniunt, quorum merito à deliciis omnium Sanctorum translata est ad delicias Regis, & Domini Angelorum. Et benè virtutes eius deliciæ sunt, quia non solùm homines, & Angelos, sed etiam diuinos prouocant affectus. Vnde dicitur de ea* Ierem. 6. *Speciosæ, & delicatæ*, seu deliciis affluenti *assimilaui Filiam Sion, id est, Mariam, è Virgine ediscimus virtutum exercitamenta, quæ tepidis laboriosa obiiciuntur, perfectis verè esse delicias.*

Virtutes, queis ornata Virgo ad cœlum ascendit. Bernard.

Richard.

E Maria ediscimus, virtutum exercitia verè esse delicias.

82\. In hoc Mariæ de deserto ascensu plurima ait Richardus lib. 12. exprimi Deiparæ elogia ad cœlos ascendentis. *Angeli admirantur de magnificentia gratiæ, de magnificentia meriti, & de magnificentia gloriæ. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, hoc est, mundum, per supereminentiam gratiæ: & ascendit de deserto, seu mundo per excellentiam gloriæ? Dicitur ergo, Quæ est ista? Admirando fit hæc quæstio, non dubitando. Quæ est ista! Quàm admirabilis, quàm dilecta, quàm præcellens omnes creaturas, quantis præconiis attollenda, quanta admiratione dignissima; quæ non solùm totum mundum, sed & totum cœlum circumquaque suauitatis inæstimabilis odore perfudit!*

Plura elogia Mariæ ascendentis ad superos celebrantur. Richard.

83\. Quæ est ista Strabus in Gloss. *Id est, quàm digna? vel quàm admirabilis?* Pergit Richardus quæstioni respondens ibid. *Admirantur quatuor in Virgine, qui hoc quærunt. Primum est puritas innocentiæ, quam tantam habuit, quòd nec concupiscentiam sensit, quod est suprà consuetudinem. Secundùm superabundans gratia, quam tantam habuit, vt sibi, & toti mundo copiosè sufficeret. Vnde dicta est gratia plena: & hoc suprà meritum. Tertium, fructus ventris sui, quia natura mirante, suum genuit Genitorem, Deum scilicet, quod fuit suprà naturam. Quartum gloria ascendentis, quod fuit suprà omnem rationem. Quis enim capere posset delicias ascendentis? Hinc dicitur deliciis affluens; aut delicias, ad quas ascendit? Quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.* Sicut enim rimari nullus valet intellectus meritorum Virginis præstantiam, ita nec gradum gloriæ eis respondentem penetrare poterit.

Quatuor admirabilia in Virgine ascendente. Strab. Richard.

84\. Ascendit itaque Virgo *deliciis affluens*. Dixi cunctas virtutes ipsius delicias appellari. At castitatis puritas specialissimè ei extitit in deliciis. Ait D. Bernard. serm. 4. de Assumpt. *Quidni* MARIÆ *delicias dixerim virginitatem.* Hinc Virgo suis in cultoribus amat nitere castitatem; qui ergo vult delicias Virgini exhibere, virginitatem ei, seu castitatem offerat. De Christo Domino dixit Zacharias Luc. 1. *Seruiamus illi in sanctitate.* Id est, in puritate & munditia. Idem de Maria dixerim, seruiamus ei in castitate. Richard. lib. 2. *Seruiamus Matri, sicut docemur seruire Filio. Seruiamus ei in sanctitate, id est, in munditia. Vnde Mater dicit Filio* Psal. 110. *Ambulans in via immaculata hic (non alius) mihi ministrabat ad beneplacitum meum*, siue ad delicias spirituales meas.

Deliciæ Mariæ virtutes; sed præcipuè Virginitas. Bernard.

Luc. 1.

Richard.

85\. Fatur Virgo Prou. 8. *Et deliciæ meæ esse cum Filiis hominum.* Ad quæ Richard. Laur. lib. 2. asserit: *Nos Virginem in nobis delectabiliter detinere si profiteamur humilitatem*, cui annectitur castitas. *Quia deliciæ Mariæ, esse cum huiusmodi Filiis hominum. E contrario nihil magis fugat eam, quam superbia*, cui quidem assolet luxuria annecti.

Deliciæ Mariæ esse cum Filiis hominum castitatu studiosis. Prouerb. 8. Richard.

86\. Minimè potest Virgo purissima spiritualibus potiri deliciis apud impuritatis amatores. Bernardinus de Bustis serm. 1. de Purificat. non dubitat, Virginem piis hominum laudibus delectari, dummodo puritate, seu castitate laudator affulgeat. *Omnes ergo qui volunt de hac purissima Virgine loqui*, (vt ipsa in laudibus delicias spiritales capiat) *prius debent mente & corpore esse mundati. Vnde quilibet sentiens in se aliquam immunditiam, debet dicere illud* Isai. 6. *Vir pollutus ego sum. Deinde rogare debet Dominum, vt mittere dignetur Seraphin, qui iniquitatem auferat, & præcordia emundet.* Aptiùs verò ad argumentum Dionysius Carthusianus serm. de Concept. *Vt purissimæ Virgini complaceamus*, (siue vt delicias ad ipsius placitum libare possimus) *omni carnalitate fœdati, impuritati renuntiemus: ac magis mundi, casti, ac spirituales esse condignè nitamur; similitudo namque est causa amoris, & ratio complacendi Virgini*, seu ei spirituales delicias ministrandi.

Apud impuritatis amatores nequit Virgo ab eis delicias accipere. Bustus.

Carthus.

87\. Illam expende particulam, *spirituales esse nitamur*, siue in spiritus conuerti. Qui expetit ad Virginem ingredi, eámque dignè salutare, vt illius deliciæ sint cum eo commorari, Gabriëlem Angelum imitetur; omni carnis respectu ablegato, spiritus, seu Angelus fiat. Hugo Card. *Si vis ad Virginem ingredi, & eam salutare, oportet te esse Angelum. Angelum autem te faciet potissimùm puritas.*

Vt delicias ministres, Mariæ Angelū in castitate esto. Carthus. Hugo.

88\. Non dubium, quin pudicorum laudatio dulcissima modulatio, imò choreæ placidissimæ, queis Virgo delectatur. Cum autem

Non admittit Maria hym-

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Nn Virgo

bus eorum, qui profani sunt, eorum choreis nō delectatur. Virgo sibi sit deliciosus hortus, non admittit hymnos, & choreas, quæ delicias non augent, imò potius, quantum ex se, imminuunt. Richard. lib. 2. *Debent esse mundi, & immaculati laudatores Mariæ; ipsa enim est hortus conclusus: nec intrandum est in hortum deliciosum*, seu spiritualibus deliciis affluentem *pedibus lutulentis.* Suppleat vox dulcis, festiuæ choreæ. *Hymnos, & choreas turpes ab se Maria abiicit*, ait Damascen. orat. 2. de dormit. Deip. Hymni enim & choreæ seu omnis laudatio turpium hominum turpis est Dei genitrici. Quid ipsi hymni, & choreæ turpes?

Richard.

Damasc.

89. *Apis Maria omnem fugit immunditiam.* De apis agnata puritate ait D. Chrysostomus hom. 15. in Epist. ad Ephes. *In vas, & vestimentum immundum nunquam se demiserit genus apum.* Virgini conueniunt verba illa Eccli. 11. *Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Si Maria apis sit, omnem fugiet immunditiam, quæ mellis dulcissimi delicias nititur conspurcare. Apprimè Richardus lib. 2. Quantò Maria est purior, magis fœtet ei luxuriosus. Ipsa enim cum sit *apis*, *fugatur fœtore.* Superius dixerat. *Ne effuges Mariam*, ô immunde, *peccando; quia non recedet à te, nisi propter peccatum. Ipsa enim est apis quam fugat fæx* impudicitiæ.

Chrysost.

Richard.

Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.] Dionysius Carthus. *Constat, quod Christus in sua cruce suam dilectissimam Matrem excitauit*, nempè *sicut locustas*, faciens eam suprà cunctas fœminas auolare. Nam *ibi* scilicet in conceptu, & partu, vbi omnes matres, imò Anna mater tua corrumpuntur, & violantur virginitatis flore marcescente, Virgo concepisti, & Virgo enixa es Saluatorem, prædicente Propheta. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Isa. 7. Hanc Matri illibatam virginitatem Christus è malo, seu è cruce pendens, dum ipsa sub ipsa staret, (*Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Ioan. 2.) mirificè celebrauit.

90. *Vbi cunctæ fœminæ in conceptu & partu violantur, ibi Maria Virgo persistit.*

Carthus.

Isa 7.

Ioan. 19.

Dilecto *ibi* discipulo dixit: *Ecce Mater tua.* Mariæ autem: *Ecce filius tuus.* Ioan. 19. In arbore *Malo* paradisi cunctæ fœminæ traxêre conceptus & partus corruptionem; ex arbore *Malo*, qua hic Crux Dominica, vt Tres Patres asserunt, signatur, à Deo præuisa accepit Maria, vt seruata virginitate Christum conciperet, & pareret. Quod Christus confirmauit in cruce, cum Matrem Virginem Virgini Discipulo commendauit, vt Virginem eam semper extitisse disceremus. Audi perpulchram Arnoldi sententiam tract. de laud. Virg. *Virginitas virginitati commendatur, vt hoc testimonio reguletur Bonosus hæreticus, & prophanus Heluidius, qui ore fœtido ausi sunt garrire, quod de vtero virginali alius præter Christum partus effusus est. Ipse Christus de cruce Maternæ virginitatis est arbiter, idem & assertor. Obstructum est os loquentium iniqua.* Idem tract. de verb. Dom. ad illud: *Mulier ecce filius tuus*, scribit. *Hoc testimonium integritati Matris Christus in fine perhibuit, vt haberet Ecclesia sancta ex Euangelio lapidem, quem Bonosi Heluidiique hæreticorum impudenti fronti infigeret, qui in Matris illibata virginitatem ausi sunt impia, blasphemáque garrire.* Hoc lapide, hoc testimonio superbus ille Goliath percussus impio cruore volutatur.

91. *In cruce Christus Mariæ virginitatem celebrauit.*

Ioan. 19.

Tres Patres.

Arnold.

Nec solùm Christus Dominus cruci suffixus Mariæ virginitatem, sed & ipsius Maternitatem asseruit. Aliæ fœminæ vt sint fœcundæ violantur, & corrumpuntur. *Violata est mater tua, corrupta est genitrix tua.* Maria inuiolata & incorrupta Virgo & Mater extitit. Quod vt Filius probaret cruci suffigitur. Hildephonsus serm. 8. Assumpt. *Vt te* ô Virgo, *veram* simul *Matrem* Christus *ostenderet*, *verum se hominem patiendo tormenta monstrauit.*

92. *Christus è cruce Mariam non solum Virginē, sed & simul esse Matrem asseruit.*

Ioan 19.

Ildephons.

O quam fœcunda Mariæ Virginitas iuxta malum, iuxta crucem ostenditur! Non solum Mater Christi *ibi*, sed & omnium fidelium virginum Mater appellatur. *Mulier*, (ait Dominus) *ecce filius tuus.* Ioan. 19. Mariæ virginitas *ibi* Ioannem Virginem mysticè parit, imo & cunctos fideles fœcundissima enititur. Appositè Galfridus apud Tilma. in allegor. *Quodammodò Ioannes Virginis Matris in virginitate filius fuit: cuius illa si non carnem, carnis tamen integritatem edidit; & illum si non hominem, tamen virginem genuit. Ceterùm quam multos hodie paris sanctissima illa, fœcundissimáque Virginitas. Quàm fœlix eiusmodi generatio fœcunda, & incorrupta posteritas!* Vbi habes non solum Mariæ Virginitatem esse fœcundam, sed & huius Virginitatis filios Virgines fœcundos esse; exemplo enim vel hortatu eorum alij virgines filij nascuntur. Vnde aptè dicitur. *Fœcunda, & incorrupta posteritas.*

93. *Fœcundissima Mariæ Virginitas omnes in Ecclesia virgines est enixa.*

Ioan 19.

Gafrid.

Virginitas non solum in Maria, sed & in aliis virginibus potest esse fœcunda.

Filij autem hi Mariæ ex huiusmodi fœcundi virginitate nomen filiorum adipiscuntur. Eleganter id Abbas Guillelmus ostendit. *Bene piam Matrem* Mariam ô Fili, *miraris, & veneraris. Sed quia in imitatione totus venerationis est fructus, imitare, quam veneraris, vt filius illius spiritualis fias. Imitare illam tam in partu, quam in moribus. Illa ergò in corpore Virgo, & Mater est: te quoque in spiritu Virginem, & matrem esse oportet. Illa Christum caput omnium corporaliter peperit, & Virgo permansit: te quoque similiter oportet membra mea spiritualiter parere*, (virginea quidem exemplo & exhortatione) *atque in spiritu Virginem permanere. Non enim ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascuntur, qui à te sic pariuntur. Sic ergo oportet te Matrem Mariam in virginali fœcunditate, & in fœcunda virginitate imitari: vt scilicet hoc sis spiritu pariendo membra Christi, quod illa fuit in carne pariendo Christum.* Hinc colligo verum se Mariæ cultorem ostendere, qui alios ad illius cultum adducunt.

94. *Qui spirituales Mariæ filij.*

Ioan. 1.

Veres Mariæ cultores se ostendunt, qui alios ad illius cultum alliciunt.

Adeò Christo Domino gratum est, homines sic virgineam Deiparæ fœcunditatem, & virginitatem fœcundam imitari, vt videatur, imò vt profiteatur quodammodo, se ad crucis arborem solummodo ascendisse, vt suscitaret, seu vt produceret instar crucis arboris fructuum, huiusmodi Matris Virginis imitatores. Pulchrè Guillelmus. *Denique* (ait Christus) *ad hoc, vt Matrem meam, quam miraris*, in fœcunda virginitate *imiteris sub arbore Malo suscitaui te, sub ligno illo fructifero, ex quo prodiit fructus redemptionis humanæ, suscitaui te à morte. Nam mortuus eras,* ô homo,

95. *Christus crucem ascendit, & mortuus fuit, vt suscitaret Mariæ imitatores.*

Guillelm.

ô homo, *in peccatis, vel innatis, vel additis; & viuificaui te sub ligno crucis. De corpore meo pendente in ligno sanguis redemptionis quinque riuis stillauit super te, & ita sub arbore illa suscitaui te.* Ad quid precor ô Domine, tanto labore me, sub crucis Malo suscitasti? *Ad hoc, vt Matrem meam imiteris, sub arbore Malo suscitaui te.* Quid de imitationis Mariæ vtilitate dici potuit illustrius? Crucis arbor fructifer dici meritò potest, dum Mariæ profert imitatores. *Sub ligno illo fructifero, ex quo prodiit fructus redemptionis, suscitaui te, vt Matrem meam imiteris.*

Ineffabile Mariæ elogiū. Christū fuisse cruci suffixū, vt homines, eam imitaremur.

Vers. VI.

Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est sicut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

96\. *Pone me vt signaculum super cor tuum.*] Ineffabilis planè fuit Deiparæ erga Christum dilectio, ita ei grata, vt expetat semper in illius corde persistere. Vnde ne vnquam imminuatur, id est, nè tepiditati sit obnoxia, ipse vult fieri cordis Mariæ operculum, & cordis signaculum. Vnde eam monet. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Ad quæ Philippus Abbas. *Quia de corde suo errore suo mater tua Eua me proiecit, ab eiusdem cordis cubiculo salutem quoque proximam* (frigescente vtique dilectione) *longè fecit. Mi dilecta, quæ incomparabili gratia suscitaris, suscitantem dilige, vt diligens diligentius diligaris. Verùm quia in diligendo satis appares vehemens, & non infirma, hoc, quod agis, age perseuerantius, & confirma: & cor tuum, in quo mea dilectio videtur larga plenitudine contineri, apposito claude signaculo, quod versutia qualibet non possit aboleri. Hoc autem signaculum, quod velut operculum cordi tuo moneo superponi, nulli quidem versutiæ, nulli subiacet læsioni. Me igitur, quem lædi, vel corrumpi constat nulla penitus fractione posse: me, inquam, ipsum tuo cordi quasi signaculum superpone; quo signante, ingressus & egressus damnum inferens non patebit: non patente, dilectio constans, & indeficiens permanebit.* O quàm grata est Numini Mariæ erga ipsum dilectio, quam curat æternum conseruari, se ipso operculi, & signaculi cordis illius munus gerente.

Maria ineffabilis erga Deum dilectio, ipsi adeo grata, vt ipse cordis Virginis velit esse operculum, & signaculum, vt æternum in eo conseruetur. Philip.

Vehemens, seu fortis Mariæ erga Deum amor.

97\. *Vt signaculum super brachium tuum.*] Brachij simul Mariæ, quo ipsius egregia operandi vis designatur, vult Christus signaculum esse, vt constet, nihil agere illam, quod ad Dei dilectionem, eiusque gloriam non dirigatur. Philippus. *Idem quoque signaculum tuo volo brachio, ô Mater, superponas, vt scilicet nisi ex me, nisi per me operari quicquam non apponas; & cum quicquid egeris, tali signaueris munimento, scias tuum brachium nulli prorsus detrimento subiacere. Ob hoc autem moneo, vt quod agis me superposito consignetur; quia tali fretum signaculo brachium tuum non lædetur.*

Quidquid Maria egit, ex amore erga Deum ortum habuit. Philip.

98\. Parum planè esset, Mariæ brachium tali signaculo non lædi, nisi simul quasi Deifica fortitudine aduersus quoscumque hostes insigniretur. Nam si Deus in Mariæ brachio versatur, Dei fortitudo ei aderit ad pugnandum, & vincendum. Aptè idem Abbas. *Brachium tuum ô Mater,* (Christus ait) *aduersus omnia incomparabili fortitudine præualebit, & ipsi morti comparatum, quævis occurrentia non pauebit.* Fortis-ne est sicut mors dilectio? Ergo *sicut indifferenter omnibus fortis & intrepida mors assistit: ita dilectio tua, si prædicto signaculo præmunitur, contra quæque noxia præualere fortiter inuenitur.* An dura sicut infernus æmulatio? *Sicut cum infernus in quosque miseros gaudet durius desæuire, duram eius sæuitiam non labor, non gemitus miserorum potest emollire: sic æmulatio, qua Virgo ardet diligens Deum imitari, non vult à proposito nec prece, nec pretio, nec mollitie reuocari.* An-non hoc egregium?

Quasi Deifica fortitudine Mariæ brachium exerebatur ad hominum protectionem. Philip.

99\. Egregium adhuc quid insonant illa Philippi verba. *Idem signaculum tuo volo brachio superponas, vt nisi ex me operari quidquam non apponas.* Christus enim brachio Mariæ appositus in illo quidem operatur: vnde quidquid Virgo agit ex Dei agit fortitudine. Ideò non audax inueniar, si asseruero Mariæ brachium Dei brachium verè esse factum. Luc. 1. ipsa cecinit. *Fecit potentiam in brachio suo,* scilicet in brachio meo, quod iam ipsius brachium est, siquidem suam potentiam in eo collocauit. Si tuo in brachio ô Virgo, Dei residet potentia, brachium exere ad nostram protectionem, nullus non hostis tuæ cedet impugnationi, tuo dum in brachio omnipotens decertat.

Christus suam exerit potentiam in Mariæ brachio, quod videtur esse brachium ipsius Christi. Philip. Luc. 1.

100\. Conuenienter autem hæc verba possunt ad studium, quo curauit Deipara fragrans amore Christi actiones imitari, transferri. Quod Alanus egit, sic scribens. *Signaculum dicitur, cuius sigillum seu forma, vel imago solet ceræ imprimi: vt cera recipiat formam sigilli, vt secreta celentur ignotis, & notis aperiantur. Sic Virgo Maria Christum posuit super cor suum vt signaculum, quia ipsi per imitationem conformata est, eiusque gratia consignata. Hoc autem fuit incognitum diabolo, & Angelo cognitum. Super brachium tuum, id est, in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super cor Virginis, & super brachium dilectus ponitur vt signaculum, quia in cogitationibus, quæ notantur per cor, & in actionibus, quæ per brachium, Virgo Filium imitabatur.* Vnde tam perfectè imago illi signaculo respondebat, vt Mariæ cogitationes & actiones è Christo prodire viderentur; quare aptius quam Paulus poterat inclamare, *Viuo ego, iam non ego, viuit,* cogitat, & operatur *in me Christus.* Gal. 2.

Tam perfectè curauit Maria Filium imitari, vt eius cogitationes, & actiones ipsius Christi esse viderentur. Alan.

101\. Rupertus ab aliis Patribus differens, hæc verba non sponso Christo, sed sponsæ Mariæ accommodat, hincque augustum admodum elogium Virginis elicit. *O dilecte,* (inquit Maria) *quid est in præsenti loco cor tuum, & quid brachium tuum, nisi Scriptura veritatis, quæ scripta sunt secundum cor tuum; & memoria mirabilium tuorum, ex quibus cognoscitur, quam magnum, quam fortè sit brachium tuum?*

Tanta Mariæ potentia, vt possit quodammodo omnipotentis Dei brachia virtute addere. Rupert. Prou. 31.

Quid ergo petit Mulier ista fortis, nisi vt in eã confidat cor viri sui? Prou. 31. *Quid enim est dicere. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, nisi ac si dicat, confidat in me cor tuum, & roboretur* (attende) *adiutorio meo brachium tuum?* Tantane mulieris fortis licet, potentia, vt omnipotentis Dei brachium omnipotens valeat roborare? O Mulier non iam fortis, sed fortissima, & quodammodo plusquam omnipotens, vt possis omnipotenti quasi vires addere!

102\. *Quàm fortis sit Maria ad debellandum infideles, qui oppugnant sacra Scriptura veritatem.* Rupert.

102\. Quàm verò fortis sit Virgo ad roborandum cor, & brachium Dei, seu Scripturæ sacræ veritatem; quamque viriliter vires exerat aduersùs illius impugnatores, videamus. Pergit ex ore Deiparæ Rupertus. *Pone ergo me,* ô Fili, *vt signaculum super illud cor tuum, pone me vt signaculum super illud brachium tuum. Quam* (Christus quærit) *ob causam?* Et Virgo respondet; *contra triplicem* eorum, qui contra cor tuum, & brachium tuum sacras scilicet scripturas, & potentiam brachij tui latrant, *insaniam Iudaicam, Paganam, & Hæreticam. Prompta sum, expedita sum, deuota sum è contra fortiter defendere illud cor tuum, protegere illud brachium tuum, sicut Imperiale signaculum, sicut fidele testimonium mira fortitudine, miranda duritie, quam nullus possit effringere. Cunctas hæreses tu sola interemisti.*

103\. *Zelus, & amulatio Mariæ ad fidei defensionẽ, hac dura sicut infernus, fortis vt mors ille.* Rupert.

103\. Quænam quæso, hæc Mariæ inuincibilis, haud superabilis fortitudo? Respondet Virgo. *Fortitudinem meam dico dilectionem: duritiam meam dico æmulationem. Cur hoc, ô Virgo? Quia fortis*, ait, *est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quid est hoc dicere, nisi ac dicatur. Zelum magnum habet dilectio, iram intolerabilem habet æmulatio. Quis vnquam portare potuit Zelum dilectionis, quam habet* Virgo *circa cor dilecti sui: & iram æmulationis, quam habet erga brachium dilecti sui? Sicut mors, & sicut infernus nulli parcit, & omnibus est immitis. Quicumque igitur malè sentiunt de scripturis veritatis, quæ scriptæ sunt secundum cor Viri sui, & dilecti sui: qui malè prædicant de brachio fortitudinis, quo salutem generis humani operata est omnipotentia Viri sui, dilecti sui.* Et quis est verus Dei amator, qui non auderet se ostendere fortem fidei defensorem?

Ex dilectione prodit Mariæ zelus & æmulatio ad sacræ Scripturæ impugnatores conterendos.

104\. *Maria peccatoribus aliis Mater est dilectionis, fidei vero impugnatoribus timoris est Mater, quia Mater est eius, cuius fides impugnatur.* Eccli. 24. Rupert.

104\. Ineffabilis quidem est Deiparæ in peccatores charitas, eius pietas illos allicit ad pœnitentiam, veniam illis precibus sollicitat. Vnde Mater dilectionis appellatur. *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Attamen mox adiecit. Et timoris. Eccli. 24. Cur dilectionis Mater, timoris Mater simul vocitatur? Quia quæ peccatorum aliorum delictis non irascitur, vt è materna pietate recedat: Mater timoris est, se enim Dei Matrem esse videns, ex huius Maternitatis affectu contra fidei impugnatores horribiliter immitis exsurgit. Audi adhuc Rupertum. *Nonne cum in remittendis peccatis piissima sit* Virgo, *illos dumtaxat, qui loquuntur extra vel contra verbum veritatis mortificat, & inferno illorum animas addicit? Quidpiam* aliud peccatum *tolerare potest, sed quod cordi dilecti sui, id est, Scripturæ veritatis contradicit, tolerare non potest. Illos, qui sunt in hoc, eliminat, & anathematis gladio trucidat. Quamtumuis natura sit mitis Maria vtpotè dilectionis Mater: statim fit intractabilis, & videtur aduersariis eius motus eius quasi motus mortis, & ira eius quasi ira inferni.* His enim *Mater Christi* cum sit, timoris horribilis est occasio.

105\. *Cum Maria plus esset mitis, quàm Moses, & Dauid, vbi fidei causa agitur, terribilis est illius impugnatoribus.* Num. 12. Exod. 27. Rupert.

105\. Exemplo Moysis, & Dauidis id Abbas confirmat. *Sicut de Moyse constat, quia cum esset mitissimus omnium hominum, qui morabantur in terra* Num. 12. *vbi causa poposcit, sic immitis factus est quasi mors, sic durus quasi infernus, vt ita diceret. Qui domini est, iungatur mihi, & durissimo eius imperio occideret vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, cecideruntque vna die viginti tria millia* Exod. 27. *Et ille materiali gladio, & alij post eum complures, vt fortissimus David* (qui dixit aliquando. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius*) *probauerunt, quia verè fortis est vt mors dilectio, verè dura sicut infernus æmulatio. Dilectissima* itaque *Maria spirituali gladio sæuit propter dilecti sui cor, & brachium, persistens fortiter tanquam inuiolabile signaculum. Nam de materiali gladio non habet præceptum siue dilecti sui consensum, cum audierit eum dicentem, conuerte gladium tuum in locum suum.* Matth. 26. Quid si præceptum dilecti, vel consensum haberet? Fortius planè quam Moses, Elias, & Dauid materiali gladio cunctos Iudæos, cunctos Paganos, cunctos Hæreticos impugnatores cordis & brachij dilecti sui, fidei scilicet interimeres ô Virgo, quæ iam *cunctas hæreses* gladio spirituali *tu sola in vniuerso mundo interemisti.*

Si Maria præceptum esset, aut permissũ vel materiali gladio fidei hostes vulnerare, nullum superstitẽ relinqueret.

106\. *Maria lux est fideles illuminans, fulmen infideles comminuens.* Rupert.

106\. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.*] Hîc dilectio Virginis erga Filium celebratur, quæ quidem cùm fidelibus lumen sit illustrans, sacræ Scripturæ hostibus fulmen est comminuens. Ad hæc Rupertus. *Lampades eius. Cuius eius? Dilectionis* MARIÆ *& æmulationis, lampades flammarum. Sicut ignis, dum concitatus fuerit, generat flammam: sic dilectio* MARIÆ *dum aliquid perceperit non secundùm cor huius Viri sui, non secundum sensum huius dilecti, parit æmulationem lucenter pariter amicis, & vrentem inimicos.*

107\. *Qui Mariam imitatur, perfectam Christi refert imaginem.* Guilelm.

107\. Guillelmus autem aptius totam sententiam Christo loquenti cum Ecclesia accommodat, eique pollicenti fore, vt si Deiparam imitetur, in Christi imaginem conuertatur. *Verè ô Ecclesia ad hoc sub arbore malo suscitaui te, vt piam Matrem meam in conuersationis sinceritate imiteris. Ergo illam imitando, pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, id est, intus & foris imprime mihi quasi signaculo. Cogitando etenim & operando mei ipsius perfectissimam imaginem referes.* Cogitationes quippè & actiones Mariæ adeò sunt cogitationibus & operibus Christi conformes, vt qui Mariam imitantur, perfectam in se Christi imaginem referat.

Mariæ cogitationes & actiones sunt Christi cogitationibus, & actionibus valde conformes.

108\. *Vitæ ac mortis Christi memoria meditationi perpetuò Maria materiam dedit.* Carthus.

108\. Dionysius verò Carthus. existimat, hoc duplici signaculo significari vitæ, & mortis Christi memoriam, quæ Deiparæ assiduæ meditationi materiam exhibuit. *Ipsa*, inquit, *affectuosissima Mater vnicum Filium suum, & cuncta eius mysteria, omnem dilectionem eius ad nos, & amarissimam passionem ipsius pro nobis, profundissimè & prorsus indelebiliter cordi suo* (duplici sigillo) *impressit, sanguineisque litteris inscripsit. Et omnibus modis adorandi Filij sui*

sui passionem ad condolendum, ad imitandum, ad regratiandum, ad admirandum, ad gratulandum, ad diligendum, ad contemplandum. Et addit, *Fuitque in ea dilectio, instar mortis fortissima, pro qua ipsa despexit plenissimè omnia terrena.*

109. *Eo ipso, quod Maria Christi virtutes imitatur, virginitatis rutilat splendore.* Guarric.

Duplici sigillo Deiparam munitam contemplor, vno quidem Iesu imitationis virtutum, altero autem virginitatis munimenti. Curans enim Virgo per imitationem Christi virtutes in se exprimere, consequenter ad munimen castitatis inuiolabile sigillum acquirit. Guarricus Abbas, *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Iesus quippè impressus in corde Mariæ, expressus in opere, sigillum planè & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suæ: & eo ipso, quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam.* Sic ille serm. 2. de Annunc. Chrysippus homil. de laudib. Virg. asserit sigillo munitum fuisse Mariæ vterum, *vt Mater esset virginitate seruata.* Ildephonsus serm. 5. de Assumpt. MARIÆ *singulariter datum fuit, Matrem esse, & sigillum castitatis non perdere: prolem suscipere, & incorrupta virginitate gaudere.* Hinc *optimam partem elegit.* Et Proclus orat. in Natiuit. IESV. *Accurrant virgines, quoniam Virgo virginitate non violata, imò integritate obsignata peperit.* Sigillauit ergo Matris virginitatem Filius, vt magis eam roboraret, ac muniret.

Chrysip.

Ildephons.

Quàm à Deo sigillata, & custodita Mariæ Virginitas!

110. *Spiritus sancti imaginē Mariæ sui in virtutibus perfectissimè refert.* Geometr. Luc. 1.

Geometra autem ad cap. 1. Luc. in cat. Græ. affirmat sigillum, seu signaculum hoc, imò signacula esse Spiritum sanctum, qui in Maria virtutum suarum impressit imaginem, vt digna Dei Genitrix esset. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Inuisibilem suam formam in te depinget, vel etiam ipsum Spiritus sancti sigillum in te exprimetur.* Vt scilicet perfectissima Spiritus sancti redderis imago.

111. *Tam augusta Mariæ opera, vt in eius brachio Dei operari videatur.* Ambros.

Demùm Mariæ brachium Spiritu sancto in ipsa expresso roboratum tam augusta, tam præcelsa opera exeruit, vt videretur, Deum ipsum esse, qui illo operabatur. Pulchrè Ambrosius lib. 1. de Virginib. *Pone me vt signaculum super brachium tuum, quo factorum tuorum documenta promantur, in quibus figura Dei eluceat.* Id est, in quibus operibus augustissimis appareat, adeò esse cœlestia, vt non mulierem, sed Deum ipsum auctorem habere videantur. Richardus Laurent. lib. 9. de laudib. Virg. *Signata est Virgo à tota Trinitate. Vnde* Cantic. 8. *Pone me vt signaculum, &c. Hoc signaculo impressus est Mariæ decor diuinæ similitudinis expressius, quàm alicui creaturæ.*

Richard. *Maria totius Trinitatis perfectissima imago.* Richard.

112. *Maria vehementer optauit pro Christo, & pro hominibus mori; vnde fortior quam mors eius dilectio.*

Fortis est vt mors dilectio. Richardus lib. 4. sic de dilectione Virginis erga Filium hæc verba interpretatur: *charitas Mariæ fortis fuit vt mors, imò fortior morte. Quia Filium in tantum dilexit, & humani generis redemptionem in tantum optauit, quòd mori pro Filio, vel pro mundi salute cum Filio desiderauit.*

Vers. VII.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

AQuæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.] Circa hunc Vers. Patres parum, aut nihil annotarunt. Supponit Guillelmus in præsenti, *aliud esse extingui charitatem, aliud obrui. Extinguitur enim, cum fortè per illecebram peccati ab affectu frigescit, & penitus interit: Obruitur autem cum fortè vi aut metu superatur, quodam in Deum inaniter intus affectu manente, tanquam mortuæ charitatis cadauere. Vnde D. Leo dicit in negante Petro non euersam fuisse dilectionem, sed constantiam fuisse turbatam;* & addit, *Abundauit fletus, vbi non defecit affectus. Quasi diceret, Obruta est in eo charitas, non extincta.* Nec extingui, neque obrui vnquam potuit Deiparæ charitas, seu dilectio erga Deum & proximum, siquidem *lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Lampades charitatis Mariæ, non sunt vacuæ & frigidæ lampades, quales fuerunt virginum fatuarum, sed propter oleum gratiæ, quo referta sunt, lampades ignis atque flammarum sunt. Quia nimirum ardet in Maria amor, & Zelus; quantum autem ardeant, ex eo, quod sequitur intimatur: Aquæ multæ non potuerunt extinguere Mariæ charitatem*, in gratia confirmatæ: *nec flumina tribulationum illam obruere.*

113. *Nunquam potuit Mariæ charitas extingui.* Guillelm.

Maria charitas est lampas virginū prudentum inextinguibilis oleo gratiæ.

Richardus à S. Laurent. lib. 2. de laudib. Virg. asserit charitatem Virginis cunctis virtutibus exornari, vnde adeò viuax obiicitur, vt nullatenus potuerit à multis tribulationum aquis extingui. *Stragulatam, ait, Maria fecit sibi.* Prouerb. 31. *Stragula dicitur à stragos; quod interpretatur Talaris vel Varium. Vestis ergo stragulata Virginis est conuersatio talaris per perseuerantiam; varia vel polymita, vt tunica Ioseph propter gratiarum, donorum, vel virtutum varietatem. Vnde est texta firmiter charitas illius, quæ nunquam excidit indissolubilitate, quia aquæ multæ tribulationum non potuerunt extinguere Mariæ charitatem, &c.* Charitas enim reliquis virtutibus stipata, quasi immortalis cunctis periculis, & tribulationibus ostentatur.

114. *Maria charitas cunctis virtutibus cingitur, vt vinci non possit.* Richard. Prouerb. 31.

Inextinguibilem Deiparæ charitatem adhuc Doctor. lib. 4. sic expressit. *Dixit Deipara Patri, vel Filio, igne me examinasti.* Psalm. 16. Omnium tribulationum flammæ in Mariæ charitatem irruere, vt earum violentia illius ardor vinceretur: sed charitatis ignis de igne tribulationum victoriam reportauit. Superato earum igne ab igne charitatis Mariæ, irruerunt tribulationum aquæ, nec potuere Marianæ charitatis incendium obruere. Vnde per aquam & ignem inuincibilis transiit. Vicit Virginis charitas tribulationum ignem. *Quia nec passionem Christi impediuit, nec crucifixoribus maledixit,*

115. *Per ignem & aquam Mariæ charitas inuincibilis; & inextinguibilis graditur.* Psal. 16. Richard.

ſed exemplo Filij, vt verè creditur, pro eis interceſſit. Et ſic ardebat illius charitatis ignis, & lucebat operibus eximiis, vt Prouerb. 31. *de illa dicatur, Non extinguetur in nocte tribulationum lucerna eius. Et* Cantic. 8. *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem illius.*

116. *Omnino inextinguibilis eſt ignis charitatis Mariæ.* Richard. Vberius eodem lib. 4. Virginis charitatem inextinguibilem prorſus celebrauit. *De charitate Mariæ dicitur* Cant. 8. *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Aquæ multæ, id eſt, omnimoda pœnalitates, quas ſuſtinuit in Filio, non potuerunt extinguere charitatem Mariæ, quia ipſius charitatis abſorbebatur ardore, ſicut ardore ſolis, vel ferri igniti aqua abſorbetur. Vnde de charitate eius dicitur* Sap. 16. *In aqua (tribulationis) quæ ignem extinguit (imperfectæ charitatis) ignis (ſeu Mariæ charitas) plus valebit: & aqua obliuiſcebitur extinguentis naturæ. Sequitur, nec flumina, id eſt, impetus tribulationum quanticumque, obruent eam: imò quantò fortius impulſa eſt, tantò firmius ſtetit; quia fundata erat ſuper firmam petram, quæ eſt Chriſtus. Itaque charitas Mariæ omninò erat inſuperabilis; quia dilectio Filij abſorbebat in ea omnem aliam dilectionem, ſicut magnus ignis lumen lucernæ abſorbet. Dilectio enim ignis eſt, quem Dominus venit mittere in terram.* Luc. 12. *Quo videlicet igne vehementius animam Matris ſuæ inflammauit. Vnde & ipſa dicit* Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt: ſicut metallum duriſſimum per vehementiam ignis liquefieri poteſt.*

Sapient. 16. Cant. 5.

117. *Ignis charitatis Mariæ erga nos, nec peccatorum noſtrorum diluuio poteſt extingui.* Eccli. 24. Per aquas in ſacris litteris non ſolum tribulationes, ſed & peccata aſſolent aſſignari: quod vulgare apud Interpretes. Vidimus, à tribulationum aquis Virginis charitatem extingui non potuiſſe. Iam requiro, extingui ne à peccatorum diluuio charitas Deiparæ poterit? *Ipſa dixit in* Eccl. 24. (loquor cum eodem Richardo lib. 9.) *Ego quaſi fluuius Dorix, qui interpretatur Medicamentum generationis, quia ſanauit generationem humanam, quam prima mater mortaliter, ita vulnerauerat, vt à planta pedis vſque ad verticem ſanitas non eſſet in ea. Dorix enim fluuius eſt in Armenia mirabilis velocitatis: & Maria eſt fluuius gratiæ rapidus, & mundans, influens in nos per charitatem, quæ fortis eſt vt mors, quamque aquæ multæ peccatorum noſtrorum extinguere non poſſunt.*

118. *Maria adeò à Deo diligitur, vt dilectio ipſa Dei poſſit appellari.* Ezech. 24. Pſal. 67. Oſe. 3. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.*] In ſacris coniux *dilectio* appellatur. Ezech. 24. *Deſiderabile, ſeu concupiſcibile* oculorum mariti. Hic autem vocatur abſolutè *dilectio.* Quare? Dauid vxorem ſpeciem domus vocitauit, *Et ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Pſalm. 67. id eſt, ad vxorem, quæ eſt ſpecies, ſeu pulchritudo domus pertinet ſpolia domeſticis diuidere. Porrò eo ipſo quod vxor ſit ſpecies domus, debet ſic à viro diligi, vt illa per antonomaſiam *dilectio* ipſa appellari valeat. Solebant autem olim ſponſæ à viris emi. Oſe. 3. *Emi eam quindecim argenteis.* Si igitur homo quis vt ſponſam ſibi comparet, quæ verè eſſe ſponſi ſui *dilectio* debeat ob pulchritudinem, prudentiam, virtutem, &c. *Dederit cuncta quæ poſſidet, quaſi nihil deſpiciet eam ſubſtantiam,* ſi cum theſauro probæ huiuſmodi vxoris ſibi acquiſito comparetur. Itaque Deipara eſt ſpecies domus Spiritus ſancti ſponſi adeò ab ipſo dilecta, vt *ipſa dilectio Dei* valeat appellari. Vnde ita longo interuallo ſuperat omnes Dei erga Angelos, & alios homines dilectiones, vt ſola dilectio Dei erga Mariam poſſit dici *dilectio.* Virgo enim non ſolùm fuit à Deo ſponſo dilecta, ſed ipſa dilectio Dei extitit.

Si ergo, ſponſus ait, *dederit homo*, ſeu Deus homo futurus *omnem ſubſtantiam domus ſuæ*, ſeu theſaurorum cœleſtium, ac diuitiarum gratiæ pro Maria ſponſa, quæ eſt ipſa Dei domus *ſpecies*, & *dilectio*, quaſi nihil dediſſe exiſtimabit. Iam ab omni peccato fuiſſe immunem, beatifica viſione fuiſſe aliquando, dum viueret, illuſtratam, cunctis eſſe Angelis ſapientiorem, perfectiorem Apoſtolis, fortiorem Martyribus, Virginibus puriorem, virginitate indemni concepiſſe, ac peperiſſe, gratia eſſe plenam, omnium creaturarum Reginam exſurgere, reliquáſque domus Dei diuitias pro illius acquiſitione exponere, quaſi nihil à Deo reputantur. 119. *Deus tradidit pro Maria ſibi comparanda omnes domus ſuæ theſauros.*

Hinc lubet pulchrum paralellum excellentiæ Virginis ad Dei excellentiam efformare. Ait Iſaias cap. 40. *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo; & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* De Maria dicimus, omnis ſubſtantia domus Dei, ſeu gratiæ & priuilegia cuncta omnibus Dei domeſticis communicata reſpectu gratiarum & priuilegiorum, quibus donata eſt Maria, quæ eſt ipſa Dei domus, quaſi nihil reputantur, & quodammodo deſpiciuntur pro tantæ Matris dilectione. 120. *Omnia priuilegia Angelis, & hominibus cōmunicata, quaſi nihil, ſi cum priuilegiis Mariæ comparentur.* Iſai. 40.

Totam itaque domus ſuæ ſubſtantiam, cunctos theſauros dedit Deus, vt ineffabilis dilectionis Mariæ, ſibi margaritam compararet. An-non Deus pro generis humani redemptione totam domus ſuæ ſubſtantiam tradidit? Quis dubitet? Profectò pro comparanda ſibi Maria in Matrem prius eandem domus ſubſtantiam impendit. Pulchrè D. Bernardus ſerm. de Natiuit. Mar. *Cœleſti rore aream Eccleſiæ rigaturus, totum vellus, Mariam ſcilicet, prius infudit redempturus genus humanum, & pretium vniuerſum, (*ſeu ſanguinis theſaurum*) contulit in Mariam.* Vt videlicet eam ſibi in dilectiſſimam Matrem acquiret eodem infinito pretio, quo redempturus erat genus humanum. 121. *Vt Deus Mariam ſibi in Matrem cōpararet, obtulit omnes theſauros poſtmodum pro mundi redēptione expoſitos.* Bernard.

Multæ filiæ, (id eſt, omnes animæ ſanctitate conſpicuæ (& omnes Spiritus cœleſtes) *congregauerunt diuitias* domus Dei, vt ipſe eos ſibi compararet. *Sed tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Prouerb. 31. Tota enim domus Dei ſubſtantia congregata eſt in Virgine, vt dignam Deus ſibi Matrem acquireret. Gemmæ enim nobilitas ex pretio pro comparanda ea expoſito declaratur. Audi D. Bonauenturam in ſpec. Virg. cap. 8. *O opulentiſſima, ô diues in omnes, & ſuper omnes Maria! de cuius ſubſtantia modica pars aſſumpta totius mundi ſuffecit ſoluere debita. Opulentiſſimus Dominus eſt tecum; & quia opulentiſſimus tecum, ideò tu opulentiſſima, ſine ditiſſima, ſicut dictum eſt, Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* 122. *Ex carne Mariæ modica pars aſſumpta à Deo totius mundi ſufficit debitum ſoluere.* Prouerb. 31. Bonauent.

Expreſſit pulchrè D. Anſelmus vim the- 123.

ſaurorum

Maria quasi infiniti valoris reddita, debuit infinita domus Dei substantia in Dei Matrem quodammodo comparari. Anselm.

saurorum, quos Deus contulit in Maria, vt ostendatur, quam iustè pro illa acquirenda sibi in Matrem omnem domus suæ substantiam tradiderit. *Nihil tibi,*(ait lib.de Concept. cap. 7.) *Domina, æquale, nihil comparabile est. Omne enim, quod est, aut supra te est, aut subtus te est. Quod supra te est, solus Deus est: quod infra te, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis attinget, quis aspiciet? Suprà te*, ait, *solus Deus est*. imò qui supra te est, tuum esse dignatur prius, quàm Dei Mater fieres dicente Archangelo, *Dominus tecum*. Luc.1. Vt iam tu ô Virgo quasi infiniti valoris reddita, deberes in Dei Matrem infinito omnis substantiæ domus Dei pretio comparari. Quid mirum dicat iam Eligius homil. 2. de Purific. *Plenitudinem, & perfectionem omnium gratiarum Deus illi contulit.* Et Petr. Cel. lib.6. epist. 23. Prorsus nihil ad nos, nihil ad Angelos melius, & dignius *de omnibus thesauris suis* protulit *æterna Trinitas, quàm Templum virginale.* Preme illud: *De omnibus thesauris suis:* Deus Angelis & hominibus protulit gratias & priuilegia *de omnibus thesauris suis*; sed non *de thesauris suis omnibus*, sed omnes thesauros contulit in Mariam.

Luc.1.

Eligius.

Petr. Cel.

Angelis, & hominibus dedit Deus gratias & priuilegia de thesauris suis, at omnes suos thesauros.

Vers. VIII.

Soror nostra parua est, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?

124. *Cum adhuc infans esset Maria tanta puritate nitebat, vt verè à Deo posset soror appellari* Carthus.

SOror nostra parua est, & vbera non habet.] Quisnam hic loquitur? Dionysius Carthusianus. *Hoc potuit Verbum æternum vnigenitus Patris ad cœlestes cives proferre de sacratissima Virgine adhuc in annis infantiæ existente, quando adhuc apta non erat concipere Christum Messiam, cuius aduentus in mundum tunc propinquauit.* Mirum planè, quòd cum Maria infantiles annos nondum exegisset, vel triennis in domo paterna, vel deinceps in Ierosolymitano virginum claustro, tanta niteret puritate, vt verè Verbum diuinum dicere potuerit, *Soror nostra parua est.* Soror, dum parua, dum infans, Dei verè appellatur? Quid quæso, postquam Dei Mater exsurgat?

125. *Quid non dedit Maria Deus, vt eius Mater esset, si vt esset soror, innumeris eam gratiis donauit?* Carthus.

Vnde Verbum ipsum adiecit: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est:* Carthusian. *Quando* scilicet *alloquenda est per Gabrielem Archangelum annuntiantem ei Incarnationis mysterium in ea, & per eius consensum esse complendum?* Ac si diceret, si dum esset paruula, tot à nobis fuit gratiis, ac priuilegiis donata: quid faciemus, imò quid non faciemus, cum iam adest tempus adeo à nobis expetitum, vt non iam soror, sed Mater verè expresso consensu, valeat nominari? Vulgari idiomatè expendo: *Parece en cierto modo, que la diuina Omnipotencia se pone en cuidado acerca de las gracias, y priuilegios, que ha dedar à Maria*, vt digna Dei Mater existat, si tot eam diuitiis donauit, vt eius soror esset.

126. Crediderim autem, verba hæc: *Quid faciemus sorori nostræ, &c.* à Beatissima Trinitate esse prolata. Sapere enim videntur primum illud, *Faciamus hominem*, quod asserentibus cunctis ferè expositoribus, à diuinis Personis fuit expressum. Vt diuina Trinitas differentiam inter hominem, & reliqua animantia exprimeret, ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & animantibus terræ.* Genes. 3. Non dubitat, quid sit cum Adamo, reliquisque hominibus faciendum, sed mox illis Dei similitudinem adscribit. At vt Maria non iam animantibus, sed Angelis & hominibus dominetur Dei Mater, à Beatissima Trinitate est exornanda. Tam ineffabilis verò hæc est dignitas, vt à sua diuina omnipotentia quasi exquirat consilium: *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est*, vt Mater Verbi fiat? Fiat cunctis diuis hominibus superior. Exigua tantæ Maternitatis dignitati est præparatio. Cunctis cœlestibus spiritibus præponatur. Non sufficit: *Quid* ergò *faciemus*? Cum non possit Maria verè per naturam effici Dea, gratiæ aliæ omnes, priuilegia cuncta, etiam possibilia non videntur posse Matris Dei munus æquare. Vnde Trinitas quodammodo exclamat, *Quid faciemus? Que hemos de hacer, pues nada de lo possible vasta?*

Beatissimæ Trinitati non videtur, cuncta possibilia priuilegia æquare posse Mariæ Matris Dei dignitatem.

Gen. 3.

127. *Ineffabilis Mariæ humilitas ponderatur.* Luc. 1.

Soror nostra parua est, seu humilis in oculis suis adeò, vt cum in Dei Matrem esset electa, sese appellauit, & sensit ancillam, *Ecce ancilla Domini*. Luc. 1. Vt sim Dei Mater paruula sum, nec vbera ad eum lactandum digna habeo. Pia est aliquorum meditatio, quòd quando ad Virginem salutandam fuit Gabriel ingressus, fuerit inuenta legens illa verba Isaiæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Quando autem hæc verba legebat, toto cordis affectu profabatur: O me fœlicem, si tanto munere donarer à Deo, vt illa fœlicia tempora aspiciens, tam præcellenti Virgini famularer! Audi D. Brigittam lib. 1. cap. 10. quæ Mariam ita sibi alloquentem inducit: *Ego semper in corde meo optaui, vt viuerem ad tempus natiuitatis illius Virginis, si fortè mererer fieri ancilla indigna Matris Dei: & ecce vidi (cum hæc mente versarer) sydus, sed non quale fulget in cœlo; vidi lucem, sed non qualem lucet in mundo; sensi odorem, sed non quasi herbarum, vel aliquid tale, sed suauissimum, & ferè ineffabilem: quo tota replebar, & præ gaudio exultabam. Inde statim audiui vnam vocem, sed non de ore humano: & ea audita, satis timui, nè fortè esset illusio. Et statim apparuit ante me Angelus Domini quasi homo pulcherrimus; sed non carne vestitus, qui dixit mihi, Aue gratia plena.* Ac si diceret, Tu ô Maria, es eademmet Virgo, cui ancillam te expetis addici.

Brigit.

128. *Maria non iam humilis in concreto; sed ipsa humilitas in abstracto.*

Tam paruam sese Virgo reputauit, vt non sit ex huiusmodi affectu appellanda *humilis*, sed ipsa *humilitas* in abstracto debeat compellari. Vt Ecclesia ineffabilem illius puritatem exprimat, non *Virginem* in concreto, sed ipsam *Virginitatem* in abstracto esse proclamat. *Sancta & immaculata Virginitas.* Vt autem ineffabilem Mariæ humilitatem dignè exprimas, non eam *humilem*, sed ipsam *humilitatem* fuisse affirma. Audiuit Brigitta, vt ipsa refert lib. 1. c. 19. è cœlo Mariam appellandam esse nō humilem, sed ipsam *humilitatem. Alia,* inquit,

inquit, *est humilitas, qua vocatur Maria.* Quasi humilitatem inducat vt personam, quæ quidem aptissimum nomen acciperet, si Maria vocaretur; quia *Maria*, & *humilitas* prorsus idem. Collige hinc, quam aptè Virgini possimus omnes excellentias in abstracto attribuere: vt non iam sit misericors, sed ipsa misericordia; non iam diligens, sed ipsa dilectio, &c.

Omnes virtutes Mariæ in abstracto cōsiderandæ.

129. In Bibliis Sixtianis, & in Hebræis originalibus legimus, *Soror nostra paruula est.* Quasi Maria in humilitate Christo Domino assona fiat, qui quidem in S. Litteris *paruulus* gaudet appellari. Isa. 9. *Paruulus natus est nobis.* Et cap. 11. *Paruulus minabit eos.* D. Vincentius Ferrar. illa verba Iob. 5. 2. *Paruulum occidit inuidia.* De Christo Domino non recens nato, de quo Isaïas: *Paruulus natus est nobis*; sed de viro perfecto exponit: *Paruulum, id est, Christum occidit inuidia; quia à Iudæis per inuidiam fuit occisus.* Sic B. Virgo *paruula* vocitatur ob ineffabilis humilitatis Filij æmulationem.

Maria ob humilitatem paruula Christo ob humilitatem paruulo admodum similis. Isai. 9. Isai. 11. Vincent. Iob. 5.

130. Sed non excidant sine pondere illa verba, quæ Virgo D. Brigittæ protulit: *Ego semper in corde meo optaui, vt viuerem ad tempus natiuitatis illius Virginis*, (quam Isaïas expressit illa sententia: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*:) *si fortè mererer, fieri ancilla indigna Matris Dei.* Oportuit quidem tantæ fœminæ futuræ Dei Matri omnem possibilem excellentiam diuinam, Angelicam, & humanam subiici, & humiliari. Diuina Maiestas humiliari voluit coram Maria vt Matre; Christus enim Deus & Homo *erat subditus illi.* Luc. 1. Angelica sublimitas omnis coram Virgine submissa est, vt suamque Dominam & Reginam eam adorauit. Ast quonammodo omnis humana creatura potuit Mariæ submitti, si ipsa semetipsam venerari non poterat? Profectò vt Maria seipsam veneraretur, sibiquemetipsi supponeret, illo mirabili artificio vsus est Deus, nempè vt Maria aliam Virginem menti obiiceret eligendam in Dei Matrem, de qua Propheta: *Ecce Virgo concipiet*, illamque expeteret sortiri, ac venerari vt Dominam, *si fortè* (ait ipsa) *mererer fieri ancilla.* Vnde est effectum, vt Maria realis, & vera sibimetipsi subiiceretur, vt alteri piæ considerationi obiectæ. Quo planè fit, vt *omnis* sublimitas possibilis, Diuina, Angelica, & Humana Mariam Dei Matrem veneraretur, eique subiiceret.

Omnis possibilis excellentia Humana, Angelica, imò diuina quodammodo Mariæ subiicitur, vt digna Dei Mater existat. Brigit. Luc. 1.

Maria se ipsam venerata est, vt omnis possibilis sublimitas ei submitteretur.

131. Dum autem Beatissima Trinitas Mariam *sororem* appellat, innuit, in ea quandam ipsius Trinitatis perfectissimam imaginem nobis exponi. Quod ipsa Brigittæ lib. cap. 46. reuelauit. *Quicumque* (Deipara ait) *videt Deum, videt in eo tres personas: & quicumque videt me quasi tres personas* easdem *videt. Nam Deitas conclusit me in se cum anima & corpore, & impleuit me omni virtute: vt non sit virtus in Deo, quæ non splendeat in me* vti in imagine. *Sicut enim duo corpora simul coniuncta, quidquid vnum receperit, recipit aliud: sic fecit mihi Deus. Nam non est dulcedo, quæ non sit in me. Anima & corpus meum puriora sunt Sole, & mundiora speculo. Vnde sicut in speculo tres personæ viderentur, si extarent: sic & in puritate mea, videri poterunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Quid illustrius?

In Maria est perfectissima beatissimæ Trinitatis imago. Brigit.

An ô B. Virgo, quia te sic eleuatam Beatissimæ Trinitatis sororem intueris, nos tuos ex humana natura *fratres* despicies? Respondet D. Bonauentura lect. 6. Imò confidenter *possumus obsecrare* Dei *Matrem*, Trinitatis sororem, *sicut Abraham obsecrauit Saram. Dic obsecro, quod soror mea sis. O Virgo Maria, ô Sara nostra, dic, quod sis soror nostra, vt propter te sit benè nobis à Deo. Dic inquam, charissima soror nostra, & ob gratiam tui viuent animæ nostræ in Deo. Dic quod sis soror nostra, vt propter talem sororem Ægyptij, id est, dæmones nos reuereantur, propter talem sororem Angeli nobis in anima coniungantur; vt insuper propter talem sororem Pater, Filius, & Spiritus sanctus nobis misereantur.* Deus itaque te ô Virgo ob sublimitatem tuam, te sororem appellat: tu ob humilitatem tuam dic in conspectu Dei, Homines, soror vestra sum. 132.

Maria Dei soror, non dedignatur hominum etiam sororem nominari. Bonauent.

Porrò Richardus à S. Laurent. lib. 5. sententiam hanc de exaltata Virginis humilitate exposuit. *Soror nostra paruula est. Sunt verba sodalium Christi, sanctorum videlicet Prophetarum, qui quasi repræsentant Domino B. Virginem tanquam ad hoc aptam, vt carnem assumat ex ea; & dicunt, soror nostra B. Maria paruula est per humilitatem mentis.* Vt carnem Deus assumat ex ea, repræsentant illi, Virginem esse paruulam? An non aptius repræsentarent magnam admodum esse vt illum, de quo Dauid, *Magnus Dominus*, posset excipere? Planè dum Maria paruula esse repræsentatur, immensurabilis Deitatis capacior obiicitur ob agnatam humilitatis exaltationem. 133.

Maria dum paruula Deo repræsentatur immensi Dei capax esse obiicitur. Richard.

Mariæ humilitas exaltata.

Confirmat id Doctor lib. 12. *Paruula est Maria per humilitatem. Vnde dicunt de ea Angeli, & Prophetæ, soror nostra parua est. Propter hoc etiam dicitur virgula fumi.* Cant. 3. Non potuit Mariæ humilitas sese magis attenuare, si se vt fumum leuissimum vix visibile, mox periturum exponit. At tunc ex cognata humilitatis exaltatione *myrrhæ & thuris* aromata vsque ad cœlos ascendunt. *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Profectò thuris fumus diuinum quid in Virgine redolere videtur. 134.

Mariæ humilitas exaltata. Cant. 3. Richard.

Honorius in Sygil. inducit Virginem valde sollicitam circa synagogæ in mundi termino ad Christum Dominum reductionem. Ac si diceret Deipara. O Fili, *quid faciemus vt soror nostra synagoga ad te pœnitens adducatur in tempore, quando per Enoch & Heliæ prædicationem alloquenda est?* Vt mireris Virginis pietatem, quam sanguis veri sui Abelis profusus non retardat ab instantia precum pro ingratissimi illius populi conuersione. Et quomodo obduratus Pharao ille nisi piissimæ sororis Mariæ lacte mollescet? 135.

Iudæi precibus Mariæ in mundi fine reducentur. Honor.

In Iudæorum reductione ineffabilis Mariæ pietas elucescit.

Aptius adhuc Guillelmus ad animarum imperfectarum multitudinem respiciens, asserit, Virginem contendere hîc illas apud Filij tribunal excusare. *Postquam dilectus*, ait, *Ecclesiæ suæ, vt eam ad pia Matris imitationem accenderet, charitatis excellentiam præclarè commendauit; eadem pia Mater perfectam illam, quæ laudata fuerat, charitatem in tam paucis membris considerans, atque imperfectionem cæterorum: apud Iudicem Filium materna lenitate excusans, soror, inquit, nostra parua est.* 136.

Maria ad Christi tribunal non accedit, nisi vt pro hominibus aduocata existat. Guilleim.

eſt. Pro illa parte Eccleſia loquitur, quæ per quandam non carnis, ſed mentis infantiam, nimium delicata, & ob id magnis virtutum operibus minus idonea cernitur. Apud Chriſti tribunal nunquam Deiparam aſpicies, niſi vt peccatores protegat, & iuſtos paruni perfectioni addictos excuſet.

137. *Maria noſtram tepiditatem ad ſpiritualem profectũ excuſat, quaſi eſſet nobis impoſſibile. Tanta eius pietas ad noſtros defectus excuſandos.*

Audi aduocatæ noſtræ Virginis verba: *Soror noſtra* (cum Guillelmo loquor) *id eſt mea, & tua ô ſponſe cœleſtis, mea propter communem adoptionem; tua verò, quia eodem ſpiritu, quo tu ex me natus, illa in te renata eſt. Parua eſt per ætatem virtutis, & ob hoc minus idonea fœcundari de ſpiritu tuo: minus idonea verbo, & exemplo tibi parere filios; propter paruitatem non poteſt parere. Vt quid autem pareret, vt quid fœcundaretur ad prolem, quæ nondum habet, vnde paſcat eam, nondum illi creuerunt vbera? Parua eſt, & vbera non habet: ſed adhuc quodammodo ad vbera pendet. Vnde Paulus tam grandia habens vbera ad paſcendos ſuos paruulos, ita eos alloquitur. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus: ſed tanquam paruulis in Chriſto lac dedi vobis, non eſcam; nondum enim poteratis.* 1. Corinth. 3. *Quomodo ergo hæc parua ſoror noſtra lactaret alios, ipſa nondum ablactata, nondum ab vberibus auulſa? Proinde quia pro paruitate ſua vbera non habet, oportet eam priùs in ſe grandeſcere, vt & ad alios lacteſcere poſſit.* Sic immenſa Mariæ pietas noſtram tepiditatem ad ſectandam perfectionem excuſat, eam quaſi ad impoſſibilitatem referendo, *Propter paruitatem non poteſt. Quomodo ergo hæc parua ſoror lactaret alios, ipſa nondum ablactata?*

1. Cor. 3.

138. *Licet Maria non precetur pro nobis, ſolùm eam velle vt Deus nobis ignoſcat, velut petitio efficax eſt.* Guillelm.

Hæc autem piiſſima excuſatione duo Maria intendit vnum, vt Filius illorum hominum tepiditati culpabili quidem ignoſcat: alterum, vt ad correctionem eis opem dignetur addicere. Cur autem Virgo ea expreſſis verbis non poſtulat? Profectò quia ſciebat Filio ſufficere ſuæ voluntatis inſinuationem, vt illicò vtrumque operaretur. Audi quæſo perpulchram eiuſdem Abbatis ſententiam: *Ad hæc piæ Matris verba cœleſtis ſponſus ita reſpondet, Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt? Quaſi diceret, more tuo facis ô pia Mater, ſimpliciter ſuggeris, cum hæc dicis. Sed hæc tua ſuggeſtio petitionem redolet. Vis enim, & petis, vt eam per merita tua habeam excuſatam, & ignoſcam ei, quæ iam diuſculè talis eſt; quæ iam longiuſculè in ſuis primordiis, in fidei cunabulis hæret, quæ nondum euacuauit, quæ erant paruula, ſed adhuc loquitur, ſapitque vt paruula. Ecce facio, quod petis; ignoſco ei ſuper hoc interuenientibus meritis tuis.* Preme illa verba: *Ecce facio, quod petis.* Nihil Virgo petiuit, ſed ſolummodo illorum hominum paruitatem manifeſtauit, quæ quidem vt vidimus culpabilis erat. Quomodo ergo dicit ſponſus. *Ecce facio quod petis?* Certè quia Deus ita Virginis voluntati eſt addictus, vt ipſi pro expreſſa petitione ſit, ſcire id Mariam expetere. Annota etiam illud: *Ignoſco ei ſuper hoc interuenientibus meritis tuis.* Merita enim Virginis vices obtinent precum. Vnde neceſſarium non eſt, vt ipſa petat; ſufficit, vt velit, merita namque illius pro hominibus coram Deo vociferantur. En Deus paruulæ pepercit.

Scire Deum, Mariam aliquid velle, idẽ eſt, ac ſi ipſa id enixè petiiſſet.

Apud Deum Mariæ merita vicem exercẽt precum.

139. *In Mariæ voluntate Deus poſuit cuncta bona hominibus conferenda.* Guillelm.

Pergit Guillelmus, & illius ex ore ſponſus: *ſed video, quòd hoc ſolo contenta non ſis, video, quid amplius velis, ipſam ſcilicet grandeſcere, quouſque vbera habeat. Quid faciemus, id eſt, quid vis, vt faciamus? Ecce in voluntate tua pono, quid faciam ei. Non eſt*, (inquit Abbas) *quo amplius honoretur Mater à Filio.* Siquidem non eius preces expectat, ſed ſolam voluntatem penetrans, ad opus accingitur: *Ecce in voluntate tua pono quid faciam ei.*

140. *In nuptiis Maria nõ petiuit expreſsè aquam conuerti in vinũ, & tamẽ illius volũtatis inſinuatio vices precum egit.*

Cogitationem hanc Ioannis teſtimonio egregiè confirmat. Deficiente in Nuptiis Chana mero, Mater dixit ad Ieſum, *vinum non habent*, nec poſtulauit expreſsè, vt aquam in vinum conuerteret, & Ieſus difficultatem ad miraculum excitandum obiecit, *Nondum venit hora mea.* Virgo autem miniſtris ait. *Quodcumque dixerit vobis facite.* Iuſſit Dominus, aqua hydrias impleri, quam in merum conuertit. cap. 2. Cum repulſam ô Virgo, illam exaudieris, *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea*, qua confidentia miniſtros monuiſti, vt gererent, quidquid eis Chriſtus ad patrandum miraculum imperaret? Vt autem iſta confidentia inanis non ſit precibus inſta. Opus non eſt, Mariam precibus inſtare, ſufficit, ſuam voluntatem Filio expreſſiſſe ſine prece, vt illud ipſum cognoſci à Chriſto id velle Maria, inſtantiam precum vices obtineat. Pulchrè id Guillelmus expreſſit. *Soror noſtra parua eſt.* Non *dixit, Peto, vt hoc, aut illud facias. Sed more tuo facis ô pia Mater, ſimpliciter ſuggeris, cum hæc dicis. Sed hæc tua ſuggeſtio petitionem redolet, vt olim cum ego & tu pariter recumberemus in nuptiis. Nam deficiente vino, ſimpliciter mihi ſuggeſſiſti, dicens: Vinum non habent: & nihil addidiſti. Ego autem ſciebam, quid ſibi vellet iſta ſuggeſtio: ſciebam, quid velles, vinum continuantibus fieri; & in hoc facto diuinitatis meæ potentiam declarari; feci, quod volebas, nam conuertendo aquam in vinum, & lætificaui conuiuas, & manifeſtaui gloriam meam. Sic etiam nunc ſimpliciter ſuggeris ſororem noſtram paruam eſſe, & vbera nõ habere; ſed video, quid ſibi velit hæc ſuggeſtio tua. Vis enim, vt eam per merita tua habeam excuſatam. Vis inquam, & petis.* Quomodo petit, ſi non petit, ſed ſolùm ſimpliciter ſuggerit? Planè quia Mariam id velle, apud Deum idem eſt, quod precari. Iam non petam ô Virgo, vt pro ſalute mea preces ad Deum profundas, facilius quid poſtulo, ſolum flagito, vt velis; Deo enim tuam voluntatem innuere, petitio efficax, imo quodammodo iuſſio protinus exequenda.

Guillelm.

Velle aut deſiderare aliquid Mariam idem eſt, ac precari.

Quid faciemus ſorori noſtræ, &c, Hominem Deus ad ſuam imaginem formaturus, non dixit: *Qualem faciemus hominem?* Sed nudè, *Faciamus hominem ad ima-*

141. *Deus exaggerat, quæ ſit Maria factura.*

Ant. de Eſcob. & Mendoz. In Cantic.

Oo ginem;

ginem, & similitudinem nostram. Genes. 1. Cum de Maria est sermo, cui multo plura quam cunctis hominibus (præter Filium) fuerant munera conferenda, Beatissima Trinitas perfectionum magnitudinem exaggerans, inquit: *Quid faciemus sorori nostræ?* qua perfectione Mariam donabimus, quando ab Archangelo sit alloquenda, vt Verbi Mater fiat. Appositè Hugo Cardinal. *Quid faciemus sorori* nostræ. *Hoc quærit Beata Trinitas, non dubitans, sed quid factura sit exaggerans; quasi dicat: Magna faciemus ei.* Ipsa in Cantico profitetur, *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius, & misericordia eius.* Luc. 1. Quasi Dei omnipotentia, & Dei nominis virtus, & Misericordiæ diuinæ valor vires omnes colligerent, vt Mariæ perfectionem constituerent. *Quasi dicant, magna faciemus in Maria.*

Hugo Card.

Dei potentia, nomen, & misericordia quasi vires colligunt, vt magna efficiant in Maria.

142\. Proxima verba: *Magna faciemus in Maria* expende. Non explicat, quænam magna sit facturus. Quare? Vt ostendat, homini esse ineffabilia, imò inexcogitabilia, solique Deo cognita. Flecto ad hanc mentem illud Eccles. 1. *Vnus est altissimus creator omnium, omnipotens. Ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & numerauit, & mensus est.* Solus Deus, qui Virginem condidit, vidit eius excellentiam, eius magnalia dinumerauit, eius magnitudinem est dimensus. Pulchrè D. Bernardinus Senens. tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1. *Tanta fuit perfectio Virginis, vt soli Deo cognoscenda reseruetur iuxta illud* Eccles. 1. *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, vidit, dinumerauit, & mensus est.*

Magna, *quæ Deus fecit Mariæ, vt esset digna Dei Mater, Deus solus cognoscit.*

143\. Profectò Maria ipsa dignoscens experimento, magna in ea fecisse Deum, *Fecit mihi magna, qui potens est*, non explicat quænam magna acceperit. Quia scilicet creaturæ ineffabilia sunt, eiusque captu recipi non valent. Vnde quodammodo nec ipsa Maria cognouit *magna* illa, quæ accepit, ideoque ea explicitè recensere non valet. Bellè admodum D. Thomas à Villanoua conc. 3. de Natiuitate Mariæ, inquit, *Fecit mihi magna, qui potens est*; (Virgo ait:) *Sed quàm magna? Nescio, an ipsamet valuit suam comprehendere magnitudinem.* Quam ergo impar erit omnis creatus intellectus, ad *magna* illa quæ Deus fecit Virgini dignoscenda.

Quodammodo nec Maria ipsa plenè dignouit magna *illa, quæ ei Deus fecit.*

Villanoua.

144\. Cum Euangelistæ Ioannis Baptistæ, diuorumque aliorum magnalia expresserint, de magnaliis Mariæ, virtutibusque illius nihil nobis tradidêre. Quare, precor? Respondet D. Thomas à Villanoua tom. 2. serm. 2. *Euangelistæ siluerunt de Virgine propterea, quia Virginis gloria magis cogitari poterat, quàm describi.* Addo ex Andræa Cretens. orat. 1. de dormit. Mar. Quia *Dei tantum est, Mariam laudare pro dignitate.*

Maria gloria magis cogitari poterit, quam describi.

Villanoua.

145\. Licèt autem ineffabilia sint *magna* illa, quæ fecit Mariæ Deus, tamen ait Thomas de Villanoua citatus posse cogitari, *Virginis gloria magis potest cogitari, quam describi.* Vndenam potest cogitari? *Omnia enim ille ait, collegisse Euangelistas, cum dixerunt, ex ea natum esse Iesum. Sufficit ad Mariæ plenam historiam, quod scriptum est, quia de illa natus est Iesus. Quid amplius? quid vltra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quòd Mater Dei est. Vbi ergo totum erat, pars scribenda non fuit.*

Cum cogitas, Mariam Dei esse Matrem, haud obscurè eius libras magnitudini.

Villanoua.

Anonymus quidam Auctor (accepi ab Auctore non immerito, qui asserit id in Codice antiquo legisse) sic præfata confirmat, nempe Virgini facta à Deo magna excogitari posse ex eo, quod Dei Mater existat. *Considerandum, ait, nobis est, Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginem, ab ipso Summo arte ac singulari prouidentia depictam. Vnde cum de ea audis, quod Dei Mater sit, debes inde reliqua colligere, sicut ex vngue leonem. Sicut enim cum homo debita membrorum proportione constat, si eius manum videas duntaxat, ex illa colligere poteris vniuersi corporis magnitudinem, propter proportionem, quam inter se membra seruare debent: Ita cum audis, Mariam Dei esse Matrem, inde reliqua colligere potes. Summa enim proportione vniuersa in ea posuit cœlestis artifex, & omnia reliqua dona huic dignitati commensuranda erant.* Quænam precor huius leænæ, ex qua Leo de Tribu Iuda, *vngues*, & huius mulieris *manus*? Esse Dei Matrem. Si igitur esse Matrem Dei Mariam *vngues*, & *manus* est solummodo, quam procera erit huius ferè immensurabilis corporis magnitudo? Deus solus agnoscit, sed tamen nos ex *vngue*, ex manu haud obscurè colligimus. 146.

Mariam Dei esse Matrem vngula est, ex qua leænæ magnitudinem dignoscimus.

Annony.

Maria est perfectissima Dei imago.

Roborat hæc Doctor ille ex verbis piæ illius fœminæ clamantis, *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Luc. 11. *Venter*, & *vbera*, id est, esse Dei Matrem vngula, & manus erat, vnde leænæ & fœminæ spiritualem proceritatem deberent auditores apertè colligere. *Atque adeo* (inquit ille) *vniuersas* ineffabiles quidem *Mariæ laudes vnico verbo collegit mulier de turba dicens: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Vnico*, ait, *verbo*: en vnguem, en manum, id est, *ventrem*, & *vbera*, seu Dei Maternitatem. 147.

Venter Mariæ, & vbera vngula est, & manus è quibus leænæ, & mulieris proceritas arguitur.

Luc 11.

Annonym.

Vt autem apertius colligas *magnorum* illorum, quæ sibi fecisse Deum Maria proclamat. (*Quia fecit mihi magna*) sublimitatem: ad memoriam adferas quæso beneficium illud magnum, quo à Deo Abram fuit donatus. Genes. 17. *Nec vltra* (Deus inquit,) *vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* Tam magnum beneficium hoc visum est Abræ, vt quasi ferre non sustinens, *cecidit in faciem suam.* Ab vnius litterulæ *he* additione, tanto Abram pondere grauatur? Ita quidem, & meritò, quia littera illa ex ineffabili Dei nomine *Tetragrammaton* fuit desumpta, vti Hieronymus annotauit. At nihil non magnum, licet exiguum externa specie videatur, quod à Deo, seu ex Dei vel solo nomine profluere noscitur. O quàm ingentia, quàm sine mensura erunt *magna* illa innumerabilia, quæ Deus Virgini fecit, quæ non litteram vnam diuini nomini accepit, non integrum nomen; sed nomen & personam 148.

Vna litterâ addita nomini Abræ, tantares fuit, vt pondus illa nô potuerit sustinere, quanta magna illa fuere, quæ Deus Matri suæ fecit?

Genes. 17.

Hieron.

Verbi

Verbi diuini Hominis eius in vtero effecti! Quis itaque, qui Deus non sit, Mariæ magnitudinem poterit metiri? Deus metiatur.

149. *Quodammodo Maria & Christi eadem magnitudo.* Cant. 1.

Ego autem, dum Deus Virginis à se inuentam magnitudinem immensurabilem non exponit, dicere audebo, Mariæ magnitudinem eandem quodammodo esse cum Filij Dei & Hominis, magnitudine. Fatur ipsa ad Filium Cantic. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Ille respondet, *si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, abi, &c.* Cum Maria Filium quærebat, dicens: *Indica mihi, vbi habitas*, debebat Filius respondere, *si ignoras me.* Cur autem, *si ignoras te*, respondit? Certè quia Maria & Christus quasi idem sint prorsus. Vnde qui voluerit Matris magnitudinem indagare, Filij magnitudinem vel à longè scrutari contendat. At si post accuratam scrutationem, quantus sit Deus haud poteris intelligere, quanta sit eius Mater non poteris adipisci.

Vers. IX.

Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

150. *Deiparæ iam maxima admodum à Deo effectæ vberiora gratiarum incrementa promittuntur.* Guillelm.

SI *murus est.*] Hîc Deiparæ tam magnæ effectæ adhuc vberiora incrementa virtutum, & priuilegiorum à Domino promittuntur. Guillelmus, *Grandescat adhuc. Secundum aptitudinem eius* (aptius dixerim *Magnitudinem*) *promoueamus eam, vt vberius crescat in meritis*, si ergo iam sit *murus* tantæ magnitudinis vt cœlorum sublimitatem superet: addam illi nouam proceritatem, nouum robur innumerabilibus gratiis ac donis; vt murorum pinnis, & propugnaculis eam vallabo, simul muniam, & exornabo. Si iam sit *ostium*, quo ego ad homines ingressus sum; vt per illud ad me homines ingrediamur, cedrinis charismatum cœlestium tabulis id exornare persequar. Si post tantam magnitudinem à Deo acceptam, vt digna eius Mater existeret, amplius & amplius Virgo crescit, quem existimas perfectionis, ac magnitudinis verticem tenuisse? Solus, qui dedit, id poterit indicare.

151. *Maria precatur Deum, vt inepti Pastores Ecclesiæ apti reddantur, ad id ministeriū rectè obeundū. Tanta illius erga Ecclesiæ incrementa sollicitudo.* Guillelm.

Inferius autem idem Guillelmus in his verbis: *Si murus est, si ostium est*, asserit, in nonnullis ad Pastorale Ecclesiæ munus electis, ad illud rectè obeundum, non esse aptitudinem: inuenti enim sunt *minus habentes*, quia nec muros robur ad fidelium defensionem. Sed ostium sunt ad subditos benigne excipiendos, semper apertum. At tantam esse Mariæ erga Ecclesiæ profectus sollicitudinem, vt clamet, & precetur pro huiuscemodi damno reparando. *Hoc nimirum est, (ait Abbas) quod à pia Matre omnipotenti Filio dicitur, si murus est, si ostium est. Si quis in Ecclesia propter simplicitatem Pastorali officio aptus non est, & tamen per charitatem ad exhibendam proximis misericordiam, proclinior est: tu diuina operatione, ego pia intercessione non tantum prouocemus, sed & informemus cum sublimibus clarissimorum Patrum exemplis, ne scilicet insufficientiam propriæ discretionis minus attendens, & ob hoc illi plus iusto innitens, ibi sua iustitia dispendium patiatur, vbi se Deo impensus obsequium arbitratur præstare.* Hæc Guillelmus. Non autem ei assentior, ista tribuenti sponsæ Mariæ, & non potius sponso Christo Domino in vberiorem planè Matris gloriam.

152. *Verè fidelium est, Mariam ab hæreticis eam oppugnantibus verbo, & calamo defendere.* Philip.

Aptius itaque Philippus Abbas existimat Deum fideles hortari, vt Matrem suam, quæ est firmissimus Ecclesiæ murus, ab inuisibilibus & visibilibus hostibus verborum, ac calamorum vi defendant. *Si murus*, ait, *est, imò quia est, gaudens ciuibus circumponi expedis; circumposito defensionem aliquam superponi; vt videlicet nostra sollicitudo, nostra cohortatio desuper vigilet, & intendat, vt ad illud penetrandum hostis vel ad modicum se extendat. Sic muro propugnacula non lapidea, sed argentea preparamus, cum Virginem sollicitis defensaculis, & alloquiis confortamus, cum hostium incursantium malitiam prohibemus fortiter ab accessu, & illis inclamamus, securam esse Virginem de successu.* Sic muro *propugnacula argentea* à nobis adiiciuntur.

153. *Maria est ostium, per quod ad Deū nobis patet ingressus.* Philip.

Profectò Maria non solum est *murus*, sed simul est *ostium*, per quod ad Deum nobis patet ingressus. Pergit Philippus, *Ne autem ciuitas Ecclesia muro circumsepta, videatur sic inclusa, vt per eam ab eis, quæ non à se, sed quasi de foris habet beneficiis sit exclusa: ipsa Virgo, quæ murus est, ostium nihilominus appellatur, per quod quidquid ciuitati est necessarium ministratur. Per Virginem enim sponsus ad collectionem fidelium diligit introire. Per eam quoque omnibus in ea confidentibus subuenire.*

154. *Sermone & scriptu defendere debemus perpetuam Mariæ virginitatem.* Philip.

Ostium ergo hoc, per quod Christus Dominus mundum fuit ingressus, eo clauso inuento, & clauso relicto, *tabulis cedrinis compingamus*: id est, verbis & scriptis affirmemus incorruptam, cedri instar, Mariæ virginitatem aduersus eos, qui eam pertinaciter oppugnare contendunt. Adhuc Abbas, *Maria omni clausa viro ostium clausum fuit, soli Deo fidei clauicula reseratur. Si igitur ostium est semper clausum, cedrinis illud tabulis compingamus, id est, prædicta huius gratiæ virginitatis inuictam fortitudinem adiungamus, vt cuivis detrahenti occurrat odorifera latitudo, & fortè durius insistenti indeficiens fortitudo resistat.* Hoc magnum clausi ostij Mariæ priuilegium viriliter defensarunt Bernardus, Dominicus, cuncti Patres Ecclesiæ, omnes Regulares Militiæ, & copiosus admodum nostræ Societatis IESV exercitus cedrinis tabulis, seu disertis voluminibus compingere curarunt: vt blasphemia Albigensium, & omnium assectarum rabies æternùm conticesceret.

Christus Dominus se ostium, seu viam 155.

Maria est ostium apertū ad suos deuotos recipiendum, clausum verò, nè ad illos maligni hostes persistant penetrare. Hailgrin.

esse affirmat, *Ego sum ostium.* Ioan. 10. Maria autem ostium etiam est. Per Christi viam ad Mariæ ostium accedimus, & prædestinatorum in familia recipimur. Ostium est Mariæ, quod apertum est deuotis suis, vt intrent ad vitæ æternæ spem: clauditur quidem, nè per id possint inuisibiles hostes, qui satagunt receptos in Dei aula ad exitum instigare. Pulchrè Cardinalis Hailgrinus, *Christus se vocat ostium, & Maria hîc ostium vocatur: sed aliter, & aliter. Nam Christus dicitur ostium, id est, apertura, siue via, per quam intratur ad vitam, ad Mariæ ostium dum accedimus. Ostium enim quoque dicitur compactio tabularum, per quam maleuolis clauditur ad domum ingressus. Vnde hîc dicitur, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Beata Virgo ostium est in Ecclesia, quæ malignis obsistit spiritibus, nè ad deuotos suos intrent, & accedant, sicut volunt.*

156. *Immensum virtutū ædificium Deus super immensam Mariæ humilitatem extruxit.* Hailgrin.

Tabulæ autem, quibus ostium hoc compingitur sunt gratiæ, & virtutes. Denique Cardinalis, *Hoc ostium tot tabulis compactum est à S. Trinitate, quot in ea sunt virtutes, & priuilegia dignitatum. Et hæ tabulæ cedrinæ dicuntur, quia imputribiles sunt, & odorifera: & per humilitatem in profundum radicata creuerunt in immensum.* O quàm profunda, imo quam immensa Mariæ humilitas, seu per quam artifex Deus immensum virtutum ædificium extruxit! Nec enim in altum potest tutè erigi turris, si illius eleuationi fundaminis profunditas non respondet.

157. *Maria porta est clausa Principi Deo semper: & semper aperta hominibus.* Ezech. 44.

Vt autem hîc Deiparæ erga homines apertius pietatem perpendas, ostium hoc totum est hominibus dicatum, vt per id in cœlum ingrediantur. Prædixerat olim Ezechiel c. 44. per portam Orientalem clausam Dominum ingressurum. Vt autem homines non cunctentur ad Mariam accurrere portam scilicet semper clausam, qua eis ad cœlum non pateat ingressus: pietas Virginis se duplicem portam esse clamat, clausam quidem vnam, qua solus ingressus fuit ad nos Deus: alteram verò semper apertam, qua homines ad cœlum ascendamus. Pulchram do D. Augustini serm. 2. de Natiuit. Dom. sic loquentem Deiparam inducentis: *Porta facta sum cœli, ianua facta sum Filij Dei. Illi facta sum ianua clausa.* Ac si diceret, ne cunctentur homines ad me accurrere cœli ostium quærentes, dum me portam esse clausam aspiciunt; porta enim clausa sum *Principi* cœlesti, & simul cœli porta hominibus ad illud transituris semper aperta: *Porta facta sum cœli,* reserata semper ad homines: *ianua facta sum* semper clausa *Filij Dei.*

August.

158. *Maria fuit præclarissimè sanctificata in vtero, quia in primo conceptionis instanti Deū clarissimè vidit.* Carthus.

Dionysius demum Carthusianus appositè hanc sententiam exposuit. *Si murus est, &c. Optima Virgo fuit murus tunc, quia præclarissimè sanctificata in vtero,* (seu in conceptionis primo instanti, in quo iuxta nonnullorum bonæ notæ Doctorum sententiam *clarissimè* Deum vidit, vnde *præclarissimè* hausit sanctitatem,) *& confirmata in bono: & ante solitum tempus,* (nempe à primo illo conceptionis puncto, *cœpit vti ratione, ac meritoriè agere. Ideò Deus ædificauit super eam propugnacula argentea, quia quotidie valde perfecit eam omni sapientia, gratia, & virtute, ad expugnandum inuisibiles hostes, & ad conterendum* (magis ac magis) *caput antiqui fraudulentissimique serpentis.*

159. *Quia Maria est misericordiæ ianua, Deus peccatoribus est misericordia, qui sine Maria eu esset iudicium.* Carthus.

Pergit Pater, *Si ostium est, &c. Vtique ostium fuit diuinissima Virgo, per quam Saluator mundi venit in carne assumpta ad genus humanum, & per ipsam omnes habemus accessum ad Saluatorem, & Iudicem nostrum, tanquam per piissimam portam omnibus patulam, & apertam. Et sicut Christus est Deus noster, & misericordia nostra: ita & ipsa est Mater, & Domina nostra, misericordiæ ianua. Misericordiæ* inquam, id est, Christi, qui *misericordia nostra* est; quia Maria est huius misericordiæ ianua. Sine Mariæ enim protectione Deus ob tot crimina à nobis patrata, nostrum esset *Iudicium. Compingamus illud tabulis cedrinis, id est, latitudine charitatis, plenitudine pietatis, omnium diuinorum ornatu, & permixtione charismatum, vt verè aptissima sit, vt existat Regina misericordiæ, genitrix gratiæ, aduocata piissima, refugium miserorum, spes desolatorum, potentissima quoque, & opulentissima sit ad succurrendum, ad protegendum, atque saluandum.*

Cuncta spiritualia bona in Maria inueniemus.

Mundus positus in maligno innumeros fouet peccatores? Omnes ad ostium accedant, domum Mariani cordis ineant *latitudine charitatis* exponitur. In hominibus creuit impietas? Maria *plenitudine pietatis* criminum superat plenitudinem. Cœlestem Regem iudicem ad iram prouocauimus? Maria est *Regina misericordiæ,* gratiam iniquè prodegimus? Maria est *genitrix gratiæ,* quia Deum hominem gratiæ fontem peperit. Apud Dei tribunal causa salutis nostræ agitur, rigido tunc admodum Iudice Saluatore? Maria est *aduocata piissima.* Miseria premimur? Maria est *refugium miserorum, spes desolatorum.* Ad extremam spiritus inopiam sumus ob crimina redacti? Maria est *potentissima, & opulentissima ad succurrendum.*

Vers. X.

Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

160. *Maria adamantinus murus fuit circa asseruanda virginitatis propositum.* Carthus.

EGo murus.] Dixerat sponsus quasi conditionaliter, *Si murus est, &c.* non asserens esse murum. At Virgo velut respondens absolutè asserit, se murum, & turrem esse Ecclesiæ: *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Dionysius Carthusianus ad hæc: *Ad præinductam quæstionem, si murus est? gloriosissima Virgo respondet: Ego murus per gratiæ affluentiam, atque in bono confirmationem: per firmum quoque propositum perpetuæ virginitatis, quantum in me est.* Profectò Maria circa propositum asseruandæ virginitatis lapideus, imo adamantinus murus erat. Vnde Angelo suggerenti conceptum, & partum muri fortissimi instar, perstitit

perstitit in proposito respondens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. Ac si diceret, si mysterium hoc gerendum est meæ virginitatis dispendio, *quantum in me est*, Matris Messiæ supremæ dignitati nuncium remitto. *Quia virum non cognoscam.*

Luc. 1.

161. *Christus Agnus ex petra Maria ob virginitatis tuendæ propositum firmum exoritur.* Isa. 16. Guarric.

Callens Isaïas hoc Mariæ inexpugnabile propositum præcinit: *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ de petra deserti.* Isa. 16. Cur non dixit, emitte Agnum de purissima oue Maria? de qua prædixi: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Quid Virgini delicatæ cum petra deserti? Certè quia, auctore Guarrico, circa propositum asseruandi virginitatem *tota erat lapidea. Virum non cognoscam.*

162. *Nos docet Maria, castitatis cultores muros esse debere, ad illam tuendam.* Nyssen.

Nos itaque Maria edocet, castitatis cultores debere fortissimos esse muros ad huius virtutis propositum tuendum. Aiebat D. Gregorius Nyssen. de Virgin. cap. 21. *Quoniam non potest quispiam ad Dei puritatem accedere, nisi talis prius ipse factus sit: illud verè necessarium est, vt se magno aliquo, firmóque instructo muro à voluptatibus remoueat, vt nullo quidem pacto hac appropinquatione cordis inquinetur munditiei. Murus verò firmissimus est, quædam ab affectuum imperio abalienatio, seu quoddam stabile, instar muri, propositum non parendi deliciis.* Profectò Maria non solùm firmum gessit seruandæ virginitatis propositum, sed ipsa tota in propositum est conuersa; quia non ait. Habeo stabilem conseruandæ puritatis murum, siue propositum; sed *Ego* ipsa sum *murus*, seu tota sum tuendæ virginitatis propositum.

Maria est ipsũ seruandæ virginitatis propositum.

163. *Maria muri instar nos protegit à luxuria ictibus validissimis.* Hugo Card.

Nisi magis placeat, recolenti tibi Nysseni sententiam, asserentis *necessarium nobis esse murum, vt à voluptatibus remoueamur*, hîc Mariam se nobis vt murum offerre. Quo protecti, validissimos quosque libidinis ictus retundere facilè poterimus. Pulchrè Hugo Card. *Beata Virgo murus est stabilis, vt firmus, nobis ad defensionem, & munitionem nobis datus, in cuius persona subditur: Ego murus per exemplum scilicet pudicitiæ, & conuersationis sanctæ. Murus est deuotè eam venerantibus.*

164. *Mariæ cogitationes & opera semper in bono stabiles perstitère.* Carthus. Prou 9. Idiota.

Recole, & preme illa Dionysij Carthus. verba: *Ego* (Maria ait) *murus per gratiæ affluentiam, ac in bono confirmationem*, & stabilitatem. Virginis cogitationes & opera instar muri, semper *in bono* stabiles perstitère. Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Dei domus Maria, septem columnæ stabilitatem Mariæ in bono signant, quæ hîc in muro adumbratur. Sapiens Idiota audiendus de Mar. cap. 4. *Prius Deus ædificauit cœlum Angelis, & hæc est domus gloriæ dæmoniis, & damnatis hominibus infernum, & hæc est domus iustitiæ. Hominibus lapsis mundum, & hic est carcer miseriæ; quia emisit Dominus Adam de paradiso voluptatis, vt operaretur terram. Idem autem carcer fuit bestiarum. Pisces posuit in aquis, aues in aëre, stellas in firmamento. Et quia prius cæterorum hospitiis intenderat, nunc suo proprio intendit hospitio. Ideò dicitur: Sapientia ædificauit sibi domum, id est, te Virginem Mariam, vt in te habitaret per humanæ naturæ assumptionem.* Vis autem huius domus soliditatem, & stabilitatem intueri? Idem Doctor expressit. *Ideò te gloriosissimam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam, & fortem*, muri instar, *quæ nullo modo vacillare posset. Ideò scidit columnas septem, ad te fortiter, & sublimiter sustentandam. Septem columnæ, quibus firma (in bono) semper stetisti, sunt septem dona Spiritus sancti, quæ requieuerunt in te, & nunquam te deseruerunt; per quæ stetisti firmiter (in bono) & perseueranter in omni gratia, & virtute:* vt verè posses dicere: *Ego murus.*

Domus Dei Maria, muri soliditati instar, nunquam potuit vacillare.

Quid cogitatione instabilius esse assolet? Nonne aura lenior huc illuc distrahitur? Profectò Virginis semper in bono firmæ adeò fuêre cogitationes, vt non iam muri, sed cœli stabilitati valeant comparari. Fatur D. Petrus Damascen. serm. 63. Numquid & *B. Virgo, fratres mei cœlum non fuit?* Fuit planè cœlum, quod non fluidæ, sed consistentis est naturæ. Hinc Bernardinus de Bustos serm. 3. de Nat. Mar. Deiparæ cogitationes stabilitati cœli Chrystallini similes fuisse asseruit. *B. Virgo dicitur cœlum Chrystallinum, quod factum est de aquis, quæ super cœlos sunt in modum Chrystalli solidæ. Aquæ enim sunt cogitationes, & affectiones humanæ, quæ in nobis sunt fluxibiles; sed in B. Virgine fuerunt solida, id est, in bono confirmata.* 165.

Mariæ cogitationes in aliis valde leues, & instabiles, cœli instar, in bono firmissimæ fuêre. Damian. Bernard.

Profectò Maria semper se murum in cunctis stabilem esse ostendit. In virtutis constantia adeò firma Virgo constitit, vt Christi Domini æmulata fuerit firmitatem. Integram do Guarrici Abbatis sententiam serm. 2. de Annunt. *Si petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius*, (cautius dixerim, *Non degenerat à Filio Mater*) *quando & ipsa petra nomine censetur. An non rectè vocatur Petra, quæ & in amore integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso aduersum illecebram peccati tota insensibilis erat, & lapidea.* 166.

In virtutis constantia Mariæ Christum fuit æmulata. Guarric.

Quid de huius muri in tribulationibus constantia attexam? Mariæ de adamantina petra murus grauissimarum aduersitatum ictibus peti potuit, non tamen frangi, quæ *aquam* potius percussa vel inimicis exhibuit. Num. 20. Richardus Laurent. lib. 1. *Loquimini ad petram, id est ad Beatam Virginem duram contra tribulationem grauem, contra instabilitatem: & dabit vobis aquas gratiæ cœlestis efficacissima sua intercessione.* Tanta enim Mariæ pietas, vt non solum huiusmodi aquam *loquentibus* piè ad eam porrigat, sed & percutientibus dirè, vbertim propinet. 167.

Mirabilis Mariæ in tribulationibus constantia. Num. 20. Richard. *Maria gratiæ aquam non solum loquentibus piè ad eam, sed & dirè percutientibus propinat.*

Vndenam Deiparæ muro hæc adamantina fortitudo aduenit? Certè ex Dei oculis illius humilitatem respicientibus. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. 1. Murus erat Virgo supra cœlorum vertices eleuatus, se autem minimam vix reputabat arenam. Respiciens autem Deus ineffabilem huiusmodi Mariæ humilitatem, eam in petram adeò duram conuertit, vt nullatenus vlla vi valeat euerti. Ioan. 1. *Intuitus eum* (Petrum) *Iesus, dixit, Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur *Petra*. Ad quæ Origenes hom. 5. in Ioan. *Potuit Simon* 168.

Deus Mariam murum stabilè fecit, quando respexit humilitatem ancillæ suæ. Luc. 1. Ioan. 1. Origen.

eo quod Ieſus eum intuitus eſt, eo vſque ſtabiliri, vt ab opere ſtabili firmóque cognomen traheret, & Petrus, (ſeu Petra) vocaretur. Reſpexit Dominus Mariam, & quæ ſe ancillam, ſeu minimam intuetur, ad immenſurabilem firmiſſimi muri altitudinem fuit eleuata.

169. *Maria iuxta crucem ſeu muri inſtar, immobilis ſtetit.* Ioan. 19. Pſal. 44.

Ait Ioannes cap. 19. *Stabat autem iuxta crucem Ieſu Mater eius.* Inſtar enim adamantini muri tot tunc, ex Filij doloribus, ictibus acta immobilis ſtetit à dextris ſuffixi. Vt ei congruat illud Dauidis carmen. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Pſalm. 44. Iuxta crucem *ſtabat* à dextris Ieſu. Vndenam fœminæ fragili naturæ illa muri conſtantia? Addit Euangeliſta. *Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem*, eam fecit ſtabilem, eam vertit in murum. *Stabat Maria, Aſtitit Regina.* Chryſoſtomus, *Aſtitit, id eſt, ſtabilita eſt, immobilis ſtetit.* Alius vertit, *erecta ſtabat*, tanquam columna, tanquam murus. Quid mirum, ſi eam Deus videbat? *Cum vidiſſet ergo Ieſus Matrem.*

Videns Ieſus Matrē è cruce eam in murū fortiſſimum conuertit.

170. *Solidiſſimum Mariani muri fundamentum cuncta fuêre virtutes.* Apoc. 21. Richard.

Solidum verò muri huius fundamentum ſunt egregiæ virtutes. Apoc. 21. *Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.* Maria eſt Eccleſiæ ciuitatis Dei murus, eius fundamenta pretioſi lapides, ſeu ſolidiſſimæ virtutes. Richardus à S. Laurent. lib. 11. *De Virgine dicitur* Cant. 8. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.* Ipſa autem dicit. *Ego murus. Et fundamenta muri huius ex omni lapide pretioſo, id eſt, omni genere virtutum, & bonorum operum, in quibus fundatus eſt iſte murus.*

171. *Maria murus ad cuius extructionē tota Dei manus exeritur.* Philip. Pſal. 8.

Philippus Abbas ſic locum expoſuit: *Ego* (Maria ait) *donante gratia, & operante diuinæ manus induſtria, iam ſum murus, charitate media non caſurus.* Premè illud: *Operante diuinæ manus induſtria.* Cecinit Dauid. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & ſtellas.* Pſalm. 8. Vt vndecim cœlos, vt Aſtra fulgentiſſima Deus è nihilo educeret, haud totam manum exeruit ad opus; ſed leuiter quaſi ludens, in orbes amouit. Vt autem vnicum Mariæ murum extrueret, totam manum extendit, & illius induſtria, ſeu ſapientia infinita eſt operata. O quàm incomprehenſibilis eſt huiuſmodi muri ſolida celſitudo!

172. *Honor eſt Mariæ eſſe hominū murum protectionis.* Philip.

Pergit Pater, *Cui muro mea ſuperemitent vbera ſicut turris, honorem præſtans muro, terrorem inferens hoſtibus acceſſuris.* Nemo non ſcit Deiparam eſſe turrim hoſtibus vel ſolo terribilem aſpectu. Quomodo autem turris hæc Mariæ muro *præſtat honorem?* Quia honor eſt charitatis Mariæ, ipſius vbera turrim fieri in peccatorum protectionem, in iuſtorum hominum munimentum.

173. *Maria Dei conſiliaria primaria, ſeu la valida, omnia nobis ſuis precibus ab eo impetrabit.* Carthuſ.

Dionyſius Carthuſianus. *Et vbera mea ſicut turris. Quaſi dicat: Quamuis corporalia vbera habeo parua; tamen ſpiritualia mea vbera, vtpotè ardentiſſima deſideria de mundi redemptione ſunt magna, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens, id eſt, gratioſiſſimè à Deo praeuenta, & in eo maximè tranquillata, & omnino concors, & vnanimis ſecum facta, tanquam ſecretaria, & conſiliaria eius primaria.* Si Virgo à primò ſui eſſe inſtanti; vbi *facta eſt pacem reperiens*, ſeu *vnanimis cum Deo facta*, ardentiſſimè ſalutem hominum deſiderauit: ſecretaria eius, & conſiliaria eius primaria, & (vt vulgari idiomate exponam) *La valida de Dios*, quid non hominibus conſilio, ſiue precibus nobis miſeris impetrabit?

174. *Vita Mariæ imitator murum habet, & turrim, quibus ab hoſtiū ictibus protegatur.* Honor.

Totam ſententiam ita expendit Honorius. *Ego* (ait Virgo) *ero murus eis, quia ſi vitam meam imitabuntur, erunt à vitiis inexpugnabiles. Et vbera mea turris, id eſt, per mea exempla erunt tuti in bonis. Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens: hoc eſt, ex tempore, quo Deum precibus placaui, & hominibus pacem, & gratiam impetraui.* Qui ergo Deiparæ vitæ fuerit æmulator, murum, & turrim ſibi acquiret, quo, ac qua à cunctis hoſtium ictibus protegatur.

175. *Mariæ oratiō certiſſima, ac fortiſſima eſt hominū protectio.* Hailgrin.

Nec prætereunda eſt mens Hailgrini Card. ſic ſcribentis: *Virgo murus eſt noſtræ defenſionis, & ſuper eam ædificauit tota Trinitas propugnacula argentea; vt precibus ſuis beneſonantibus inimicum repellat. Et hoc ſignatur in argento, quod cæteris metallis pulchrius ſonat.* Beatiſſima itaque Trinitas, quæ hunc murum fortiſſimum in Eccleſiæ protectionem erexit, nos docet, vndenam Virgo certum nobis refugium erit, nempè ſi piiſſima Mater exoret. Vnde frequenter illud profundere ore, & corde debemus, Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.

176. *Peccator fiet Mariæ filius, ſi vult in ea munimenti, refugij, ac ſecuritatis turrim habere.* Hailgrin.

Pergit Cardinalis. *Subiunxit: Et vbera mea ſicut turris. Quaſi diceret: Miſericordia mea, & pietas mea, quibus quaſi vberibus ſuffragiorum dulcedine lacto filios Eccleſiæ, ſunt turris, munimentum ſcilicet, refugium, & ſecuritas peccatorum.* Qui per Mariam voluerit munimentum, refugium, & ſecuritatem adipiſci, ad illius vbera confugiat, eamque diligat velut Matrem: Nam cum turris munimenti, refugij, ac ſecuritatis eius vbera ſint: qui vberibus Virgineis velut filius non erit, haud erit munimenti, refugij ac ſecuritatis particeps.

177. *Maria pacem inter Deū, & hominem reperit.* Hailgrin.

Demum adiicit ille: *Et hoc ita, ex quo ſic accepta, ſic grata, ſic placita facta ſum coram eo, vt quaſi pacem reperiens, id eſt, verè pacem reperiens, & faciens inter Deum & hominem, vt eſſem Pacifica, tanquam Mater veri Pacifici, Mediatrix Mater mediatoris.* Pax inter Deum & homines perierat, quaſi perdita abſcondebatur, illam Maria reperit, & ad homines rurſum adduxit.

178. *Tanta Mariæ pietas, vt non rogata nos infirmos ad ſui protectionē inuitet.* Guillelm.

Profectò Guillelmus vberius, & dulcius totum verſiculum expoſuit: carptim eius clauſulas premens indicabo. *Poſtquam pia Mater ſororem paruam Filio commendauit, conuertit ſe ad illam, atque hortatur eam, in ſuis neceſſitatibus ad ſe, quaſi ad locum munitum confugere, & in ſua tutela conſiſtere: donec eo vſque creſcat, atque grandeſcat, vt infirmioribus proximis, velut murus, vel oſtium fiat.* Appoſitè Abbas dicit, *Pia Mater conuertit ſe ad paruam, & infirmam ſororem.* Magnam enim erga nos Virgo pietatem

Qui ad Mariæ protectionē accedit murus fit & ostium ad eius similitudinem.

tatem ostendit, dum non rogata, vltrò nos ad suum patrocinium inuitat. Dixit Maria se murum esse, & ostium: & nobis promittit, sua protectione in murum & ostium conuertendos, *vt infirmioribus proximis parua & fragilis nunc soror, murus, & ostium fiat.* O potentia protectionis Mariæ, quæ nos efficiens paruos & infirmos, in sui, *quæ murus est, & ostium*, similitudinem efformat!

179. *Nos Maria circuit vt murus, vt ab eo, qui circuit vt leo, vt comedat, liberemur.* Guilelm. Psal. 11. 1. Petr. 5.

Ego murus, inquit, & vbera mea sicut turris. Quasi diceret: *Paruula es, & delicata, nondum idonea stare in acie aduersus hostes, rigidissimos Principes, & potestates tenebrarum: ergo ad me veni, apud me mane. Ego enim murus, ad protegendum, murus inexpugnabilis circumcingens eos, qui ad me confugiunt. Planè qui hoc muro circumdatur, tutus est ab iis, qui in circuitu ambulant impij.* Psalm. 11. *Et à capite eorum, qui tanquam leo rugiens, circuiunt quærentes, quem deuorent.* 1. Petr. 5. Circuiunt instar leonum, sed fame pereunt, quia minimè possunt Marianum murum nos circuientem penetrare. Itaque nos Mariæ murus circuit, vt ab illo qui circuit liberi esse possimus.

180. *Qui Mariæ muro proteguntur, fame non possunt expugnari, quia vt murus defendit, vt Mater nutrit.* Guillelm.

Pergit Abbas. *Et vbera mea sicut turris. Ego murus, simul & Mater, murus ad protegendum, Mater ad nutriendum.* Vnde qui circuit murum Mariæ, vt eos quos ipsa circumdans protegit, deuoret, haud poterit illos, vt sese illi fame dedant, cogere. Nam si fortissimus Mariæ est murus, & ipsa vt Mater eis impendit annonam; *No se pueden*, (vt vulgari idiomate explicem) *verse obligados, à rendirse por hambre. Sum murus infirmis, Mater paruulis. Propter insufficientiam virium campum times? Murus sum, intra me abscondere à facie inimici; de paruitate tua confunderis, & crescere vis? Mater sum, meo lacte nutrire; murus sum per fortitudinem, Mater per pietatem. Ego murus inexpugnabilis, excelsa habens propugnacula: ego Mater amabilis, & grandia habens vbera. Quam grandia? Sicut turris.*

181. *Mariæ vbera etiam sunt turris: suos enim & nutrit, & protegit.* Guillelm.

Hinc eorum fœlicitas apparet, qui ad piissimæ Matris vbera accurrunt inter eorum filios enumerati. Vbera enim Mariæ quæ ad nutrimentum sugunt, simul eis sunt turris ad protectionem. *Vbera mea* (cum Guillelmo loquor) *non tantùm sunt vbera, sed etiam turris: non tantùm nutriendi, sed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere, quo nutriam, & non habere, quo muniam; materna pietas mea quos munit, etiam nutrit: quos nutrit, vt discant, atque grandescant, munit à facie inimici, donec iam grandes effecti, contra hostem,* qui murum circumdat, *in campum fiducialiter exeant.*

182. *Cuncta magnalia sua se Maria à Domino accepisse profitetur.* Guillelm.

An Maria, dum hæc verba profert de sua pietate, ad nutriendum; de sua fortitudine; ad protegendum; inaniter gloriatur? Absit huiusmodi à Mariæ humilitate præsumptio. Opportunè Guillelmus. *Sed numquid tu ô pia Mater; numquid tu non vna es filiarum Euæ? Quid est, quod tam gloriosa, tam præclara de te loqueris? Vnde tibi prærogatiua hæc? Non in me, ait, sed in Domino glorior; nihil enim habeo, quod non acceperim: vnde nec quasi non acceperim glorior.*

Adhuc Abbas. *Quæritis, quando esse cœperim, qualem me modò conspicitis? Planè talis, & tanta sum ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Premè particulam, *coram eo.* Quisnam is? quare nomen non exprimis? Profectò cum Maria Deum vnicè habebat in corde, meritò existimare poterat, omnes cognoscituros Deum esse, *eum*, de quo presso nomine, loquebatur. Sic altera Maria Domino, qui ei sub hortulani specie apparuit, dixit. *Si tu sustulisti eum, &c.* Ioan. 21. Nam cum solum Christum haberet in corde, putabat, quod per illam particulam *eum*, hortulanum intellecturum, se Christum exquirere. Maria itaque dicit. *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem requirens*, sufficienter se expressisse iudicans Deum, de quo loquebatur. Audi Guillelmum. *Insitatè loqueris ô pia Mater; coram eo, dicis, & de quo dicas, non exprimis: tamen habet nomen. Quid quæritis nomen eius, quod est admirabile?* Iud. 13. Respondet Virgo. *Quid opus fuit exprime, quod tam impressum erat notitia omnium? Quis ignoret de illa loqui os meum, cui iugiter inhæret cor meum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Matth. 12. Pergit Virgo.

183. *Maria Deum vnicè habebat in corde nullū alium, nihil aliud.* Guillelm. Ioan. 21.

Ergo coram dilecto meo, coram Deo meo facta sum quasi pacem reperiens. Magnum quidem inimicitiarum chaos firmatum erat olim inter Deum & hominem, venitque Dei Filius dissoluere illud, & facere pacem: venit in vterum meum assumens ibidem hostiam pacis, in ara crucis suo tempore immolandam: atque ideo magnum illud pacis sacramentum; & præ omnibus siue Angelis, siue hominibus mihi statim innotuit. Denique mox vt ex carne meâ Verbum caro factum est, inueni, & sensi, me habere in vtero de Spiritu sancto, & reperi in vtero meo quasi pacem: nondum quidem pacem, sed quasi pacem, id est, hostiam pacis, cuius hostiæ immolatio plena pax. Reperi, & sensi subitò in vtero meo hostiam pacis; & hoc non ex me; nam vt hoc reperirem, excellentis gratia fuit: Ergo diuinitus facta sum quasi pacem reperiens, & hoc coram eo, non coram Angelis, & hominibus; nullus enim hominum sciebat, quid in vtero meo ageretur; nec coram Angelis erat, quàm suauiter ego sentirem illud; sed totus ille suauissimus, atque dulcissimus sensus meus intus coram illo erat, de cuius vtique munere erat. Christus itaque pax nostra non ab Angelis, non ab aliis hominibus, sed à sola Maria primum voluit reperiri, vt per illius ineffabilem pietatem & liberalitatem abundantius nobis impenderetur.

184. *Deus voluit à Maria primum pacem reperiri, non ab Angelis, seu ab aliis hominibus, vt per eius ineffabilem liberalitatē abundantius nobis exhiberetur.* Guillelm.

Demum Guillelmus ex Virginis ore. *Porrò ex quo sensi, me in vtero habere de Spiritu sancto, proculdubio tantâ excellentiâ, tantâ potentiâ, tantaque clementiâ facta sum; vt omnibus ad me confugientibus*

185. *Æqualis est in Maria pietas, & potentia. Vnde quos eius*

pietas prætegere vult, id ipsius potentia exequitur. Guillelm.

non tantùm murus sim ad muniendum, sed & Mater ad nutriendum: & talis Mater, cuius vbera sunt sicut turris; id est, cuius materna pietas non tantùm paruulos nutriet, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt, & minus apti ad prælium, hostibus inaccessibiles faciat; cum creuerint, fiducialiter processuros in campum: non tantùm carnem, & sanguinem, sed & spiritualia nequitiæ in cælestibus (Ephes. 6.) *prouocaturos ad prælium.* Quid hac expositione dulcius, atque deuotius? Preme illud. *Tanta potentia, tantaque clementia facta sum.* Æquales quidem sunt Mariæ pietas & potentia. Ad omnia, quæ possibilia sunt, potentia eius extenditur? Ergo clementia, seu pietas omnia, quæ ad nostram salutem necessaria fuerint, proculdubio operabitur, si ad illam preculi confugiamus: *Omnibus*, ait, *ad me confugientibus murus sum, & Mater.*

Ephes. 6.

186. *Maria pacem temporale & spiritualem nobis coram Deo inuenit.*

Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.] Pacem scilicet temporalem, seu materialem, ab hostibus visibilibus nos defendens, bellàque à Christiano populo auertens; quæ quidem pax non dicitur *pax* absolutè, sed *quasi pax*, si cum pace animi, quæ est *gratia* à Virgine inuenta comparetur. Ideò pax illa temporalis dicitur à Virgine fuisse reperta: *Quasi pacem reperiens*, spiritualis verò pax inuenta esse prædicatur. *Inuenisti gratiam.* Luc. 1. Discrimen enim hoc est inter id quod aliquis reperit, & id quod inuenit; hoc enim, adhibito studio, ac diligentia, illud veluti casu acquiritur. Pacem temporalem Virgo quasi repertam à se nobis offert, vnde *quasi pax* vocitatur; veram autem pacem multa diligentia adhibita, efficacibus profusis precibus nobis impetrauit.

Pax temporalis est: Quasi pax spiritualis Pax vera: vtramque per Mariam habemus. Luc. 1.

187. *Maria mũdo pacem contulit.* Luc. 2.

Quasi pacem reperiens. Temporalem quidem pacem mundo Maria reperit. Ideò mox ac enixa fuit Saluatorem Angelica militia, gladiis vaginæ redditis, concinet Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus. Luc. 2. Pariens enim Virgo eum, qui est *Pax nostra*, per eam mundus iam pace potitur. Laurentius Iustin. de casto connub. *Ipsa est, quæ contulit mundo pacem.*

Iustin.

188. *Maria est Iris pacis in signum.* Gen. 9.

Deus olim Genes. 9. dixit. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum inter me & terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & non erunt vltra aquæ diluuij, ad delendam vniuersam carnem.* Pace mundus fruetur, quia pacis repertrix Maria meis oculis adiicietur vt Iris. Ioannes Geometr. Hymno 2. cecinit, *Salue versicolor* cœlum Iridinis instar, *amœnas virtutum formas, florigerásque ferens.* Bellorum diluuio sæpè orbis periret, nisi in conspectu Altissimi fulgentissimus Mariæ arcus appareret.

Geomet.

189. *Perpetua erit pax, Maria inuocata.*

Dum Maria protectrix Ecclesiæ fuerit, à nobis inuocata stabili pace fruemur. Pax enim per Deiparam reperta, ipsa propitia, distrahi non potest. Texuit Maria, dum in Templo puella degeret illam tunicam inconsutilem; in pacis indissolubilis documentum. Bernardus Apol. ad Guillelm. *Tunicam hanc fuisse* ait *inconsutilem propter indissolubilis charitatis*, seu pacis *indiuiduam vnitatem.* Profectò Euthymius, tunicam illam à Virgine textam inconsutilem in pacis documentum asserit, ideò Deum noluisse à militibus scindi; quia pax per Virginem mundo reperta, nisi nostro piaculo scindi non poterit.

Bernard. Euthym.

Quod si aliquis se contra proximum iracundia succensum senserit, vt illico ille ardor sedetur, paxque minimè dissoluatur, ad Mariam accurrat pacis planè domum. A Patribus Maria Noëmiticæ Arcæ comparatur, De qua Alcuinus ad Genes. interrogat, (quæst. 119.) *Quid de pace, & concordia, & vnde se inuicem non debellarent diuersi generis animantia; sentiendum est?* Respondet. *Sicut Dei nutu aduocabantur in arcam, ita & Dei nutu conseruabantur in arca pacifici.* Vtinam qui exitiali odio se prosequuntur, Marianam Dei nutu, & beneficio recipiantur in Arcam! Certum quidem est, in illa eos, bello omnino ablegato, pace potituros. 190.

Qui iracũdia erga alium se accensum senserit, accurrens, ad Mariam illicò paccabitur. Alcuin.

Maria est Arca Noë, vbi pax & concordia vel feris animalibus.

Dicitur Cant. 7. *Quid videbis in sunamite nisi choros castrorum?* Aquila. *Quid videbis in pacifica?* Quid in Maria pacifica, quæ homines inter se dissidentes ad pacem & concordiam suis precibus adduxit, *videbis nisi choros castrorum?* Si Maria nos pace donauit, *si pacifica* est, quid Maria pacifica cum castris? Non dixit, *Quid videbis in pacifica nisi castra pugnantium?* Sed quid videbis nisi choros castrorum canentium? Illi autem, qui prius inter se dissidentes, castra erant pugnantium, ad Mariam Dei *nutu* adducti iam sunt castra pacificè canentium laudes ei, per quam iam fuêre ad concordiam adducti. 191.

Coram pacifica Maria castra prius pugnantia iam cantinũt pace donata laudes: non pugnant. Cant. 7. Aquila.

Quisquis igitur ira in proximum exardescis, si expetis fratri reconciliari, ad Mariam accurre, quæ illico te paccabit, & ad proximum tibi conciliandum, vltroneum emittet. Audi Isaïam cap. 60. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Naboth ministrabunt tibi. Offerentur super placabile altari meo.* Ad quæ Richardus à S. Laurent. lib. 2. de laud. Virg. *Maria dicitur Altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores, cum super hoc Altare offeruntur dona, & sacrificia sua; de quo Altari ipse dicit:* Isa. 60. *Offerentur super placabili Altari meo* pecus, & arietes. Maria est Dei Altare, ad quod homo expetens diuinam propitiationem accurrit? Ita quidem. Ergo si adhuc à proximo dissentiens accedit, si bellum cum illo fouet, ab Altari repellitur Mariæ, nec admittetur, nisi prius, discordia abscedente, cum fratre consentiat. Illud ex Matth. 5. perlege: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te: vade prius, reconciliari fratri tuo.* Iras ponit, proximo reconciliatur ille, cuius munera ad propitiationem Maria venerabile Dei Altare admittit. 192.

Maria est Dei Altare, à quo iratus quisque mittitur ad proximũ aduersarium, vt ei reconcilietur. Isa. 60. Richard. Matth. 5.

Dixit

193. *Maria est Manna, belli amaritudinē in nobis indulcans.* Periand. Ambros.

Dixit Græcus ille Periander: *Nihil amarius bello.* Qui dissidij erga proximum amaritudine afficitur, ad Mariam veniat, protinus, bello recedente, cor dulcorabitur. Est enim Deipara Manna cœlesti dulcedine exundans. Ambrosius ad Psalm. 21. *Ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, & suauis.* Eius suauitate belli amaritudo indulcabitur, belli dissidio (quod cum. Manna haud vna potest in sede morari) omnino ablegato. Manna namque è cœlo, cecidit extra castra, extra discordiarum strepitus. Ita Maria *cœlitus* Manna *veniens* (cum Ambrosio loquor) pacem, quam *reperit* ipsa fouet. *Quasi pacem reperiens.*

194. *Si in pace omnia bona sint, omnibus bonis donati sumus à Maria, quæ nobis pacem reperit.* Luc 24. Strabus. Genes. 27. Chaldæ. Isa. 16. Cyril. Bernard.

Quàm autem sublimi beneficio fuerimus donati, cum temporaria, seu materiali pace per Mariam potimur, apertè ex huius doni pretij cognitione constabit. Quid est Pax? Existimo omnium esse bonorum epilogum. Christus Discipulis post resurrectionem, inquit: *Pax vobis.* Luc. 24. Quare illa tam solemni die Triumphator inferni, mortisque non fratribus ac filiis plura alia dona impertit: sed solum eis pacem imprecatur? Pulchrè Strabus respondet. *Qui pacem dedit, vno verbo omnia dedit.* Ait Iosepho Iacobus Genes. 37. *Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos.* Chaldæus sic vertit: *Vide pacem fratrum tuorum.* Nam si pace fruuntur, omni simul prosperitate potientur. Isai. 16. *Domine Deus noster, pacem da nobis: omnia enim dedisti.* Quia omnia bona in pace colliguntur. Cyrillus Alexand. lib. 3. de Trinit. *Pax donum Dei est, & cœleste, & solis diuinis veniens nutibus. Suffragabitur autem sermonibus suis Isaïas dicens, Domine, tuam pacem da nobis: omnia enim dedisti: opinor itaque pacem omne esse bonum illum dixisse.* Augustius quid de pace D. Bernardus sermone 13. in Cantica excogitauit. *Pacem volo, pacem desidero, & nihil (hîc) amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu ô Deus.* Hac exaggeratione Pater ostendit, omnia bona in pace contineri. Si ergo Mariæ debemus pace potiri, per ipsam planè omni bono donamur. *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

195. *Maria pacem temporalem nobis reperit, quæ est Quasi pax: veram autem pacē, quæ est gratia, vtilius nobis inuenit.* Luc. 1. Isai. 52.

Licèt autem pax hæc temporaria, vel materialis tam præclarum sit bonum, est quidem non *Pax* absolutè, sed *Quasi Pax*, si cum spirituali pace, id est, gratia, quam apud Deum Maria non casu reperit, sed impensa precum sollicitudine inuenit (fante Archangelo. *Inuenisti gratiam apud Deum*) comparetur. Si in materiali pace omnia bona temporalia continentur: in pace spirituali, seu gratia, quam Maria inuenit cuncta cœlestia bona perfectius includuntur. Fatur Isaïas cap. 52. *Quàm pulchri pedes prædicantis pacem,* (quæ per Christi sanguinem inter Deum & hominem fuit stabilita) *euangeliZantium bonum!* Profectò Paulus Rom. 10. sic locum vertit. *Quam speciosi pedes euangeliZantium pacem, euangelizantium bona!* Quod Propheta dixerat singulariter *Bonum*, Apostolus *Bona* pluraliter commentatur. Quia

Maria gratiam nobis inueniens, omnia cœlestia dona nobis simul contulit. Rom. 10.

Ant. de Escob. & MendoZ. In Cantic.

cœlestia bona in pace illâ, seu gratia inuenta apud Deum à Virgine continentur.

196. *Columba Maria, vera pacis oliuam hominibus attulit.* Gen. 8. Thaumat.

Cum delinquens humanum genus Deus diluuij aquis obrueret, columba inter iracundiæ cœlestis fluctus oliuam pacis symbolum adinuenit. Genes. 8. Maria verè columba inuenta apud Deum gratiæ oliua, mundo non iam pacis symbolum, sed ipsam pacem inter Deum & homines attulit. Imò ipsa conuersa est in oliuam; quia non pacis inuentrix, sed *pax* ipsa vult appellari. D. Gregorius Thaumaturg. serm. de Annunc. 2. *Maria in domo Dei, instar fructiferæ oliuæ, plantata viret,* pacem vtique inter Deum, & homines constituens.

197. *Maria efficit, vt filiæ eius, fiant filiæ pacificæ Ierusalem, bellū inter Deum & homines dirimens.* Cant. 6. Richard.

Hinc Cant. 6. inquit sponsus. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem.* Maria decora sicut *Ierusalem* vocatur, quia Ierusalem *visio pacis* dicitur. Hinc sæpè in Canticis fideles animæ *Filiæ Ierusalem* appellantur. Cur, quæsierim? Planè quia per Mariam, quæ pacifica Ierusalem est, nos filij Ierusalem, seu pace vera donati efficimur. Pulchrè Rupertus. *Anima Virginis vera Ierusalem semper supernam videt pacem. Et ex visitatione illius discunt animæ cœlestem ducere conuersationem;* (ad Dei familiaritatem illius intercessione adducti.) *Vnde & dicuntur Filiæ Ierusalem.*

198. *Pacis poculū, Maria Deo & hominibus propinauit.* Cant. 7. Tertul. Ildephons. Damian.

Pacifica itaque Maria pacis inter Deum & homines poculum exhibuit. Virginis venter crateri comparatur, Cant. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Quia videlicet huiusce veræ pacis medium erat. Olim amicitiæ (Auctore Tertulliano) cratere vino pleno stabiliri solebant; meri etenim hausto discordes animi colligabantur. Hæc vinum Maria in vteri sui cratere exhibuit. Ildephonsus serm. de Assumpt. *Posuit mensam* MARIA, *miscuit vinum in cratere ventris sui.* Vnde iam Virgo clamat: *Inuenta sum coram eo pacem* veram inueniens. Hinc Petrus Damianus serm. 3. de Natiuit. inquit. *Per Euam potus mortis porrigitur, per Mariam vitæ, & pacis poculum exhibetur.*

199. *Pacem, quā per Mariam donati sumus, æternùm persistet.* Psal. 71. Surius.

Denique affirmo, hanc veram pacem, quæ inter Deum & homines per Deiparam est velut stabilita, firmam semper futuram. Cecinit Vates Rex Psalm. 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Deiparæ intercessione homines olim Deo ob iniustitiam exosi, iustitia induentur, quam pax cœlestibus bonis abundans comitabitur. Hæc autem inter Deum & homines amicitiæ pax *donec auferatur Luna* Maria, persistet, id est, nunquam pax hæc deficiet, quia nunquam Luna Maria ex Dei oculis, & de Ecclesiæ patrocinio auferetur. Legi apud Surium tom. 2. Armenorum Regis filiam Regi Persarum datam fuisse, vt pacis obses existeret. Melius id præstat Deipara; veræ enim pacis haud vnquam perituræ semper in Dei conspectu obses obiicitur.

Verſ. XI.

Vinea fuit pacifico in ea , quæ habet populos : tradidit eam cuſtodibus , vir affert pro fructu eius mille argenteos.

200. *Maria vineam Gentiũ ſterilem & Dei inimicam ei ſuis precibus fructiferam tradidit.* Del-Rio.

VInea fuit pacifico.] Cenſeo cum Del-Rio noſtro hæc omnia vni ſponſæ tribuenda : etſi nonnulli velint , illud : *Vinea mea coram me eſt* , ſponſum interloqui. Locus quoad litteram intricatiſſimus eſt , tom. 5. meorum Commentariorum in ſacram Scripturam litteralem expoſitionem inuenies : myſticos vero ſenſus iam vni ſponſæ Mariæ , iam Chriſto de Maria loquenti perſequar. Ait itaque Cardinalis Hailgrinus. *Ad illam Dominam , quæ pacem reperit , in quo facta eſt vinea pacifico , quem tu pacifica genuiſti* , hæc verba ſponſus dirigit. Quia pacem veram, ſeu gratiam reperiens Virgo , vineam gentium ſterilem & Dei inimicam,ei ſuis precibus pacifico tradidit.

Hailgrin.

201. *Chriſtus in cruce oſtendit plus è ſolitudine Mariæ quam ex diris cruciatibus ſauciari.* Honor.

Honorius verò vineam hanc dicit eſſe Deiparam. *Quam Deus plantauit in Ieruſalem Apoſtolica patria , & commendauit eam in cruce pendens Ioanni , qui fuit vnus cuſtodum , cum diceret ei : Ecce Mater tua.* Vnde euidenter oſtenditur ardentiſſimus Chriſti amor in Deiparam , dum tot actus cruciatibus , & doloribus oſtendit, plus tunc ex ſolitudine Matris ſuæ talis Filij ope & præſentia deſtitutæ , ſauciari.

202. *Maria vinea eſt tradita Angelis cœlicolis,& Ioanni homini Angelo cuſtodienda.* Carthuſ.

At Dionyſius Carthuſianus vberius Honorij mentem aſſerentis Mariam hanc eſſe vineam , expreſſit. *Fœcundiſſima vinea , & vitis pulcherrima fuit præſtantiſſima Virgo eminentiſſimè deputata & conſecrata vero Pacifico Chriſto altiſſimo. Et vinea iſta omnes habet populos ſibi ſubiectos , & commiſſos præcipuè credentes. Tradidit eam cuſtodibus , id eſt , Angelis ſanctis cuſtodiendam : (nonnè peccaret , quia confirmata fuit in bono in tantum , quod nec venialiter poterat peccare) ſed ad reuerentiam eius , & ad conſolationem , atque obſequium. Sub cruce quoque tradidit eam ſancto Ioanni Apoſtolo cuſtodiendam ſimiliter.* Id eſt , ſicut Angelis eam tradiderat , vti ei famularentur. Ex quo colligere mihi licet , Ioannem Angelorum eſſe ſocium ob virginitatem : & Mariam tam ſublimem eſſe, vt à ſolis Angelis debeat miniſtrari.

* *Adeò ſublimis eſt Maria, vt à ſolis Angelis ei debeat miniſtrari.*

203. *Licet quis clara Dei viſione in cœlo potiturus non eſſet , deberet cunctas facultates pauperibus erogare , vt ſemel ei Mariæ gloriam intueri.* Carthuſ.

Pergit Dionyſius. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Id eſt , quicumque fidelis deſiderio & amore complacendi Virgini benedictæ , & videndi eam in perpetuo gaudio æternali, libenter relinquit , & præſtat pauperibus ſuis terrena.* Tanta enim Mariæ pulchritudo , tam ſublimis gloria , vt licet eſſentiali gloria ex clara Dei viſione quis potiturus non eſſet , libentiſſimè deberet cunctas ſuas facultates pauperibus erogare , vt ſemel illam intueri liceret ; quid *æternaliter* (vti ait Doctor) illa frui ? Premè particulam , libenter præſtat *pauperibus ſuis* , id eſt Virginis , *terrena.* Quinam Virginis pauperes ? Planè omnes qui premuntur inopia , Mariæ pauperes vocitantur. Ipſa enim erga pauperes ſpecialiſſimum ſtudium impendit.

Maria erga pauperes ſpecialiſſimum ſtudium impendit.

204. *Ineffabilis gloria à Deo Mariæ cultoribus præparatur.* Carthuſ.

Chriſtus quoque (adhuc Carthuſianus) *vir ſummus profert pro fructu culturæ & honorificentiæ Matri ſuæ exhibitæ mille argenteos , ſeu pranſum gloriæ copioſum.* Si *ſeptenarius* numerus in ſacra Scriptura magnam rerum , quibus adhæret multitudinem indicat : quid *Millenarius* præſtabit ? Colligo hinc ineffabilem à Deo Deiparæ cultoribus gloriam in ſuperis eſſe præparatam.

205. *Maria vinea eſt continens non ſolùm populos iuſtos, ſed etiam peccatores, vt eos ſuis precibus ad iuſtitiam adducat.* Rab. Aben-Ezra.

Profectò Rabbi Aben-Ezra apud Genebrardum circa vocem illam *Babalamaon* , ſeu *Quæ multos habet populos* , inquit. *Qui ſteterit in hac editione , compoſitione , & Libro fortaſsè mirabitur , quare hîc vſus fuerit Spiritus ſanctus lingua Iſmaëlitica.* Vox namque *Babalamaon* non eſt propriè Hebraïca , ſed Iſmaëlitica. Si ergo quis fortaſsè miretur , quare ſponſus cœleſtis vineam hanc , Mariam ſcilicet dixerit lingua Iſmaëlitica , *multos habere populos* , & non Hebræo idiomate , facilè ei reſpondeo , Virginem Deiparam vineam eſſe , quæ habet populos , & continet , vt vites omnes gentes , non ſolùm eas , quæ ex Sara nobili , & libera ; ſed etiam quæ ex Agar ancilla , deſpecta , & deiecta ducunt originem. Non ſolùm Matrem Iſaaci , ſed & Iſmaëlis eſſe gloriatur. Non ſolum iuſtorum , ſed & peccatorum eſt aduocata.

206. *Eccleſiam ex Gentibus Deipara ſpecialiſſimo amore proſequitur.* Guilelm.

Demum Abbas Guillelmus locum hunc de vinea ex Gentibus à Pacifico Salomone Chriſto plantata poſt vineæ Iſraëliticæ ſtirpationem expoſuit , quam quidem Virgo vberiori dilectione , quam Iſraëliticam fuit proſequuta. *Vinea* (inquit ille) *fuit Pacifico , id eſt , vero Salomoni pacificanti per ſanguinem ſuum , quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris : in ea , quæ habet populos, id eſt , in Gentilitate. Nam Iſraël vnus tantùm populus eſt , Gentilitas verò tam multos habet populos. In hac , quæ habet populos ab æterno ei vinea fuit , quia in æterna eius diſpenſatione fuit aſſumere Eccleſiam ſibi ex Gentibus. Pro hac maximè vinea de ſolio paterno venit in mundum : pro hac maximè vinea attulit (factus vir eius) mille argenteos , ſeu mortis tulit exitium. Denique per gloriam reſurrectionis iam de morte triumphans , tradidit eam cuſtodibus , id eſt ſanctis Apoſtolis , dicens : Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Mar. 16. Vnde *vinea hæc multo amplior , vberiorque , quam vetus illa vinea* Iſraëlis exurgit. Hanc itaque vineam , ſeu Eccleſiam ex Gentibus Deipara ſpecialiſſima dilectione proſequitur , quia ſpecialiſſimum Filij ſui beneficium non excepit ingrata ſicut vinea Iſraël. Vnde Abbas ipſe eam loquentem inducit : *Vox hæc piæ Matris eſt ad veterem illam vineam Domini Sabaoth , domum ſcilicet Iſraël proponens*

ponens electionem, atque vbertatem alterius vineæ, atque eo ipso vanam eius gloriationem confringens. *Quasi dicat: Quid apud te tumes, ô Israël secundum carnem: quasi solus sis populus Dei Sabaoth, vinea Dei? Planè aliam vineam habes multò ampliorem, multò fertiliorem. Ampliorem multò, quia vinea est Pacifico in ea, quæ habet populos: tu autem vnus es populus; multò fertiliorem, quia vir* Christus *affert pro fructu eius mille argenteos: tu autem non facis vuas, sed labruscas: & ideo fructus tui nec dipondio venierunt.* Hinc collige, specialem Virginis dilectionem erga illos accendi, qui Dei beneficia suscipientes non torpent ingrati, sed iustorum operum fructus germinare satagunt.

Nostra recta opera specialem erga nos Mariæ acquirit affectum.

Vers. XII.

Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

207\. *Maria in exceptione fuit vinea electa à Deo plantata, vt eius Filium ex botrum germinaret.* Richard. Ierem. 2. Isai. 5.

Vinea mea coram me est.] De vinea Dei Maria vberrimè Richardus à sancto Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis scripsit: carptim illius verbis in Deiparæ elogium vtar. Ait Isaïas cap. 5. *Vinea facta est dilecto meo.* Hæc vinea est Maria. Quisnam plantauit eam? Ipse plantator Deus respondet Ierem. 2. *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. A Domino* (inquit Richardus) *in sua conceptione plantatur. Vnde* Isaïas 5. *Plantaui vineam electam.* Si in sua conceptione vinea hæc eligitur, vt eius fructus sit Agricolæ plantantis eam Filius, quomodo eam sibi tunc abominandam ob commune piaculum obiiceret? Si electa iam erat cùm plantatur, quomodo simul reiecta cum omnibus Adæ filiis ostentaretur? O Richarde, qui te Deiparæ specialissimè addictum profiteris, qui egregias Virginis laudes resonantibus fidibus intonas: cum tamen eam conceptam fuisse in peccato originis opinaris! Inconsequenter planè, tua venia, dicis Deum fuisse huiusce vineæ plantatorem, illique electam in conceptione extitisse, si ab ea tunc non retrahis communis maculæ suspicionem.

Consequenter debet fateri Richardus, Mariam fuisse sine labe conceptam.

208\. *Affectus & effectus Mariæ circa Ecclesiæ custodiam omnem affectum cunctorum sanctorũ superat.* Luc. 31. Richard.

Huius vineæ plantationem celebrans Ieremias cap. 31. ait. *Plantata autem fuit in montibus Samariæ. Id est* (Richardus inquit) *in eminentia Ecclesiæ. Samaria interpretatur custodia, & significat Ecclesiam, quæ custodit Christi fideles. Sed sicut mors supereminet terra adiacenti, sic Maria supereminet omnibus sanctis, in custodiendo fideles Ecclesiæ.* An non vidisti sacrorum thuribulorum fumum ex aromatibus, quæ sunt omnium *sanctorum orationes*, ascendentem ad superos? Omnis cunctorum ad Ecclesiæ custodiam affectus, & effectus ab affectu & effectu Virginis circa Ecclesiæ custodiam mirum in modum superatur.

Profectò *Samaria* interpretatur *Custos Domini*, & *Coniunctio Domino.* Quid ergo innuit, Marianam vineam in Samariæ verticibus fuisse plantatam? Respondet Richardus. Quia Maria semper *fuit Domino coniuncta. Vnde dicit* Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam. Et quia custodiuit se Domino, dicens* Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Et* Cant. 7. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Ipsa etiam precibus suis coniungit nos Domino disiunctos prius ab eo per peccatum: si tamen pœnitentes confugerimus ad eam.* Vt peccatores Domino, data ab eo eis venia, coniungat, cuius quæso efficacior erit oratio, quam illius, quæ Domino tam arctè coniuncta est, vt *vnum cor, & anima vna esse videantur*?

209\. *Ad coniungendum Domino peccatores, efficacissima oratio Mariæ, quæ intimè cum Domino est coniuncta.* Richard. Cant. 3.

De huius vineæ radicibus sic Doctor. *Plantabatur autem in suis radicibus, id est, in antiquis Patribus. Vnde* Psalm. 79. *Plantasti radices eius, & impleuit terram. Et benè dicitur* Impleuit, *quia nobis attulit plenitudinem omnis boni, id est, Christum, qui est sufficientia omnium, sicut dicitur* 2. Corinth. 9. *Et in Maria natiuitate incœpit tempus plenitudinis. Et ad hoc figurandum nata est in mense Septembri, quando habetur fructuum plenitudo. De quo habetur ad* Galat. 4. Porrò inibi Paulus ait, *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Si hæc plenitudo temporis est (Auctore Richardo) Maria, haud eam *temporis* plenitudinem, sed plenitudinem gratiæ vocitarim. Ideò Gabriel inquit. *Aue gratia plena* Luc. 1. Qua quidem veniente plenitudine, Deus suum mittere Filium iam disponit.

210\. *Aduenitte in vinea Mariæ gratiæ plenitudine, Deus misit Filium suum ad nos.* Richard. Psal. 79. 1. Cor 9. Ca'at 4. Luc. 1.

Illud pondera. *Plantabatur autem in suis radicibus, id est, in antiquis Patribus.* Addit Richardus inferius, *virtutum* Sanctorum omnium *imitatrix, sicut ei præceptum fuerat à Domino: In electis meis mitte radices.* Eccli. 24. Vnde ex omni diuorum sanctitate Mariæ vinea germinat: & vna omnium virtutes æmulatur: *Abrahæ* (ait ille) *fidem, & obedientiam, Isaacci spem & patientiam, Iacobi charitatem, humilitatem Dauidis. Et hæ sunt spirituales radices* vineæ *Mariæ.*

211\. *Radices vineæ Mariæ sunt omnes Sanctorum virtutes.* Richard. Eccli. 24.

Pergit Doctor. *De radice egrediebatur in sua natiuitate, quando videlicet incœpit exterius pullulare* Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse.* Crescebat, & augmentabatur *quotidiana melioratione. Vnde* Ezechiel. 7. *Cum germinasset, creuit in vineam latiorem. Humili statura, respicientibus ramis eius ad eam. Facta est ergo vinea, & fructificauit in palmites, & emisit propagines. Ideò etiam de ipsa dicit Hieronymus* lib. de eius infantia. *Erat constans & immobilis, & quæ quotidie melior, & melior transiret. Creuit semper de virtute in virtutem: & quasi perfecta fuit magnitudinis quando dictum est ei: Aue gratia plena.* Luc. 1. Si adhuc puella antequam conciperet, & pareret Saluatorem perfectæ magnitudinis spiritualis erat; postquam Dei Mater efficitur, per tot annos

212\. *Virgo ab Angelo cũ inuenitur perfectæ magnitudinis reueritur? Quid post mirabilia totius vitæ virtutis incrementa?* Richard. Isai. 11. Luc. 1.

annos vitæ reliquos, tot cunctarum virtutum exercitamentis, ad quamnam credis perfectionis celsitudinem fuisse eleuatam? An-non prorsus id ineffabile?

213. *Maria sub paupertatis indumento prædiuite virtutum vestitu ornabatur.* Richard.

Adhuc Richardus. *Vili, & tenui; discolori, & ei parum adhærenti cortice instar vitis, Maria tegebatur in sui exterioris habitus qualitate. Non enim creditur habuisse mutatoria, non pretiosa, non benè colorata exemplo Filij. Certum est autem, quod qualiscumque fuerit habitus eius exterior, nulla delectione, nulla voluptate, nulla gloriatione eidem adhærebat. Sciebat enim, cum esset magna Prophetissa, Principem Ecclesiæ quandoque dicturum de mulieribus. Non sit exterius capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Pet. 3. *Sciebat etiam dixisse sapientem* Eccli. 11. *In vestitu ne glorieris vnquam.* Certè *omnis gloria filiæ Regis* MARIÆ *ab intus in fimbriis aureis* virtutum, gratiarum, & priuilegiorum. Psalm. 44. Certè externi ornatus opulentia interni vestimenti virtutum indicat paupertatem.

Psal. 44.

214. *Maria vinea à tota Beatissima Trinitate exculta fuit præ omnibus sanctis diligentius.* Richard.

Pergit ille. *Præ cæteris arbusculis diligentius & assiduè vinea Mariæ excolebatur totius Trinitatis operatione. Speciales eius cultores fuerunt Inspiratio Patris. Filij sapientia, Spiritus sancti disciplina, monitio Angelica, propria diligentia, & huiusmodi.* Quomodo non post tot cultorum operationem vinea Mariæ virtutum propagines ferè in immensum dilataret?

215. *Mariæ vinea fossa fuit paupertatis & humilitatis dilectione.* Richard. Herodot.

Fodiebatur, ait, *vera paupertatis, & humilitatis dilectione. Humilitas enim profundauit mentem eius, vt capax fieret totius bonitatis. Paupertatis amor exclusit ab ea appetitum omnium terrenarum.* Annota particulam. *Paupertatis & humilitatis dilectione.* Aiebat Herodotus. *Perfectius est quidquid dilectionis affectu geritur.* Quam perfecta Mariæ paupertas & humilitas, quas dilectionis miro affectu amplectebatur? Et illud preme: *Profundauit humilitas mentem eius, vt capax fieret totius bonitatis.* Si tota bonitas, seu omnis bonitas aderat in Maria, & ipsius humilitas omnis bonitatis erat receptaculum: ferè immensa bonitas immensam ferè humilitatis capacitatem, seu profunditatem fuisse apertè manifestat. Addit pulchrè Doctor. *Et vtraque virtus fecit eam capacem totius diuinæ largitatis, de qua dicitur* Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Si humilitas & paupertas spiritus Virginis omnium Dei donorum capax receptaculum extitere, ex diuinæ Dei largitionis immensitate collige immensam in Deipara harum virtutum perfectionem.

Perfectissima fuit Mariæ paupertas & humilitas, quas dilectionis miro affectu amplectebatur.

Tam profunda fuit Mariæ humilitas, vt totius bonitatis capax esset.

Humilitas & paupertas spiritus Mariæ eam totius largitatis Dei fecere capacē.

216. *Satè fossa fuit vinea Mariæ in Filij passione.* Richard.

Pergit ille. *Sed quia non tantùm semel, sed etiam bis, & ter foditur vinea, multipliciter fossa est hæc vitis per compassionem in passionis feruore, cum eius animam gladius Filij pertransiret. Quando videlicet, ipsa contemplante, foderunt crucifixores manus & pedes Filij ligonibus clauorum, & quando mucrone diro lanceæ itum est in viscera eius*, scilicet Virginis. Ideò mucro *dirus* esse notatur, quia mortuum Filij latus percutiens, viua Matris viscera penetrauit.

De propagatione autem & extensione huiusce vineæ palmitum sic Richardus. *Propagabatur, & extendebatur. Vitis enim in se replicata est humilis, in latum extensa; vel in altum porrecta, prolixa & sublimis. Ideò de ipsa potest exponi illud* Psalm. 79. *Extendit palmites suos (id est, orationes, & beneficia vsque ad mare) (id est, vsque ad existentes in qualibet amaritudine.) Humilis* itaque Mariana vitis si extenditur, si dilatatur, ad hominum fit vtilitatem. *Per mare* (adiicit) *signantur illi, qui habent amaritudinem contritionis de peccatis, veri etiam patientes, qui inundationem maris, id est, tribulationes mundi quasi lac sugunt*, Deuteron. 33. Haud necesse homini in hisce amaritudinibus existenti, ad Mariæ vineam venire; tanta enim illius pietas, vt palmites vsque ad mare extendat, ipsa existentes in amaritudine requirat, vt illorum præcordia spirituali dulcedine repleat. 217.

Vinea Mariæ humilis admodum ad hominū vtilitatem dilatatur. Richard. Psal. 79.

Mariæ pietas vltrò quærit existentes in amaritudine, vt solatio illos oppleat.

Diligentissimè (cum Richardo loquor) *conseruabatur à Beatissima Trinitate vinea* Mariæ. Isai. 27. *Nocte, ac die seruo eam. Seruabatur etiam ab Angelis. Ideò dicitur* Cantic. 8. *Vinea fuit pacifico, tradidit eam custodibus. Præcipui verò custodes illius Gabriel & Ioannes.* Si à Deo custodiebatur hæc vinea, aliis custodibus non egebat. *Quinque modis vinea destruitur. Primò per demolitionem vulpecularum, id est primorum motuum furtiuè irrumpentium: vnde* Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ de moliuntur vineas. Item per inundationem aquarum, quæ designat temporalium copiam. Item per grandinem, qui designat luxuriam. Per gelicidium, quod auaritiam. Per nebulam, quæ significat superbiam. A primo præseruata est à custode cœlesti per fomitis extinctionem; à secundo per paupertatem; à tertio per virginitatem; à quartò per largitatem; à quinto per humilitatem.* 218.

Deo vineæ Mariæ custode, à quinque vineæ hostibus defendebatur. Richard. Isai. 27.

Præcipua verò fuit vineæ Marianæ custodia frequens cœlestis coloni visitatio, imo iugis apud illam sine intermissione præsentia. Vnde in præsenti sponsus ait. *Vinea mea coram me est.* Ad quæ Richardus. *Visitabatur vinea hæc à Deo, secundum quod orabat Dauid Mariæ parens* Psalm. 79. *Respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, (id est, tua propitiatio.) Nec solum tunc cum plantata fuit, imò tanquam ad rem charissimam iugiter ad eam respiciebat Dominus. Vnde dicit* Cant. 8. *Vinea mea coram me est. Ipsam Dominus semper inuisit*, Deuteronom. 11. *Oculi eius in ea sunt à principio anni vsque ad finem. Quod de terra promissionis in figura Virginis sacer* Textus scripsit. 219.

Nunquam Deus vineæ Mariæ colonus oculos ab ea auertit. Richard. Psalm 79.

Cant. 8. Deut. 11.

Denique. *Vinea* (adhuc ille) *quasi plicabatur* 220.

Maria vitis in morem humili: Christũ botrum protulit, ex quo vinum Deum, & homines lætificans. Luc. 1. Richard. Iudic. 9. Ioël. 2.

cabatur obedientia, & humiliatione. Vnde dixit Gabrieli: Ecce ancilla Domini, fiat mihi: & in hoc verbo concepit: & tunc instar vitis, humiliauit se sub palmite suo, seu Filio Dei, quem concipiebat. Et nota, quod vitis paruula pretiosius, & fortius vinum reddit. Et hac vitis in paruitate sua humilitatis attulit illud vinum. Quod Deum lætificat, & homines Iudicum 9. *Et de virtute huius vini dicitur* Ioëlis 2. *Ficus & vinea dederunt virtutem suam. Cum enim inter omnes arbusculas paradisi, id est, Ecclesiæ vitis Maria fuerit humilior: datus est ei per gratiam fructus pretiosior.* Plura mitto.

Deus quodammodo per totius æternitatis durationem meditatus fuit, quibus priuilegiis Mariam erat donaturus, vt digna Filij Dei Mater existeret. Carthus.

221. Dionysius Carthusianus ita illa verba: *Vinea mea coram me est*, exposuit: *Hac nimirum præelectissima Virgo ab æterno valde specialiter fuit in prædestinatione, & luce sapientiæ, atque in bonitate complacentiæ Dei, & gratissima fuit, cum eius specialissimam habens curam ipsius.* Quænam obsecro specialissima Dei cura circa Mariam ab æterno antequam ipsa conciperetur? Mihi contemplari liceat, Deum quodanimodo per infinitam æternitatis suæ durationem meditatum fuisse, quibus ineffabilibus priuilegiis, & gratiis oporteret illam donari Virginem, quæ Dei Mater erat futura. Hæc ante Mariæ conceptionem specialissima Dei cura. An existimas post tam longam Dei meditationem ac præparationem, aliquod priuilegium, gratiam aliquam posse à te excogitari, quæ Deiparæ collata non fuerit?

Quasi communia Dei & Mariæ eius amica bona. Carthus. Richard.

222. Adiicit ille. *In assumpta quoque humanitate filialiter Deus, & familiarissimè conuersatus est cum ipsa.* Vnde sæpè ab ipso *Amica mea* appellatur. Si autem bona amicorum sunt communia, quid mirum asseruisse Richardum suprà citatum, Mariam omnium bonorum, omnium Dei benedictionum, totius Dei largitatis fuisse capacem?

In numerum non possunt adduci peccatores, quos Maria Deo pacificauit. Carthus. Apoc. 7.

223. Concludit Dionysius. *Mille tui pacifici. Id est, quos tu ô benignissima, Deo pacificasti, vel qui alios faciunt tibi concordes, ac subditos, conuertendo eos ad tuum obsequium, & amorem, sunt mille, id est, multi valde ac pene innumeri.* Profectò peccatorum, quos Deiparens Deo pacificauit, ferè est infinitus numerus; quia haud à nobis possunt enumerari. Ioannes Apocal. 7. postquam de duodecim Tribubus Israël electos ad vitam enumerauit, curans etiam prædestinatorum ex Gentibus numerum recensere, inquit. *Post hac vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & populis, & linguis.* An quis dubitet omnem hunc prædestinatorum innumerabilem exercitum Mariæ precibus Deo fuisse pacificatum? *Quos tu ô benignissima, Deo pacificasti, sunt innumeri.*

Specialiter Maria dicuntur illi, qui alios curant ad illius deuotionẽ allicere. Carthus.

224. Pondera illam clausulam: *Qui alios faciunt tibi concordes & subditos conuertendo eos ad tuum obsequium, & amorem, sunt mille, sunt multi.* Hi specialiter Mariæ vocantur: *Mille tui pacifici*, id est, qui alios faciunt tibi concordes, seu ad tuum al-

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

liciunt obsequium, *tui* sunt specialissimè. Gratissimum quidem seruitium tuæ cœlesti Dominæ præstas, qui obsequens illi, alios curas ad ipsius cultum adducere. Vnde hi à munificentissima gratissimáque Regina præcelso admodum præmio donantur. Hoc Virgo nos exemplo edocuit. Nam cum ipsa charissima Dei amatrix esset, alios ad illius alliciebat amorem. *Trahe me* ô Domine, vinculo charitatis, *post te curremus.* Canticorum primo. Nec enim sola curram, sed alios simul ad te accurrere procurabo. Sic tu ô Mariæ cultor, maximè tibi Dominam deuinces, si alios curaueris ad eius deuotionem properare.

Maria curauit ad Deum cunctos adducere. Cant. 1.

Vers. XIII.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.

225. Qvæ habitas in hortis.] Perbreui sententia Philippus Abbas longum Mariæ prædicat elogium. *Tu ô Maria, per excellentem gratiam habitas non in arido, sed in hortis.* Nunquam Virgo in loco arido, & inaquoso extitit, quam semper fontis viui, fontis hortorum, gratiæ scilicet fluenta inundarunt. Dæmoni ac peccato agnatum ex sententia Dominica *per loca arida & inaquosa* ambulare? Matthæi 12. Ergo nunquam obuiam potuerunt habere Mariam, cuius propria habitatio non in locis aridis, & inaquosis, sed in hortis irriguis semper fuit.

Maria semper in hortis irriguis gratia habitauit, non in aridis locis. Philip. Mat. 12.

226. Non dixit sponsus. *Quæ habitas in horto*, sed *in hortis*. Multorum enim hortorum fuit Virgo habitatrix. Nonnullos ex eis Alanus assignat. *Quæ habitas in horto Ecclesiæ corporaliter; & in horto virtutum germinantium in vitam æternam spiritualiter; & in horto, qui Christus est, per amorem; in horto vitæ æternæ per spem, consequenter habitatura per speciem.* In cunctis his hortis Maria non sicut Adamus fuit torpens otio, sed diligens operatrix. O quam innumerabilia ex tot hortis virtutum Virginis germina prodiêre.

Multorum hortorũ Maria habitatrix, innumera virtutũ germina prodiit. Alan.

227. Guillelmus Abbas. *Quæ habitas in hortis cœlestibus, quæ mecum habitas in amœnitate semper virentis paradisi, fiducialiter apud me pro quibuscumque volueris, intercede; non enim possum obliuisci me Filium, vt Matri quidquam denegandum putem.* Si non potest Christus se Mariæ Filium esse, obliuisci: sequitur euidenter, nihil ei petenti denegare posse; quia ipse nos edocens honorandos esse parentes, quomodo non id exemplo firmaret?

Nil potest Christus Mariæ petenti negare, quia obliuisci non potest, se illius esse Filium. Guillelm.

228. Scit quidem Dei ac Mariæ Filius nihil eam posse iniustum postulare, ideo asserit, nihil ei vnquam petenti denegare posse. Id notauit Alan. *Fac me audire vocem tuam, id est, ad me dirige preces, de quocumque homi-*

Nil potest Deus Mariæ petenti negare, quia ipsa

Nihil poteſt iniuſtum petere.

num tribulatione. *Vt eas impleam ; quia tu inordinatè orare non potes.*

229\. *Quidquid Maria à Deo petit Angeli illicò exequuntur ſine expreſſo quodammodo Dei mandato, quia ſciunt nihil Deum Matri petenti negare poſſe, imò neque differre.* Hailgrin.

229 Card. Hailgrin. ita locum expendit. *O tu dilecta mea, quæ habitas in hortis gratiarum, atque virtutum, fac me audire vocem tuam in precibus : ſonet vox tua in auribus meis ; quia amici, id eſt, Angeli auſcultant te, vt quod à me petieris, ſtatim officioſo peragant miniſterio.* Non dixit, vt à me petieris, & ego conceſſero officioſo miniſterio peragant, ſed vt id peragant, ſufficit eis, te à me petiiſſe. Cur non dixit, Angelos etiam Dei ſperare mandatum? Planè quia ſciunt nihil Deum poſſe Matri petenti denegare : imò haud poſſe ipſius poſtulati differre executionem.

230\. *Inſinuatio voluntatis Mariæ ſufficit, vt Deus, quæ ipſa velit, expleat.* Septuag.

230 Loco illius verbi. *Fac me audire vocem tuam*, Septuaginta legerunt : *Inſinua mihi vocem tuam.* Hoc eſt. Non exprimas vocem, non facias verbis, vt petitio tua meas veniat ad aures, ſufficit, vt minimo labiorum motu ſine voce inſinuationem geras te aliquid poſtulare velle, vt illicò peragetur. Deus itaque ſe attentiſſimum obiicit non ſolum ad expreſſas Mariæ preces, ſed ad minimam precum illius inſinuationem.

231\. *Pro hortis deliciarū Mariæ reputat, adſtare in cœli portis, vt ſuos cultores introducat.* Honor.

231 Hæc verba. *Quæ habitas in hortis* Honorius ſingulariter legit, (apud alium enim Auctorem non inueni) *Quæ habitas in portis.* At grauis admodum huiuſce Doctoris auctoritate nitens, ſic ad Mariæ gloriam verſionem interpretor: Tanta Virginis erga ſuos cultores pietas, vt in deliciarum hortis habitare ſe putet, cum in cœli Empyrei portis aſſiſtat, vt illis applaudens ad gloriam recipiat.

232\. *Maria cubile collocat in cœli porta, eamque habet apertam, vt citò ſuos cultores ad gloriam excipiat.* Luc. 11. Chryſol.

232 Luc. 11. Dixit Dominus. *Quis ex vobis habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, dicens : Accommoda mihi tres panes, & ille deintus reſpondeat: Oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili.* Ad quæ D. Petrus Chryſol. ſerm. 39. *O quàm pulſanti iſti amicus Deus geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſam collocauit ad ianuam!* Deus geſtit pulsātibus peccatoribus citò occurrere, collocans cubile ad cœli portam ; ſed adiicit oſtium eſſe clauſum ipſe recubans in cubili. Vt pulſantes excipiat, debet è cubili, ſeu lecto aſſurgere, & aperire oſtium. At Maria ipſis in portis cœleſtibus habitat, eis vtitur quaſi cubili, eas reſeratas ſemper habet. nè ſit cultoribus ſuis pulſare neceſſarium. *Quæ habitas in portis.*

233\. *Maria ſit cœli porta, vt ſuis facilior aditus pateat.* Chryſol.

233 Addit Chryſol. *O quàm non tantùm ad ianuam Dominus : ſed ipſa ianua Dominus fuit, dicens : Ego ſum ianua.* De Maria Eccleſia canit : *Fœlix cœli porta.* Vnde de ipſa poſſumus dicere, quod de piiſſimo Dominus Chryſologus aſſeruit : O quam non ſolum Maria habitat in portis, ſed & ipſa cœlorum eſt porta, vt facilis cultoribus ſuis pateat ingreſſus.

234\. *Maria ad peccatorum oſtium ſtat, & pulſat, vt eos ab exitiali ſomno excitet.* Apoc. 3. Luc. 11.

234 Chriſtus Dominus de ſe Apocal. 3. dixit, *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Tanta enim erga homines Seruatoris charitas, vt vel dormientes eos excitet, vel clauſum eorum induratorum oſtium ſæpè pulſando recludi ſatagat. Haud aliter Mariæ pietas Dei æmulatrix ſtat ad portas peccatorum, ſeu in portis habitat occluſis, vt ſæpè pulſanti *ſaltem propter improbitatem.* (Lucæ 11.) id eſt propter Virgineæ pietatis perſiſtentiam in pulſando, homo tandem aperiat.

Certum eſt, olim in portis vrbium geri iudicia. Vnde ad eam alludens conſuetudinem Dauid dixit Pſalm. 126. *Cum loquetur inimicis ſuis in porta*, ſeu cum in tribunali Iudex adſtiterit exitialem peccatoribus ſententiam pronuncians. In his portis Maria habitat, vt pro his intercedat, vt vices exerat Aduocati, quo ſententiam obliteret, vel ſaltem quo ad Purgatorij pœnas emolliat. 235

235\. *Maria in portis, vbi iudicia Deus agit, habitat, vt faueat peccatoribus.* Pſal. 126.

Iudicem Deus agebat ; cum recipiebat prudentes Virgines ad gloriæ thalamum, & ſtultis oſtium occludebat. Illæ inclamitant *Domine, Domine, aperi nobis.* At Iudex dixit : *Amen dico vobis, neſcio vos.* Non ingrediuntur, quia *incluſa* erat *ianua.* Matthæi 25. O inſipientes virgines, ſi quando dixiſtis, Domine, aperi, ad portam cœli, vbi Maria habitat, accederitis clamantes, *Domina, aperi :* ipſa apud tribunal iudiciarium Filij ageret aduocatam ; nec diceret, *Clauſa eſt ianua.* Semper enim peccatoribus ad eam accurrentibus cœlorum portas, vbi habitat reſeratas oſtendit. 236

236\. *Ideò ſtultæ illæ periêre virgines, quia ad portas, vbi Maria habitat apertas ſemper non accurrerunt.* Mat. 25.

Honorius idem ſic breuiter totam ſententiam expoſuit : Chriſtus ad Virginem : *Quæ habitas*, ait, *in hortis ; id eſt, iam ô Mater, ab vtroque populo coleris, amici auſcultant, id eſt, quique electi te imitantes mihi obediunt ; nunc fac me audire vocem tuam, id eſt, quid amplius deſideres?* Adeò affectus eſt Deus ad implendas Virginis precationes, vt poſtquam ipſa obtinuerit omnium electorum ex vno, & altero populo ſua interceſſione ſalutem, adhuc illam preces proferre perſuadeat, ſi *amplius quid* ſibi donari *deſideret.* An ſi poſtularet ipſum Tartarum euacuari, ei concederetur? Haud id Deipara Dei voluntati addicta poſtulabit. At ſemel poſtulaſſe aſſeritur à D. Gregorio, & Traiani anima à gehennæ emerſit incendio. Vnde Petrus Damianus de Mariæ pietate, & potentia apud Filium loquutus ait *inferos reſpergere.* 237

237\. *Deus ipſe Mariam hortatur, vt difficillima quæque ab eo poſtulet, illicò exequenda.* Honor. Gregor.

More ſuo Guillelmus copioſius hoc loco diſſerit. *In calce* inquit, *ſacri carminis cœleſtis ſponſus preclarè inſinuat, quantum fauoris, & honoris impendat piæ Matri in æternis ſecum deliciis accubanti : ne quis fortè cunctetur eius ſe meritis commendare, eius ſuffragia poſtulare, tanquam illi ſit apud Filium aliquid difficilè impetratu Quæ habitas in hortis cœleſtibus, fac me audire vocem tuam. Quos mihi orando commendas, nullatenus deſeras, donec paulatim proficientibus impetrando gratiam perfectionis facias me in illis audire vocem tuam.* Quid autem eſt : *Fac me in illis audire vocem tuam?* Planè ita illos ad virtutem tuis monitis adducas, vt in ipſis illorum operibus vocem tuæ deprecationis exaudiam. Ne quis adeò potentiſſimæ licet Virginis interceſſioni fidat, vt omnino bene operandi obliuiſcatur. 238

238\. *Tantum abeſt, vt Maria ad cœlos aſſumpta nos deſerat, vt Deus ipſe eam excitet ad rogandum pro nobis.*

Non ſic Mariæ interceſſioni fidas, vt rectè operandi obliuiſcaris.

Aliter Abbas verſiculum exponit. *Cùm iam, inquit, inſtaret plenitudo temporis, quo* Dei 239

239\. *Noluit Deus ſine Maria*

assensu homines redimere, vt scias te Mariæ debere, à Deo salutem donari. Guillelm.

Dei Filius hostiam reconciliationis humanæ suo tempore immolandam de carne Virginis sumeret, noluit ea nesciente, & inuita hoc facere; sed adhuc dignatus est, eius petere, atque expectare assensum. Præmisit ergò Angelum præcipuæ dignitatis, per quem ei diceret: Vt mecum suo tempore præclarè in hortis habites, fac me audire vocem assensus tui. En amici hominum sancti Angeli vocem assentientis inhianter expectant, scientes, sine assensu tuo non posse hominum prouenire salutem, quam multum desiderant. Tunc illa per fidem diuino mysterio deuotum, & hilarem præbens assensum, ad colloquentem Angelum dixit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, ex me Verbum incarnetur. Illud annota: *Scientes, sine assensu tuo non posse hominum prouenire salutem.* An Deus non potuit Maria inscia & renuente; vel non annuente, ex ipsa carnem suscipere hostiam pro hominum salute immolandam? Potuit planè, sed *noluit*, vt homines nosceremus Mariæ assensui debere nostræ salutis operam, à Christo Domino necessariam dispositionem; quia sine Mariæ assensu, ex dispositione diuina, haud poterat salus hominum prouenire.

240\. *Tanta Mariæ charitas, vt propter eorum solatium, curaret, Filium diutius suum in cœlos ascensum suspendere.* Guillelm.

Post Christi resurrectionem, redemptionis humanæ opere consummato, valde expetebant Discipuli, vt Dominus diu cum eis visibiliter commoraretur, Angeli autem vehementer optabant, vt illicò ad superos ascenderet. Maria verò quid ad hæc? Pulchrè Guillelmus, *Angeli & Apostoli contrariis quodammodo voluntatibus dissidebant. Erat voluntas Angelorum fortior, quia iustior; sed voluntas Apostolorum fauorem piæ Matris ex parte habere videbantur. Nempè illa rudes Discipulos tenerè diligens, quamvis sciret, quid eis expediret, eorum tamen infirmitati maternè ad modicum condescendebat, nec dabat Filio licentiam abeundi.* O ineffabilis Deiparæ charitas! Non ob propriam ex Filij præsentia consolationem curabat illius Ascensionem retardari.

241\. *Ineffabilis Mariæ potentia, quæ Christum valet quantū vult apud nos detinere.* Guillelm.

Imò plus ineffabilis Mariæ potentia, quæ Deum in terris, quantum placuit ei, valet detinere. Audi perpulchram Abbatis Guillelmi sententiam. Dei Filius, *qui cum Mariæ assensu à Patre olim exierat: præter eius assensum ad Patrem reuerti nolebat.* Potens Virgo Deum ad se adducere vnico verbo *Fiat*: potens eum hoc in sæculo detinere. *Et quoniam* (addit ille) *exiturus à Patre per Angelum eam salutauerat, in suo ad Patrem reditu insalutatam relinquere noluit.*

242\. *Christus humiliter à Maria postulat redeundi ad Patrem licentiam.* Guillelm.

Vide autem quàm humaniter, quàm dulciter, quàm humiliter Filius Dei à Deiparente licentiam ascendendi ad Patrem efflagitet. *Denique* (cum Guillelmo loquor) *dicebat ei* Christus: *Quid me retentas ô pia Mater, nè me recipiam in dexteram Patris: nè me recipiam in hortos illos cœlestes, vbi habites mecum; & perennibus deliciis affluas? Scio, quòd tenera charitate rudes meos Discipulos diligas; sed attende, quid amici Angeli optent, atque exspectent; qui profectò norunt, quod te inuita nolim reuerti ad Patrem. Quia ergò amici auscultant, dic, quod dicturа es: fac me audire vocem tuam; id est, da Filio ad Patrem redeundi licentiam. Non enim minus intentè nunc auscultant, vt te audiant: Fuge dilecte mi, quàm olim auscultabant, vt te audirent dicentem, osculetur me osculo oris sui. Nec minus intentè nunc auscultant, vt te audiant, quo carmen nostrum amatorium terminetur,* meo ad cœlum ascensu; *quàm olim auscultabant, vt audirent, quo inchoaretur,* me tuum ad vterum descendente.

Sine Mariæ licetia Christus ad Patrē noluit reuerti.

Fac me audire vocem tuam.] Dulcissima quidem Deo est Mariæ vox, quam sæpè ipse postulat insonare. Cap. 4. *Sonet vox tua in auribus meis.* Hîc verò, *Fac me audire vocem tuam.* Addidit supra, *Vox enim tua dulcis.* Ideò Canticorum 4. dixerat, *Fauus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua.* Quod D. Bonauentura in spec. lect. 11. sic exposuit: *Maria in ore non fuit fel & venenum diaboli, sed mel & lac iuxta illud, Fauus distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua. Nonne Maria mundissimum lac habuit sub lingua, quando castissimum illud verbum ait: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Nonne etiam Maria dulcissimum mel sub lingua habuit, quando illud mellifluum verbum dixit: Ecce ancilla Domini?* Luc. 1. 243.

Mel & lac in lingua, seu voce Mariæ. Cant. 4. Bonauent.

Cum autem sponsus dixerit, *Amici auscultant* te loquentem, ô dilecta, ab iis amicis requiram, quàm dulcis eis Mariæ vox extiterit. An non amicus Ioannes vocem Virginis in Matris vtero versans exaudiuit? Dulcisne illi Mariæ vox? Elisabetham audi, *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Luc. 1. Ad quæ Rupert. *Sonet vox tua in auribus meis, & audiam ego, audiant & amici. Quorum primus audiuit, cum adhuc fuisset clausus in vtero Matris suæ, & exultauit ad vocem tuam; quæ hoc modo sonuit in auribus meis: Magnificat anima mea Dominum.* 244.

Quàm dulcis Ioanni in matris vtero clauso Mariæ vox? Luc. 1. Rupert.

Num non Angeli amicorum nomine designantur verba Mariæ audientes? Rupert. *Amici auscultant, id est, etiam illi, quos non vides corporalibus oculis, sancti scilicet Angeli.* An dulcis eis fuerit Deiparæ vox? Respondet D. Bernardus serm. 1. de Assumpt. *Virgo hodie gloriosa cœlum ascendens, supernorum gaudia ciuium copiosis, sine dubio cumulauit augmentis. Hæc est enim cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio; quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli nondum nati anima liquefacta est, vt Maria loquuta est; quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius præsentia frui meruerunt?* 245.

Ineffabili gaudio afficiuntur Angeli, cum Maria loquitur. Rupert.

Sed quid ab amicis hominibus, & Angelis testimonium adfero ad huius veritatis confirmationem, cum de verborum Mariæ suauitate ipse Dominus sic Brigittæ lib. 1. cap. 6. dixit Matrem alloquens? *Verba tua sunt mihi suauia, & delectant intima cordis tanquam potus suauissimus.* O quàm dulcia, quàm suauia Mariæ verba, quæ non solum iam sonant in sponsi auribus, *Sonent verba tua in auribus meis*; sed intima illius cordis penetrant, eaque delectatione ineffabili opplent? 246.

Mariæ verba Deo sunt potus suauissimus. Brigit.

Quid mirum autem, si Mariæ verba Christi verba sunt? cum enim Maria loquitur, 247.

Mariæ verba Christi verba

fuus. Quid nõ ineffabili dulcedine diffluant? Rupert. Christus in illius lingua verba simul facit. Pulchrè Rupert. *Sonet vox tua in auribus meis: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Ibi ad vocem meam, & vocem tuam audire, & exultare cœpit* Ioannes. An Christus *ibi* fuerit loquutus? Non loquebatur Christus tunc ex vtero per se, per Matrem loquebatur, adeò vt Mariæ vox fuerit etiam Christi. Quomodò Mariæ vox ineffabili dulcedine non diflueret.

248. *Christus erat in lingua Mariæ fauus, inde verborũ illius dulcedo. Cant. 4. Rupert.* Quomodò poterat sermo Virginis dulcis non esse, si ipse Christus dulcedinis fons in eius lingua adèrat, vt verba seipso indulcaret? Canticorum 4. *Mel & lac sub lingua tua.* Rupertus sic loquentem Christum inducit: *Fauus tuus, ô Mater, ego sum, mel tuum, & lac tuum ego sum, quia Deus tuus, & Filius tuus ego sum. Hoc tua sensit anima, hoc tua sonant labia: aliud loqui non potes, quàm id, quod in pectore habes; ex abundantia enim cordis labia tua loquuntur.*

249. *Mariæ vox Deo grata, quia in hortis virtutum insonabat.* Profectò ipse Dominus illis verbis: *Quæ habitas in hortis*, innuit, vndenam tam dulcis, tam suauis ei vox Mariæ extiterit. Non enim poterat dulcis non esse Deo Mariæ vox, quæ in hortis inter virtutum germina commorabatur. Duæ autem specialiter in Deiparæ verbis virtutes insonant.

250. *Admirabilis in verbis Mariæ prudentia.* Vna est prudentia. Ait Isaias cap. 50. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.* Vertunt LXX. *Dominus dat mihi linguam disciplinæ*, seu prudentiæ, *vt sciam, quando oporteat loqui verbum.* Quod Ambrosius ad Psalm. 40. sic legit, & exponit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam, quando oporteat sermonem dicere, scire ergò debes, quid audias, scire quid loqui debeas, scire etiam, quando id loqui debeas.* Planè hoc est *eruditè* loqui, prudenter verbis vti. An Maria in hortis virtutum habitans, cùm sponsus eam allicit ad loquendum, *Fac me audire vocem tuam*, poterat sine prudentia loqui? Minimè quia sponsus ipse semper in Virgine loquebatur. Audi sanctum Bonauenturam opusc. de Medit. Christi, cap. 3. *Omnis sermo Mariæ ita erat gratia plenus, vt Deus cognosceretur in lingua eius.* Quomodò non prudentissimè loqueretur illa, cuius linguam Deus ipse moderabatur; imò semper in Maria loqueretur?

Tanta in verbis Mariæ prudentia, vt Deus loqui in illa cognosceretur. Bonauent.

251. *Christus semper loquebatur in Virgine, vnde non poterat non prudentissimè loqui. Cant. 5. Rupert. 2. Cor. 13.* Ait Deiparens Canticorum 5. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est.* Vbi Rupertus, *Quando, vel vbi loquutus est?* Respondet, Quando, vel *vbi ego pessulum ostij mei*, seu oris mei *aperui, loquendo scilicet pro vtilitate audientium ea, quæ sunt dilecti. Tunc & ibi dilectus meus est loquutus; non ego eram, quæ loquebar, sed ipse in me loquebatur. Si enim quilibet vestrorum amicorum dicit, & verè dicit* (2. Corinthiorum 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi? non dubium, quin & in me dilectus idem loquutus est, quoties ei pessulum ostij mei, seu oris mei aperui, quoties linguam meam & Verbo Dei, quod est ipse, vocem meam accommodaui.* Si igitur Christus nunquam-non loquebatur in Virgine, non poterat non semper prudentissimè loqui. En voces, seu verborum Mariæ prudentia, qua tam dulcia ac suauia sponso insonarunt.

252. *Verborũ Mariæ vtilitas. Nullũ inutiliter ex ore illius prodiit.* Altera virtus, vnde tam grata Deo Virginis vox est vtilitas. Pauca protulit Virgo in Euangelio verba, sed nullum illorum inaniter euolauit, omnia hominibus fuere proficua. Loquuta est cum Archangelo, & ad illud, *Fiat mihi*, Deus factus est homo. Loquuta est cum Elisabeth, & Ioannes clausus in vtero sanctificatus exultauit. Lucæ 1. Locuta est cum Iesu in Templo Ierosolymitano inuento, & factus est parentibus subditus, dicente Luca, *Et erat subditus illis.* Vt homines habeamus Mariam & Iosephum, quorum non iam precibus, sed iussionibus quodammodo, veniam peccatores adipiscamur. Loquuta est in nuptiis, & aqua in merum conuersa, honorantur coniuæ, & cunctis fidelibus quasi prælibatum fuit sacerrimæ Eucharistiæ typicè Sacramentum. Luc. 1. Ioan. 2.

253. *Verba Mariæ nostræ salutis signum extitère.* Profectò Virginis verba nostræ salutis signum extitère. Funiculum coccineum in signum salutis monita fuit olim Raab ab exploratoribus in fenestra appendere. Iosuë 2. De Maria autem cecinit sponsus Canticorum 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Ac si diceret: Non solùm eloquia tua dulcedine diffluunt auditoribus, sed ob suadendi efficaciam eis sunt salutis æternæ documentum, quemadmodum funiculus coccineus fuit signum vitale meretrici, ad quam liberationem allusionem hîc fieri nonnulli Interpretes asseruere ob vittæ coccineæ, & coccinei funiculi proportionem. Cant. 4.

254. *Mariæ verba velut funes attrahunt, & detinent peccatores. Theodot.* Mariæ itaque verba, instar funiculi coccinei Raab, sunt peccatoribus salutis in signum, eos enim loquendo attrahit, & illigat, nè à Deo recedant. Pulchrè ait Theodoretus: *Verbis tuis tanquam funiculo capiuntur auditores, & vinciuntur, nam eloquium tuum eos demulcet, & retinet.* Demulcet quidem, vt eos ad Deum attrahat; retinet, ne recedant. Alibi sæpè de Mariæ verborum dulcedine disseruimus.

Verf. XIV.

Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum.

255. *Tanta Mariæ charitas, vt se orbari, Christi conspectu petat, vt ad homines Paracletus ab illo mittatur. Guillelm.* AD Christi Domini Ascensionem verba hæc Guillelmus accommodat, Virginem loquentem inducens. *Quia, ô Fili, expedit mihi, & tuis, vt vadas: nolo, lentè vadas, sed fuge dilecte mi, & fugiendo, assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum. Hoc est, non tantum celeri, sed & hilari fuga Paracletum citò missurus, qui doceat tuos omnem veritatem.* Tanta Virginis erga homines charitas, vt se suauissimo Filij conspectu studeat

Maria Spiritu sancto plena, expetebat, suos eodem oppleri.

studeat ornari, vt ascendens Spiritum sanctum homines doctrum immittar. Preme particulam, *Quia expedit mihi, & tuis.* Vndenam expedit Virgini, vt Filius ascendat sanctum Spiritum immissurus, si iam ad illam Spiritus sanctus plenissimè superuenerat, *Spiritus sanctus superueniet in te?* Lucæ 1. Certè ipsa iam plena Paracleto, materna pietate suos expetebat oppleri.

256. *Christus ita Mariæ amat præsentiam, vt quodammodo repugnet ad Patrem ascendere ipsa in terris manente.* Guillelm.

Adiicit eleganter Abbas, *Fuge* (inquit Mater) *dilecte mi ascendendo in cælum, & sedendo à dextris Dei, supergredere montes aromatum, seu omnem excellentiam Angelorum, sub quibus carnem accepisti secundum illud* Psalm. 8. *Minuisti eum paulominus ad Angelis. Ecce iam gratam, amicis auscultantibus, feci te audire vocem meam. Ecce iam fugis dilecte mi, & salutata, vt decebat, Matre, redis ad Patrem. Visnè adhuc carmen nostrum finiri? Non* Filius ait: *Prius enim mecum debes habitare in hortis, in æternis mecum occubare deliciis: ibique mihi, quantò familiarius, tantò & efficacius commendare plurimos, donec & ipsi dicant, Fuge dilecte mi.* Verè hoc Canticorum *carmen*, seu Canticum debet in Ascensione sponsi ad superos terminari; sed tantus Christi erga Matrem affectus, vt in cælos quasi repugnet ascendere, illa apud terricolas commorante. Vnde detrectat ab ipsa dimitti verbis illis, *Fuge dilecte mi*; sed Virgine prius ad cælos assumpta, fidelibus adhuc in terra existentibus commendare, vt ipsi dicant, *Fuge dilecte, carmen finiatur*; iam enim Mater piissima tecum in hortis cælestibus commoratur.

257. *Quam debitores sumus Mariæ Christiani ex Gentibus.* Carthus.

Vt autem Virginis pietatem, quam hæc hallat sententia, vberius expedias, audi Dionysium Carthusianum: *Fuge dilecte mi, id est, obstinata, ac perfida synagoga relicta, ad Gentium conuersionem celeriter perge.* O quàm debitores sumus, qui ad Ecclesiam è Gentibus fœlicissimè pertinemus pietati Deiparæ; nostram vtique expetenti, & assequenti conuersionem?

258. *Non vult Maria solam se ad cælum assumi, omnes nos cupit secum adducere.* Carthus.

Imò (addit) *simul à valle ista plorationum ad æternitatis beatitudinem properemus. Illuc me trahe post te, & meritis tuis, ac precibus meis Militantem Ecclesiam incessabiliter protege, imple, reforma, illustra, perfice: eamque ad triumphantis societatem Ecclesiæ ad supernorum montes aromatum, ad omnium fœlicitatem cælestium ciuium digneris perducere.* Non vult Deipara sola cælos scandere, totam Militantem Ecclesiam cupit secum adducere. *Trahe me*, inquit; sed adiicit, *Post te curremus.* Tunc enim hilaris plenè ad cælum conscendam *post te*, si mecum innumerabiles fideles accurrant.

Cant. 1.

159. *Deus cõmittit Mariæ officium indendi nobis pennas, vt ad cælum euolemus.* Guillelm.

Cum autem non possimus implumes velocissimam aquilam Mariam sequentes ad superos auolare: ipse sponsus Deus Matri nobis pennas indendi officium committit. Pulchram accipe Guillelmi sententiam: *Ad cælum*, inquit, *plurimi implumes volare contendunt; & priusquàm grandescant, euacuare volunt, quæ sunt paruulorum. Itaque fugit dilectus super montes aromatum, ascendit super cælos cælorum. Deinde piam Matrem ad se de terris euocat, & illi blandiens. Fac, inquit, me audire vocem tuam illam, qua mihi orando commendas eos, quibus cœpisti suffragari. Non cesses mihi eos commendare, donec illis tantam à me gratiam impetres, vt lactis pertæsi, solidum cibum esuriant.* An-non apertè liquet, Deum velle omnes electos ad gloriam ascensuros, Deiparæ intercessione alas accipere ad volatum?

Per Mariam vult Deus ad superos suos electos ascendere.

Non erit abs re nonam horum verborum expositionem, seu meditationem attexere. Contemplor enim Christum Dominum iamiam animam in patibulo efflantem, sicque inclamantem Deiparam: Fuge dilecte mi, tanta auola velocitate, vt cursum capreæ, & ceruorum hinnuli montium ad germina odorifera pressorum fame referas: & te confer ad Limbum, vbi Patrum animæ recluduntur, & ad Purgatorium, vbi iustorum spiritus acri, sed amico igne torquentur, vt hi, & illæ è carceribus tecum ad cælestem paradisum transferantur. Promiserat superius Virgo, *Ducam te in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ.* Cantic. 3. idest, in Abrahæ sinum, & in animarum fidelium Purgatorium, vti ex non infimæ notæ Auctore exposui. Hic autem se stare promissis ostendit, dum ait: *Fuge dilecte mi*, seu fugientis celeritatem, quæ superat capreas, & ceruos, imitare, vt nobilibus spiritibus in Limbo, & in Purgatorio clamantibus succurras. 260. *Maria precatur Filium, vt è cruce velox ad succurrendum in Purgatorio laborantibus animabus descendat.*

Hanc Mariæ ergà animas defunctorum, quæ in Purgatorio torquentur, pietatem expendo. Frequens planè est, in sepultura & exequiis defunctorum incensi oblatio. Virgo ideò Cantic. 6. inquit, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, vt scilicet pro animabus vita functorum, qui in Purgatorij flammis torquentur copiam thuris offerendi accipiam. 261. *Maria vadit ad montem thuris, vt incensum pro defunctis affatim offerat.* Cant. 6.

Hoc incenso, hoc affectu ad animas defunctorum leuandas Deiparæ cor plenum erat. Pulchrè Amedæus homilia 6. de Beata Virgine, ait: *Thuribulum incensi erat cor Mariæ*: quod quidem preces pro animarum leuamine offerebat. Oratio enim à Dauide fumanti thuribulo comparatur. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Psalm. 140. Ex affectuoso corde Mariæ orationis incensum velut è thuribulo ad Dei conspectum sæpè dirigebatur, dum viueret: imò & in gloria existente, dirigitur, vt fidelium animarum pœnæ imminuantur, & citius terminentur. 262. *Cor Mariæ ob affectum ad leuãdas Purgatorij incolas, incensi thuribulum ostentatur.* Amedæ.

Consonat Georgius Nicomed. oratione de præsentatione Virginis: *Maria est aureum thuribulum, in quo combusta fuerunt omnia crimina inobedientiæ.* Omnia crimina *inobedientiæ* esse quis dubitet: 263. *Maria suis precibus, instar aurei thuribuli, omnia inobedientiæ crimina*

in animabus Purgatorij purificat. Georg

bitet: hæc Purgatorij igne comburuntur, dum venialium culpa, & pœna remittitur, & pro lethalibus hic remiſſis plena ibi fit ſatisfactio. Quomodo igitur in aureo Mariæ thuribulo omnia crimina combuſta fuere? Certè quia offerens Virgo ſuæ efficaciſſimæ orationis incenſum fidelium animas ſoluit ab igne. Vnde illa crimina, quæ in Purgatorio fuerant comburenda, in Mariæ thuribulo ipſius pietatis igne dulciter comburuntur.

264. *Deipara eſt nauicula incenſi, imò nauis ex ignis flumine animas defunctorum gloriæ adducit ad portum.*

Profectò in ſacrificiis pro defunctis nauicula incenſi receptaculum ſacrum thuribulum comitatur. Ex illa grana thuris educuntur in thuribulum transferenda. Non abs re Eccleſia in defunctorum ſacrificiis thuris ſuffragium voluit in vaſe nauiculæ ſimili miniſtrari. Contemplatur enim fidelium filiorum ſpiritus inter cruciantis ignis vndas veluti fluitantes, haud poſſunt ad cœleſtis beatitudinis portum appellere, quia nauigio carent. Ideoque eorum ſuffragia in thuris nauicula collocat, quaſi in myſtica quadam naui, quæ eos ad cœleſtis beatitudinis portum adducat. Antiqui Pagani confinxere, in Lethæo flumine Acherontis nauem vita functorum animas ad ſuos chimericos Elyſeos hortos transferre.. Deiparam igitur nauem dixerim *de longè portantem panem*, ſeu ſuffragia nobilibus ſpiritibus, qui in Purgatorio fame cruciantur. Ieremias Thren. 5. ait, *A facie tempeſtatum famis.* Famem non ſingularem aliquam tempeſtatem appellat, ſed multarum tempeſtatum colligationem. Amos cap. 8. *Vocauit Deus famem ſuper terram*, vt grauiſſimè plecteret peccatores. A quonam loco velut à proprio habitaculo Deus famem eduxit? Ad terram illam aduocans de ſubtus terram, de inferis eam Deus aduentare fecit. Quaſi enim Tartareus cruciatus eſt per famem deperire. Hac pœna dira ſpiritualiter in Purgatorio fideles animæ afficiuntur. Eccli. 14. *Particula boni dici non te prætereat. Antè diem obitus tui operare iuſtitiam, quia apud inferos non eſt inuenire cibum.* Appoſitè Chryſoſtomus homil. 83. in Ioan. *Multo nobis viatico opus eſt; nam multus labor, multus æſtus, magna ſolitudo eſt peragenda. Nullum eſt diuerſorium, vbi neceſſaria comparare poſſimus, omnia nobiſcum deferamus.* Ergò animabus illis dira fame vexatis Deiparæ nauis, ſeu ipſius pietas vbertim ſuccurrit cœleſtium precum, & meritorum ſuorum eis tribuens annonam: *De longè portans panem ſuum.*

Maria nauis eſt portans panem ſuum, vt dira fame affectas animas in Purgatorio reficiat. Prouerb. 31. Eccli. 14. Chryſoſt.

265. *Mariæ precibus Chriſtus feſtinat, ad Purgatorij animas ex igne liberandas.* Iſai. 8 Coloſſ. 2.

Vt autem agnoſcas quanta celeritate Chriſtus Dominus precibus illis: *Fuge dilecte mi*, annuerit, audi Iſaiam (cap. 8.) *Accelera, feſtina prædari, velociter ſpolia detrahe.* Ad quem locum hæc Chriſti precibus Mariæ annuentis feſtinatio dirigitur? quænam hæc ſpolia erunt? Reſpondet Paulus (Coloſſ. 2.) *Expolians Principatus & Poteſtates.* Id eſt, feſtinauit ad Inferna deſcendere, vt animas defunctorum Patriarcharum aliorumque iuſtorum è Limbo, & animas in Purgatorio exiſtentes ad gloriam adducat. Vt enim morem gereret Matris affectui, nominis ſui, quod eſt *Accelera, feſtina*, ſuis greſſibus velocitatem indidit.

266. *Illud ipſum deſcēdere velociter Mariæ precibus ad Purgatorium, idē eſt, ac pro animabus defunctorum incenſi ſacrificium offerre.*

Dixi, in incenſi oblatione defunctorum deſignari ſuffragia. Videt Chriſtus Deiparam eſſe incenſi thuribulum ob piiſſimum ad leuandas defunctorum animas attentum: & pedes ſuos incenſi thuribulum efficit, vt Matri oſtendat quam velociter greſſus agit, vt illis ſuccurrat. Ioanni Filius hominis apparuit habitu illo mirabili, quo diuerſos ſui animi innuebat affectus. *Pedes eius* (inquit Apoſtolus) *ſimiles aurichalcho tanquam in camino ardenti.* Apocalypſ. 1. loco particulæ *aurichalcho*, alij ex Græco originali legunt, *Ex thure Libani*, ſeu ex thure maſculo, quod in thuribulis ſolet apponi. Quid quæſo Dominicis pedibus cum thure? An in thuribulum conuertuntur? Planè Filius audiens à Matre: *Fuge dilecte mi*, id eſt, accelera, feſtina ad Purgatorij animas ſuccurrendas, quæ in ignis camino cruciantur: in pedum velocitate apponit incenſum, vt illud ipſum ad ignis caminum Purgatorij accedere, in eóque pedes thuri ſimiles collocare, ſit fidelium animarum liberatio.

Apoc. 1.

Pedes Chriſti ſimiles inteſſe, ca'ẽnti camino ignis flammei, Mariæ audiens preces extinguit.

267. *Chriſtus in manus Patris commendans ſpiritum, ſed inclinato capite vidit Matrem, & bonum viſum eſt ei, ad illius preces, priuſquam ad Patris manus quodammodò euolaret, ad manes deſcẽdere, vt animas ab igne liberaret.* Nyſſen. Hugo.

Chriſtus iamiam moriturus, dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Non autem tum ad Patris manus viſus aſcendere, ſed deſcendere ad manes. Cur ita? Ait D. Gregorius Nyſſenus libro contra Iudæos. Hoc geſſit Dominus, *cum illi bonum ac commodum viſum eſſet, quod anima Patris manibus commendata ad inferos deſcendiſſet.* Nam cum poſt prolata illa verba: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, caput ad terram inclinauit. *Inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Hugo Cardinalis affirmat caput ad locum illum, vbi Maria iuxta crucem aderat inclinaſſe. Cum autem tunc ab illa exandiuit, *Fuge dilecte*, accelera, feſtina ad Limbum, ad Purgatorium, *bonum* viſum fuit ei differre ad Patris manus aſcendere, vt deſcendens ad inferos Matris precibus (imperio dixerim?) ſatisfaceret.


268. *Ad omnes montes, ſiue ſanctos auxilij cauſa pergimus, ſed à monte Maria præſtantius auxilium ad omnia quæque infallibiliter inuenimus.* Iob. 5. Rupert.

Super montes aromatum.] De hiſce montibus egregiè diſſerit Rupertus in hunc modum. *Montes hi ſunt ſancti, & de iis dictum Iobo* (cap. 5.) *Voca ergò ſi eſt, qui reſpondeat tibi: & ad aliquem ſanctorum conuertere. Ad quem igitur veſtrûm conuertemur ô montes aromatum? In quo ex omnibus vobis fugientem dilectum citiùs inuenimus, & comprehendemus?* Pulchrè ita ſibi reſpondet. *O Beata Maria Virgo virginum, mons montium, ſancta Sanctorum, ad omnes quidem conuertimur montes aromatum, & vocamus, vt reſpondeant nobis. Et hoc eſt, quod vnuſquiſque noſtrûm dicit: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Pſalm. 120. *Sed ad te præcipuè conuertimur, ad te præſertim oculos noſtros leuamus, tuum præ omnibus ſuſpiramus* Pſal. 120.

auxilium

auxilium. Concludit Doctor sententiam, simulque Libri Canticorum Commentarium. *Per sanctum uteri tui Sacramentum, obtine, ut videamus illuminationem montium æternorum, scilicet dilectum, & ex dilecto. Dilectum, & simul dilectionem amborum, id est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, Deum unum, vivum, & verum, cuius Regnum, & Imperium permanet in sæculum sæculi.* Hactenus Abbas.

Laus Deo, Virgini Dei Matri, Iosepho, Ignatio, Antonio.



AD

AD DEIPARAM MEAM DOMINAM

PERORATIO.

Raucam, ô Domina, vocem ausus fui addicere Cantico Canticorum, quo Cœlites, imò illorum Dominus verus Salomon tua magnalia efferunt; anser fateor inter olores cecini: Sed elogia tua ipsis spiritibus supernis ineffabilia prorsus esse, mea sit excusatio. Parce supplici, & cui effectus defuit, non autem affectus: & per pietatem tuam mihi liceat, perorationis loco illam Andreæ Cretensis sententiam proferre: *Hæc à nobis tibi elaborata oratio, quæ eadem & gratias agit, & supplicat: si habet aliquid dignum tuâ Maiestate, pro eo tibi agendæ sunt gratiæ, quæ dedisti promptum, & alacre animi studium. Sin autem (quod necesse est omninò contingere iis, qui aggrediuntur aliqua de te dicere) longè abfuerit, vt pro tua dignitate res tractauerim, ignoscas omninò, cum tibi sit agnatum, penitùs misereri, pro ea, quæ tibi cum Filio tuo, & creatore omnium intercedit propinquitate. Accipias autem hanc orationem vt donum (exile, planè, deforme, & rusticum id offerentis manu; sed sub tuis pedibus pulcherrimum) ex pauperibus laboribus meis compositum.* Hactenùs Pater. Qui quidem *donum pulcherrimum* illud vocitat, quia pulcherrima Virginis Elogia continet.

Andr. Cret. orat. 2. de dormit. Deip.

INDEX

INDEX
ELOGIORVM
CONCIONATORIVS,
In omnia MARIÆ VIRGINIS Deiparæ Festa.

Prior numerus paginam indicat : Posterior est in columna marginali.

IN FESTO Natiuitatis Mariæ Virginis Deiparæ Elogia.

Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham, &c. Matth. 1.

IN FESTO Præsentationis Mariæ Virginis Deiparæ Elogia.

Loquente Iesu ad turbas, &c. Luc. 11.

Ant. de Escob. & Mendoz. In Cantic.

Hæc Elogia adaptari possunt festo Mariæ Virginis Deiparæ ad Niues, est enim idem prorsus Euangelium.

IN FESTO Annuntiationis Mariæ Virginis Deiparæ Elogia.

Missus est Angelus Gabriel à Deo, &c. Luc. 1.

IN FESTO Visitationis Mariæ Virginis Deiparæ Elogia.

Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, &c. Luc. 1.

IN FESTO Purificationis Mariæ Virginis Deiparæ Elogia.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm legem Moysi, &c. Luc. 1.

IN FESTO
Assumptionis Mariæ Virginis Deiparæ Elogia.

Intrauit Iesus in quoddam Castellum, &c. Luc. 10.

Ad Lectorem Beneuolum.

M*iraberis fortassè* (Lector beneuole) *quod nullum hîc tibi de Mariæ Virginis Deiparæ Immaculata Conceptione apposuerim Elogium : sed vt nulla tibi suspicandi supersit ratio, te monitum volo, me quamprimùm* (*Deo fauente*) *Volumen integrum hac de materia in lucem editurum.*

INDEX ELOGIORVM IN MARIAM DEIPARAM.

Nihil in hoc volumine continetur, quod Deiparæ gloriam non prædicet: vnde nullum adest hoc in indice verbum, quod tantæ Dominæ non prælibet Elogium.

Prior numerus paginam indicat: Posterior extat in columna marginali.

Maria

Amplexus.

Amygdalus.

Ancilla.

Angelus.

Omnes

Assumptio.

Tam

Quasi

Dæmonium

D

E

Maria

Quàm

Perpetua

H

Hæreditas.

Hæresis.

Hæreticus.

Hebræi.

Herodes.

Hinnulus.

Hœdus.

Homo.

Honor.

Hora.

Hortus.

Mariæ

I

Iabel.

Insepara

Maria

Manus.

N

Maria

O

Obcæcatio.

SS. Patres

Persona

Mariæ

S

Sacerdotium.

Torculus.

V

Verè

Vis.

Visitatio.

Vita.

Vitis.

Vmbra.

Vnguentum.

Volatus.

Voluntas.

FINIS.